BIBLIOTHECÆ
PATRVM CISTERCIENSIVM
SIVE
OPERVM ABBATVM
ET MONACHORVM CISTERCIENSIS ORDINIS,
Qui sæculo S. Bernardi, aut paulo post eius obitum floruerunt,

---

TOMVS SEPTIMVS.

EXHIBENS.

Albigensium Hæresim & Bellum Sacrum in eos susceptum, authore Petro Vallium-Sarnaij, Monacho, ex MSS. Longi-Pontis correctius editum.

Helinandi Frigidi-Montis Monachi Chronicorum vltimam & præcipuam partem quæ sola superest, ex MSS. Eiusdem loci nunc primum editam.

Eiusdem sermones & Epistolam de reparatione lapsi, ex MSS.

Prodeunt nunc primum in lucem operâ & studio D. Bertrandi Tissier Doctoris Theologi, Cœnobij B. Mariæ de Bono fonte in Terascia, Ordin. Cister. Prioris.

Prostant Exemplaria
Apud LVDOV. BILLAINE, Parisiensem Typogr. ac Bibliop. in Palatio Regio.

M. DC. LXIX.
Permissu Superiorum.

HISTORIA
HAERESIS ALBIGENSIVM:
ET SACRI BELLI IN EOS SVSCEPTI.

TEMPORIBVS *Innocentij Papæ tertij, vt Cæsarius in Dialogo narrat, hæreses Albigensium cœperunt pullulare, seu veriùs maturescere. Missi sunt duodecim Abbates Ordinis Cisterciensis cum Reuerendissimo Domino Cisterciensi, qui zizania rastro catholicæ prædicationis eradicarent. Missi & monachi multi eruditi: & horum vnus fuit huius author historiæ Petrus Vallium Sarnaij, quod est Cœnobium in diœcesi Parisiensi, asceta: cuius etiam auunculus è duodecim illis Abbatibus vnus erat, eique Guido nomen. Hæreticorum verò illorum errores ex Manichæi fæce erant collecti. Duo enim, vt ijdem referunt Cæsarius & Petrus, statuebant principia, Deum bonum, & Deum malum, id est diabolum: hunc omnia creare corpora, illum animas, credentes. Admittebant quoque* μετεμψύχωσιν *Pythagoricam, seu demigrationem animarum è corporibus in alia corpora. Plurima alia stultissimè astruebant, quæ referunt prædicti Cæsarius & Petrus, alijque: & quod solemne omnibus est hæreticis, signumque certissimum erroris, Ecclesiam Romanam summo prosequebantur odio. Et quia aduersus Catholicos prædicatores velut aspides aures obturauerant, in eos bellum sacrum, duce Simone à Monte forti, gestũ est: quod hic describit Petrus ValSar. qui ei interfuit. Porrò plurima menda veteris editionis correximus: alia in margine indicauimus, posthac emendanda, si correctum exemplar possit reperiri.*

Cæsarius dist. 5. c. 21.

PROLOGVS AVCTORIS AD INNOCENTIVM PAPAM III.

SANCTISSIMO patri, & Beatissimo Domino Innocentio, Dei gratia vniuersalis Ecclesiæ summo Pontifici: humilis, licet immeritus seruus eius, Frater P qualiscumque ValliũSarnay monachus, non solum oscula pedum, sed & ipsa pedũ eius vestigia humiliter deosculari. Benedictus Dominus Deus sabaoth: qui nouissime diebus nostris, Sanctiss. pater, cooperante vestra sollicitudine non pigra, Ecclesiam suam in partibus Prouinciæ, inter persequentes hæreticorũ procellas, iam quasi penitus naufragantem, per ministrorum suorum manus, de ore leonum misericorditer eripuit: de bestiarum manibus liberauit. Verùm ne tam gloriosum & tam mirabile factum, per euolutiones temporum successiuas, possit in obliuionẽ venire, sed nota fiant in gentibus magnalia Dei nostri: seriem facti, qualicũque modo in scriptum redactam, vestræ, Beatiss. pater, offero maiestati, humiliter supplicans ne deputetur præsumptioni, quod puer clementarius manũ misit ad fortia: onus subire præsũpsit supra vires: quia fuit mihi intentio in hoc opere, hæc sola scribendi causa, vt sciant gentes mirabilia opera Dei: maximè cùm, sicut ex ipso dicendi modo perpendi potest, non studuerim superfluis verbis ornare codicem, sed simplicem exprimere simpliciter veritatem. Firmum igitur habeat, Pater bone, vestræ dignatio sanctitatis, quod etsi ad omnia, quæ in hoc facto contigerint scribenda, per ordinem non potuerim pertingere, vera sunt illa quæ scripsi: cùm nihil vnquã apposuerim, nisi quod viderim oculis meis, vel audierim à magnæ auctoritatis personis, & plenissima fide dignis. In prima autẽ hui' operis fronte breuiter tango de sectis hæreticorum, & qualiter Prouinciales infidelitatis lepra infecti fuerint, à tẽporibus retroactis. Postea exprimo, quomodo memorati Prouinciales hæretici, per prædicatores verbi Dei, & vestræ Sanctitatis ministros, admoniti fuerint, vt redirent præuaricatores ad cor & sæpius requisiti. Deinde cruce signatorum aduentus, ciuitatum & castrorum captiones, cæteraque ad progressũ negotij fidei pertinentia, prout possum, per ordinem repræsento. Vnde sciant qui lecturi sunt, quia in pluribus huius operis locis, Tholosani, & aliarum ciuitatum & castrorum hæretici, & defensores eorum, generaliter Albigenses vocãtur: eo quod aliæ nationes, hæreticos Prouinciales, Albigenses consueuerint appellare. Vt autem lector in hoc libello, quod quæsierit, possit faciliùs inuenire: sciat, quòd secundùm multiplices & successiuos negotij fidei processus, per varias distinctiones digestum est opus istud.

Albigenses vel potius Albienses seu Albienses à ciuitate Albia, gallicè Alby.

CAPVT I.
Monachi Tholosæ aduersus hæreses prædicant.

IN PROVINCIA Narbonensi, vbi quondam fides floruerat, cœpit inimicus fidei superseminare zizania: desipuit populus, Christi sacramẽta, qui est Dei sapor & sapientia pro fanans: factus insipiens, à vera desipiens theosebia, vagus & vagans per errores in ima; factus in inuio, & nõ in via. Monachi duo Cistercienses, zelo fidei succensi: F. Petrus videlicet de Castronouo, & F. Radulphus, authoritate summi Pontificis, cõtra pestem infidelitatis instituti legati, negligentiam omnem relegantes, legatione sibi iniũcta officiosè fungentes, vrbem Tholosam ingressi sunt & aggressi, à qua venenũ principaliter emanabat, plebes inficiens, sicque deficere faciens à

Christi cognitione, à veridico splendore, à deifica caritate. Radix amaritudinis sursum germinans, profundius in cordibus hominum conualuerat, nec sine multa difficultate potuit explantari. Suasum est Tholosanis sæpe & multum, vt hæresim abiurarent, vt hæreticos relegarent. Suasum fuit eis à viris Apostolicis, sed minimè persuasum. Adeo siquidem morti inhæserant, qui recesserant à vita, affecti & infecti nequam sapientia, animali, terrenali, diabolica: expertes illius sapientiæ, quæ desursum est, suadibilis est, bonis consentiés. Tandem illæ duæ oliuæ, illa duo candelabra lucentia ante Dominum, seruis seruilem incutientes timorem, minantes eis rerũ deprædationem, Regum ac Principum dedignationem intonantes: hæreseon abiurationem, hæreticorum expulsionem eis persuaserunt. Sicque ipsi, non virtutis amore, sed nec secundum poetam, Oderunt peccare mali, formidine pœnę: quod manifestis indicijs demonstrarunt. Nam statim periuri effecti, & miseriæ suæ recidiuum patientes, in conuenticulis suis, ipso noctis medio, prædicantes hæreticos occultabant. Heu quam difficilè est à consuetudine euelli! Hæc Tolosa, tota dolosa, à prima sui fundatione, sicut asseritur, rarò vel vnquã expers huius pestis vel pestilentiæ detestabilis, huius hæreticæ prauitatis, à patribus in filios successiuè, veneno superstitiosæ infidelitatis diffuso. Quamobrem & ipsa in vindictam tanti sceleris, tantum dicitur iamdudũ sustinuisse manus vltricis & iustæ depopulationis excidium, vt in ipso meditullio ciuitatis, sulcata vomeribus planities pateret agrorum. Vnus etiam de regibus suis inclytis, qui tũc temporis in ipsa regnabant, Alaricus, vt creditur nomine, in extremũ dedecus, pro foribus vrbis eiusdem est suspensus in patibulo. Huius antiquæ viscositatis fæcè infectũ genimen prædictæ ciuitatis, genimen viperarum, non poterat etiam nunc temporibus nostris, à suæ peruersitatis radice diuelli: quinimò naturam hæreticam, & hæresim vernalem, furca dignæ vltionis expulsam, vsquequaque passa in se recurrere: *Patrissare sitit, degenerare negans*, Cuius vicinitatis exemplo, sicut *vna conspecta, liuorẽ ducit ab vna: Et grex totus in aruis, Vnius scabie cadit, & porrigine porci*: vicinæ vrbes & oppida, radicatis in se hæresiarchis, per eiusdem infidelitatis surculos pullulãtes, inficiebantur mirabiliter & miserabiliter peste ista. Barones terræ Prouincialis, ferè omnes hæreticorũ defensores & receptores effecti, ipsos amabant ardentiùs, & contra Deũ & Ecclesiam defendebant.

Petrus ac Radulphus duæ oliuæ.

Horatius.

Capvt. II.

De sectis Hæreticorum.

ET quoniam se in hoc loco quodammodo ingerit opportunitas, hæreses & sectas hæreticorum enucleatiùs stilo breuitatis prosequi dignum duxi. Primò sciendum, quòd hæretici duos constituebant creatores: inuisibiliũ scilicet, quẽ vocabant benignum Deum; & visibilium, quem malignũ Deum nuncupabant. Nouũ testamentum benigno Deo, vetus verò maligno attribuebant, & illud omninò repudiabant: præter quasdã auctoritates, quæ de veteri testamento, nouo sunt insertæ: quas ob noui reuerentiã testamenti recipere dignum æstimabant. Auctorem veteris testamenti mendacem asserebant, quia protoplastis dixit. *Quacunque die comederitis de ligno, scientiæ boni & mali, morte moriemini*, nec, sicut dicebant, post comestionem, mortui sunt: cùm tamen reuera post gustum pomi vetiti, mortis miseriæ fuerint subiecti. Homicidam quoque ipsum nominabant: tum quia Sodomitas & Gomorrhæos incinerauit, & aquis diluuij mundum deleuit: tum quia Pharaonem & Ægyptios mari obruit. Omnes veteris testamenti patres, damnatos affirmabant: Ioannem Baptistam vnum esse de maioribus dæmonibus asserebant. Dicebant etiam in secreto suo, quòd Christus ille, qui natus est in Bethleem terrestri & visibili, & in Hierusalem crucifixus, malus fuit: & quòd Maria Magdalena fuit eius concubina, & ipsa fuit mulier in adulterio deprehensa, de qua legitur in Euangelio. Bonus enim Christus, sicut dicebant, nunquam comedit vel bibit, nec verã carnem assumpsit: nec vnquam fuit in hoc mundo, nisi spiritualiter in corpore Pauli. Ideo autem diximus in Bethleem terrestri & inuisibili: quia hæretici fingebant esse aliam terram nouam & inuisibilem, & in illa terra secundum quosdam, bonus Christus fuit natus & crucifixus. Item dicebant hæretici, bonum Deum duas habuisse vxores, Collant & Colibant, & ex ipsis filios & filias procreasse. Erant alij hæretici, qui dicebant quod vnus est creator; sed habuit filios, Christũ & diabolum. Dicebant & isti, omnes creaturas bonas fuisse: sed per filias, de quibus legitur in * Genesi, omnia fuisse corrupta. Hi omnes membra Antichristi, primogeniti Satanæ, semen nequam, filij scelerati, in hypocrisi loquentes, mendacio corda simpliciũ seducentes, prouinciam Narbonensem veneno suæ perfidiæ infecerant. Ferè totam Romanam Ecclesiam, speluncã latronũ esse dicebant; & quia ipsa erat meretrix illa, de qua legitur in Apocalypsi. Sacramenta Ecclesiæ vsque adeo annullabant, vt sacri baptismatis vndam, ab aqua fluuiali non distare: sacrosancti corporis Christi hostiam, à pane laico non differre, publicè dogmatizarent: simpliciũ auribus, hanc instillãtes blasphemiam, quòd Christi corpus, etsi magnitudinẽ Alpium in se contineret, iamdudum consumptũ à comedentibus, & adnihilatum fuisset. Confirmationem, Confessionẽ, friuolas esse, & inanes omnino reputabant. Sacrum matrimonium meretricium esse, nec aliquem in ipso saluari posse prædicabant, filios & filias generando. Resurrectionem quoque carnis diffitentes, quasdam adinuentiones confingebant inauditas: dicentes animas nostras esse spiritus illos Angelicos, qui per superbiæ apostasiam præcipitati de cœlo, corpora sua glorificata in aëre reliquerunt; & ipsas animas, post successiuam qualiumcũque corporum septem, & terrenorum inhabitatiõnẽ, quasi tunc demũ pœnitentia peracta, ad illa relicta corpora remeare. Sciendum autem, quod quidam inter hæreticos dicebantur perfecti, siue boni homines, alij credentes hæreticorum. Qui dicebantur perfecti, nigrum habitum præferebant: castitatẽ se tenere mentiebantur: esum carnium, ouorum, casei, omnino detestabantur: non mentientes videri volebant, cùm ipsi maximè de Deo quasi continuè mẽtirentur. Dicebant etiã, quòd nulla vnquam ratione debeant iurare. Credentes autẽ hæreticorum dicebantur illi, qui seculariter viuentes, licet ad vitam perfectorum imitandam non pertingerent; in fide tamen illorũ se saluari sperabant. Diuisi siquidẽ erant in viuendi modo,

Gen. 2.

Ge. 19. & 7. Exod. 14.

Ioan. 8.

**Vetus editio malè legit In Apocalypsi. Gen. 6.*

Ecclesia Romana hæreticis inuisa. Apocal. 17. & 19.

Hæretici alij perfecti, alij credẽtes dicti.

sed in fide & infidelitate vniti erãt. Qui dicebantur credentes hæreticorum, dediti erant vsuris, rapinis, homicidijs, & carnis illecebris, periurijs, & peruersitatibus vniuersis. Isti siquidem ideo securiùs & effrenatiùs peccabant: quia credebant sine restitutione ablatorũ, sine confessione & pœnitentia se esse saluandos; dũmodo in supremo mortis articulo *Pater noster* dicere, & manuum impositionẽ recipere à magistris suis potuissent. De perfectis verò hæreticis, magistratus habebant, quos vocabant Diaconos & Episcopos, sine quorum manuum impositione, nullus inter credentes moriturus, se saluari posse credebat. Verùm si morienti cuilibet quantumcumque flagitioso manus imposuissent, dummodo *Pater noster* dicere posset, ita saluatum, & secundùm eorum vulgare consolatum æstimabant, vt absque omni satisfactione, absque omni alio remedio statim euolaret ad cœlũ. Vnde ridiculum, quod super hoc audiuimus, duximus inserendũ. Quidam credens hæreticorũ, in supremo mortis articulo, per manuum impositionem à magistro suo consolationem tum accepit, sed *Pater noster* dicere non potuit, & sic expirauit. Consolator eius, quid de ipso diceret, nesciebat. Saluatus videbatur per receptam manuum impositionem: damnatus, quia non dixerat dominicam orationem. Quia plura? Consuluerunt hæretici quendam militem, nomine Bertrandum de Saxiaco, qui erat hæreticus, quid de illo iudicare deberẽt: miles autem tale dedit consilium, & responsum. De isto sustinebim⁹, & dicemus, quod saluus sit: omnes alios, nisi *Pater noster* dixerint in fine, dãnatos iudicamus. Item aliud ridiculum. Quidam credens hæreticorum in morte legauit hæreticis 300 solidos, & præcepit filio suo, vt daret hæreticis pecuniam illam. Quam cùm post mortem patris hæretici requirerent à filio, dixit eis; volo vt dicatis priùs, quomodo est patri meo. Et dixerunt. Certissimè scias, quod saluus est, & iam in cœlestibus collocatus. Quibus ille, subridens, Gratias Deo & vobis. Veruntamen ex quo pater meus iam est in gloria, animæ ipsius non est opus eleemosynis: & ego tam benignos vos scio esse, quòd amodo patrẽ meum à gloria non reuocabitis. Sciatis igitur, quod nihil à me, de pecunia reportabitis. Non credimus autem silendũ quod & quidã hæretici dicebant, quod nullus poterat peccare ab vmbilico & inferius. Imagines quæ sunt in Ecclesijs, dicebant idolatriam: campanas earum tubas dæmonum affirmabant. Item dicebant, quod non peccabat quis grauiùs, dormiendo cum matre vel sorore sua, quàm cum qualibet alia. Illud & inter supremas fatuitates dicebant, quod si quis de perfectis peccaret mortaliter, comedendo videlicet modicissimũ carnium, vel casei, seu oui, vel alicuius rei sibi inhibitæ: omnes consolati ab illo, amittebant Spiritũ S. & oportebat eum iterũ reconsolari: & etiam saluati, pro peccato consolatoris, cadebant de cœlo. Erant præterea alij hæretici, qui Vualdenses dicebantur, à quodã Vualdio nomine, Lugdunensi. Hi quidẽ mali erant, sed comparatione aliorum hæreticorum, longè minus peruersi; in multis enim nobiscum conueniebant, in aliquibus dissentiebant. Vt autem plurima de infidelitatibus eorum omittamus; in quatuor præcipuè consistebat error eorũ: in portandis scilicet sandalijs more Apostolorũ: & in eo quod dicebant nulla ratione iurandum; vel occidendũ: in hoc insuper, quod asserebant, quemlibet eorum in necessitate, dummodo haberet sandalia, absque ordinibus ab episcopo acceptis, posse conficere corpus Christi. Hæc nos de sectis hæreticorum breuiter excerpsisse sufficiat. Quando aliquis se reddit hæreticis, ille dicit qui recipit eũ. Amice, si vis esse de nostris, oportet, vt renuncies toti fidei, quam tenet Romana Ecclesia. Respondet, abrenuncio. Ergo accipe Spiritũ S. à bonis hominibus: & tunc aspirat ei septies in ore. Item dicit illi, Abrenuncias cruci illi, quam tibi fecit sacerdos in baptismo, in pectore, & in scapulis, & in capite de oleo & chrismate? Respondet, Abrenuntio. Credis, quod aqua illa operatur tibi salutẽ? Respondet, non credo. Abrenuntias velo illi, quod tibi baptizato sacerdos posuit in capite? Respondet, Abrenũtio. Ita accipit ille baptismum hæreticorum, & abnegat baptismum ecclesiæ. Tunc ponunt omnes manus super caput eius, & osculantur eum, & induunt eum veste nigra; & ex illa hora est quasi vnus ex ipsis.

Hæreticorũ quidam credentes, alij perfecti dicti.

Manuũ impositio hæreticorum.

Vualdensiũ præcipui errores.

Abiuratio impia baptismi.

Capvt. III.

Qualiter & quando prædicatores venerunt in partes Albigenses.

ANno verbi incarnati 1206. Oxomensis episcopus, Diegus nomine, vir magnus, & magnificè extollendus, ad curiam Romanã accessit, summo desiderio desiderans episcopatum suum resignare, quo posset liberiùs ad paganos, causa prædicandi Christi euangelium se transferre. Sed dominus Papa Innocentius noluit acquiescere desiderio viri sancti: imò præcepit ei, vt ad sedẽ propriam remearet. Factum est igitur dum rediret à curia, & esset apud Montempessulanum, inuenit ibi venerabilem virũ Arnaldum Abbatẽ Cisterciensem, & F. Petrum de Castronouo, & F. Radulphũ, monachos Cistercienses, Apostolicæ sedis legatos, iniunctæ sibi legationi præ tædio renunciare volentes; eo quod nihil aut parũ hæreticis prædicando proficere potuissent. Quotiescumque enim vellent ipsis hæreticis prędicare, obijciebant eis hæretici conuersationem pessimam clericorũ; & ita nisi vellent clericorum vitã corrigere, oporteret eos à prædicatione desistere. Memoratus autem Episcopus aduersus huiusmodi perplexitatem salubre dedit consiliũ; monens & consulẽs, vt ceteris omissis, prædicationi ardentiùs insudarent: & vt possent ora obstruere malignorum, in humilitate præcedentes, exemplo pij magistri facerent & docerent: irent pedites, sine auro & argento, per omnia formam Apostolicam imitantes. Dicti vero legati hæc omnia quasi quandam nouitatem per se arripere non volentes, dixerunt, quòd si quis fauorabilis auctoritatis eos sub hac forma vellẽt præcedere, ipsũ libentissimè sequerentur. Quid plura? Obtulit se vir deo plenus, moxque familiam suam Oxomum transmittens, vno comite contentus, cum duobus ſępeditctis monachis, Petro videlicet & Radulpho, Montem ingreditur Pessulanum. Abbas autem Cisterciensis, Cisterciũ perrexit; tum quia in proximo celebrandum erat Cisterciense capitulũ; tum quia post celebratum capitulum, quosdam de Abbatibus suis volebat secum adducere: qui cum in exequendo iniuncto sibi prędicationis officio adiuuarent. Exeuntes autem à Monte Pessulano Oxomensis Episcop⁹ & præfati monachi, venerunt ad castrum quoddam * Carmanum: vbi inuenerunt quemdam

Mala vita Clericorum scandalum hæreticis fuit.

* Carmain.

hæresiarcham, Balduinum nomine; & Theodoricum quemdam, filium perditionis, & stipulam incendij. Iste de Gallia oriundus, erat quidem nobilis genere, & canonicus fuerat Niuernensis. Postea verò cùm quidam miles, qui erat auunculus ipsius, & hæreticus pessimus, in Parisiensi concilio, corá Octauiano Cardinale & Apostolicæ Sedis legato, fuisset de hæresi condemnatus: videns iste quòd diutius latere non valeret, ad partes se transtulit Narbonenses; vbi ab hæreticis in maximo amore, & veneratione est habitus: tum quia aliquantulum ceteris acutior videretur, tum quia gloriabantur se habuisse de Francia, vbi esset fons scientiæ, & religionis Christianæ, suæ iniquitatis sociū, suæ nequitię defensorem. Nec prætereundum, quòd Theodoricū faciebat se vocari, cùm Gulielmus antea vocaretur. Habita cum his duobus disputatione per octo dies, Balduino videlicet & Theodorico: prædicatores nostri vniuersum populum dicti castri salutaribus monitis ad sæpedictorum hæreticorum odium conuerterunt. Ipsos siquidem hæreticos à se libentissimè expulissent; sed dominus castri, veneno perfidiæ infect⁹, eos sibi familiares fecerat & amicos. Verba autem illius disputationis, longū esset per omnia enarrare: sed hoc solummodo adnectere dignū duxi; quòd cùm venerabilis Episcopus dictum Theodoricum ad ima conclusionis disputando deduxisset, Scio, inquit Theodoricus, scio, cuius spiritus sis: siquidem in spiritu Heliæ venisti. Ad hæc sanctus. Et si ego in spiritu Heliæ veni, tu venisti in spiritu Antichristi. Actis igitur ibi octo diebus, exeuntes à castro venerabiles viros prosecutus est populus per leucā ferè vnam. Illi autem recto itinere procedentes, Biterensem aggressi sunt ciuitatem; vbi per dies 15. disputantes & prædicantes, confirmabant in fide paucos qui ibi erant catholicos, hæreticos cōfundebant. Venerabilis autē Episcopus Oxomensis & F. Radulphus consuluerunt F. Petro de Castronouo, vt ad temp⁹ ab eis recederet. Timebant siquidē, ne occideretur F. Petrus: eo quod ipsum odio haberent hæretici super omnes. Recessit igitur F. Petrus ab Episcopo & F. Radulpho tempore aliquanto. Ipsi à Biterris egressi Carcassonam gressu prospero deuenerunt: vbi per octo dies morantes, prædicationi & disputationibus insistebant. Contigit tempore illo prope Carcassonam miraculū, quod præteriri non debet. Metebant hæretici segetes suas in die natiuitatis S. Ioannis baptistæ: ipsum enim non Prophetam, sed malignissimū esse dicebant. Dum igitur meterent, aspiciens vnus ex eis manum suam, vidit manipulum suum sanguinolentū: quod videns putauit, quòd incidisset manum, sed inueniens eam sanam, exclamauit socijs. Quid vltra? Aspicientes singuli manipulos quos tenebant, inuenerunt eos sanguinolentos, manibus conseruatis illæsis. Venerabilis autem Abbas Vallium Guido tunc erat in illa terra, qui manipulū sanguinolentum vidit, & ipse mihi hoc narrauit.

In Francia fons scientia & religionis.

Festa non violāda miraculo ostensū.

Quia verò longum esset enarrare per ordinem, quomodo viri Apostolici, scilicet prædicatores nostri, circuibant per castra, euangelizantes & disputantes vbique: his omissis ad præcipua veniamus. Quodam die conuenerunt omnes hæresiarchæ apud quoddam castrum in Carcassonensi diœcesi, quod dicitur Mons-Regalis, disputaturi vnanimiter aduersus viros sæpius memoratos. Ad hanc disputationem redijt F. Petr⁹ de Castronouo: qui sicut paulo ante diximus discesserat apud Biterrim. Disputantibus autem, dati fuerunt iudices de ipsis credentibus hæreticorum. Protelata autem fuit disputatio per 15. dies; & redacta fuerunt in scriptū hinc inde proposita, & tradita iudicibus, vt diffinitiuam sententiam promulgarent. Videntes autem ipsi iudices hæreticos suos manifestissimè superatos, noluerunt dare sententiam: sed & scripta quæ à nostris acceperant, ne venirent in publicū, noluerunt reddere, sed tradiderunt hæreticis. His peractis recessit F. Petrus de Castronouo à sociis suis, & iuit in Prouinciam; & laborauit, vt componeret nobiles prouinciæ: hac autem intentione, vt auxilio eorum qui pacem iurauerant, posset hæreticos de Narbonensi prouincia extirpare. Sed Comes Tholosanus Raimundus nomine, inimicus pacis, noluit acquiescere dictæ paci; donec tam per guerras, quas mouebant ei nobiles Prouinciæ, mediante industria viri Dei, quam per excommunicationem ab eodem in ipsum comitem promulgatam, iurare compulsus est pacem illam. Sed qui fidem negauerat, & erat infideli deterior, nunquā deferens iuramento, iurauit pluries, pluries periurauit. Quē vir sanctissimus F. Petrus, magna animi virtute corripuit, tyrannum intrepidus aggrediens, eique in facie resistens, quia reprehensibilis, imo damnabilis erat valde; confundebatque eum vir magnę constantiæ, vir conscientiæ illibatæ; adeo vt exprobraret ei, quod erat per omnia periurus: & verè sic erat.

Iudices disputantibus dantur.

CAPVT. IV.

De malitia comitis Tholosani Raimundi Albigensium fautoris.

QVia ergo opportunitas se ingessit, hic de incredulitate ipsius comitis aliquid breuiter explicemus. Primò dicendum, quòd quasi à primis cunabulis, semper hæreticos dilexit & fouit: & eos in terra sua habens, quibuscumque modis potuit, honorauit. Vsque hodie etiam, sicut asseritur, vbicumque pergit, hæreticos sub communi habitu secum ducit; vt si ipsum mori contigerit, inter manus ipsorum moriatur. Credebat enim, absque omni pœnitentia, quantūcumque peccator fuerit, se saluandum, si in ipso mortis articulo impositionem manuum eorum potuisset adipisci. Faciebat & deferri nouū Testamentum: vt, si necesse esset, impositionē manuū cum libro reciperet ab hæreticis. Vetus siquidem Testamentum detestantur hæretici: dicunt Deum illum, qui veterem legem instituit, malum esse; vocantes eum traditorem, propter spoliationem Ægypti: homicidam, propter diluuium, & subuersionem Ægyptiorum. Dicunt & Moysem, Iosue, Dauid, illius mali Dei fuisse ruptarios & ministros. Dixit & sæpedictus comes quodam die hæreticis, sicut pro certo scimus, quod volebat facere nutriri filium suum apud Tholosam inter hæreticos; vt addisceret fidem, imo infidelitatē illorum. Dixit & quadam die, quòd vellet dare centum marcas argenti, vt quidam miles suus posset capere fidem hæreticorum, ad quam multoties inuitauerat eum, & quā faciebat ei sæpius prędicari. Præterea quando hæretici mittebant ei aliqua xenia vel cibaria, gratissimè suscipiebat, & faciebat optimè seruari ea; nec patiebatur, quod aliquis comederet

Hæreticorū blasphemia in Deum.

ex eis, nisi ipse & aliqui eius familiares. Multoties etiam, sicut certissimè cognouimus, adorabat hæreticos flexis in terra genibus, & petebat ab eis benedictionem, & osculabatur eos. Quodam die erat dictus comes in expectatione quorumdã hominum, qui debebant venire ad eum: sed cùm nõ venissent, dixit: bene apparet, quòd diabolus fecit mundum istum; quia nihil succedit nobis ad votum. Dixit præterea idem comes venerabili Episcopo Tholosano, sicut ab eodem episcopo audiui, quòd monachi Cistercienses non poterant saluari, quia tenebant oues, quæ luxuriam exercebant. O hæresis inaudita! Dixit & comes dicto Episcopo Tholosano, vt veniret de nocte in palatium eius, & audiret prædicationem hæreticorum: vnde perpenditur, quod sæpe de nocte audiebat eos. Erat quondam memoratus comes quadam die in ecclesia quadam, vbi Missa celebrabatur: habebat autem secum quemdam mimum, qui sicut mos est huiusmodi ioculatorum, homines cum bucca histrionicè deridebat. Cùm autẽ sacerdos qui celebrabat Missam verteret se ad populum, dicens, *Dominus vobiscum*, sceleratissimus comes dixit histrioni suo, vt contra faceret, & derideret sacerdotem. Dixit præterea aliquando supradictus comes, quod mallet assimilari cuidam hæretico, qui erat apud Castras in Albigensi diœcesi detruncatus membris, & habitu miserabili, quã esse Rex vel Imperator. Quòd autem ipse hæreticos semper fouit, ex hoc habemus probatissimum argumentum: quia nunquam ab aliquo sedis Apost. legato potuit induci ad hoc, vt prædictos hæreticos de terra sua depelleret, licet compulsus ab ipsis legatis multotiens abiurarit. Præterea adeo paruipendebat Matrimonij sacramentum, quòd quotiescumque ei displicuit vxor propria, ipsam dimittens aliam duxit; ita quod quatuor vxores habuerit, quarum tres adhuc viuunt. Habuit enim primò sororem vicecomitis Biterrensis, nomine Beatricem: qua dimissa duxit ducis Cypri * Hac dimissa duxit sororem regis Angliæ Richardi, quæ contingebat ei in tertio gradu consanguinitatis: qua mortua accepit sororem regis Arragonensis, quæ similiter erat consanguinea eius in quarto gradu. Nec silendum est, quòd cum ipse teneret primam vxorem suã, monuit eam sæpissimè, vt habitum religionis assumeret. Illa autem intelligens quid intenderet, ex industria quæsiuit ab eo, vtrũ vellet, quòd ipsa in ordine Cisterciensi fieret monialis: ipse autem dixit, quòd non. Quæsiuit iterum, vtrum vellet quod ipsa fieret monacha in ordine Fontis Ebrardi. Respondit comes, quòd nõ volebat. Tunc quæsiuit ab eo, quid ipse vellet; & mandauit, quod si vellet fieri heremitica, ipse ei in omnibus prouideret: & factum est ita. Erat quidam pessimus hæreticus apud Tolosam, Hugo faber nomine, qui quondam in tantam lapsus est dementiam, quòd iuxta altare cuiusdam Ecclesiæ purgauit ventrem, & in contemptum Dei cum palla altaris tersit posteriora sua. O scelus inauditum! Dixit & hæreticus prædictus quadam die, quod quando sacerdos in Missa percipiebat dominici corporis sacramentum, traijciebat dæmonem in corpus suum. Quæ omnia cùm vir venerabilis Abbas Cistercij, qui tunc erat Abbas Grandis syluæ in territorio Tholosano Comiti retulisset & eum moneret, qui tantum facinus perpetrarat: respondit comes, quòd nullo modo puniret propter hoc ciuem suum. Abominationes prædictas narrauit Dominus Abbas Cisterciensis, qui tunc erat Archiepiscop' Narbonensis fermè viginti episcopis, me præsente, in Concilio apud Vaurum. Adeo autem semper fuit luxuriosus & lubricus dictus comes, quod sicut pro certo dicimus, sorore propria abutebatur, in contemptum religionis Christianæ. Ab infantia enim sua cõcubinas patris sui quærebat diligentissimè, & cum illis ardentissimè cõcumbebat; vix enim ei aliqua placere poterat, nisi sciret patrem suum prius accubuisse cũ ea; vnde & pater ipsius, tam propter hæresim, quam propter enormitatem istam, exheredationem suam ei sæpissimè prædicebat. Præterea ruptarios mirabili quoque amplexatus est affectu dictus comes, per quos spoliabat ecclesias, monasteria destruebat, omnesque sibi vicinos quos poterat exhereditabat. Ita semper se habuit membrũ diaboli, filius pditionis, primogenitus sathanæ, inimicus crucis, & ecclesiæ persecutor, hæreticorum defensio, catholicorum depressio, minister perditionis, fidei abiurator, plenus scelerum, peccatorũ omnium apotheca. Ludebat quodam die comes in ludo scacorum cum quodam capellano: & inter ludendum dixit capellano. Deus Moysi, quem vos creditis, non poterit vos iuuare in ludo isto, & addidit, nunquã me iuuet Deus ille. Alio tẽpore cùm ipse comes à partib' Tholosanis iturus esset contra aduersarios quosdam suos in partes Prouinciæ: media nocte surgens, venit ad domum, in qua hæretici Tholosani erãt congregati, & dixit eis. Domini ac fratres, bellorum varij sunt euentus; quicquid de me contingat, in manus vestras commendo corpus & animam meam. Quo facto desuper abundanti duos hæreticos in veste communi secũ adduxit; vt si fortè mori eum contingeret, inter manus ipsorũ moreretur. Infirmabatur quodam tempore comes maledictus in terra Arragonum; & cùm multũ inualesceret infirmitas, fecit sibi fieri lecticam, & in lectica illa faciebat se Tolosam deportari: & cùm quadam die quæreretur ab eo, cur cum tanta festinatione se faceret deportari, cùm tam grauissima infirmitate laboraret; respondit miser; quia non sunt boni homines in terra ista, inter quorum manus possim mori. Hæretici enim à fautoribus suis boni homines vocabantur. Sed & amplioribus signis & dictis se fatebatur hæreticum. Dicebat enim; scio me exhæredandum fore pro bonis hominibus istis: sed non tantùm exhæredationem, imò etiam decapitationem pro ipsis paratus sum sustinere. Hæc de incredulitate & malitia dicti miseri dixisse sufficiat; nunc ad propositum reuertamur.

** Subaudi sororem.*

Raimundi Blasphemia in Deum Moysis.

Impij boni homines à suis dicti.

Caput. V.

De aduentu 12. Abbatum ord. Cistercienſ. eorumque prædicationibus.

Celebrata disputatione prænotata in Monte Regali, dum adhuc essent prædicatores nostri apud Montem regalem, & circumquaque verbum dei & salutis monita seminantes, mendicarent ostiatim panem suum; superuenit vir venerabilis Abbas Cistercij, Arnaudus nomine, à partibus Franciæ, Abbates duodecim habens secum: qui totius viri religionis, viri perfectæ & sanctæ scientiæ, viri incompatabilis sanctitatis, iuxta numerum sacratissimum Apostolorũ, cum Abbate decimo tertio, duodecim aduenerunt;

parati de ea, quæ in ipsis erat fide & spe, omni disputanti reddere rationem. Et hi omnes cum pluribus monachis, quos secū adduxerant, omnem sectantes humilitatem, juxta exēplar, quod eis ostensum erat in monte, id est, quod audierant de Episcopo Oxomense, pedites procedebant. Statim ab Abbate Cisterciense longè lateque singuli dispersi: & assignati sunt vnicuique termini proprij, per quos discurrendo prædicationi insisterent, disputationibus insudarent.

Exemplarū vita Monachorum.

Caput VI.
De colloquio Apamiensi, & morte Oxomensis Episcopi.

EPiscopus Oxomensis voluit ad suum redire Episcopatum: vt & domui suæ disponeret, & prædicatoribus verbi Dei in Narbonensi provincia de suis proventibus necessaria provideret. Dum ergo recederet, tendens ad Hispaniam, venit apud Apamias in territorio Tholosano: & convenerunt ad eum Fulco Tholosanus, & Navarrus Conforanensis Episcopi, & plurimi Abbates. Habita ibi disputatione cum Vualdēsibus, planè convicti sunt Vualdenses, & confusi: & populus castri, præcipuè pauperes, ex parte maxima favit nostris. Ille etiam qui constitut' erat judex in disputatione, & erat favens Vualdensibus, magnusque in castro illo, renunciauit prauitati hæreticæ, & in manu domini Oxomensis obtulit se & sua: à die etiam illa & deinceps sectatores superstitionis hæreticæ viriliter impugnauit. Huic disputationi interfuit ille pessimus traditor comes Fuxi: ille crudelissimus persecutor Ecclesiæ, Christi hostis. Hic vxorē habebat manifestam hęreticam de secta Vualdensium & duas sorores: quarum vna sectas Vualdensium, alia etiam comes, aliorum perfidorum hæreses profitebatur. Celebrata autem disputatione prędicta in palatio ipsius comitis, idem comes Vualdenses die vno, prædicatores nostros die altero procurauit. O ficta humilitas! Post hæc Episcop' Oxomensis ad suum perrexit Episcopatum; firmum habens propositum redeundi quàm citiùs posset, ad peragendum negotiū fidei in prouincia Narbonensi Peractis verò in episcopatu paucis diebus, dum redire disponeret, morte pręuētus, in senectute sua feliciter obdormiuit. Priùs autē quàm ipse decederet, in fata decesserat suprà memoratus F. Radulphus, vir bonæ memoriæ, in quadam Abbatia Ordinis Cisterciensis, prope Sanctum Ægidium, quæ dicitur Francia vallis. Subtractis igitur his duobus luminaribus, Episcopo videlicet Oxomensi, & Fratre Radulpho, venerabilis Guido Abbas Vallium Sarnay, in diœcesi Parisiensi, qui cum aliis Abbatibus causa prædicationis in Narbonensem provinciam venerat; vir nobilis genere, sed scientia longè nobilior & virtute: qui etiam postea Episcopus factus est Carcassonæ, prior inter prædicatores cōstitutus est, & magister. Abbas siquidem Cisterciensis ad alias partes se transtulit, quibusdam magnis negotijs tunc temporis inpeditus. Discurrentes igitur prędicatores sancti, hæreticosq; disputando manifestissimè cōvincentes, sed quia obstinati erant in malitia, convertere non valentes: post multum temporis, cùm parum aut nihil prædicando, siue disputando, proficere potuissent; ad partes Galliæ sunt reuersi.

Guido Vallium Cernai Abbas, pòst Carcasson. Episcopus.

Nec prętereundum est, quòd cùm dictus Abbas Vallium Cernay, cum supradicto Theodorico, & quodam alio, hæresiarcha maximo, Bernardo scilicet de Cimorra, qui in Carcassonensi diœcesi pręcipuus habebatur, disputasset pluries, & eos sępius conuicisset; quodam die cùm sępe dictus Theodoricus nihil aliud respondere potuisset, dixit Abbati. Diu me detinuit meretrix: sed de cetero non tenebit. Hoc dicens, dicebat Romanam Ecclesiam meretricem. Nec silendū, quòd cùm sępe dictus Abbas Vallium-Cernay alio die castellum quoddam ꝑpe Carcassonam, Lauranum nomine, causa prædicationis intraret, in ipso introitu castri signaculo crucis se signavit. Quod videns miles quidam hæreticus, qui erat in castro, dixit Abbati. Numquam me adjuvet signum istud.

Blasphemiā in Ecclesiā Romanam.

Caput. VII.
Miraculum de schedula, B Dominici manu scripta, quæ ter flammis iniecta, illæsa resiliit.

COntigit tempore illo quoddam miraculum fieri, quod in hoc loco dignū duximus interserendum. Disputauerant quadā die quidam prædicatores nostri viri religiosi aduersus hæreticos. Vnus autē de nostris, Dominicus nomine, vir totius sanctitatis, qui socius fuerat episcopi Oxomensis, auctoritates, quas in medium produxerat, redegit in scriptum; & cuidā hæretico tradidit scedulam illam, vt super obiectis deliberaret. Nocte igitur illa erant hæretici congregati in vna domo, sedentes ad ignem. Ille autem, cui vir Dei tradiderat schedulam, produxit eam in medium. Tunc dixerunt socij sui, vt in medium ignem illam proiiceret, & si schedula illa combureretur, vera esset fides, imo perfidia hæreticorum: si verò incombusta maneret, fidem quam prædicabant nostri, veram esse faterentur. Quid plura? in hoc consentiunt omnes. Schedula in ignē proijcitur; sed cùm in medio igne aliquantulū moram fecisset, incombusta penitus ab igne resiliuit. Stupentibus qui aderant, vnus ceteris durior, ait illis. Proijciatur in ignem iterum, et tunc experiemini pleniùs veritatem Proijcitur iterum, iterum resilijt incombusta. Quod videns ille durus & tardus ad credendum, dixit. Iterùm trina vice proijciatur; & tunc sine dubio rei exitum cognoscemus. Proijcitur tertiò, nec tunc quidem comburitur; sed integra ab igne resilijt & illæsa. Hæretici autē visis tot signis nec tunc ad fidem voluerunt conuerti; sed in sua manentes malitia, districtissimè sibi inuicem inhibuerunt, ne miraculum istud, per narrationē alicuius, ad nostram notitiam deueniret. Sed miles quidam, qui erat cum illis, qui aliquantulū consentiebat fidei nostræ, noluit celare quod viderat, sed pluribus enarrauit. Factū est autem hoc apud Montem regalem: sicut ab ore viri religiosissimi audiui, qui schedulam hæretico tradidit superscriptam.

Obduratio hæreticorū.

Caput VIII.
De morte cruenta Fr. Petri de Castro-novo, qui gladijs impiorum occubuit.

HIs de prædicatoribus verbi Dei breuiter prælibatis, ad marty.iū viri venerabilis, & athletæ fortissimi Fr. Petri de Castronovo, juuante Domino veniamus: quod nullomodo meliùs, vel magis authenticè credimus nos facturos, quàm vt literas D. Papæ narrationi nostræ

inseramus: quas Christi fidelibus destinauit, ipsum martyrium pleniùs continentes. Forma literarum hæc est.

INNOCENTIUS Episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis, nobilib⁹ viris, Comitibus, Baronibus, & vniversis militibus per Narbonésem, Arelatensem, Ebredunensem, Aquensem, & Viennensem provincias constitutis, salutē, & Apostolicam benedictionem. Rem credulam audiuimus, & in communem luctum generalis ecclesię deducendam, quòd cùm sanctę memoriæ F. Petrus de Casttonovo monachus, & Sacerdos, vir inter viros vtique virtuosus, vita, scientia, & fama præclarus, ad evangelizandum pacem, & cõfirmandam fidē, in provincia Auxitana cum alijs destinatus, in commisso sibi ministerio laudabiliter profecisset, & proficere non cessaret: quippe qui plenè in schola Christi didicerat, quod doceret; & eum qui secundùm doctrinam est, fidelem obtinēdo sermonem, in sana poterat exhortari doctrina, & contradicentes reuincere; paratus omni poscenti semper reddere rationem, vt poterat vir in fide catholicus, in lege peritus, in sermone facuudus: cõcitauit adversus ipsum diabolus ministrum suum Comitem Tolosanum Raimundum, qui cùm pro multis & magnis excessibus, quos in ecclesiam commiserat & in Deum, sæpe censuram ecclesiasticam incurrisset, & sæpe sicut homo versipellis & callidus, lubricus & inconstans, pœnitudine simulata fuerat absolutus: tandem odium continere non prævalens, quod ceperat contra ipsum: eo quod non erat in ore eius verbum veritatis, ad faciendam vindictā in nationibus, & increpationes in populis: & eò fortiùs in eodem comite, quò magis pro majoribus erat ipse facinoribus increpandus, tamquam * collegam suū Apostolicæ sedis legatos ad villā S. Ægidij convocauit: promittens super cunctis quibus impetebatur capitulis satisfactionem plenariam exhibere. Cùm autem cõvenientibus illis in villam prædictam, præfatus comes salutaria monita sibi facta, modò velut verax & facilis ꝑmitteret se facturū; & modo velut fallax & durus ea prorsus facere recusaret: volentibus illis demum ab eadem villa recedere mortem est publicè comminatus: dicens, quòd quocumq; vel per terram divertant, vel aquam, vigilanter eorū obseruaret egressum: & confestim dictis facta cõpensans, complices suos ad exquisitas insidias destinauit. Cùm verò nec ad preces dilecti filij Abbatis S. Ægidij, nec instantia Consulū & Burgensiū furoris sui mitigari insania potuisset; ipsi eos, invito comite; nimiumq; dolente, cum armatæ manus pręsidio prope ripam Rhodani fluvij deduxerunt: vbi nocte quieuerunt instante, quibusdam eiusdē comitis satellitibus ipsis prorsus ignotis hospitantibus cum eisdem: qui, sicut apparuit in effectu, sanguinem requirebant eorum. In crastino itaque mane facto, & Missa celebrata de more, cùm innocui Christi milites ad transitum se fluminis præpararent; vnus de prędictis Satanæ satellitibus lanceam suam vibrans, prænominatum Petrum supra Christum petram immobili firmitate fundatum, tantę proditionis incautum, inter costas inferiùs vulnerauit. Qui priùs ipsum respiciens percussorē, & Christi magistri sui cum B. Stephano secutus exemplum, dixit ad ipsum Deus dimittat tibi, quia ego dimitto: pietatis & patientiæ verbum sæpiùs repetendo. Deinde sic transfixus, acerbitatem illati vulneris spe cælestiū est oblitus: & instanti suæ pretiosæ mortis articulo, cùm ministerij sui socijs, qui fidem promoverent & pacem, non desinens ordinare, post justas orationes, in Christo feliciter obdormiuit. Qui profectò, cùm ob fidem & pacem, quib⁹ nulla est prorsus causa laudabilior ad martyrium, sanguinem suum fuderit; claris jam, vt credimus, miraculis coruscasset, nisi hoc illorum incredulitas impediret. De quorū similibus in euangelio legitur, quia ibi virtutes Iesus non faciebat multas, propter incredelitatem eorum; quia quanquam linguæ non fidelibus, sed infidelibus sint in signū: saluator tamen præsentatus Herodi, qui teste Luca valde gauisus est viso ipso, pro eo quod signum aliquod ab eo fieri sperabat, & facere dedignatus est signum, & reddere interroganti responsum: sciens quia incredulitas signorum, non credulitatis inductio, sed vanitatis illum admiratio delectabat.

Licet autem ipsa praua generatio & peruersa Prouincialium non sit digna, vt tam citò, sicut forsitan ipsa quærit, de suo sibi martyre signū detur: expedisse tamen credimus, vt vnus ipse pro ipsa, ne tota pereat, moreretur: quæ contagio hæreticæ prauitatis infecta, per interpellantem occisi sanguinem, à suo meliùs reuocetur errore. Hoc est enim vetus sacrificium Iesu Christi, hoc miraculosum ingeniū saluatoris, vt cùm in suis esse victus putatur, tunc vincat fortiùs in eisdem: & ea virtute qua ipse mortem moriendo destruxit, à superatis interdum famulis suis superatores eorum faciat superari. Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, plurimum fructum affert. Sperantes igitur, quòd de morte huius fœcundissimi grani sit fructus in Christi ecclesia prouenturus; cùm profectò sit duiè culpabilis & culpabiliter durus, cuius animā ipsius gladius non pertransit: nec vnquam penitus desperantes, cùm vtilitas tanta debeat in sanguinè suo esse, quòd suæ prædicationis nūcijs circa memoratam prouinciam, pro qua ipse in corruptionem descendit, optata Deus tribuat incrementa: venerabiles fratres nostros Archiepiscopos, eorumque suffraganeos monēdos duximus attentiùs, & hortandos, per spiritum S. in virtute obedientiæ districtè præcipiendo, vt verbum pacis & fidei seminatum ab eo, suæ prędicationis irriguis conualescere faciētes, & ad expugnandam hæreticam prauitatem, ac fidem catholicam confirmandam, ad extirpanda vitia, & plantandas virtutes, indefessæ studio sedulitatis instantes: iamdictū Dei famuli occisorem, & vniuersos, quorum ope vel opere, consilio vel fauore, tantum facinus perpetrauit, receptatores quoque vel defensores illi⁹, ex parte omnip. Dei Patris Filij, & Spiritus S. authoritate quoque B. Apost. Petri & Pauli, & nostra, excõmunicatos & anathematizatos ꝑ suas diœceses denūtient vniuersis: & omnia loca prorsus ad quæ ipse, vel aliquis ipsorū deuenerint, pręsentibus eis interdicto faciāt ecclesiastico subiacere, singulis diebus Dominicis & festiuis, pulsantibus campanis, & candelis accensis; donec ad sedem Apostolicam accedentes, per satisfactionē condignam mereantur absolui, sententiā huiusmodi solemniter innouātes. Illi autem qui orthodoxæ fidei zelo succensi, ad vindicandum sanguinem iustū, qui de terra clamare non cessat ad cœlum, donec ad confundendum subuersos & subuer-

Caus Petri à Castrono.

Hic mendū est aliquod.

Luc. 23. Actor. 7.

Petrus à Castronou. cur martyr non miracula fecerit.

Mat. 13.

Luc. 23.

Ritus excōmunicandi.

fores de cœlo descendat ad terrā Deus vltionum, viriliter se accinxerint aduersus hos pestilentes, qui simul in vnum pacem & veritatem impugnāt, suorum remissionem peccaminum à Deo, eiusque vicario securè promittant indultam: vt eis labor huiusmodi ad operis satisfactionē sufficiat similiter illis offensis, pro quibus cordis contritionem, & veram confessionem oris obtulerint vero Deo. Huiusmodi siquidem pestilentes Prouinciales, non tantùm iam nostra diripere, sed nos perimere moliuntur: nec solùm ad perimendas animas linguas acuunt, verum etiam ad perdenda corpora man⁹ extendunt: perditores animarum effecti, & corporum peremptores. Licet autem præfatus comes pro multis & magnis flagitijs, quæ longū esset per omnia enarrare, iamdudum sit anathematis mucrone percussus; quia tamen certis indicijs mortis sancti viri præsumitur esse reus, non solùm ex eo quod publicè comminatus est ei mortem, & insidias parauit eidem; verum etiam ex eo quod occisorem ipsius in multam familiaritatē admisit, & magnis donis remunerauit eumdē; vt de cæteris præsumptionibus taceamus, quæ pleniùs innotescunt multis: ob hanc quoque causam, ijdē Archiepiscopi & Episcopi publicè nuntient anathematizatum eumdē. Et cùm iuxta sanctorum patrum canonicas sanctiones, ei qui fidem Deo non seruat, fides seruanda non sit; cōmunione fidelium segregato, vt potè qui vitandus est potiùs quam fouendus, omnes qui dicto comiti fidelitatis, seu societatis, aut fœderis huiuscemodi iuramento tenētur astricti, auctoritate Apostolica denuntient interim absolutos: & cuilibet catholico viro licere, saluo iure Domino principali, nō solum persequi personam eiusdem, verum etiam occupare & detinere terram ipsius, illius præsertim obtentu, quod ab hæresi per suā prudentiam fortiter expietur: quæ per illius nequitiam fuit hactenus turpiter sauciata & maculata. Quia dignum est, vt manus omniū contra ipsum consurgant, cuius manus extitit contra omnes. Quòd si nec sic vexatio dederit intellectū, manus nostras in eo curabimus aggrauare. Si quo modo verò satisfactionē promiserit exhibere, ipsum pœnitudinis suæ hæc signa præmittere oportebit; vt de toto posse suo depellat prauitatis hęreticæ sectatores, & se paci satagat conciliare fraternæ: cùm principaliter propter culpam, quam in vtroque noscitur commisisse, in eum ecclesiastica fuerit prolata censura: quamquā si suas iniquitates De⁹ voluerit obseruare, vix posset congruè satisfacere, non tantūmodo pro seipso, sed pro alia multitudine, quam in laqueum damnationis induxit. Quia verò secundùm sententiā veritatis, timendi non sunt, qui corpus occidunt; sed ille, qui potest mittere corpus & animam in gehennam: confidimus & speramus in eo, qui vt à fidelibus suis timorem mortis auferret, mortu⁹ die tertia resurrexit; quòd præfati hominis Dei mors venerabili fratri nostro Consoranensi episcopo, & dilecto filio Arnaudo Abbati Cisterciensi, Apostolicæ Sedis legatis, alijsque orthodoxæ fidei sectatoribus, non solùm timorem nō incutiet, sed amorem accendet: vt eius exemplo, qui vitam æternam temporali morte feliciter est mercat⁹, animas suas in tam glorioso certamine, si necesse fuerit, pro Christo ponere non formident. Vnde Archiepiscopis & episcopis consulēdum duximus, admonendo, preces præceptis, præcepta precibus inculcantes: vt Legatorum ipsorum salubribus monitis & mandatis efficaciter intendentes, tamquam strenuissimi cōmilitones assistant eisdem in omnibus, quæ propter hæc ipsis duxerint injungenda: scientes, quòd sententiam, quam ipsi non solùm in rebelles, sed etiam in desides promulgauerint, nos ratam haberi præcipimus, & inviolabiliter obseruari. Eia igitur Christi milites, eja strenui militiæ Christianæ tyrones, moveat vos generalis Ecclesiæ gemitus: succēdat vos ad tantam Dei nostri vindicandam injuriam pius zelus. Mementote, quia creator noster nostri non indiguit, cùm nos fecit: qui quamquam nostro servitio nō indigeat, vt quasi per illud minùs* in agēdo minùs voluerint, fatigetur, & sua omnipotentia minor sit, obsequio nostro carens: occasionem tamen in hoc articulo nobis tribuit acceptabiliter serviēdi. Cùm igitur post interfectionem pręfati iusti Ecclesiā, quæ in partibus illis est, absque consolatore in tristitia & mœrore sedēte, fides evanuisse, periisse pax, hæretica pestis, & hostilis rabies fortiùs invaluisse dicatur; ac si potēter in eius novitate procellæ non succurratur eidem, penè penitus videbitur navis ecclesię naufragari: vniversitatem vestram monemus attentiùs, & propensiùs exhortamur, ac in tantę necessitatis articulo in virtute Christi confidenter injungimus, & in remissionem peccaminū indulgemus, quatinus tantis malis occurrere non tardetis, & ad pacificandum gentes illas, in eo qui est Deus pacis & dilectionis, intendere procuretis: & quibuscumque modis reuelauerit vobis Deus, hęreticam ibi studeatis perfidiam abolere; sectatores ipsius eò quàm Saracenos securiùs, quò pejores sunt illis, in manu forti & extento brachio, impugnando. Prænominatum etiam comitem, qui quasi fœdus percussisset cum eadem morte, peccat non recogitat, si fortè vexatio sibi tribuat intellectum, & impleta facie ejus ignominia, incipiat inquirere nomen Dei, ad satisfaciendū nobis & ecclesiæ, imò Deo, pondere non desinatis inductæ super eum oppressionis vrgere: ipsum & fautores eiusdem de castris Domini depellendo, & auferendo terras eorum; in quibus, relegatis hęreticis, habitatores catholici subrogentur: qui *secundùm orthodoxæ fidei nostræ disciplinā in sanctitate & justitia serviant coram Deo. Datum Laterani 6. Idus Mart. Pontificat⁹ nostri an. 11.

His dictis de morte sanctissimi viri prælibatis, ad narrationis nostræ seriem redeamus.

Comes Tholosanus excommunicatus.

Matth. 10.

*mendosus est hic locus

Heretici peiores Saracenis.

*Prior editio mendose legit scilicet

CAPVT. IX.

Tolosanus & Consoranensis Episcopi Romam leguntur: vt Pontifici maximo statum Ecclesiæ in Narbonensi provincia exponant.

VIdentes igitur prælati Narbonensis prouinciæ, & alij, quos tangebat negotium pacis & fidei, decessisse bonos viros, Oxomensem Episcopum, & F. Petrum de Castronovo, & F. Radulphum, qui fuerāt prædicationis in terra prænotata principes & magistri: animadvertentes, quòd eadem prædicatio etiam jam peregerit ex parte maxima cursum suum, nec multùm profecerit, imò penitus fructu frustrata sit exoptato: ad pedes summi Pontificis judicant transmittendum. Accingunt ergo se viri venerabiles Fulco Tolosanus, & Navarrus Consoranēsis Episcopi: Romamque pperant, supplicaturi Domino Papæ, vt periclitanti in Narbonensi provincia, & Bituricensi,

Bituricensi, & Burdegalensi; pro pace Ecclesiæ, & quasi penitus naufraganti manū porrigat adjutricem Dominus autē Papa Innocentius, qui defendendæ fidei Catholicæ necessitatibus totis nisibus incumbebat, tāto morbo manum apposuit medicā, generales & efficaces super hoc negotio literas in Franciam transmittendo; sicut inferiùs pleniùs exprimemus. Quòd audiens comes Tholosanus, imò dicamus melius Dolosanus, perrexisse videlicet prænotatos Episcopos Romam, timens se dignè pro meritis puniendum, videnſque facta sua non posse impune trāsire; pœnitudinem simulans, & si possit, sibi præcauens in futurum: cum multos alios iam misisset; quosdā execrabiles & malignos, Archiepiscopum Auxitanum, & Raimundum de Rebastenchs, qui quondam fuerat Tholosanus Episcopus, sed meritis suis exigentibus erat depositus, misit Romam: conquestusque est Domino Papæ per nuntios illos de Abbate Cisterciensi, qui legatione super negotio fidei fungebatur: asserens, quòd eum exacerbaret nimis asperè & plus iusto: promittens etiam comes, quod si Dominus Papa aliquem à latere suo ad illum dirigeret, ad voluntatem ipsius per omnia se haberet. Hoc autem non dixit, quia vellet se aliquatenus emēdare: sed cogitabat, quòd si dominus Papa aliquem de suis Cardinalibus ad eum mitteret; ipsum posset, sicut homo versipellis & callidus, circumuenire. Sed omnipotens, qui scrutator est cordium, & cognitor secretorum, noluit puritatē circumueniri Apostolicam, noluit tegi ampliùs dicti comitis prauitatem. Prouidit igitur iustè & misericorditer iustus iudex, vt & Dominus Papa Comiti quasi iustè petenti satisfaceret, & ipsius comitis malitia diutius non lateret. Misit enim dominus Papa vnum de collateralibus suis clericis ad partes Prouinciæ, Milonē nomine, virum vtique vita honestū, scientia præclarum, facundia disertum: qui, vt probitatem eius breuiter perstringamus, nec terrore terreri potuit, nec minis frangi. Comes autem audiens quòd veniret Magister Milo, gaudio gauisus est valde: quia putauit, quòd sæpedictus magister ad ipsius se haberet per omnia voluntatem: discurrensque comes per terram suā cœpit gloriari, & dicere. Modò bene est mihi, quia legatum secundum cor meum,* imò ipse ero legatus. Sed omnia euenere contraria voto illius, sicut inferiùs exprimetur.

* *Deest verbum* habeo *aut simile.*

CAPVT. X.

Mittitur cum M. Milone Magister Theodisius.

Hugo apud Ciaconium, sed malè.

MIssus est autem cum dicto M. Milone clericus quidā, magister Theodisius nomine, canonicus Ianuēsis; qui sæpedicto M. Miloni assisteret, & ipsum in expediendo fidei negotio adjuuaret Iste Theodisius vir multę scientię, vir constantiæ mirabilis, vir eximiæ bonitatis; qui bene se habuit in negotio Iesu Christi: qui quāta pro eodem negotio pericula passus sit & labores, rei exitus patefecit, & nos postmodum curauimus latiùs intimare. Dominus vero papa M. Miloni dederat in mandatis, vt de omnibus quę ad negotium fidei pertinebant, & præcipuè super facto comitis Tholosani, ad consilium Cistercij abbatis ordinaret: eo quod Abbas statum negotij, & versutias comitis plenè sciret. Vnde & dominus Papa M. Miloni expressè dixerat, Abbas Cistercij totum faciet, & tu organum ei eris; comes enim Tholosanus habet eum suspectum, tu non eris ei suspectus Descendentes igitur M. Milo. & M. Theodisius in Franciam, Abbatem Cistercij apud Autisiodorum inuenerunt. Consuluit igitur M. Milo Abbatem Cisterciensem super pluribus certis capitulis, quæ ad negotium fidei pertinebant: Abbas verò de omnibus diligentiùs instruens, consilium suum tradidit ei scriptum & sigillatum. Monuit etiā eum & consuluit, vt antequā aggrederetur comitem Tholosanum, conuocaret Archiepiscopos, Episcopos, & alios prælatos, quos expedire videret; & eorū quæreret & haberet consilia Quosdam etiam de prælatis, M. Miloni expresè & specialiter nominauit, quorum consilijs deberet idem Magister adhærere. Post hæc Abbas Cisterciēsis & M. Milo perrexerunt ad regem Franciæ Philippum; qui apud Nouam villam in territorio Senonico cum pluribus de Baronibus suis solemne colloquium celebrabat. Erant ibi Dux Burgundiæ, Odo Niuernensis, & Sancti Pauli comites, & multi alij nobiles & potentes. Dominus autē Papa mittebat regi literas speciales, monens & deprecans, vt per seipsum, saltem per filium suum Ludouicum, periclitanti in Narbonensi prouincia Ecclesiæ auxilium impenderet opportunum. Rex autem nuntio domini Papæ tale dedit responsū, quòd duos magnos & graues habebat à lateribus leones, Otonem, qui dicebatur imperator, & regem Angliæ Ioannem; qui hinc & inde ad turbationem regni Franciæ totis viribus laborabant. Ideoque nec ipse à Frācia vllo modo exire vellet, nec filium mittere: imò satis ei videbatur ad præsens, si Barones suos ire permitteret, ad perturbandum in Narbonensi prouincia pacis & fidei perturbatores. Summus autem Pontifex, vt ad extirpandum pestem hæreticam fideles populos efficeret promptiores, generales miserat literas ad omnes prælatos, Comites, & Barones, & vniuersum populum in regno Franciæ constitutum: monens efficaciter, & exhortans, vt festinarent ad vindicandā in Narbonensi prouincia iniuriam Crucifixi; scientes remissionem omnium peccaminū à Deo eiusque vicario vniuersis indultam, qui orthodoxæ fidei zelo succensi, ad opus se accingerent huius pietatis; dummodo contriti essent pariter & confessi. Quid plura? publicatur ista indulgentia in Francia, armat se multitudo magna fidelium signo crucis.

Theodosi⁹ apud Ciaconium, sed malè.

Duo leones Franciæ Imperator & Rex Angliæ

Indulgentia publicatur contra Albigenses.

CAPVT XI.

Concilium apud Montilum celebratur: ibique sistendi coram Milone dies Comiti apud Valentiam præfigitur

CElebrato apud novam-villam colloquio prænotato, Mag. Milo cum collega suo M. Theodisio ad partes Prouinciæ perrexit: veniensque ad quoddam castrum, quod Montilum nuncupatur, convocavit Archiepiscopos & Episcopos quamplures: qui cùm ad eum venissent: quæsiuit ab eis diligenter, qualiter procedendum esset in negotio pacis & fidei, præcipuè in facto comitis Tholosani. Voluit etiam, vt singuli prælati super certis capitulis, de quib⁹ eum Abbas instruxerat Cisterciensis, sua ei traderent consilia scripta & sigillata Factum est, vt præcepit; & quod auditu est mirabile, omnia tam Abbatis Cisterciensis, quàm prælatorum consilia

Moteil.

fine dissensione aliqua convenerunt. A Domino factū est istud. Post hæc misit Magister Milo ad comitem Tholosanum, mandans ei, vt ad diem quam sibi præfigebat, veniret ad ipsum apud Valentiam ciuitatem. Venit comes ad diem illum; & sicut fallax & sævus, lubric⁹ & perjurus, promisit legato, videlicet M. Miloni, licet in dolo, quòd suam faceret in omnibus voluntatem. Legatus autem, vtpote vir cautus & prudens, prælatorum vsus consilio, voluit & præcepit, vt comes Tholosanus traderet ei pro securitate, de terra quā tenebat in Prouincia, castra septem. Voluit etiam, vt comites Avinionensis & Nemausensis ciuitatum, & villæ S. Georgij jurarent ei, quòd si comes Tholosanus mandato ipsius Legati venire præsumeret ex adverso, non tenerentur ei hominij seu fœderis fidelitate astricti. Comes verò Tholosanus, quāvis dolens & invitus, necessitate compulsus, omnia quæ legatus mandaverat adimplere promisit: sicque factum est, vt qui Abbatem Cisterciensem durū dixerat, Legatum longè diceret duriorem. Hoc autem Deo disponente justissimè factum esse creditur, quòd vbi tyrannus sperauit remedium, vltionem reperit, & flagellum. Statim vir totius bonitatis M. Theodisius de mādato legati venit in partes Prouinciæ: vt septem castra, de quibus suprà tetigimus, reciperet, & ea occuparet ex parte Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & muniret.

Caput XII.

Comes Tholosanus Ecclesiæ reconciliatur.

Absolutionis ab excōmunicatione ritus.

His omnibus rite peractis, descendit legat⁹ ad villam S. Ægidij; reconciliaturus ibi comitem Tholosanum. Modus autem reconciliationis & absolutionis talis fuit. Adductus est comes nudus ante fores Ecclesiæ B. Ægidij, ibique coram legato, Archiepiscopis, & Episcopis, qui ad hoc convenerant plusquam viginti, jurauit super corpus Christi, & sanctorū reliquias, quæ ante fores Ecclesiæ expositæ cum magna veneratione, & in multa copia à prælatis tenebantur, quòd mandatis S. Romanæ Ecclesiæ in omnibus obediret. Mox legatus stolam ad collum comitis poni fecit, ipsumque comitem per stolā arripiens, absolutum cum verberibus in ecclesiā introduxit. Nec silendū, quòd cùm comes Tholosæ introduceretur in Ecclesiam, sicut diximus, S. Ægidij, cum verberibus, disponente Deo nullatenus de Ecclesia potuit exire, præ turba, per viam, qua intraverat: sed oportuit eum descendere in inferiora Ecclesiæ, & per ante sepulchrū B. martyris Fratris Petri de Castronovo, quem occidi fecerat, nudum transire. O justum Dei judicium! Quem enim contempserat vivum, ei reverentiam compulsus est exhibere & defuncto. Illud etiam notandum puto, quòd cùm corpus prædicti martyris, quod in claustro monachorū S. Ægidij priùs fuerat tumulatum, post longum tempus in Ecclesiam transferretur, ita sanum inventum est & illæsum, ac si ipsa die fuisset tumulatum: miri etiam odoris fragrantia de corpore sancti & vestibus emanavit.

Corpus B. Petri de Castron. incorruptum.

Caput XIII.

Comes Tholosanus fictè crucem sacræ militiæ signum sumit: quamquidem catholici exercitus milites pectori assutam habebant.

Post hæc omnia callidissimus comes Tholosæ timens à facie cruce-signatorum, qui ad exturbandos hæreticos & eorum fautores, in proximo venturi erant de Francia ad partes Narbonenses, petijt à legato dari sibi crucem: vt sic terram suam à crucesignatorum infestatione tueretur. Acquieuit legatus: comitiq; & duobus tantùm de suis militibus cruces dedit. O falsum, & perfidissimum crucesignatum! comitem Tholosanum dico: qui crucem assumpsit, non ad vindicandam iniuriam crucifixi: sed vt ad tēpus celare posset suam, & tegere pravitatem. His omnibus itaq; gestis, legatus & M. Theodisius redierunt versus Lugdunum, vt crucesignatis, qui statim venturi erant contra Prouinciales hæreticos, obviarent. Per totam siquidem Prouinciā divulgata erat indulgentia, quam fecerat Dominus Papa proficiscentibus contra prædictos hæreticos: ideoque quamplurimi, nobiles & ignobiles, cōtra hostes crucis armauerant se in pectoribus crucis signo. Signatis igitur in Francia, ad vindicandum Dei nostri injuriam, tot fidelium millibus, & signandis, nihil aliud supererat, nisi vt Dominus sabaoth, qui solita bonitate, & insolita benignitate, inimicis suis, videlicet hæreticis & eorum fautoribus cōpatiens, plures & pluries destinauerat ad eosdem (sed illi in perversitate sua perseverātes, in sua nequitia obstinati, quosdam contumeliis affecerant, alios etiam interfecerant) missis exercitibus suis, crudelissimos perderet homicidas.

Caput XIV.

Aduentus crucesignati exercitus in partes prouinciæ.

Anno ab Incarnatione Domini millesimo ducentesimo nono, Domini Papæ Innocētij vndecimo, regnante Philippo Rege Francorum, circa festū S. Ioannis Baptistæ, crucesignati omnes à diuersis Franciæ partibus iter arripientes, pari consilio & prouida dispositione, apud Lugdunum Galliæ vrbem convenerunt. Inter eos autem qui ibi astuerunt, isti præcipui habebātur. Archiepiscop⁹ Senonensis, Episcopus Eduēsis, Episcop⁹ Claromontensis, Episcopus Niuernensis, Dux Burgundiæ, Odo comes Niuernensis, Comes S. Pauli, Comes Montisfortis, Comes de Barro supra Sequanā, Guichardus de Belloioco, Vuillelmus de Rupibus seneschalus Andegauiæ, Gualcherus de Iouiniaco; multi prætera nobiles & potentes, quos longum esset per singulos nominare.

Caput. XV.

Comes Tholosanus it obuiam Cruce signatis.

Videns autem Comes Tholosanus Raimundus signatorum multitudinem aduenire, timensque ne inuaderent terrā eius; vt pote quē de perpetratis nequitijs conscientiæ stimulus accusabat; exiuit obuiā eis, & peruenit vsque prope Valentiam ciuitatem. At illi egressi erant in manu excelsa. Ipsos igitur inueniens prope ciuitatem dictam dictus Comes, pacem simulans, falsum spopondit obsequium; firmissimè promittens, quod ad mandatum S. R. E. ad eorum etiā arbitrium se haberet; super quibus obseruandis, dedit castella quædam pro securitate. Voluit etiam dare filium suum in obsidem, vel seipsum. Quid plura? etiam associatur his hostis Christi; pergunt pariter, rectoque gressu perueniunt ad Biterrensem ciuitatem.

Capvt. XVI.

De malitia ciuium vrbis Biterrensis, & eiusdem vrbis obsidione, expugnatione, & excidio.

Erat autem Biterris ciuitas nobilissima, sed tota veneno hæreticæ prauitatis infecta. Nec solum hæretici erant ciues Biterrenses; sed erant raptores, iniusti, adulteri, latrones pessimi, pleni omni genere peccatorum. Non sit onerosum lectori, si de malitia dictorum ciuiũ aliquid specialiter disseramus. Pergebat quadam nocte in ipso diluculo sacerdos quidam ciuitatis illius ad Ecclesiam, diuina celebraturus mysteria; portans calicem manibus suis. Quidam autem de Biterrensibus, qui se posuerant in insidijs, arripientes sacerdotem illum, & vehementer verberantes, fracto brachio ipsum grauissimè vulnerarunt; accipientesque calicem, quem tenebat sacerdos, ipsumq; discooperientes, minxerunt in eo incõtemptum corporis & sanguinis Iesu Christi. Alioque tempore, ciues sæpedicti in ecclesia B. Mariæ Magdalenæ, quæ in ciuitate dicta est, dominum suum vicecomitem Biterrensem Trancauillum, traditores pessimi interfecerunt; Episcopo etiam suo, qui vicecomitem ab illorum manibus defendere nitebatur, dentes confregerunt. Egrediebatur die quodam canonicus quidam Biterrensis de Ecclesia maiori, celebrata Missa; audiens autem tumultum laborantium in fossatis ciuitatis, interrogauit, quid hoc esset. Responderunt qui aderant; tumultus est laborantium ad fossata; quia munimus ciuitatem contra Francigenas, qui adueniunt. Iam enim imminebat aduentus peregrinorum: & dum ita loquerentur, apparuit quidam senex venerandæ ætatis, qui dixit eis. Vos contra peregrinos ciuitatem istam munitis: sed quis desuper poterit vos munire? Per hoc innuit, quod dominus de cœlo debellaturus esset eos. Quo audito, illi vehementer moti sunt, & permoti. Cumque vellent in senem insurgere, subitò disparuit, & nusquam potuit inueniri. Nunc propositum prosequamur. Antequam cruce-signati ad Biterrensem peruenirent ciuitatem, vicecomes Biterrensis, Raimundus Rogerij nomine, nobilis quidem genere, nepos comitis Tholosani; qui sectans auunculi prauitatem, in nullo hæreticos comprimebat, promiserat firmissime Biterrensis ciuibus ciuitatis, quòd eos nullatenus desereret: sed cum ipsis ad mortẽ vsque perseuerans in sæpedicta ciuitate aduentum Christi militũ expectaret. Sed cùm nostros appropinquare audiret, pacti oblitus, fœderis nescius, fidem frangens, confugit Carcassonam aliam suam nobilem ciuitatem: plures de Biterrensibus hæreticis ducens secum. Peruenientes igitur Biterrim nostri, transmiserunt in ciuitatem ipsius ciuitatis Episcopum, qui exierat obuiam eis: magistrum videlicet Reginaldum de Monte pessulano; virũ ætate, vita, scientia venerandum. Dicebant siquidem nostri, quòd causa perdendorum hæreticorum aduenerant; mandauerunt que ciuibus catholicis, si qui erant, vt in manus ipsorum traderent hæreticos, quos idem venerabilis Episcopus qui eos plene nouerat, & etiam in scriptum redegerat, nominaret: vel si istud facere non possent, exeuntes de ciuitate dimitterent hæreticos, ne perirent pariter cum eisdem. Quod verbũ cùm sæpedictus Episcopus ex parte nostrorum memoratis ciuibus retulisset, noluerunt adquiescere: sed se aduersus Deum & Ecclesiam erigentes, inito cum morte fœdere, elegerunt potiùs mori hæretici, quàm viuere Christiani. Priusquam enim nostri eos aliquatenus expugnarent, exierunt quidam de ciuitate; cœperuntque nostros sagittis acri⁹ infestare. Quod videntes seruientes exercitus, qui publica lingua dicũtur ribaldi, cum indignatione maxima muros adeunt ciuitatis; nobilibusque exercitus nescientibus, & penitus inconsultis, facto insultu ipsa hora, quod dictu mirabile est, capiunt ciuitatem. Quid plura? statim intrantes, à minimo ad maximum omnes ferè necati, tradentes incendio ciuitatem. Fuit autem capta ciuitas sæpedicta in festo S. Mariæ Magdalenæ. O iustissima diuinę dispensationis mẽsura! Sicut in principio huius libri diximus, dicebant hęretici B. Mariam Magdalenam fuisse Christi concubinã. Præterea in Ecclesia ipsius, quæ erat in ciuitate, sicut suprà tetigimus, ciues Biterrenses dominũ suum occiderant, Episcopo suo dentes confregerant. Meritò igitur in illius festiuitate capti sunt, & destructi, de qua contumeliosa tot dixerant; cuius etiam Ecclesiam sanguine domini sui, vicecomitis videlicet, nec non episcopi, fœdauerant canes impudentissimi. In eadem etiam Ecclesia, in qua, vt sæpedictum est, dominũ suum occiderant ciues Biterrenses, ipsa die captionis ciuitatis, fuerunt vsque ad septem millia de ipsis Biterrensibus interfecti. Notabiliter est notandum, quòd sicut ciuitas Ierusalẽ 42. anno à passione Domini nostri à Tito & Vespasiano fuit destructa; ita ciuitas Biterrensis 42 anno ab interfectione Domini sui per Francigenas est vastata. Hoc quoque non est omittendum, quòd sæpedicta ciuitas multoties deuastata fuerit, ob causam supeirùs memoratam; semper in die festi S. Magdalenæ, in cuius Ecclesia tantum scelus perpertratum fuerat, dignam recepit eiusdem sceleris vltionem.

Horrenda sacri calicis prophanatio

Biterris capta à seruis.

Heretici in festo S. Magdal næ cur pœnas luant

Capvt. XVII.

De obsidione vrbis Carcassona, & eiusdem deditione.

Capta itaque & destructa ciuitate Biterrensi, proposuerunt nostri recto gressu tendere Carcassonam; ciues etenim Carcassonenses pessimi erant hæretici, & peccatores coram domino nimis. Siquidem illi qui in castris inter Biterrim & Carcassonam positis habitabant, timore exercitus fugerant, castra sua vacua relinquentes. Quidam tamen, qui non vocabantur ex hæretica prauitate, rediderunt se nostris. Audiens autem vicecomes, quòd nostri ad obsidendam tenderent Carcassonam, milites quoscumque potuit adunauit; seque cum eis in Carcassonam recipiens, præparauit se, vt contra nostros defenderet ciuitatem. Nec silendum, quòd ciues Carcassonẽses pessimi & infideles, refectoriũ & cellarium canonicorum Carcassonensium, qui erant canonici regulares, ipsa etiam * stalla ecclesiæ, quod execrabilius est, destruxerunt; vt muros ciuitatis inde munirent. O prophanum consilium! O munitio immunita! quæ sacra immunitate domus Dei violata & destructa construitur, per hæc meritò destruenda. Domus rusticorum intactæ conseruantur. domus seruorum Dei deiectæ prosternuntur. Peruenientes igitur nostri ad ciuitatem, in circuitu fixere tentoria, obsidionem firmantes. Dispositis ergo circumquaque bellatorum agminibus, ipsa quidẽ die & altera à prælijs silu-

Stalla sunt sedilia.

erant. Ciuitas autem Carcassona in montis cuiusdam supercilio posita, duplici suburbio cingebatur, quorum vtrumque munitum erat muris pariter & fossatis. Die igitur tertia sperantes nostri primũ suburbium, quod secundo suburbio erat aliquantulum minùs forte, per insultũ sine machinis se capturos, impetum fecerunt vnanimes in ipsum: Episcopis & Abbatibus cum vniverso clero congregatis in vnum, & cũ maxima deuotione cantantibus, *Veni Sancte Spiritus*, divinumque postulantibus auxilium mox adfuturũ. Derelictum statim primum suburbium, ab hostib⁹ vi ceperunt. Nec prætereundum, quòd nobilis comes Montisfortis primus omniũ, imò solus quoad milites, in fossatum se misit audacter; cum ceteris dictum suburbium impugnando. Quod captum impletis fossatis, nostri terræ penitùs adæquauerunt. Videntes autem nostri, quòd tam facilè cepissent sæpedictum suburbium, arbitrati sunt secundũ suburbium, quod longè fortius erat & munitius, per insultum similiter capi posse. Die autem altero ad murum ejusdem secundi suburbij accesserunt: quibus ad insultum instantibus, vicecomes cum suis ita se viriliter defẽdebat, quòd ex frequenti & creberrimo jactu lapidũ, nostros à fossato quod intrauerant oportuit resilire. In quo conflictu contigit quemdam militem de nostris fracto crure in fossato remanere: ad quem extrahendũ cùm nullus auderet accedere, propter iactus lapidum incessantes; vir totius probitatis, videlicet comes Montisfortis in fossatum se mittens, ipsum vnico auxiliante armigero, non sine grandi propriæ vitæ discrimine liberauit. Quibus gestis nostri mox machinas, quæ dicuntur petrariæ, ad diruendum murum suburbij, erexerunt; quo muro aliquantulũ pro iactu petrarũ in sommitate debilitato, nostri carrum quatuor rotarum bouinis pellibus coopertum, cum maxima difficultate muro applicantes, ad fodiendum murum artifices submiserunt. Aduersarij vero ignem, ligna, lapides projicientes instantissimè, ipsum carrum statim comminuerunt, fossoribus tamen in concauitate muri jã facta se recipientibus, quos nullomodo à perforatione muri potuerunt retardare. Quid plura? In crastino summo diluculo, suffossus corruit murus. Mox nostris cũ strepitu intrantibus, aduersarij sese in superiora civitatis transtulerunt: sed postea vidẽtes milites nostros exisse à suburbio, & se in tentoria recepisse, exeuntes de ciuitate, quotquot de nostris in suburbio erãt effugantes; plurib⁹ etiã de nostris præ difficultate exitus interfectis, in toto suburbio ignem mittunt, sese iterum ad superiora reportantes. Contingebat in illa obsidione quoddam, quod non prætermittendum, sed pro maximo miraculo est habendum. Dicebatur quod in exercitu erant homines vsq; ad quinquaginta millia; hostes autem nostri omnia in circuitu ciuitatis molendina destruxerant; ita quòd non poterant nostri panem habere, nisi de paucis castris circumjacentibus; & tamen in tanta abundantia erat ibi panis, quòd modicissimo pretio vendebatur. Inde & dicebant hæretici, quod Abbas Cisterciensis magnus erat, dæmonesque adduxerat in specie hominum; quia videbatur eis, quòd nostri non comedebant. His itaque gestis, consilium habuerunt nostri, quomodo caperent civitatem. Animadvertentes autem, quòd si facerent hic sicut in Biterrensi factum fuerat civitate, destrueretur ciuitas, & omnia bona quæ in ipsa erant consumerentur; & ita ille qui præficiendus erat terræ illi, non haberet vnde viueret, nec posset milites & seruientes tenere ad terram custodiendam. Ad consilium igitur Baronum, tractatum est de pace in hunc modum. Ordinatum est, quòd omnes egrederẽtur nudi, & ita euaderent; vicecomes autem in custodia teneretur. Bona omnia remanerent illi, qui futurus erat domin⁹ dictæ terrę, ob necessitatem superius nominatã: factumque est ita. Egressi sunt ergo omnes nudi de ciuitate, nihil secum præter peccata portantes. Tunc adimpletum est, quod dictum fuerat per venerabilem virum Berengarium, qui fuerat Episcopus Carcassonę. Hic cùm quadam die in ciuitate sua prædicaret, ciuibusque, sicut solitus erat, hæresim improperaret; noluerunt eum audire. Quibus ille, vos me audire non vultis, credite mihi, ego tantum mugitum emittam contra vos, quòd à remotis mundi partibus veniẽt, qui destruent villam istam. Certissimè autem sciatis, quòd si ferrei & altissimi essent muri ciuitatis istius, non possetis vos defendere; quin pro vestra incredulitate & malitia, condignam recipiatis à iustissimo iudice vltionem. Propter hæc & his similia, quæ eis vir sãctissim⁹ intonabat, quodam tempore expulerunt eum dicti ciues de ciuitate; inhibẽdo præconis voce districtissimè, & sub pœna grauissimæ vltionis, ne quis in emendo vel vendendo, sibi vel suis auderet in aliquo cõmunicare. Nunc id quod cœpimus exequamur. Reddita civitate & omnibus egressis, eliguntur de exercitu milites, qui bona ciuitatis fideliter custodirent.

Comitis Mõtisfort. egregium factũ.

Hæretici ascribunt magiæ miraculum.

Caput XVIII.

Eligitur Comes Montisfortis in principem territorij & ditionis Raimundi Comitis.

Quibus omnibus peractis, consilium habuerunt Barones adinuicem, quem deberent præficere terræ prædictæ. Et primo quidem oblatum fuit terræ dominium Comiti Niuernensi, postea duci Burgundiæ; sed accipere noluerũt. Eliguntur igitur de toto exercitu duo Episcopi, & quatuor milites; & insuper Abbas Cisterciensis Apostolicæ sedis legatus, ad terræ Dominum eligendum: qui firmiter promiserunt, quòd illum eligerent, quem secundùm Deum & seculum scirent vtiliorem. Hi septem, septiformis Spiritus sancti gratia cooperante, totamque terram misericorditer respiciente, eligunt virum fidelem, catholicum, moribus honestum, armis strenuum, Simonem videlicet comitem Montisfortis. Statim Abbas Cisterciensis Apostolicæ sedis legatus, huius sacri negotij pater & magister, & Dux Burgundiæ, Comes etiam Niuernensis, ad ipsum veniunt; monent, rogant, & cõsulunt, vt suscipiat on⁹ pariter & honorẽ. Quod cùm vir discretissimus instantissimè renueret, & se fateretur insufficientem & indignũ: mox Abbas Cisterciensis, & Dux, ejus pedibus se provoluunt, preces precibus inculcantes. Comite autem adhuc renuente, Abbas authoritate suæ legationis vtens, præcepit ei districtissimè virtute obedientiæ vt faceret, quod petebant. Suscepit igitur terræ gubernaculum vir præfatus ad laudem Dei, & honorem Ecclesiæ; depressionẽ hæreticæ prauitatis. Hic adnectendũ est quoddam relatione dignissimum, quod contigerat paulò antè in Francia, de nobili comite Montis-

Carcassonæ deditio.

fortis. Redibat quadam die venerabilis Abbas Vallium-Sernay, Guido nomine supradictus, qui negotium fidei contra hæreticos, in quantū poterat, promouebat, à duce Burgundiæ: ipsius ducis literas habens secum, continentes, quòd dux rogabat comitem Montis-fortis, vt cum ipso se accingeret ad militiam Iesu Christi contra hæreticos; ingentia dona offerens, si in hoc adquiescere vellet ei. Contigit autem, vt dictus Abbas veniens à duce, dictum comitem inueniret in Ecclesia cujusdam castri ipsius comitis, quod dicitur Rupis-fortis, quibusdam negotijs occupatum. Cumque Abbas vocasset illum in partem, ducis literas ostensurus, transiens idem comes per cancellum Ecclesiæ, librum psalterij, quem super formulam inuenit, aprehendens, diuino nutu ex industria aperuit; digitum suum super primam lineam tenens, dixit Abbati: exponite mihi scripturam istam, *Angelis suis Deus mandavit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis: in manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum*; quod divina dispositione prouisū, rei exitus manifestissimè comprobavit.

Psal. 90.

Caput XIX.

De praclaris animi & corporis dotibus Simonis Comitis Montis-Fortis.

Quia verò loci opportunitas se ingessit, & rationis ordo deposcit, hic de nobili Comite Montis-fortis, quod novimus, inseramus. Primò dicetur, quòd erat genere præclarus, virtute robustus, in armis plurimū exercitatus. Erat preterea, vt accedamus ad formam, statura procerus, cæsarie spectabilis, facie elegans, aspectu decorus, humeris eminēs, brachiis exertus, corpore venustus, membris omnibus agilis & stabilis, acer & alacer, in nulla sui vel modica parte, etiam ab hoste vel invido reprobandus. Demum vt ascendam* ad majora, erat facundia disertus, affabilitate comis, contubernio amabilis, castitate mundissimus, humilitate præcipuus, sapiētia præditus, in proposito firmus, in cōsilio providus, in judicio justus, in militiæ exercitijs sedulus, in suis actibus circumscriptus, in incipiendis arduus, in perficiendis indefessus, totus diuinis servitiis mancipatus. O provida principū electio! o sensata peregrinorum acclamatio! quæ virum tam fidelē fidei orthodoxæ providit electione defendendæ: quæ virum tam accommodum vniuersæ reipublicæ, sacrosancto negotio Iesu Christi contra pestilentes hæreticos voluit principari. Talem quippe decebat Domini exercituum exercitui dominari: quem, ut prędictū est, generis nobilitas, morum sinceritas, militaris probitas adornaret. Talem inquam, talē operæpretium fuit in periclitantis Ecclesiæ defensionem sublimari; sub cuius patrocinio innocētia Christiana secum consisteret: & hęreticæ prauitatis præsumptuosa temeritas detestabilis erroris sui impunitatem non speraret. Et pulchrè satis de Monteforti oriundus naufraganti Ecclesiæ à Christo * monte Simon trāsmittitur, ipsam à persequentibus inimicis defensurus. Et notandum, quòd licet aliqui possent reperiri, qui in aliqua ei gratia æquipollerent: audacter dico, vix aut numquam reperietur, in quo tanta simul donorum, tam naturalium, quàm gratuitorum cōfluxerit plenitudo: quem ne tot & tantarum diuini nominis largitatum extolleret magnitudo, dat* est ei stimulus à Domino incessātis solicitudinis, & vrgentissimæ paupertatis. Cùm enim Deus in captione castrorum, & destructione inimicorum hinc ita miraculosè & magnificè faceret cum eo: hinc illum tot curis vexabat, tantæ paupertatis inopia deprimebat, quòd vix licebat ei quiescere, ne superbire liceret. Vt autem virtus viri clarissimi clariùs innotescat; non sit onerosum lectori, si de his quæ gessit retroactis aliquando diebus, aliqua, quæ vidimus, perstringamus.

Vetus editio malè legit Dominū

Vet. editio male legit à Christo si monte non *nullo sensu*.

Caput XX.

De benevolentia Simonis Comitis erga Iadrenses, & singulari eius in Rom. Ecclesiam obseruantia.

Quodam tempore idem nobilis comes, & Abbas Vallium-Sarnay Guido, qui postea fuit Episcopus Carcassonæ, de quo sæpius fecimus mentionem, proficiscebatur cum baronib* Franciæ vltra mare. Videntes autē nobiles Franciæ Venetiam ciuitatem opulentissimam, vbi ad transfretandum debebant de cōmuni conducto naves ascendere: naves ipsas de carissimo pretio conduxerunt. Erant autē nobiliores totius Franciæ: comes videlicet Flandriç Balduinus, & Hēricus frater eius, comes Blesensis Ludovicus, & nobilis comes Montisfortis, & alij multi, quos non erat facile numerare. Ciues autem Venetici homines callidi & perversi, videntes quòd peregrini nostri propter navium pretium immoderatum exhausti essent pecunia, & penè penitus emūcti, nec tum dictum naulum ex magna parte solvere possent; nacta inde occasione, videlicet quòd peregrini nostri erant illis obnoxij & subjecti: duxerunt eos ad destruendam civitatem quamdam Christianorum, quæ erat Regis Hungariæ, nomine Iadram. Quò cū peregrini nostri pervenissent; sicut mos est obsidentium, fixere tentoria prope muros ciuitatis. Comes autem Montisfortis & Abbas Vallium non sequentes turbam ad faciendum malum, noluerunt obsidere cū aliis: sed longiùs à ciuitate se locauerunt. Interea dominus Papa misit literas suas omnibus peregrinis, districtè & sub periculo indulgentię, quam eis fecerat, & sub pœna gravissimæ excōmunicationis inhibens, ne civitatem Iadræ in aliquo dānificarent. Quas literas cùm Abbas Vallium die quodam nobilibus exercitus, qui erant congregati in vnū, recitaret, & Venetici ipsum vellent occidere; nobilis comes Montis-fortis surrexit in medium, & Veneticis se opponens, restitit eis, ne Abbatem occiderent prænotatum. Ciues autem Iadrenses, qui ibi causa postulandæ pacis aduenerant, allocutus est comes nobilis in præsentia baronum omnium in hunc modum. Non veni, inquit, huc, vt destruerē Christianos: nullum malū vobis inferā; sed quidquid faciant alij, ego à me & meis facio vos securos. Sic fatur vir strenuissimus, statimq; ipse & sui à loco colloquij exierunt. Quid ampliùs immoremur? Barones exercitus mandato Apostolico non deferentes, capiunt & destruunt ciuitatem. Iterum à Domino Papa miserabiliter & gravissimè excōmunicantur: & ego, qui ibi eram, testimonium perhibeo veritati, quia & literas vidi & legi, excommunicationē Apostolicam continentes. Nobilissimus autem comes non acquievit plurimorum sententiæ, vt deviaret à vero: sed exiens à consortio peccatorum, cum multo gravamine & dispendio, per terram desertam & inviam, post multas angustias & multos labores barorū, villam nobilissimam Apuliæ pervenit; ibiq; denuo

Camusatius pro Venetis hic Auctorē immeritò arguit, vt ostēdam in not.

naues conducẽs perrexit: & ascendens cursu ꝓspero vltra mare: vbi per annum & ampliùs moram faciens, & multas contra paganos militiæ probitates exercens. baronibus Franciæ, quos apud Iadram dimiserat, periclitatis & mortuis ferè cunctis, ipse vivus & sanus ad propria redijt cum honore. Ab illo igitur tẽpore* initiavit triumphos, quos feliciter postmodũ consummauit: ex tunc honorem promeruit, quem assecutus est postea in depressionem hæreticæ pravitatis. Nec silendum putamus, quòd cùm tantus sit & talis comes iste; providit ei Dominus adjutoriũ simile sibi, vxorẽ videlicet: quæ, vt breviter dicamus, religiosa esset, sapiens, & solicita. In ea quippe religio solicitudinem & sapientiam adornabat, sapientia religionem & solicitudinem informabat, solicitudo religionem & sapientiam excitabat: insuper & Dominus benedixerat dictæ Comitissæ in familiæ procreatione. Comes siquidẽ habebat ex ea filios multos & pulchros nimis. His in cõmendatione comitis sæpius memorati perstrictis, ad prosequendum narrationis nostrę ordinem accingamur.

Vetus editio malè legit nuntiauit, pronuntiauit

CAPVT. XXI.

Comes Niuernensis ob quasdam simultates castra signatorum deserit.

POstquam electus fuit comes sæpememoratus, modo & ordine quo superius est notatũ, statim abbas Cistercienſis & ipse ducem Burgundiæ adeunt, & Comitẽ Niuernensem: orantes & deprecantes, vt in seruitio Iesu Christi dignarentur adhuc aliquantulũ commorari. Adhuc enim erant hæreticorum castella multa & fortissima adquirenda. Vt enim prætermittamus innumera, erant circa Carcassonam tria munitissima, in quibus habitabant tunc temporis prę cipui fidei nostræ inimici. Erat quippe ex vna parte Minerba, ex alia castrum Finarum, ab alia Cabarerum. Dux autem Burgundiæ, vt pote benignissimus, benignè deprecantibus adquieuit; promisitque, per aliquantulum tempus cum eis ad hæc moraturum. Comes autem Niuernensis nullo modo voluit deprecantibus obaudire; sed statim ad propria remeauit. Non enim bene cõueniebant dux & comes ille; sed hostis pacis diabolꝰ ita inter illos mutuas inimicitias acuerat, quod timebant quotidie nostri, ne se mutuò occiderent. Præsumebatur etiam à nostris, quod comes Niuernensis, non satis bonam gerebat erga nostrum comitem voluntatem; eoquod comes noster familiaris erat ducis Burgundiæ; & cum eo venerat à partibus Gallicanis. O quanta antiqui hostis malitia! qui promotionem negotij Iesu Christi videns & inuidens, impedire voluit, quod doluit promoueri. Exercitus siquidẽ cruce signatorum, qui fuerunt in obsidione Carcassonæ, erat tam magnus & fortis; quod si vlteriùs voluisset procedere, & vnanimiter persequi orthodoxæ fidei inimicos; non inuenientes qui resisterent eis, totam terram illam in breui adquirere potuissent Sed inquatum humana ratio potest comprehendere, superna pietas ideo aliter ordinabat; quia videlicet humani generis saluti prouidens, acquisitionem terræ voluit peccatoribus reseruare. Pius quidem dominus, simul in breui finiri noluit sanctissimam guerram istam: per hoc prouidens peccatoribus ad veniam, iustis ad gratiam ampliorem, paulatim & successiuè hostes suos voluit subiugari: vt dum paulatim & successiuè,* peccatores se accingerent ad vindicandum iniuriam Iesu Christi, prolongata guerra tempus veniæ peccatoribus prolongaret.

Simultates Christ. negotio obsunt.

*prędicatores

CAPVT. XXII.

Expugnatio castri Fani Iouis: Intrat comes Albiensem diœcesim.*

PAucis diebꝰ apud Carcassonam peractis, exiuit nobilis comes à ciuitate, cũ duce & magna parte exercitus, adiuuante domino vlterius processurus: maxima enim pars exercitus recesserat cum comite Niuernensi. Mouentes igitur à Carcassona, ipsa die fixere tentoria apud villã quandã quæ Alzona dicebatur. In crastino consuluit Dux Comiti, vt iret ad castrum quoddam, quod dicitur Fanum Iouis. Castrum siquidem illud à militibus & hominibus suis timore nostrorum derelictum, intrauerant quidam milites Arragonenses, qui erant cum comite nostro, & munierant; plura enim de inimicis castellis nobilioribus & fortioribus terrore cruce signatorum vacua fuerant derelicta. Assumptis ergo comes paucis militibus secũ, duce cum exercitu remanente, castrum adijt prænotatum; quod acceptum gente sua muniuit. Nec reticendũ, quòd comes Tholosanus qui fuerat in obsidione Carcassonæ, felicibusque nostris successibus inuidebat, consuluit comiti nostro; vt quædam castra, quæ vicina erant terræ illius comitis Tholosani destrui faceret. Ipse etiam, quasi sub specie boni, ad voluntatẽ comitis nostri aliqua castella funditus euertit, & combussit: sub hoc scilicet prætextu, ne nostros de cætero impugnarent. Hoc ideo faciebat ille perfidus & iniquus, quia volebat quòd terra illa destrueretur, & nullus resistere posset ei.

Fanũ Iouis. gallicè Fanꝫ Iaux.

Cum hæc agerentur, Burgenses cuiusdam nobilissimi castri, quod dicitur Castra, in Albigensi territorio, venerunt ad comitem nostrum, parati eum suscipere in dominum, & facere eius voluntatem. Consuluit ergo dux comiti, vt iret, & acciperet castrum illud: quia quasi caput erat totius territorij Albigensis. Iuit ergo comes cum paucis, duce cum exercitu derelicto. Factum est autẽ dum esset comes in prædicto castro, & homines nostri fecissent ei hominium, castrumque tradidissent; venerunt ad eum milites cuiusdam castri nobilissimi prope Albiam, nomine Lumbers, parati facere comiti; sicut fecerant illi de Castris. Nobilis verò comes volens redire ad exercitum, noluit tunc ire cum eis; sed tantum recepit in sua protectione castrum, donec ire posset tempore competenti. Miraculum, quod contigit in castro de Castris in pręsentia comitis, noluimus præterire. Pręsentati fuerunt duo hæretici ipsi Comiti: alter autem eorum perfectus erat in secta hæreseos, alter vero erat quasi nouitius & dicipulus alterius. Habito comes consilio, voluit vt ambo incenderẽtur. Alter verò illorum hæreticorum, ille videlicet qui erat discipulus alterius, tactus dolore cordis intrinsecus, cœpit conuerti; promisitque, quod libenter abiuraret hæresim, sanctæque R. E. per omnia obediret. Quo audito facta est grandis altercatio inter nostros: quidam enim dicebant, quòd ex quo ille paratus erat ea quæ diximus adimplere, non debebat morte condẽnari. Alij è contrario asserebant, illũ esse reum mortis: tum quia manifestum erat ipsum fuisse hæreticum; tum quia

Castres en Albigeois

putabatur, quod ea quæ dicebat, potius timore imminẽtis mortis promitteret, quã amore Christianæ religionis obseruandæ. Quid plura? adquieuit comes, quòd conburerẽtur: hac intentione, quod si nunc conuertatur, ignis esset ei pro expiatione peccatorum; si verò fictè loqueretur, reciperet pro perfidia talionem. Ligati sunt ergo ambo strictè duris vĩculis & fortissimis, per crura, ventrem, & collũ, manibus etiam post terga reuinctis. Quo facto, inquiritur ab illo, in qua fide vellet mori; qui ait, abiuro prauitatem hæreticã, in fide S. R. E. volo mori, orans vt mihi sit pro purgatorio ignis iste. Accensus est igitur ignis circa stipitem copiosus: illo autem qui perfectus erat in hæresi in momento combusto, alter statim confractis vinculis fortissimis, ita sanus exiuit ab igne, quod nulla apparuit in eo cõbustionis nota; nisi quod summitates digitorum aliquantulum sunt adustæ.

Conuersus ab hæresi illæsus exit ab igne.

Capvt. XXIII.

Castrum de Cabareto obsidione frustra tentatur à Comite.

REdiens comes à castro de Castris, ad exercitum remeauit, quem dimiserat versus partes Carcassonæ. Post hęc fuit consiliũ ducis Burgundiæ, & militum, & exercitus, vt tenderent Cabaretum: si fortè possent illos de Cabareto vexare, & ad redditionem castri cogere per insultum. Mouentes ergo nostri, venerunt prope Cabaretũ ad dimidiam leugam: & ibi fixerunt tentoria. In crastino autem armauerunt se milites, & magna pars exercitus, & appropinquaverunt Cabareto, vt expugnarent illud: factoq; insultu, cùm parũ proficere possent, ad tentoria redierũt.

Cap. XXIV.

De discessu Ducis Burgundiæ, & deditione Appamiarum, Sauardini, & Mirapinci.

IN crastino pręparauit iter Dux, & totum robur exercitus: & die tertia discesserunt à Comite nostro, ad propria remeãtes. Remansit igitur comes sol⁹, & quasi desolatus: *paucissimos quos habebat milites, circiter triginta: qui cum alijs peregrinis venerant de Francia, & præ ceteris seruitium Christi, & comitẽ diligebant. Postquam igitur recessit exercitus, venit nobilis comes ad Fanum-Iovis: quò dum pervenisset, statim venit ad eum venerabilis Abbas S. Antonini apud Appamias, in territorio Tholosano: rogãs vt accederet ad eum, & ipse ei traderet illico nobilissimum castrum Appamiarum. Dum autẽ iret comes apud Appamias, deuenit ad castrũ quod dicitur Mirapeis: statimque cepit illud. Castrũ illud hæreticis & ruptarijs erat receptaculum; & erat de dominio comitis Fuxensis. Capto castro illo, comes recto itinere Appamias peruenit: quẽ Abbas honorificè suscepit, & castrum Appamiarum ipsi tradidit: quod comes ab eo recepit, & fecit Abbati hominium, sicut debebat. Castrum siquidem propriè erat de dominio Abbatis & canonicorum S. Antonini, qui erãt canonici regulares; & nullus in eo debebat habere aliquid, nisi ab Abbate. Sed pessim⁹ comes Fuxensis, qui castrum illud tenere debebat ab Abbate, totũ sibi malitiosè volebat vendicare, vt inferiùs ostẽdemus. Venit inde Comes noster Sauardunm, & Burgenses se sine conditione aliqua rediderunt. Erat autem Castrum illud, scilicet Sauardunm in potestate & dominio comitis Fuxensis.

prater

Capvt. XXV.

Albia & Lombers veniunt in potestatem Comitis Simonis.

REdiens idem Comes nôster Fanum Iovis, proposuit ire ad castrum de Lombers, de quo supià tetigimus: vt reciperet illud. Erant autem in castro illo milites plusquam quinquaginta. Perueniens igitur comes ad castrum, honorificè est susceptus; dixerunt milites, quod in crastino, eius facerent voluntatem. Facto autem mane dicti milites de proditione in comitem tractauerunt; cumque vsque ad nonam suũ consilium protelassent, res innotuit comiti: qui statim quandam occasionem simulans, indilatè exijt de castro illo. Quod videntes milites, sequuti sunt eum, & timore ducti fecerunt eius voluntatem; castrumque reddiderunt, facientes ei hominium, & fidelitatem iurantes. Venit idem comes Albiam: erat autem Albia ciuitas, quam tenuerat vicecomes Biterrensis. Episcopus autem Albiæ Guillelmus, qui erat dominus ciuitatis principalis, gratanter suscepit illum dominum, & tradidit ei ciuitatem. Quid plura? totam Albiensem diœcesim comes tunc suscepit; exceptis quibusdam castris, quæ tenebat comes Tholosanus. Castra siquidem illa abstulerat comes Tholosanus vicecomiti Biterrensi. His rite peractis, comes noster redijt Carcassonam. Post paucos autem dies, ivit comes ad quoddam castrum, quod dicitur Limosum, in territorio Redensi, vbi faceret munitionem. Castrũ siquidem illud reddidit se comiti, statim postquam capta fuit Carcassona. Quo dum pergeret, quædam castella, quæ sanctæ Ecclesiæ resistebant, cepit; pluresque homines castrorum dignè pro meritis patibulis suspendit. Rediens comes à castro de Limoso, venit ad quoddam castellum, quod erat prope Carcassonam; & erat comitis Fuxi, nomine Prissanam, ipsumque obsedit: & dum esset in obsidione illius castri, venit ad eum Fuxensis comes; & iurauit, quòd staret per omnia mãdato Ecclesiæ, & insuper dedit comiti filium suum in obsidem: insuper & castrum quod comes obsederat dimisit; quibus gestis comes redijt Carcassonam.

Capvt XXVI.

Renuit rex Arragonensis admittere comitem Tholosanum ad præstationem hominij ratione vrbis Carcassonæ sibi debiti, frustra hoc vrgente comite.

REx Arragonensis Petrus, de cujus dominio erat ciuitas Carcassonæ, nullo modo volebat accipere hominium comitis, sed volebat habere Carcassonã. Cùm autẽ die quodam vellet ire ad Montem pessulanum, & non auderet; misit ad comitem, & mandavit ei vt obviaret ei apud Narbonam. Quo facto ad Montem pessulanum Rex & Comes noster pariter deuenerunt: vbi cum dies quindecim fecissent, non potuit inclinari rex adhoc, vt reciperet hominem comitem sæpedictum: mandauit insuper, sicut dictũ fuit, secretò nobilibus per totum vicecomitatũ Biterrensem & Carcassonensem, qui adhuc resistebant sanctæ Ecclesiæ, & comiti nostro, ne componerent cum Comite: promittẽs eis, quòd ipse cum eis comitem impugnaret. Factum est autem dum rediret comes à Monte pessulano, venerunt ad eum qui dicerent, plurimos de mi-

litibus Biterrensis, & Carcassonensis, & Albiensis diœcesum, cum castellis, à fidelitate quam comiti promiserant resiliisse; & verè sic erat. Insuper quosdam milites comitis obsederant traditores. quidam in turre cuiusdam castri prope Carcassonam; Almaricum scilicet, & Vuillelmū de Pissiaco. Quo audito festinavit comes, vt posset venire ad castrum illud, antequam sui milites caperentur. Sed cùm non posset transire flumen, quod dicitur Atax, inundauerat siquidem aqua, oportuit eum ire. Carcassonam: aliter siquidem transire non poterat flumen istud. Quò dum pergeret, agnouit quod dicti sui milites capti erant. Contigerat autem. dum esset comes apud Montem pessulanum, quod Bucardus de Marliaco, & Gobertus de Essigniaco, & quidā alij milites, qui erant apud Saxiacum castrum quoddam fortissimum in Carcassonensi diœcesi, quod dederat comes dicto Bucardo, quadam die vsque ad Cabaretum hostes insequerētur. Erat autem castrum quoddam prope Carcassonam, fortissimum, & quasi inexpugnabile, & multis militibus munitum. Castrum istud Christianitati & Comiti præ ceteris resistebat: ibi siquidem erat fons hæresis. Dominus ejus castri Petrus Rogerij inueteratus dierum malorū, hæreticus erat, & hostis Ecclesiæ manifestus. Factum est autem dum appropinquarent dict⁹ Bucardus & socij ejus Cabaretum; milites Cabareti, qui posuerant in insidijs se, surgentes concluserunt eos, & ceperunt Bucardum, Gobertum autem, cùm nullatenus vellet se reddere, occiderunt. Captum autem Bucardum ducentes Cabaretum, posuerunt in quodam terræ castro; vbi eum per menses sexdecim in vinculis tenuerunt. Eodem etiam tempore antequam comes redijsset à Monte pessulano, vicecomes Biterrēsis, Raimundus Rogerij, qui apud Carcassonam tenebatur in palatio, in infirmitate laborans defunctus est. Nunc ad narrationis seriem reuertamur.

Capvt XXVII.

De proditione & crudelitate Gerardi de Pepios in Simonem Comitem, ejusque milites.

Cvm redijsset comes Carcassonam à Monte pessulano, Guiraldus de Pepios miles quidam Minerbensis, quē comes in maximo amore & familiaritate habebat; cui etiam custodienda commiserat castra sua, quæ erant prope Minerbā: nequissimus proditor, & fidei crudelissim⁹ inimicus, negans Deum, fidemque abiurans, beneficiorum immemor & amoris, ab amicitia comitis, & fidelitate, quam ei fecerat, resiliuit. Qui etsi Deum fidemque ejus non haberet præ oculis; saltem benignitas comitis quam ei exhibuerat, ipsum à tanta crudelitate debuit revocare. Veniens igitur dictus Guiraldus, & quidam alij milites fidei inimici, ad quoddam castrum comitis in territorio Biterrensi, nomine Podium Soriguer, ceperunt duos milites comitis, qui custodiebant castrum, multosque seruientes: promiseruntque cum iuramento, quòd eos non occiderent, sed sanos conducerent vsque Narbonā, cū omni supellectili sua. Quòd cùm audisset comes, ad castrum illud quantociùs potuit, peruenit. Guiraldus autem & socij ejus erant adhuc in castro. Veniens autem comes ad castrum, voluit obsidere illud: sed Aimericus dominus Narbonæ, qui ibi erat cum comite, & homines Narbonenses, noluerunt obsidere cum comite, sed statim Narbonam reversi sunt. Videns igitur comes, quòd quasi solus remansisset, secessit nocte illa ad quoddam vicinum castrum, quod vocatur Caput stagni; in crastino summo diluculo reuersurus. Contigit autem in castro superiùs notato quoddam miraculum, quod prætermittere non debemus. Cùm venisset Guiraldus ad castrum Podij Soriguer, & cepisset illud; parvipendens pactum quod fecerat, scilicet quòd sine damno duceret eos quos ceperat vsque Narbonam: seruientes comitis, quos in castro ceperat vsque ad quinquaginta posuit in turre castri. Ipsa autem nocte, qua comes recessit à loco illo, timens sæpedictus Giraldus, ne rediret comes in crastino ad obsidendū castrum, media nocte de castro fugit: & quia non licuit ei per festinationem, illos quos in turre posuerat secum ducere, in fossa ipsius turris eos ponens, stipulam, & ignem, & lapides, & quæcumque potuit super eos proijci præcepit, vsque dum eos obijsse putaret: moxque castrum deserens, duosquè milites comitis, quos ceperat, secum ducens, Minerbam peruenit. O proditio crudelissima! Summo autem diluculo comes ad prælibatum castrum reuersus, inueniensque ipsum vacuum, fūditus euertit: ipsos autem, quos in fossa posuerat Giraldus, qui per triduum ieiunaverant, sine læsione & combustione aliqua repertos extrahi fecit: ô grande miraculum! ores noua! Inde comes progrediens, plurima castra, quæ erant dicti Giraldi, ad solum vsque destruxit, & post paucos dies redijt Carcassonam. Sæpedictus autem proditor Giraldus cùm milites comitis duxisset Minerbam, paruipendens promissionē q̄ fecerat, nec deferens juramēto, non quidē eos occidit; sed quod est morte crudelius, dictis militibus oculos eruit, insuper auribus amputatis, & naso cum labio superiori, ipsos nudos ad comitem redire præcepit. Cùm igitur expulisset eos nudos ipsa nocte, vento & gelu vrgente, asperrima siquidem hyems erat; alter eorum, (quod sine lachrymis audiri non debet) in quodā sterquilinio expirauit. Alter verò, sicut ab ipsius ore audiui, à quodam paupere adductus est Carcassonam. O scelus nequam! ô crudelitas inaudita! nuncia dolorum hæc.

Proditionis & infidelitatis exemplum.

Capestang.

Capvt. XXVIII.

Venit denuo abbas Vallium in partes Albienses, vt penè fractos crucesignatorum animos confirmaret.

Ipso tempore venerabilis Abbas Vallium Sarnay Guido, vir bonus, qui negotiū Iesu Christi miro amplectebatur affectu, & post abbatem Cisterciensem præ omnibus promouebat; causa confortandi nostros, qui in multa depressione tunc erant, à Francia venerat Carcassonā. Adeo siquidem ardenter, sicut diximus, Christi negotium diligebat, quòd à principio negotij, prædicans per Franciam discurreret. Illi autem qui erant in ciuitate Carcassonæ, in tanta turbatione erant positi & timore, quod quasi penitus desperantes, de fuga tantūmodo cogitabant. Circumcluli quidē erant ex omni parte infinitis & fortissimis inimicis: sed vir virtutis, in illo, qui cum tentationibus dat prouentum, metus & depressiones eorum, monitis quotidie salutaribus mitigabat.

Capvt. XXIX.

Redit Robertus Maluuicinus à Curia Romana.

SVperuenit etiam eodem tempore Robertus Malusvicin⁹, qui à comite fuerat missus Romam, miles Christi nobilissimus; vir miræ probitatis, perfectæ scientiæ, incomparabilis bonitatis: qui à multis annis Christi seruitijs exposuerat se & sua; & præcipuè negotium istud ardētissimè & efficacissimè promouebat Hic est enim ille, per quē post Deū præ cæteris reuiguit Christi militia, sicut in sequentibus ostendemus.

Capvt XXX.

Acerba mors Cisterciensis Abbatis & Conuersi prope Carcassonam trucidatorum.

EO tempore comes Fuxi, quemdam Abbatem Cisterciensis Ordinis, de quadā domo inter Tholosam & Fuxum, quæ dicitur Elna, pro negotijs suis miserat apud villam S. Ægidij ad legatos. Qui cùm rediret, venit Carcassonam, duos monachos & vnum conuersum habens secum. Exeuntes à Carcassona Abbas & socij eius, cùm per vnū fere milliarium, * illle immanissimus hostis Christi, ille ferocissimus Ecclesiæ persequutor, Guillelmus videlicet de Rupeforti frater Carcassonensis Episcopi, qui tunc erat, aduersus eos subitò insurrexit; armatus videlicet in inermes, crudelis in mites, sæuus ib innocentes. Qui ob nullam aliam causam, nisi quia Cistercienses erant, Abbati 36. Conuerso verò eius 24 plagas infligens, eos in loco illo hominum crudelissimus interfecit. Vnum autem de duobus monachis, sexdecim vulneribus inflictis, semine cem dereliquit. Alter verò, qui erat notus, & aliquantulum familiaris illis, qui erant cum prædicto Tyr anno, viuus effugit O bellum ignobile! O confusa victoria! Audiens comes noster, qui erat apud Carcassonam, quod acciderat, iussit tolli corpora occisorum, & apud Carcassonam honorificè sepeliri. O virū catholicum! O principem fidelem! Monachum verò, qui derelictus fuerat semimortuus, fecit diligenter curari per medicos, & sanatum ad propriam domum remisit. Comes autem Fuxi, qui Abbatem & socios eius pro negotijs miserat, occisorem eorum in multa familiaritate & amicitia recepit: carnificē quippe tenuit secum. Insuper equitaturæ Abbatis, quas traditor sæpedictus rapuerat, paulopost in societate Comitis Fuxensis sunt inuentæ. O hominem nequissimum! Comitem Fuxi dico. O pessimum traditorem! Nec silendum, quòd sæpe memoratus homicida diuina legitimi iudicis Dei vltione percussus, sanguine occisorum contra ipsum ad Deum de terra clamante, sortitus est suæ crudelitatis mercedem. Qui enim viris religiosis multiplices plagas intulerat; non multo post vulnera recipiens infinita, in ipsa porta Tholosæ à Christi militibus dignè pro meritis est occisus. O iustum iudicium! ô æqua diuinæ dispensationis mensura!

> *Nec enim lex iustior vlla:*
> *Quam necis artifices, arte perire sua.*

processisset

Abbas & fuit ob hoc cæsi, quòd Cistercienses essent.

Ouid. 1. de arte amādi.

Capvt. XXXI.

Amittitur castrum, quod dicitur Castra.

EOdem tempore Burgenses de Castris, ab amicitia & dominio comitis recesserunt, militemque vnum ipsius, quem in castro illo custodiendo posuerat, ceperunt, pluresque seruiētes: nihil tamen mali eis facere ausi sunt, quia quidā de potentioribus de Castris tenebantur obsides Carcassonæ. Sub eodem ferè die milites castri de Lumbers à Deo & comite nostro recedentes, seruiētes ipsius comitis qui erant in castro ceperūt, eosq; apud castrū, quod dicitur Castra, miserunt, carceri & vinculis mancipandos Burgenses autem de Castris ipsos, & dictum militē comitis nostri, & seruientes quos ceperant, sicut suprà diximus, in quadam turre posuerunt: sed illi nocte quadam, facto quasi fune de vestimētis suis, se per fenestram mittentes, Deo parante auxilium euaserunt.

Capvt. XXXII.

Recedit comes Fuxi ab amicitia Comitis Montis-fortis.

EA tempestate comes Fuxi, qui sicut superiùs diximus, in amicitiam iurauerat, castrum de Prexano, quod ei tradiderat, facta proditione cepit: & à comitis nostri familiaritate recedens, ipsum cœpit acriùs impugnare. Nam non multò pòst in festo S. Michaelis venit proditor nocte ad castrum, quod dicitur Fanum Iouis; erectisque ad murum scalis, intrauerunt hostes, & ascenderunt muros, & per castrum discurrere cœperunt. Quod scientes nostri, qui erant in castro paucissimi, ipsosque aggredientes, cum confusione exire coegerunt, & se in fossatum precipitare; & aliquos ex eis occiderunt. Erat præterea prope Carcassonā quoddam nobile castrū, Mons-regalis nomine. Castri ipsius dominus fuerat miles quidā, qui vocabatur Aymericus, quo in tota terra illa post comites potentior siue nobilior nullus erat. Hic tempore obsidionis Carcassonæ, timore nostrorum castrum Montisregalis vacuum dereliquit: sed postea venit ad comitem nostrum, & aliquanto tempore ei familiaris fuit, & post paucos dies à Deo & comite traditor pessimus recessit. Castrum Montis regalis occupaturus comes noster, commisit cuidam Francigenæ clerico custodiendum: sed ille diabolica suggestione corruptus, omnique deterior infideli, non multo post facta crudelissima proditione, dicto Aymerico memor tum castrum tradidit, & cum hostibus nostris aliquandiu mā sit: sed diuina æquissimi iudicis ordinante censura, nobilis comes non pòst multò, in quodam castro quod expugnabat prope Montem regalem, quod Brom dicitur, eum aduersarijs fidei cepit clericum sæpedictum: quem priùs ab Episcopo Carcassonensi degradatum, & per totam Carcassonensem ciuitatem ad caudam equi distractum suspendi fecit: dignam pro meritis recompensans talionem. Quid ampliùs moramur? ita pari malignitatis affectu similiter omnes ferè indigenæ recesserunt à Comite nostro, quòd amissis in breuissimo temporis spatio castellis ampliùs quam quadraginta, nihil ei remansit præter Carcassonam & Fanum Iouis & Saxiacum, & castrum de Limoso, de quo etiam desperabatur: & castrum Appamiarum, & Sauardunum: ciuitas etiam Albia, cum vicino castro, quod dicitur Ambiletum. Nec reticendum, quòd plures de illis, quos nobilis comes in castris custodiendis posuerat, vel occiderunt proditores terræ, vel membris detruncauerunt. Quid faceret comes Christi? Quis in tanta aduersitate non deficeret, in tanto discrimine non desperaret. Sed vir nobilis totum se in deum proijciens, qui in prosperis erigi non nouit, deprimi non potuit in aduersis,

Iusta punitio perfidi clerici.

Facta sunt autem omnia circa festum Dominicę Natiuitatis.

Caput XXXIII.

Comes Raimundus Romam proficiscitur.

CVm hæc agerentur, comes Tholosanus ad regem Franciæ accessit; si quo modo posset obtinere à rege, vt noua pedagia, quæ de mandato legatorum abiurauerat, per auxiliũ & confirmationẽ regis posset tenere. Ipse enim comes supra modum adauxerat pedagia in terra sua; ob quam causam multotiens fuerat excommunicatus. Sed cùm nihil apud regem proficere posset super detentionem dictorum pedagiorum, recessit à rege Franciæ, & accessit ad Dominũ Papam: tentans si quomodo posset restitui terræ suæ, quam legati Domini papæ pro securitate occupauerant, sicut sup a expressum est, & summi Pontificis gratiam adipisci. Omnem quippe humilitatem & subiectionẽ prętendebat vir dolosissimus, & omnia quæcumq; dominus Papa præciperet, promittebat se sollicitè adimplere. Quẽ dominus Papa tot cõuitijs lacessiuit, contumelijs tot confudit, quòd quasi in desperatione positus, quid ageret ignorabat. Ipsum siquidem dicebat incredulum, crucis persecutorem, fidei inimicum; & verè sic erat. Veruntamẽ cogitans dominus Papa, ne in desperationem versus, Ecclesiam, quæ in Narbonensi prouincia pupilla erat, impugnaret acriùs, & manifestiùs dictus comes, indixit ei purgationem super duobus, quibus maxime impetebatur, criminib⁹: super morte videlicet legati Fratris Petri de Castronouo, & super crimine hæreseos: super quas purgationes, misit dominus Papa literas suas Episcopo Regiensi in Prouincia, & Magistro Theodisio; mandans quòd si comes Tholosanus posset se sufficienter purgare super duobus criminibus supradictis, reciperet eius purgationẽ. Interea magister Milo, qui sicut supra dictum est, in terra Prouinciæ legatione pro pacis & fidei negotio fungebatur, conuocauit apud Auinionẽsem prouinciam concilium prælatorũ: in quo concilio excommunicati fuerunt & expositi ciues Tholosani, pro eo quòd ea quæ legato & cruce-signatis promiserant de expulsione hæreticorum, cõtempserãt adimplere. Comes etiam Tholosanus in prędicto concilio excommunicatus fuit, sub cõditione tamen, si abiurata pedagia denuo accipere attentaret.

Pedagia iniusta Comitis Tholosa ni damnata.

Caput XXXIV.

Comes Raimundus spe quam in Gallia rege repositam habebat excidit.

REdiens comes Tholosæ à Romana curia, venit ad Othonem, qui dicebatur imperator; vt eius gratiam adquireret, & eius contra comitem Montis-Fortis auxilium imploraret. Inde venit ad regem Franciæ, vt eum verbis fictis corrumpens, posset eius ad se animum inclinare. Rex autem, vt pote vir discretus & prouidus, despexit eum: quia contẽptibilis erat valde. Audiens autẽ comes Montisfortis, quòd comes Tholosæ pergeret in Franciã; mãdauit præcipuis hominibus suis de Francia, vt terram suam, & omnia quæ habebat, eius exponerent voluntati; adhuc enim non erant hostes manifesti ad inuicem. Comes etiam Tholosanus præstito iuramẽto promiserat, quòd filiam comitis Montis fortis haberet filius suus in vxorem: quod postea spreto iuramento, fallax & inconstans facere recusauit. Vidẽs comes Tholosæ, quòd nihil apud regem proficeret; cum confusione ad propria remeauit. Iam ad id quod dimisimus redeamus. Igitur nobilis comes Montis-fortis, hostibus suis vndique circumseptus, hyeme illa in semetipso sese continuit; illud modicum terræ quod ei remanserat custodiens, suos etiam infestans sæpius inimicos. Nec silendũ, quòd licet haberet infinitos hostes, & paucissimos adiutores; nunquã tamẽ ipsum ausi sunt aggredi bello cãpali. Circa initium verò quadragesimæ, nunciatur comiti, vxorem suam Comitissam (ipsam siquidem vocauerat à Francia) cum pluribus militib⁹ aduenire. Quo audito Comes iuit ei obuiam. vsque ad quoddam castrũ in terriotorio Agathensi, quod dicitur Pesenacum: vbi ipsam inueniẽs, Carcassonam cum diligentia remeauit. Cùm autem veniret ad quoddam castrum, quod dicitur Canis suspensus, dictũ est ei, quod homines cuiusdã castri, quod dicitur Monslauri, prope monasterium de Crassa, facta proditione, seruientes ipsius qui erant in turre castri impugnare cœpissent. Statim comes & milites, dimittens Comitissam in quodam castro, illuc pergunt: & ita sicut audierant inuenientes, multos de proditoribus illis ceperunt, & patibulis suspenderunt: plures enim visis nostris fugerant. Post hæc venit comes, & qui cum eo erant, Carcassonam: inde tendentes ad villam, quæ dicitur Alzona, ipsam vacuam inuenerunt: vnde procedentes venerunt ad quoddam castrum, quod dicitur Brom; quod contra se munitũ inuenientes, obsederunt, & infra triduum ceperunt sine machinis per insultum; hominibus autem castri illius plusquam centum oculos eruerunt, nasos amputauerunt, dimittentes vni eorum vnum oculum vt in sugillationem inimicorum nostrorũ omnes alios duceret Cabaretum. Hoc autem fieri fecit comes, non quia placeret ei talis detruncatio membrorum hominib⁹ illata; sed quia aduersarij sui hoc incœperant, & quoscumq; de nostris inuenire poterant, membrorum detrũcatione, carnifices crudelissimi trucidabant. Iustum enim erat, vt in foueam incidentes, quam foderant, biberent aliquando calicem, quẽ alijs sępissime propinarant. Numquam enim delectabatur nobilis comes aliqua crudelitate, vel cruciatibus alicuius; omnium siquidem mitissimus erat: illud poëticum ei manifestissimè congruebat.

Hic piger ad pœnas princeps, ad præmia velox:
Quique dolet, quoties cogitur esse ferox.

Ouid. 1. de Ponto, Eleg. 3.

Ex tunc dominus, qui videbatur aliquãtulũ obdormisse, suorum resurgens in adiutoriũ famulorum, manifestiùs facere nobiscum manifestauit: in breui siquidem spatio totum adquisiuimus territorium Minerbense, præter ipsam Minerbam, & quoddam castrum, quod Ventilon dicebatur. Contigit die quodam prope Cabaretum miraculum, quod non credimus prætermittendum. Peregrini nostri qui à Francia venerant, ad præceptum comitis extirpabant vineas Cabareti. Vnus autem ex aduersarijs iactu balistæ sagittam in quemdam de nostris dirigens, percussit eum validè in pectore, in loco in quo crucis signum affixum erat. Putantibus autem omnib⁹, quòd mortuus esset, erat enim penitus inermis, ita illæsus inuentus est, quòd sagitta nec etiam vestimentum eius aliquantulum potuerit pene-

trare, sed resiliuit, ac si lapidem durissimum percussisset. O mira Dei potentia! ô virtus immensa!

Caput. XXXV.

Obsidio Alarici.

Circa Pascha verò venit comes & sui, ad obsidendum quoddam castrum inter Carcassonam & Narbonam, quod Alaricum dicebatur. Castrum illud in montibus positum erat, & vndique rupibus circumseptum. Cum difficultate igitur maxima, & dura aëris temperie obsidétes nostri castrum illud, infra vndecim dies, illis qui intus erant de nocte fugientibus, ceperunt. Plurimi de illis de castro interfecti sunt; qui manus nostrorum effugere nō potuerunt. Inde redeuntes nostri Carcassonam, non multò pòst ierunt ad castrum Appamiarum. Siquidem convenerunt prope castrū illud rex Arragonensis, comes Tholosæ, & comes Fuxi, vt facerent pacem inter comitem nostrum, & comitē Fuxensem: quod cùm facere non potuissent, rex Arragonēsis & comes Tholosæ ierunt Tholosam. Comes autem Montisfortis dirigens aciem versus Fuxum, ibi ostendit mirabilem probitatē. Veniens siquidem ꝓpe castrum, omnes adversarios qui pro foribus stabant cum vnico milite impetijt, & quod mirum est, omnes intromisit: qui etiā post ipsos intrasset, nisi pōtem castri ante faciem eius clausissent. Sed cùm rediret de castro comes, militem, qui illum secutus fuerat, illi de castro qui vndique super muros erant, lapidibus obruerunt. Angusta siquidem erat via, & muris vndique circūclusa: destructisque terris, vineis, & arboribus prope Fuxum, comes noster rediit Carcassonam.

Comte de Foix

Caput. XXXVI.

Hæretici, Arragonum regem sibi præfici cupiunt, quod ipse renuit.

Tempore illo, Petrus rogerij dominus Cabareti, & Raimundus Thermarum, & Aimericus dominus Montis-regalis, & alij milites, qui Ecclesiæ & comiti resistebant, mandauerunt regi Arragonensi, qui erat in partibus illis, vt veniret ad eos, & constituentes illum Dominum suum, traderent ei totam terram. Quod cùm comes noster audisset, habuit cum militibus suis consilium, quid agere deberet. Tunc diversis diversa dicentibus, comes & sui in hoc conuenerunt; vt munitionem quandam, quæ erat iuxta Montem-regalem, obsiderent. Apud Montē siquidem regalem congregati erant milites supradicti, regis aduentum ibi expectantes. Hoc autē ideo volebat facere comes, vt cognoscerent aduersarij sui, quod à facie eorum non timebat. Paucissimos autem tunc milites habebat comes noster. Quid plura? pergunt nostri ad obsidendam munitionem supradictam, quæ dicitur Bellagarda. In crastino venit rex Arragonensis prope Montem-regalem; milites autem qui eum vocauerant, & multos iam dies fecerant in victualibus copiosissimè præparandis, exierunt à Mōte-regali, & venerunt ad regem; rogantes, vt intraret Montem-regalem, facerent ei hominium, sicut mandauerant. Hoc autem facere volebant, vt sic possent expellere de terra illa comitē Montisfortis. Rex autem statim vt accesserunt ad eum voluit vt traderent ei munitionem castri Cabareti. Insuper dixit, quod hac conditione eos reciperet in homines; si quotiescumque vellet suas ei traderent munitiones. Consilio igitur inter se habito, prædicti milites rogauerunt iterum regem, vt intraret Montem-regalem, & ipsi facerent ei sicut promiserant; quia rex nullo modo voluit intrare, nisi priùs facerent ei, quod volebat. Quod cùm facere noluissent, vnusquisque ipsorum cum confusione à loco colloquij recessit. Rex verò misit ad comitem Montis fortis, & mandavit ei, dum esset comes in obsidione præfatæ munitionis, vt daret treugas comiti Fuxi vsque in pascha, quod factum est. Capta sunt ab hostibus...

Induciæ.

Caput. XXXVII.

Obsidio Minerbæ.

Anno ab incarnatione domini 1210. circa festum S. Ioannis Baptistæ, cives Narbonenses mandauerunt comiti nostro, vt obsideret Minerbam, & ipsi pro posse suo eum adjuvarēt. Hoc autem faciebant, quia illi de Minerba eos nimis infestabant; magisque eos adhoc mouebat amor vtilitatis propriæ, quàm zelus religionis Christianæ. Comes autem mandauit Aimerico Domino Narbonæ, & civibus omnibus, quòd si vellent eum juvare, meliùs quam antea fecerant, & cum ipso vsque ad captionem perseuerare, obsideret Minerbam: quod cùm illi promisissent, statim ad obsidendum Minerbam comes cum suis militib⁹ properauit: quo cùm pervenissent, comes Montis-fortis tentoria ab Oriente; quidam miles comitis, qui dicebatur Guido de Lecio, cùm Vasconibus qui aderant, fixit tentoria ob Occidente, ab Aquilone Aimericus de Narbona cum civibus suis: à Meridie quidàm alij peregrini. In toto enim exercitu non erat aliquis præpotens, nisi comes & Aimericus de Narbona. Castrum autem illud incredibilis erat fortitudinis. Profundissimis quippe & natiuis vallibus cingebatur. Itaque si necessitas ingrueret, non poterat exercitus exercitui sine maximo discrimine subvenire. Post hæc à parte Vasconum erecta est quædam machina, quæ dicitur mangonellus; in qua die ac nocte instantissimè laborabant. A Meridie similiter & Aquilone erectæ fuerunt duæ machinæ; vna hinc, alia inde. A parte verò comitis, idest ab Oriente erat magna & optima petraria; quæ vnaquaque die constabat in conducendis trahentibus ad machinam 21. libras. Postquam autem nostri aliquantulum temporis in expugnatione castri laboraverant memorati, quadam nocte Dominica exeuntes illi de castro, venerunt ad locū vbi erat petraria, cophinosque plenos stupa, lignis siccis minutis, & adipe vnctis instrumentis, dorso petrariæ applicuerunt, mox igne supposito flamma altius se infudit. Erat quippe tempus æstivum & calidissimum, circa festum vt dictum est S. Ioannis. Contigit autem, volente Deo, quòd vnus de illis qui trahebant ad petrariam, secessit in illa hora ad exquisita naturæ: qui viso igne vehementiùs exclamauit. Mox vnus ex illis qui ignem apposuerant, lanceam proijciens, illum grauiter vulneravit: fit strepitus in exercitu, currunt multi, ipsamque petrariam tam miraculosè & subitò mox defendunt, quòd nisi per duos ictus iacere non cessauit. Post aliquot verò dies, cùm dictæ machinæ castrū ex magna parte debilitassent; deficientibus etiam victualibus, defecit illis qui intus erant animus resistendi. Quid plura? postulant pacem adversarij. Exit foras dominus castri, nomine Guillelm⁹ de Mi-

Narbonenses quæ sua sunt, quærunt.

uerba, cum comite locuturus. Dum autem loquerentur, Abbas Cisterciensis, & Magister Theodisius, de quo suprà mensionem fecimus, subitò ex insperato supervenerunt. Comes verò noster, vt pote vir discretus, & cum consilio cũcta agens, dixit, quòd de deditione & receptione castri nihil faceret, nisi quod Abbas Cisterciẽsis, totius negotij Christi magister, decerneret faciendum. Quo audito abbas valde doluit, vt pote inimicos Christi mori desiderans, & tamen ad mortem iudicare non audens; cùm esset monachus & sacerdos. Cogitans ergo, quomodo Comitem vel dictum Gullelmum, qui etiam super redditione castri se abbatis arbitrio offerebat, posset à compromissione, quam inter se fecerant revocare: iussit vt vterque, comes videlicet & Guillelmus, modum redditionis castri in scriptum redigerent. Hoc autem faciebat, vt dũ scriptum vnius alteri non placeret, à compromissione quam fecerant resiliret. Scriptum Guillelmi dum esset coram comite recitatum; non adquieuit comes; sed dixit domino castri, vt intraret castrum suum, & se defenderet sicut posset, quod ille noluit, sed subiecit se per omnia comitis voluntati. Nihilominus tamen comes voluit, vt totum fieret, prout Abbas Cisterciensis disponeret faciendum. Ordinavit igitur abbas, vt dominus castri, & omnes qui in castro erant, credentes etiam hæreticorum, si vellent reconciliari, & stare mandato ecclesiæ, viui evaderent, castro comiti remanente. Perfecti etiam hæretici, quorum ibi erat plurima multitudo, nihilominus evaderent, si ad fidem catholicam converti vellent. Quod audiens vir nobilis, & totus in fide catholicus Robertus malus-vicinus, qui aderat: quia scilicet liberarentur hæretici, propter quos perdendos aduenerant peregrini; timẽs quòd ne fortè timore ducti, cũ iam capti essent, quidquid nostri vellent promitterẽt adimplere, resistens abbati in faciem dixit, quòd hoc nostri nullomodo sustinerent. Cui abbas respondit: ne timeas, quia credo quòd paucissimi conuertẽtur. His * precedente cruce, & vexillo comitis subsequente, villam intrant nostri, & cantantes, *Te Deum Laudamus*, Ecclesiam adeunt; qua reconciliata, crucem dominicam in summitate turris ponunt, vexillum comitis alia in parte locantes. Christus quippe villam ceperat, & dignum erat, vt vexillum ejus præcederet, & in eminentiori loco positum, Christianæ victoriæ testimonium perhiberet. Verumtamen comes tunc non intravit. His gestis venerabilis Abbas Vallium-Sarnay, qui erat cum comite in obsidione, negotiumque Christi vnico amplectebatur affectu, audiens hæreticorum multitudinem cõgregatam in quadam domo, accessit ad eos, perferens illis verba pacis & salutis monita, ipsos in meli* conuertere cupiebat: qui verba eius interrumpentes, omnes vna voce dixerunt. Quare verbis prædicatis? fidem vestram nolumus, Romanam Ecclesiam abdicamus: in vanum laboratis, à secta quam tenemus, nec vita poterit nos reuocare. Quo audito, mox abbas venerabilis exiuit à domo illa; & ad mulieres, quæ in alia mansione erant congregatæ, verbum prædicationis oblaturus, accessit: sed si hæreticos duros & obstinatos inuenerat, obstinatiores inuẽit hæreticas, & penitus duriores. Mox comes noster intrauit castrum; & veniens in domum, vbi erãt hæretici omnes cõgregati in vnum, vir catholicus, & volens omnes saluos fieri, & ad agnitionẽ veritatis venire, cœpit monere, vt ad fidẽ Christi conuerterentur: sed cùm nihil penitus proficeret, fecit eos extrahi de castro: erant autem perfecti hæretici centum quadraginta, vel amplius. Præparato igitur igne copioso, omnes in ipso proijciuntur; nec tamen opus fuit, quòd nostri eos proijcerent: quia obstinati in sua nequitia, omnes se in ignem vltro præcipitabant. Tres tamen mulieres euaserunt; quas nobilis domina mater Buchardi de Marliaco ab igne eripuit, & sanctæ ecclesiæ reconciliari fecit. Combustis igitur hæreticis, ceteri omnes qui erant, abiurata hæresi, sanctæ sunt ecclesiæ reconciliati. Nobilis etiam comes dedit Guillelmo, qui fuerat dominus Minerbæ alios redit* prope Biterrim; sed ille non multò post spreta fidelitate, quam deo & comiti promiserat, recedens à Deo & comite, se inimicis fidei sociauit. Non credimus etiam prætermittendum duo miracula, quæ in obsidione castri Minerbæ contigerunt. Siquidem quando exercitus peruenit ad obsidendum castrum, aqua quædam defluebat prope castrum, & erat modicissima: sed diuina miseratione in aduentu nostrorum ita subitò excreuit aqua illa, quod suffecit abundantissimè toto tempore obsidionis hominibus exercitus & equis: durauit verò ipsa obsidio ferme per septem hebdomadas: recedẽte verò exercitu, sæpedicta aqua retraxit se, & facta est modicissima, sicut prius. O Dei magnalia! O bonitas redemptoris! Item aliud miraculũ. Cùm recederet comes à castro Minerbæ, pedites exercitus mansiunculis, quas fecerãt peregrini de ramis & frondibus, ignem miserunt: cellulæ autẽ, quæ erant siccissimæ, ita statim accensæ sunt, & tanta in altum per totam vallem flamma erupit, ac si aliqua ciuitas maxima combureretur. Erat autem quædam cellula de frondibus similiter, in qua sacerdos quidam tempore obsidionis celebrauerat, alijs mansiunculis circumclusa; quę ita miraculosę ab igne est illæsa seruata, vt nec etiã aliquod in ea adustionis indicium appareret; sicut à venerabilibus personis, quæ præsentes erãt, audiui. Statim currẽtes nostri ad mirabilem visionem, inuenerunt quòd cellulæ, quæ combustæ sunt, illi cellulæ, quæ incombusta mansit, vndique à dimidij pedis spatio iungebantur. O virtus immensa!

peractis Ecclesia reconciliatio.

Hæreticorũ mirabilis obstinatio.

Hæretici vltrò se omnes in ignem iniciunt.

Duo miracula.

Caput XXXVIII.

Cruces in speciem fulgetra in muris templi virginis Deipara Tholosæ apparent conspicua.

Miraculum aliud, quod contigit apud Tholosam, dum esset comes noster in obsidione Minerbæ, hic duximus inserendum. In ciuitate illa, prope palatium comitis Tholosæ, est quædam Ecclesia fundata in honore B. M. virginis: parietes autem illius ecclesiæ de nouo erant forinsecus dealbati. Quodam autem die ad vesperum cœperunt videri infinitæ cruces in parietibus ipsius Ecclesiæ circumquaque; quæ videbantur quasi argenteæ, ipsis parietibus albiores. Erant enim cruces semper in motu, apparentesque subitò, statim non videbãtur: siquidẽ multi eas videbant, sed alijs ostendere non valebant. Ante enim quàm posset digitũ leuare quis, disparuerat crux, cui volebat ostendere; nam in modum chorus cationis apparebant, nunc maiores, nunc mediæ, nunc minores. Durauit visio ferè per quindecim dies, singulis diebus ad vesperã. Itaque ferè omnis populus ciuitatis Tho-

Tertium aliud miraculum.

ipsæ hæc viderunt. Vt verò fides dictis adhibeatur, sciat lector, quod Fulco Tholosanus, Raimundus Biterrensis episcopi, & abbas Cisterciensis Apostolicæ sedis legatus, & magister Theodisius, qui in Tholosa tunc erant, viderunt & mihi per ordinem narrauerunt. Accidit autem Deo disponente, quòd capellanus prædictæ ecclesiæ, cruces videre nō potuit prænotatas. Quadam igitur nocte intrans ipsam ecclesiam, dedit se in orationem, rogans dominū, vt sibi dignaretur ostendere quod viderant fere omnes: subitò autem vidit innumerabiles cruces, non in parietibus, sed in aëre circunfuso: inter quas vna cæteris maior & eminentior cunctis erat. Mox egrediēte maiore de Ecclesia, omnes egressę sunt post illam; cœperuntque recto cursu tēdere versus portam ciuitatis. Sacerdos autem vehementissimè stupefactus, cruces illas sequebatur; & dū essent in egressu ciuitatis, visum est sacerdoti, quòd quidam tendens in ciuitatem reuerēdus & decorus aspectu, euaginatum tenens gladium, crucibus illis prębentibus ei auxilium, quendam magnum hominem egredientem de ciuitate in ipso ingressu interfecit. Sępedictus itaque sacerdos factus quasi exanimis præ timore, cucurrit ad dominum Vticensem episcopum; procidensque ad pedes ei⁹, istud sibi per ordinē enarrauit.

Capellano mirabiliter ostensa cruces.

Capvt XXXIX.

Comes Raimundus per Legatum sed apost. à communione fidelium segregatur.

Circa idem tempus, comes Tholosanus, qui sicut supràdictum est, accesserat ad dominū Papam, redierat à curia Romana. Dominus autem Papa, sicut superiùs tetigimus, mandabat episcopo Regiensi & M. Theodisio, vt præfato comiti indiceret purgationē super duobus maxime criminibus, super mortē videlicet F. P. de Castronouo apost. sedis legati, & super crimine hæreseos. Magister vero Theodisius intrauit Tholosam, dum essent nostri in obsidione Minerbæ, sicut continetur in prædicto miraculo; vt super indicenda purgatione dicto comiti, consuleret abbatem Cistercij, qui erat in partibus Tholosanis; & vt de mandato summi pontificis, secundùm formā ecclesiæ ciues absolueret Tholosanos; recepto scilicet iuramēto, quòd starent mandato Ecclesiæ. Sed episcopus Tholosanus iam absoluerat eos, iuxta formam prædictam, acceptis insuper pro obsidibus & securitate decem ciuibus de melioribus ciuitatis. Cùm intrasset prædictus M. Theodisius Tholosam, habuit secretum colloquium cum abbate Cisterciensi super admittenda purgatione comitis Tholosani. M. verò Theodisius, vt pote circumspectus & prouidus, de negotio dei valde solicitus, ad hæc omnimodis aspirabat, vt posset de iure repellere, ab indicenda ei purgatione, comitem memoratum. Videbat enim, quòd si admitteret eum ad purgationem, & ipse per aliquas falsitates & dolos posset se purgare, destrueretur ecclesia in partibus illis; periret fides, & deuotio Christiana. Dum igitur super his omnibus solicitus esset, & secum tractaret; aperuit dominus viam, modum insinuans, quo posset negare purgationem comiti sæpedicto. Habuit recursū ad literas domini Papæ, in quibus summus pontifex inter alia dicebat; *Volumus, vt comes Tholosanus impleat mandata nostra.* Multa quippe mandata facta fuerant comiti Tholosano: vtpote de expulsione hæreticorū de terra sua, de remittendis nouis pedagijs, & plura; quæ omnia adimplere contempsit. Igitur M Theodisius cum socio suo, Episcopo scilicet Regiensi, ne viderentur grauare vel iniuriari comiti Tholosano, præfixerunt ipsi comiti diem admittendæ purgationis ipsius apud villam S. Ægidij. Igitur conuocatis in villa S. Ægidij ab Episcopo Regiensi, & M. Theodisio Archiepiscopis, & Episcopis, & alijs pluribus ecclesiarum prælatis, comes etiā affuit Tholosanus; conatur⁹, si posset, quoquomodo purgare se de morte legati, & crimine hæreseos. M. verò Theodisius de consilio prælatorum dixit comiti: quòd non admitteretur purgatio ipsius; eo quòd iuxta mandatū summi pontificis, eorū quæ sibi mandata fuerant, & quæ se impleturum multotiens iurauerat, nihil implesset. Dicebat siquidem magister, quod verisimile erat, imo manifestissimum, quod si comes quædam iuramēta non tenuerat, de mandatis leuioribus adimplēdis; super purgatione sua de tam enormibus criminibus, vt pote mórte legati, ac crimine hæreseos, facillimè, imò libentissimè, per se & suos complices peieraret: ideoque ipsum comitem nullo modo admittendum esse dicebat, ad purgationē super tantis criminibus, nisi priùs mandata impleuisset leuia. Quod audiēs comes Tholosanus, ex innata sibi nequitia cœpit flere. Magister verò sciens, quod lacrymæ non erant lacrymæ deuotionis & pœnitentiæ, sed nequitiæ & doloris; dixit comiti *In diluuio aquarū multarum ad eum non approximabunt.* Statim communi consilio & assensu prælatorum, propter multas & multùm rationabiles causas, iterum excommunicatus fuit in loco comes nequissim⁹ Tholosanus; & omnes fautores, & adiutores eiusdem. Nec silendum, quòd antequam omnia ista fierent, in præterita hieme decesserat apud Montempessulanum M. Milo apost. sedis legatus. Iam ad narrationis nostræ seriē reuertamur. Capto igitur castro Minerbæ circa festū B. Mariæ Magdalenæ, venit ad comitem nostrum quidam miles dominus cuiusdam castri, qui vocabatur Ventilo; & se & suum castrum reddidit comiti, Comes autem, quia per castrū illud multa mala euenerant Christianis, ad ipsum iter dirigens, turrim ipsius funditus euertit Audiens dominus Montis-regalis Aymericus, & homines ipsius castri, quòd capta esset Minerba; timentes sibi, miserunt ad comitem, rogantes de pace in hunc modum. Promisit idem Aymericus, quòd traderet comiti castrū Montis-regalis, dummodo comes daret ei aliam terram competentē planam & immunitam: quod comes annuens, sicut postulauerat fecit ei; sed ipse postmodū, vt potè pessimus traditor, fracto fœdere recedens à dicto comite, crucis hostibus se coniunxit.

Psalm. 31.

Comes Tholosanus excommunicatur cum suis.

Capvt. XL.

Obsidio Termarum.

Ipso tempore supervenit à Frācia nobilis quidam, Guillelmus nomine, Decatcus cruce signatus, & quidam alij peregrini: nunciantes etiam comiti ingentem Britonum multitudinem aduenire. Habito igitur comes cum suis consilio, confidens de dei adjutorio, direxit aciem ad obsidendum castrum Thermarum. Dum autem iret comes ad castrum illud, milites qui erant Carcassonæ, extruxerunt machinas, quę erant in ciuitate; & portari fecerunt eas extra ciuita-

tem; vt deferrentur post comitem, qui properabat ad obsidendum Thermas. Quod audientes hostes nostri, qui erant Cabareti, scilicet quod machinæ nostræ expositæ erant extra Carcassonam; venerunt media nocte cum magna & armata multitudine, si forte possent eas securibus debilitare. Qui cùm venissent, exierũt nostri de ciuitate, qui paucissimi erant, ipsosque aggredientes & viriliter effugantes, fugientes circumquaque longiùs sunt sequuti. Nec sic quidem conquieuit furor aduersariorum: sed adhuc imminente diluculo redierunt; si fortè possent dictas machinas in aliquo debilitare; quod nostri percipientes, exierunt ad eos, & longiùs & viriliùs quàm antea fecerant, effugarunt. Dominum etiam Cabareti Petrum Rogerij bis vel ter cepissent; sed ipse cum nostris cœpit clamare, Monsfortis, Monsfortis, præ timore, ac si noster esset: sicque euadens & fugiens per montana, non nisi post duos dies rediit Cabaretum. Britones autem, de quibus supra fecimus mentionem, tendentes ad Comitem, venerunt ad castellum, nomine Arij, quod adhuc erat comitis Tholosæ in territorio Tholosano: sed burgenses castelli novi Arrij noluerunt eos admittere intra castrũ, sed in agris & hortis manere fecerunt nocte illa. Comes siquidem Tholosæ negotium Christi, quantum poterat, latenter impediebat. Venientes Britones Carcassonam, machinas, quas suprà diximus, post comitem, qui tendebat ad obsidionem Thermarum, portaverunt. Erat autem castrum Termarum in territorio Narbonẽsi, distans quinque leucis à Carcassona. Castrum illud miræ & incredibilis erat fortitudinis; & tum ad humanam æstimationem penitus inexpugnabile videbatur. In altissimi siquidem montis supercilio situm erat, super rupem maximam, viuam, præruptam, profundissimis & inaccessibilibus abyssis in circuitu cingebatur; à quibus abyssis aqua fluebat, castrum circuiens prænotatum. Item valles illas, tam magnæ, & vt ita dicam, indescensibiles cingebant rupes, quòd si quis vellet ad castrum accedere, oporteret eum præcipitare in abyssum; itemque, vt ita dixerim, repere versus cœlum. Erat præterea prope castrum ad iactum lapidis rupis quædam, in cuius summitate erat turrita munitio modica, sed fortissima, quæ vulgo Tumetum dicebatur * situm castrum Termarum ex vna solummodo parte adiri poterat, quia ex illa parte humiliores & inaccessibiles minùs erant rupes. Castri siquidem huius dominus erat miles quidã, nomine Raimũdus, senex versus in reprobum sensum, & manifestus hæreticus: qui, vt summatim eius maliciã exprimamus, nec Deum timebat, nec homines verebatur. De fortitudine siquidem munitę munitionis suæ adeo præsumebat, quod modò impugnabat Regem Arragonum, modo comitem Tholosanum, modo dominum suum, videlicet comitem Biterrensem. Audiens tyrannus iste, quòd comes noster proponeret castrum Termarum obsidere, milites quoscumque potuit, adunauit, victualibusque copiosissimis, & ceteris ad defendendũ necessarijs castrum muniens sæpedictum, parauit se ad resistendum. Veniens comes noster ad castrum, obsedit illud; cum paucis partem eius modicam obsidendo occupauit. Illi autem qui intus erant multi & muniti à facie exercitus nostri, qui erat modicus, non timentes, ad hauriendam aquam ad omnia sibi necessaria vi-

Comitis Tholosani nequitia.

*Alta

dentibus nostris & resistere non valentibus, exibant liberè & intrabant. Dum hæc & similia agerentur, veniebant de die in diem pauci & guttatim ad exercitum Francigenæ peregrini: aduersarij autem nostri, statim vt videbant hos peregrinos aduenire, ascendentes muros in suggillationem nostrorum, quia scilicet illi qui veniebant erant paucissimi & inermes, irrisione conclamabant, fugite à facie exercitus, fugite à facie exercitus. Non multò pòst, cœperunt venire cum turbis & multitudine de Francia, & Alemania peregrini. Nostri verò aduersarij hęc videntes, versique in timorem, à derisione prędicta cessauerunt, minusque præsumentes facti sunt & audaces. Interea illi de Cabareto, præcipui & crudelissimi Christianę religionis tunc temporis inimici, venientes propè Termas, nocte & die stratas publicas circuibant; & quoscunque de nostris inuenire poterant, vel morte turpissima cõdemnabant, vel in contemptum Dei & nostrum, oculis, nasis, cæteris membris crudelissimè detruncatis ad exercitum remittebant.

CAPVT XLI.

Carnotensis & Bellonacus præsules, cum comitibus Drocensi & Pontino in catholicorum castra perueniunt.

REbus sic se habentibus, superuenerunt de Francia viri nobiles & potentes, Carnotẽsis videlicet episcopus, Beluacensis episcop' Philippus, comes Robertus de Drocis, comes etiam Pontiui, habentes secum peregrinorum multitudinem copiosam. De quorum aduentu, comes totusque exercitus lætabundi effecti sunt, & gaudentes. Sperabatur siquidẽ, quòd potentes & potenter operarentur: in manu potẽti & brachio excelso, christianæ fidei contereret inimicos. Sed qui deponit potentes, humilibus dat gratiã, per potentes illos magnum quid vel honorificũ noluit operari, secreto suo iudicio, quo ipse nouit: veruntamen quantum ex humana perpenditur ratione, hoc ideo fecisse creditur iust' index; quia scilicet, vel illi non fuerunt digni, per quos magna & laudabilia operaretur magnus & laudabilis Deus: vel quia si quid per magnos, vel magnificè fieret, totum adscriberetur humanæ potentiæ, non diuinæ. Ordinauit igitur meliùs cœlestis dispositor, vt victoriam istam pauperibus reseruaret, per eosque gloriosè triumphans, nomini suo daret gloriam gloriosus. Interea comes noster, erigi fecerat machinas, quæ petrarię nuncupabantur; quibus ad primum castri murũ iacientibus, nostri in expugnatione quotidie laborabant. Erat in exercitu vir venerabilis, Guillelmus videlicet Archidiaconus Parisiensis: qui zelo fidei Christianę succensus, totũ se pro Christi seruitio laboriosis solicitudinibus exponebat: prędicabat quotidie, instituebat collectas in sũptus machinarum; cæteraque huius necessarię sedulitatis officia prouidus exercebat. Ibat sæpissime ad nemus, ducens secum multitudinem peregrinorum, & ligna ad vsus petrariarum deferri copiosissimè faciebat. Quodam etiam die, cùm nostri vellent quandam machinam erigere prope castrum, vallisque profunda eos impediret; vir magnæ constantiæ, vir feruoris incomparabilis, aduersus huiusmodi impedimentum, in spiritu consilij & fortitudinis pernecessariũ excogitabat remedium. Peregrinos siquidem ducens ad nemus, iussit afferri lignorũ abundantiã

Deus noluit per potentes capi castrũ Thermarũ

Zelus Archidiaconi Parisiensis.

eoplosam, vallemque illam lignis, terra, lapidibus impleri fecit: quo facto nostri dictam machinã in loci illius planicie locauerunt. Et quia non possemus omnes prouidas & solicitas strenuitates dicti archidiaconi, laboresque quos in dicta obsidione sustinuit, ad plenum exprimere; breuiter hoc asserimus, quòd huic præ ceteris, imò soli post Deum, adscribenda est peruigil, & diligentissima huius obsidionis cura, victoria captionis. Erat siquidem sanctitate præclarus, cõsilio prouidus, animo virtuosus: cui in huius negotij exercitio tantam gratiam diuina virtus cõtulerat; vt in omnibus, quæ ad obsidionem necessaria videbantur, peritissimus haberetur. Docebat quippe fabros, carpentarios instruebat, omnemque artificem in edocendis his quæ ad obsidionis spectabant negotium, superabat: impleri faciebat valles, sicut iam dictum est, itemque cũ necesse esset, altos colles profundis vallibus adæquari. Adaptatis igitur prope castrum machinis ad murum castri per dies singulos iacientibus, cùm primum murum castri viderent nostri ex continuo iactu lapidum debilitatum, armauerunt se vt primum burgum caperent per insultum. Quod videntes aduersarij, appropinquantibus nostris ad murum, in burgo illo ignẽ miserunt; & se in burgũ superius receperunt. Sed cùm nostri primum burgum intrassent, exeuntes ad eos aduersarij, ipsos à burgo illo effugãdo, citiùs expulerunt. Dum res ita se haberet, videntes nostri, quòd turris quę erat prope castrũ, de qua suprà mentionem fecimus, quæ vocatur Tumetum, militibus munita, captionem castri plurimùm impediret; cogitauerunt, quomodo caperent turrim illam. Ad pedem igitur turris illius, quæ in summitate rupis cuiusdam, sicut superiùs diximus, erat sita, posuerunt excubias; ne illi de turre ad castra accederent; vel illi de castro eis qui in turre erant, si necessitas ingrueret, subuenirent. Post paucos etiam dies, nostri inter castrum Termarum & turrim prædictam, in loco inaccessibili cum maxima difficultate & discrimine erexerunt machinam vnam, quæ dicitur mangonellus. Illi autem de castro mangonellum vnum erigentes, super machinã nostram grandes iaciebant lapides; sed illam dirimere nequiuerunt. Mãgonello igitur nostro ad sæpedictam turrim continuè iaciente, videntes illi qui intus erant, quòd obsessi essent, & quia illi de castro in nullo eos poterant adiuvare; nocte quadam, diei timore ducti, fugæ præsidia quæsierunt, turrim vacuam dimittentes. Quod cùm servientes Carnotensis Episcopi cognovissent, qui ad pedem turris excubias observabant, statim intraverunt; vexillumque dicti Episcopi in turris superiùs memoratę cacumine locauerunt. Dum hæc fierent, pettariæ nostræ ex alia parte ad muros castri continuè jaciebant; sed adversarij nostri, vtpote fortissimi & astuti, quando videbant, quòd machinæ nostræ, murorum suorum aliquid debilitarent, statim prope murum illum interius de lignis & lapidibus aliud repagulum construebant: sicque contingebat, quòd quoties nostri aliquid de muris debilitabant, impediente repagulo quod adversarij fecerant, vlteriùs procedere non valebant. Et quia non possumus omnes eventus hujus obsidionis exprimere, hoc breviter dicimus, quòd illi de castro numquam aliquid de muris perdiderunt, quin, vt superiùs diximus, murum alium interiùs ædificarent. Dum hæc agerentur, erexerunt nostri mangonellum vnum sub quadam rupe prope castri murum, in loco inaccessibili. Cùm autem iaceret mãgonellus ille, hostes nostros non modicum damnificabat. Deputavit autem comes noster ad custodiam illius mãgonelli trecentos servientes, & quinque milites. Valde enim timebatur de mangonello illo; tum quia sciebant nostri, quod hostes nostri omnem darent operam, vt destruerent illum, eoquod valde eos infestaret; tum quia illi, qui erant in exercitu, nõ possent subvenire illis qui custodiebant mãgonellum, si necessitas immineret, propter inaccessibilitatem loci, in quo erat mangonellus. Quodam igitur die exeuntes à castro adversarij non, stri, cum scutis vsque ad octoginta, præparabãt se ad diruendum mangonellum. Sequebantur autem eos alij infiniti portantes ligna, ignem, &c. ad ignis incentivum. Videntes autem trecenti servientes nostri, qui custodiebant mangonellum adversarios venientes, timore ducti omnes fugerunt; ita quòd non remanserunt ad mãgonellum custodiendum, nisi quinque milites. Quid plura? appropinquantibus adversarijs, fugerunt omnes milites nostri, præter vnum, qui vocabatur Guillelmus Scureto. Iste siquidem, vt vidit eos venientes, cum maxima difficultate cœpit ascendere per desuper rupem contra eos; illi autem vnanimes irruerunt in eũ; ipse enim strenuissimè, se defendebat. Videntes autem hostes, quòd non poterant eum capere, cũ lanceis projecerunt eum, super mangonellum nostrum, & post eum ligna sicca & ignem: vir autem probissimus statim surgens, statim ignem dispersit, ita quod mangonellus permansit illæsus: cœpit iterum miles noster ascendere versus hostes, illi autem proiecerunt eum, sicut antea fecerant, ignẽque super ipsum. Quid plura? iterum surgit, hostesque appetit; ipsi illum reproijciunt super mãgonellum vsque quater. Videntes autem nostri, quod miles noster non posset euadere, eoquod, nullus de nostris posset ei subvenire, accesserunt ad murum castri, ex alia parte quasi impugnaturi; quod scientes adversarij, qui militem nostrum prædictum infestabant, retraxerunt se in castrum. Miles autem noster, licet multùm debilitatus, vivus evasit; & per ejus incomparabilem probitatem mangonellus noster illæsus permansit. Interea nobilis comes Montis-fortis, paupertate tanta, & tam vrgentissima laborabat, quòd sæpissimè ipso etiam pane deficiente, quod comederet, non habebat. Multoties quippe, sicut certissimè didicimus, imminente hora refectionis, dictus comes se de industria absentabat, & præ confusione non audebat in suum redire tentorium; eo quòd esset hora comedendi, & ipse nec etiam panem solum haberet. Venerabilis autem Archidiaconus Guillelmus, confratrias instituens, collectas sicut diximus faciebat; & quidquid extorquere poterat exactor egregius, pius raptor; in machinas, & cetera ad obsidionem pertinentia solicitus expendebat. Dum res ita se haberet, aduersarijs nostris aqua defecit. Nostri siquidem jamdudum obstruxerant aditus; & ad hauriendam aquam exire non poterant. Deficiente igitur aqua, defecit eis virtus, & animus resistendi. Quid plura? loquuntur cum nostris, tractant de pace in hunc modum. Promittit Raimundus dominus castri, quòd nobili comiti traderet castrum illud; dummodo

Archidiaconus Parisiens. ad omnia quæ ad obsidionem spectabant peritissimus.

Mirabilis strenuitas vnius militis aduersus innumeros hostes.

Penuria comitis pij maxima.

comes terram aliam ei dimitteret; insuper castrum Termarum statim post Pascha ei reddere deberet. Dum autem de compositione hujusmodi tractaretur, Carnotensis & Beluacensis Episcopi, comes etiam Robertus, & comes Pontiui, recedere ab exercitu proponebant. Supplicauit comes, rogaverunt vniuersi, vt adhuc in obsidione illa per tempus aliquantulum remanerent; sed cum illi nullomodo flecti potuissent, nobilis comitissa Montis-fortis eorum pedibus se prouoluit; affectuosè supplicans, ne in tantæ necessitatis articulo, negotio domini exhiberent humerum recedentem; comitique Iesu Christi, qui se pro vniuersali ecclesia morti quotidie exponebat, in tam arcto discrimine subuenirent. Episcopus autem Beluacensis & comes Robertus, & comes Pontiui deprecati, comitissæ noluerunt acquiescere; sed dixerunt quòd in crastino recederent, nec vllomodo expectarent, etiā vnico die. Carnotensis autem Episcopus promisit quòd adhuc aliquantulo tempore, cum comite remaneret.

Caput XLII.

Hæretici Termense castrum dedere nolunt, sed Deus in eorum exitium ingentem eis aquæ copiam immittit.

Videns comes noster, quod recedentibus præfatis viris remaneret quasi solus; tam euidenti necessitate compulsus, licet inuitus acquieuit, vt modum compositionis reciperet, quā aduersarij offerebant. Quid vltra? Loquuntur nostri iterum cum aduersarijs, firmatur compositio supradicta. Statim mandauit comes Raimundo domino castri, vt exiens rederet castrū suum: ille autem ipsa die exire noluit, sed firmiter promisit, quòd in crastino redderet castrum summo mane. Dilationem autem istam diuina prouidentia voluit & prouidit, sicut in euentu rerum manifestissimis probatum est argumentis. Noluit etenim iustissimus index Deus illum qui tot & tanta mala intulerat ecclesiæ sanctæ eius, & adhuc si posset, ampliora facturus, post tanta crudelitatis exercitia immunem abire, recedere impunitum. Vt enim de cæteris malitijs taceamus, iam triginta anni transierunt, & amplius, sicut à personis fide dignis audiuimus, ex quo in Ecclesia castri Thermarum diuina sacramenta non fuerant celebrata. Nocte igitur insecuta, cælo quasi disrupto, & cataractis apertis, tam subitò erupit aquæ abundantia pluuialis; quòd inimici nostri qui aquæ penuria diu laborauerant, & propter hoc reddere se proposuerant, aqua illa abundantissimè sunt refecti. Cithara nostra in luctum vertitur, luctus hostium in gaudium commutatur. Statim siquidē in tumorem versi, resumpserunt vires, & animos resistendi; vtique crudeliores effecti, & ad persequendum nos peruitiosiores, quo diuinum sibi in necessitate adminiculum præsumebant manifestiùs affuisse. O stulta & nequam præsumptio! de illius se iactare adiutorio, cuius cultum abhorruerant, fidem etiam abdicarant. Dicebant siquidem, quia nolebat Deus, vt se redderent; pro se etiam factum asserebant, quòd diuina iustitia fecerat contra illos. Rebus sic se habentibus, Episcopus Beluacensis, comes Robertus, & comes Pontiui, imperfecto Christi negotio, imò in arctissimo & periculoso dispendio derelicto, recesserunt ab exercitu, ad propria remeantes; & si nobis dicere liceat, quod ipsis facere nō licuit, non completa sua quadragesima, recesserūt. Ordinatum siquidē erat à sedis legatis Apostolicæ; eo quod plurimi de peregrinis tepidi erant, & semper ad propria suspirantes; quòd nullus consequeretur indulgentiam, quam crucesignatis fecerat Dominus Papa, qui in seruitio Iesu Christi, vnam ad minus non compleret quadragesimā. Summo autem diluculo, misit comes noster ad Raimundum dominum castri, & mandauit vt redderet, sicut & die præcedenti promiserat, castrum suum: ille autem aquæ abundantia refectus, pro cuius penuria reddere se voluerat, videns etiam robur exercitus recedere fere totum, à pacto quod fecerat inconstans & lubricus resiliuit. Duo tamen milites, qui in castro erant, quia die præcedenti promiserant firmiter Mareschallo comitis nostri, quòd se redderent, exeuntes à castro, etiā comiti se reddiderunt. Cum rediisset igitur mareschallus ad comitem, ipsum enim miserat, vt cum Raimundo loqueretur, & verba Raimundi comiti retulisset; Episcopus Carnotensis, qui in crastino volebat recedere, rogat & consulit, vt mareschallus ad Raimundum iterū remittatur; eique quemlibet offerat compositionis modum, dummodo reddat comiti castrum suum; & vt faciliùs respondendo possit persuadere, quod quærit, consulit Episcopus Carnotensis, quòd marescallus ducat secum episcopum Carcassonēsem, qui erat in exercitu, eò quod erat indigena & notus carnifici: insuper mater eius, quæ erat pessima hæretica, esset in castro: & frater ipsius episcopi nomine Guilelmus de Ruperforti, de quo supra fecimus mentionem. Iste Guillelmus erat crudelissimus, vnusque de peioribus pro posse suo Ecclesiæ inimicis. Venientes igitur dictus Episcopus & mareschallus iterum ad Raimundum, verbis preces, precibus minas addunt, instantissimè laborantes, vt tyrannus eorum consilijs acquiescens, secundū modum quem suprà diximus, reddat se comiti nostro, imo Deo. Sed quem mareschallus durum inuenerat, obstinatum in malitia sua, Episcopus Carcassonensis & mareschallus modò inueniūt duriorem. Noluit etiam sustinere supradictus Raimundus, vt Episcopus cum fratre Guillelmo secretiùs loqueretur. Nihil igitur proficientes Episcopus & mareschallus ad comitem reuertūtur. Necdum tamen plenè intelligebant nostri, quòd sicut iam diximus, diuina pietas hæc ordinabat, ecclesiæ suæ meliùs prouidendo. In crastino summo diluculo recessit episcopus Carnotensis, comes exiit cum eo, ab exercitu ipsum aliquantulum prosecuturus. Cùm autem paululū longè esset ab exercitu, exeūtes aduersarij multi & armati, vnum de nostris volebant discindere mangonellis. Audiens autem comes clamorem exercitus, rediens concitus venit ad illos, qui machinam discindebant; eos in castrum suum solus intrare compulit, vellent nollent; insecutusque eos viriliter non sine proprio vitę dispēdio diutius effugauit. O audacia principis! O virtus virilis! Post discessum igitur supradictorum nobilium, Episcoporum videlicet & comitum, vidēs comes noster remansisse se quasi solum, & pene penitus desolatum; in multa anxietate & perturbatione positus, quid ageret nesciebat. Nullo modo enim volebat ab obsidione recedere; nec ibi poterat āplius remanere. Multos quippe & armatos habebat aduersarios, adiutores paucos, & ex

Dei ope stultè gloriantur hæretici, exitum rei non præscientes.

Indicta quadragesima lucrādis indulgentijs.

& ex parte maxima inimicos; sicut enim prædiximus, totum robur exercitus recesserat cum episcopis & comitibus supradictis. Erat præterea castrum Thermarum adhuc fortissimum; nec credebatur, quòd nisi per multos & fortissimos capi posset; hyems insuper imminebat, quæ in locis illis asperrima esse solet: in montanis quippe situm erat, sicut jam diximus castrum Termarum, ideoque propter pluuiarum inundationē, ventorum turbinem, nivium abundantiam, vltra modum frigidus, & quasi inhabitabilis erat locus. Dum in hac tribulatione & angustia esset comes, & quid eligeret ignoraret; ecce quadam die supervenerunt à Lotharingia pedites peregrini: de quorum adventu exhilaratus comes, obsidionem firmavit contra Thermas, & mediante industria venerabilis Archidiaconi Guillelmi resumpserunt vires nostri, cœperuntque circa ea quę ad obsidionem spectabant, strenuè laborare. Statim machinas, quæ antea parū profecerant, propiùs ad muros castri transferentes, laborabant in ipsis continuè, murosque castri non modicum debilitabant; miroque modo incomprehensibili Dei iudicio contingebat res mirabilis, quòd machinæ dum sæpedicti nobiles erant in exercitu, parum aut nihil profecerant; post eorum discessum ita rectè iaciebant, ac si à domino singuli lapides dirigerentur; & sic, sic erat: à Domino quippe fiebat istud, eratque mirabile in oculis gentis nostræ. Cùm igitur nostri diutius laborassent in machinis, murosque & turrim castri ex magna parte debilitassent, quadam die in festo S. Cæciliæ, fecit comes viam quamdam & † cooperiri, per quam suffossores ad murum accedere, & ipsum suffodere possent. Cùm igitur comes in præparanda via illa tota die laborasset, & iejunasset; imminente nocte, in vigilia S Clementis videlicet, ad suum redijt tentorium. Illi autem qui erant in castro, diuina disponente clementia, & B. opitulante Clemente, versi in terrorem, & penitus desperantes, statim exeuntes de castro, fugam arripere attentauerunt: quod illi de exercitu cognoscentes, statim clamore facto cœperunt discurrere, vt comprehenderent fugientes. Quid amplius immoremur? Quidam capti sunt viui, plures etiam interfecti. Peregrinus autem quidam Carnotensis pauper & ignobilis, dum discurreret cum alijs, & fugientes sequeretur hostes, diuino ordinante iudicio, Raimundum dominum castri, qui in quodam loco se absconderat, apprehendit, & apprehensum nostro comiti præsentavit: quod comes, quasi amplum munus suscipiens, non quidem eum occidit, sed in fundo turris Carcassonensis retrudi fecit: vbi per plures annos dignas pro meritis pœnas & miserias sustinuit. Cōtigit autem quiddam in obsidione Thermarum, quod prætermittere non debemus. Die quodā comes noster machinam quamdam parvā, quæ lingua vulgari Catus dicitur, faciebat duci ad fodiendum castri murum. Dum igitur comes esset prope machinam illam, & loqueretur cum quodam milite, brachiumque suum super collum illius causa familiaritatis teneret, ecce lapis ingens iactatus à mangonello adversariorum, cum maximo impetu veniens ab alto, percussit in capite militem prænotatum; mira Dei operāte virtute, comes qui militem illum quasi amplexatus erat, illæsus permansit; miles autem ictum mortis suscipiens, expirauit. Alia etiam die Dominica, erat comes in papilione suo, Missamque audiebat. Contigit autem Dei providente clementia, dum staret erect' comes, & audiret Missam, quod serviens quidam Deo disponente, retro ipsum prope dorsum ipsius staret, & ecce sagitta per balistam ab aduersario emissa seruientem illum percussit & occidit; quod diuina pietate dispositum, nullus debet ambigere: vt videlicet dum seruiens ille stans retro comitem ictū sagittæ susciperet, pius Deus Ecclesiæ suæ sanctæ athletam suum strenuissimum conseruaret. Capto igitur castro Thermarū, & à nostris munito in vigilia S. Clementis, comes noster direxit aciem ad castrum quoddam, quod dicitur Constantia: quod vacuum inveniens, venit ad aliud castrum, quod Viridepodium vocatur: quod infra triduum sibi redditum recepit. His itaque gestis, proposuit comes ire in Albigensem diœcesim; vt castra, quæ à dominio ejus recesserant, recuperaret. Venit ergo ad castrum, quod Castra dicitur, & burgenses reddiderūt ei Castra; & submiserunt per omnia ejus voluntati. Inde venit comes ad castrum de Lumbers, de quo priùs fecimus mentionem: invenitque illud hominibus vacuum, & victualibus plenum. Milites enim & burgenses castri timore comitis omnes fugerant: eò quod in comitem proditionem fecissēt. Comes verò castrum illud munivit statim, & vsque in hodiernum diem in sua habet potestate. Quid amplius immoremur? Omnia ferè castra Albigensis territorij citra Tarnum fluvium sub eodem temporis spatio recuperavit nobilis comes Christi. Eodem tempore venit comes Tholosanus ad castrum quoddam prope Albiam, cū comite nostro colloquium habiturus. Ivit comes noster ad illud colloquium: & hostes parati erant rapere eum. Comes enim Tholosæ quosdam pessimos traditores, qui comitem nostrum manifestissimè impugnabant, adduxerat secum. Comes verò noster dixit Comiti Tholosano. Quid fecistis? vos vocastis me ad colloquium, & vobiscum meos traditores adduxistis. Respondit comes Tholosæ, non adduxi. Cùm hæc audisset comes noster, voluit eos rapere; comes autem Tholosæ supplicavit ei, & noluit sustinere, quòd caperentur. Ab illo igitur die cœpit comes Tholosæ inimicitias, quas adversus Ecclesiam & comitem nostrum conceperat, aliquantulum exercere.

Machinæ præsentibus nobilibus in militia, absentibus mira operantur.

† fecit eam

Protectionis Dei exēplū.

Aliud exemplū diuinæ protectionis.

CAPVT. XLIII.

Solemne colloquium Narbonæ instituitur super negotijs Comitum Tholosani & Fuxensis; cui intersunt Rex Arragonensis, sedis Apost. Le. ati. Simon à Monteforti; sed sine profectu conuētus dissolu tur.

NOn post multos dies, conuenerunt apud Narbonā Rex Arragonensis, Comes Mōtisfortis, comes etiam Tholosanus; inter se colloquium habituri. Huic colloquio affuerunt Vticensis Episcopus, & venerabilis Abbas Cistercij; qui præcipuè post Deum Iesu Christi negotium promovebat. Iste Vticensis Episcopus, Raimundus nomine, à multis diebus ardenter negotium fidei diligebat, & quantum poterat promouebat: & illis diebus super eodem negotio cum Abbate Cisterciensi legationis officio fungebatur. Affuit & prædicto colloquio magister Theodisius, de quo superiùs facta est mentio: & multi alij viri sapientes, & boni. Tractatum fuit in prædicto colloquio de comite Tholosæ & Fu-

cta fuisset ei magna gratia, & copiosa misericordia, si idem comes sanis consilijs acquiescere voluisset. Volebat siquidem Abbas Cistercij apost. sedis Legatus, quòd comes Tholosanus, dummodo hæreticos de terra sua expelleret, ões dominicaturas & ꝓprietates suas haberet integras & illæsas. Illa etiã iura quæ habebat in castris hæreticorum, quæ de feodo ejus erant, quæ idem comes dicebat esse ad minus quinquaginta, volebat præfatus Legatus, vt quarta vel etiam tertia pars cederet in proprietatem comitis supradicti. Sprevit supradictus comes illam magnã gratiam, Deo vtique in posterum Ecclesiæ suæ providente: & ita omni beneficio & gratia reddidit se indignum. Tractatum fuit præterea in prædicto colloquio, de pace reformanda inter ecclesiam, & suum immanissimum persecutorem, comitem videlicet Fuxensem. Ordinatum etiam fuit ad preces regis Arragonum, quòd si comes ille iuraret, mandatum Ecclesiæ se facturum; iuraret etiam, quòd cruce signatos, præcipuè comitem Montisfortis de cætero nullatenus impugnaret: Comes noster redderet ei illud, quod jam habebat de terra ipsius; præter castrum quoddã, quod Appamiæ nuncupatur. Castrum siquidem illud nullo modo recuperare debebat, propter multas causas, quæ inferiùs exprimentur. Sed Deus æternus, qui absconditorum est cognitor, qui nouit omnia antequam fiant; nolens tot & tantas immanissimi hostis sui crudelitates remanere impunitas; sciésq; quanta mala de hac compositione contingerent in futurum: alto suo & incomprehensibili iudicio, induravit cor comitis Fuxensis; ita quod noluit recipere pacem istam: Deo vtique Ecclesiam suam misericorditer visitante; vt dum hostis pacem recipere recusaret, futuræ deinde turbationis suæ ipse jam cõfirmatiuam sententiam in se daret. Nec prætereundum, quòd rex Arragonũ, à quo comes Fuxi tenebat pro parte maxima terram suam, in castro Fuxi posuit custodes milites suos: & coram episcopo Vticensi, & abbate Cisterciensi promisit, quòd per terram illam nullum malum inferretur Christianitati. Iurauit etiam idem Rex coram dictis legatis, quòd si comes Fuxi vnquam à communione sanctæ Ecclesiæ vellet recedere, & à familiaritate & amicitia & seruitio comitis Montisfortis, rex ipse ad primam sæpedictorũ legatorum, vel comitis nostri requisitionem, in manus ipsius Comitis nostri traderet castrum Fuxi. Super hoc dedit rex comiti nostro literas suas patentes, conuentionem istam pleniùs continentes: & ego qui litteras vidi, tenui, & diligenter inspexi, testimonium perhibeo veritati. Sed quia malè postea rex seruavit quod promisit: quantum exinde nostris reddiderit se infamem, luce clariùs innotescit.

Tholosanus comes respuit conditiones pacis.

CAPVT. XLIV.

De malitia & tyrannide comitis Fuxi erga ecclesiam.

QVia verò locus poscit, quia opportunitas se ingessit; hic de crudeli malignitate, & maligna crudelitate comitis Fuxi, quamuis partem centesimam non possemus exprimere, aliquid breuiter perstringamus. Primò sciendum, quòd hæreticos & hæreticorũ fautores in terra sua tenuit, fouit quantùm potuit, & promouit. In castro præterea Appamiarum, quod erat proprium Abbatis & Canonicorum B. Antonini, tenebat vxorem suam, duas sorores hæreticas, cum aliorum hæreticorum multitudine copiosa; qui in castro illo, inuitis prædictis canonicis, & quantum poterant renitentibus, publicè & priuatim venenum suæ nequitię seminantes, corda simplicium seducebant. Ipsis etiam sororibus & vxori in proprio allodio canonicorum ædificatã domum fecerat dictus comes. Castrũ vero Appamiarum canonicorum erat, sicut diximus; sed comes ille tenebat illud ab abbate in vita sua: & iurauerat abbati super sanctam Eucharistiam, quòd nullum abbati vel castro molestiam inferret: monasterium siquidem canonicorum situ est extra castrum, ad dimidium milliariũ. Quodam præterea tempore, milites duo consanguinei & familiares dicti comitis, qui erant hæretici pessimi & manifesti; ad quorum consilia comes ille omnia faciebat; matrem suam hæresiarcham maximam, quæ erat amica *comitis sæpedicti, castrum Appamiarum adduxerunt: vt ibi residens, virus disseminaret hæreticæ superstitionis. Quod videntes abbas & canonici memorati, & tantam Christi & ecclesiæ iniuriam ferre non valentes, hæresiarcham à castro illo eiecerunt. Quod audiens dictus proditor, comes videlicet Fuxi, iratus est & furorem. Alter verò duorum illorum hęreticorum militum, qui erant filij dictæ hæresiarchæ, veniens Appamias, in odium canonicorum, vnum de canonicis, qui erat sacerdos, diuina celebrantem super altare cuiusdam ecclesiæ prope Appamias, carnifex crudelissimus membratim diuisit; & vsque in hodiernum diem, manet ipsum altare illius occisi sanguine rubricatum. Nec sic quieuit furor carnificis: sed vnum de fratribus monasterij Appamiarum apprehendens, oculos illi eruit in odium religionis Christianæ, & canonicorũ contemptum. Ipse etiã comes Fuxi non multò pòst monasterium supradictum, habens secum ruptarios, mimos, & meretrices, vocansque abbatẽ monasterij, cui, sicut prædiximus, super corpus dominicum iurauerat, quòd nullã inferret molestiam, dixit ei, vt omnes traderet, sine mora, claues monasterij; quod abbas facere noluit. Veruntamen timens abbas, ne Tyrannus ille easdem claues auferret per violentiam; intrauit, & claues sæpedictas posuit super corpus S. Antonini martyris, quod erat super altare, cũ multis alijs sanctorum reliquijs; in cuius etiam Sancti honore, Ecclesia illa erat fundata. Prædictus autẽ comes secutus abbatem, non deferens ecclesiæ, Sanctorum reliquias non attendens, desuper corpus Sanctissimi martyris, sacrorum impudentissimus violator, claues rapuit prænotatas. Quid amplius? Abbatem & canonicos omnes in eadem conclusit Ecclesia; obseratisque ianuis, ibi eos tenuit per tres dies, ita quòd per illud triduũ nõ comederent, nec biberẽt, nec etiã ad quæsita naturæ egredi poterant. Tyrannus autẽ interim omnẽ substantiã monasterij diripiens, in ipso infirmitorio canonicorum, in contemptum religionis, cum suis meretricibus dormiebat. Post triduum autem abbatem & canonicos de ecclesia ac monasterio ferè nudos expulit; insuper per totum castrum Appamiarum, quod erat proprium canonicorum, sicut dictum est, fecit præconis voce clamari, vt nullus ausus esset hospitio recipere aliquem de canonicis, vel abbatem: facta est autem proclamatio huiusmodi, sub pœna grauissimæ vltionis. O nouum inhu-

**fortè amita.*

manitatis genus! Cùm enim ecclesia, incarceratis soleat esse refugium & damnatis; iste peruersitatis auctor, in ipsa ecclesia incarcerat innocẽtes. Sæpedictus etiam tyrannus statim ipsam ecclesiam B. Antonini ex magna parte diruit; dormitorium & refectorium canonicorum eorũ, sicut visu probauimus, destruxit; & inde munitionem in Castro Appamiarũ fieri fecit. Ad malorũ huius traditoris exaggerationẽ, rem quandã relatu dignã huic operi duximus inserendã.

Capvt XLV.

Comes Fuxensis irreuerenter se gerit erga reliquias D. Antonini martyris, quæ solemni processione gestabantur.

Erat quædam Ecclesia in supercilio montis cuiusdam, prope dictũ monasterium; quod cùm semel, sicut consuetum habent in anno, visitarent canonici; & cum processione venerãda corpus sui patroni venerabilis Antonini honorificè deportarent; prædictum comitem fortè fortuitu equitantem contigit pertransire. Qui nec Deo, nec Sancto martyri, nec religiosæ processioni deferens, saltem signis extrinsecis humiliari nõ potuit; nec de equo cui insidebat curauit descendere: sed exerto superbiæ collo, & elatione ceruicosa, quæ sibi plurima erat domestica, prompaticè præteriuit. Quod videns quidã vir venerabilis, abbas videlicet de Monte S. Mariæ, Cistercien. ordinis, qui vnus de duodecim longè prædictis prædicatoribus ad prædicandum venerat, & tunc temporis processioni illi intererat, exclamauit post ipsum, Comes, tu non defers domino tuo sancto martyri: scias, quòd in villa, in qua ex parte sancti dominiũ habes modò, priuaberis ipso dominio; itaut. Sancto faciente, te viuente sentias exheredatum. Cuius boni viri dicta fides sequitur, sicut rei exitu manifestissimè declaratur. Crudelitates istas comitis Fuxi, & illas quæ sequuntur, audiui ab ore abbatis ipsius monasterij Appamiarum, viri fide digni, viri multæ religionis, viri perspicuę bonitatis.

Abbas Montis S. Maria non vana vatis comiti Fuxensi.

Capvt XLVI.

Sacrilegia, aliaque facinora à Comite Fuxensi per vim patrata.

Qvodã tempore sæpedictus comes iuit cum multitudine ruptariorum ad quoddã monasterium, quod dicebatur S. Maria, in terra comitis Vrgellensis; in quo erat sedes episcopalis. Canonici autem ecclesiæ illius, timentes à facie dicti comitis, receperunt se in ecclesia; vbi tandiu fuerunt ab eo oppressi, quod præ sitis angustia vrinas suas bibere sunt compulsi. Quibus tãdem se reddentibus, intrans Ecclesiã hostis Ecclesiæ crudelissimus, omni abstracta supellectili, crucibus & vasis sacris, fractis insuper campanis, in ea præter parietes nihil dimisit. Præterea Ecclesiam illam quinquaginta millibus solidorum redimi fecit. Quo facto dixit ei quidam pessimus miles suus. Ecce, inquit, destruximus S. Antoninum, & S. Mariam; nihil adhuc nobis restat, nisi vt destruamus Deum. Alio etiam tempore, vt idem comes & sui ruptarij prædictam spoliarent ecclesiam, ad tantam crudelitatis dementiã deuenerunt; quòd ipsis imaginibus Crucifixi crura & brachia abscindẽtes, inde piperẽ & herbas ad ciborum condimentum terebant, in cõtemptũ dominicæ passionis. O crudelissimi carnifices! ô pessimi derisores! ô crudeliores ipsis Christi crucifixoribus! ô conspuentib' sæuiores! Cum vidissent ministri Pilati Iesum mortuum, ait euangelista, nõ fregerunt eius crura. O nouũ immanitatis artificium. O inauditæ crudelitatis indicium. O hominem, comitem Fuxensem dico, miserrimũ miserorum! O bestiam omni ferã crudeliorem. In ipsa etiam ecclesia equos suos collocantes ruptarij, duci ipsos super sacrosancta altaria comedere faciebant. Quadam die dictus tyrannus cum multitudine magna armatorum, erat in quadam ecclesia: statim armiger quidam ipsius comitis capiti imaginis crucifixi imposuit galeam, & ipsam imaginem armauit scuto & calcaribus: moxque idem armiger lanceam arripiens, imaginem crebris ictibus impetebat, & dicebat ei, vt se redimeret. O peruersitas inexperta! Alio tempore dictus comes vocauit ad colloquium episcopos, Tholosanum videlicet & Consoranensem, & assignauit eis diẽ & locum: die autem illa, qua illi episcopi perrexerunt ad colloquium, sepædictus comes impugnauit tota die quoddam castrum proprium abbatis & canonicorum S. Antonini Appamiẽsis. O nequã & peruersa traditio! Fecit & aliud tyrannus memoratus; quod non credimus prætermittendum. Inierat fœdus cum comite Montisfortis, sicut longè superiùs diximus, filiũque suum ei tradiderat in obsidem factæ compositionis: venerabilis autem Abbas Appamiarum, castrum suum jam tradiderat comiti Montisfortis. Venit igitur quodam die comes Fuxi cum ruptarijs suis prope Appamias, ponensq; ruptarios suos in insidijs, accessit ad castrum; & mandavit burgensibus, vt exirent ad ipsum, cum eo colloquium habituri: promisitque eis firmissimè sub jurejurando, quod securè exire poterant, quia non faceret eis malum; sed statim vt burgenses egressi sunt ad eum, vocavit secretò ruptarios suos qui in insidijs latitabant, qui venientes antequam burgenses possent intrare castrum, multos ex eis ceperunt, & captos secum duxerunt. O nequam proditio! Dicebat etiam comes sæpè memoratus, quod si comes crucesignatos contra hæreticos, & cruce signandos, omnes etiã qui pro fidei negotio laborabant, vniuersos insuper quibus hoc negotium placebat, manu sua interfecisset; arbitraretur se obsequium præstasse Deo. Illud quoque sciendum, quòd sæpe memoratus comes iuravit coram legatis domini Papæ, quòd de terra expelleret hæreticos: quod tamen nulla voluit facere ratione. Multa quidem & alia mala commisit crudelissimus canis iste in Ecclesiam, & in Deum; quæ si vellemus per ordinẽ enarrare, nec nos possemus sufficere, nec etiam esset, qui dictis nostris fidem de facili adhiberet: excedit quippe malitia modum. Deprædatus est monasteria, Ecclesias dissipavit, omnique crudeli crudelior, Christianorum cædes anhelans, in siti sanguinis semper mansit. Diffitebatur hominem, imitabatur sæuitiam belluinam; factus fera, & non homo. His de eius malitia breviter perstrictis, ad id quod dimisimus reuertamur.

Canonici præ siti vrinas suas bibunt.

Militis dictũ

Vetus editio Herodem ineptè hic ponit pro Pilato.

Comes Fuxensis belluina & non homo.

Capvt. XLVII.

Comes Monsfortius regi Arragonum hominij jura persolvit, pro ciuitate Carcassonensi debita.

In supradicto colloquio Narbonensi, supplicaverunt Vticensis episcopus, & Abbas Cistercij regi Arragonum, vt reciperet in hominẽ comitem Montisfortis; ciuitas enim Carcassonæ

erat de feodo regis Arragonensis. Quod cùm ille facere noluisset, in crastino iterum accesserunt ad regem viri sæpedicti, prociderunt ad pedes ejus, humiliter & instantissimè deprecantes, vt hominium comitis recipere dignaretur: ipse autem comes flexis ante regem genibus, suum hominium humiliter offerebat. Tandem rex victus precibus acquieuit, & recepit comitem in hominem de ciuitate Carcassonæ; vt illam comes ciuitatem teneret à rege. Quibus gestis rex & comes noster, & comes Tholosæ, & Vticensis episcopis exeuntes à Narbona, perrexerunt vsque ad Montempessulanum. Dum adhuc essent prænominati nobiles & prælati in Montepessulano, tentatum est de contrahendo matrimonio inter primogenitum regis, & filiam comitis Montisfortis. Quid plura? firmabatur ab vtraque parte matrimonium præfatum; videlicet à rege & comite nostro, hinc & inde prestito iuramento. Insuper rex tradidit Comiti præfatum primogenitum suum custodiendum. Verumtamen rex, qui comiti filium suum tradiderat, non multò pòst dedit sororem suam filio comitis Tholosani in vxorem; vnde non modicùm, nec immeritò, apud nos infamem se reddidit & suspectum. Iam enim quando matrimonium illud factum est, comes Tholosæ persequebatur manifestè ecclesiam sanctam Dei. Nec silendum, quòd cùm essent præfati viri in Montepessulano, & multi etiam episcopi & ecclesiarum prælati, tractatum fuit iterum de facto comitis Tholosani. Voluerunt legati, episcopus videlicet Vticensis, & abbas Cisterciensis, maximam gratiam & misericordiam facere dicto comiti, sicut superiùs est expressum; sed idem comes cùm pmisisset impleturũ se in crastino, quidquid dicti legati mandassent; summo mane in crastino recessit à Montepessulano ipsis legatis insalutatis. Viderat enim quandam avem, quam indigenæ vocant avem S. Martini, ad sinistram volantem; & perterritus fuit valde. Ipse enim more Saracenorum, in volatu & cantu avium, & ceteris augurijs spem habebat.

Capvt. XLVIII.

Episcopus Parisiensis, aliique nobiles veniunt in exercitum Monfortij comitis.

AN. verbi incar. 1210. circa mediam quadragesimam, venerunt de Francia cruce signati nobiles & potentes: episcopus videlicet Parisiensis, Ingerranus de Cociaco, * Robertus de Tornaco, Ivellus de Meduana, & plures alij. Hi nobiles viri in Christi negotio se nobiliter habuerunt. Cùm venissent autem Carcassonam, communicato consilio, omnes dicti peregrini in hoc consenserunt, vt ad obsidendũ tenderent Cabaretũ. Quia autẽ milites de Carcassonensi diœcesi jamdudũ timore nostrorum dimiserant castra sua, & fugerant Cabaretum; inter quos erant duo fratres secundum carnẽ, quorum vnus vocabatur Petrus Miro, alter Petrus de S. Michaële, isti ceperunt Brichardũ de Naliaco, sicut suprà tetigimus. Exierant autem illi duo milites à Cabareto, & plures alij cum eis, & venerant ad Comitem nostrum, & reddiderant se illi; itaque comes illis dederat terras. Videns autem dominus Cabareti Petrus Rogerij, quòd vellent comes & peregrini obsidere Cabaretum; considerans quòd valde debilitatus esset, eo ꝙ recessissent ab eo milites supradicti, timore ductus, composuit cum comite nostro & baronibus in hunc modum. Castrum Cabareti tradidit, insuper præfatum Brichardum reddidit. Comes dedit ei terram aliam competentem, reddito Cabareto; mox ad obsidendum castrum, quod Vaurum dicitur, comes & barones acies direxerunt.

*Engaran de Concj.

Capvt XLIX.

Obsidio Vauri.

ERat autem castrum illud nobilissimum, & amplissimum, situm super Agotum fluvium, distans quinque leucis à Tholosa. Erat in castro illo Aymericus traditor ille, qui fuerat dominus Montisregalis, & multi alij milites inimici crucis vsque ad octoginta; qui castrum intrauerant & munierant contra nostros. Domina siquidem castri vidua, nomine Giralda, pessima hæretica, & soror dicti Aymerici. Venientes igitur nostri ad castrum, ex vna tantum parte illud obsederunt; non enim sufficiebat exercitus noster, ad castrum sæpedictum vndique obsidendum. Erectis igitur post aliquot dies machinis, cœperunt nostri, sicut mos est, castrum impugnare: aduersarij, quantum poterant, defenderent. Erat siquidem in castro infinita hominum multitudo, & armis optimè munita; ita ferè plures erãt defensores, quàm essent impugnatores. Nec prætereundum, quòd quando nostri primò venerunt ante castrum, exierunt aduersarij de castro, militemque vnum de nostris ceperunt, & introductum statim occiderunt. Quamvis autem nostri ex vna parte obsedissent, diuisi tamen erant in duos exercitus; & ita dispositi, quòd si necessitas ingrueret, exercitus exercitui non posset sine discrimine subvenire. Sed non multò post superuenerunt à Francia nobiles multi, episcopus videlicet Lexoviensis, & episcopus Lingonensis * comes etiam Antisiodorensis, & multi alij peregrini. Obsederunt igitur castrum ex alia parte, insuper etiam facto ponte de ligno super Agotum fluvium, transeuntes nostri aquam castrum vndique circundederunt. Comes autem Tholosæ Ecclesiam Dei, & comitem, quantum poterat, persequebatur; non tamen in manifesto; adhuc enim veniebant victualia exercitui nostro à Tholosa. Rebus ita se habentibus, venit comes Tholosæ ad exercitum. Comes autem Antisiodorensis, & Robertus de Tornaco, qui erant cognati eius germani, cœperunt monere comitem Tholosæ, vt rediens ad cor mandatis ecclesiæ obediret: sed cùm nihil profecissent, comes cum rancore & indignatione, recessit à comite Montisfortis: homines etiam Tholosæ qui erant in obsidione Vauri, recesserunt ab exercitu. Inhibuit etiam comes Tholosæ ciuibus Tholosanis, ne vlterius deferrent victualia apud Vaurum. Hic narrandum est quoddam scelus comitum Tholosæ & Fuxi nequissimum: proditio inaudita.

*Lingonensis.

Capvt L.

Peregrini multi proditoriè à comite Fuxensi, instigante Tholosano interficiuntur.

DVm fieret colloquium, sicut diximus, prope Vaurum, de pace inter comitem Tholosæ, & sanctam ecclesiam reformanda, veniebat multitudo peregrinorum de Carcassona ad exercitum: illi autem doli ministri, traditionis artifices, comes videlicet Fuxensis, Rogerus Bernardi filius eius, Geraldus de Pepios, & multi

de hominibus comitis Tholosæ, posuerunt se in insidijs cum infinitis ruptarijs, in quodam castro, quod vocatur Mons-Gandij, prope Podiũ Laurentij; quò cùm peregrini deuenirent, illi insurrexerunt in eos; & quia inermes erant & proditionis ignari, ex ipsis innumerabiles occiderunt, omnemque occisorum pecuniam, Tholosam deportantes, ibi inter se diuiserunt. O beata occisorum agmina! O pretiosa in conspectu Dei mors sanctorum! Nec silendum est, quòd dum carnifices prædicti peregrinos occiderent memoratos, Sacerdos quidam peregrinus confugit ad quandam ecclesiam, quæ prope erat; vt pro ecclesia moriens, in ecclesia moreretur. Traditor autem ille pessimus Rogerus Bernardi, filius comitis Fuxi, à patris sui non degenerans prauitate, sacerdotem secutus est memoratum. Ingrediens autem audacter ecclesiam, ipsumque aggrediens, qualis homo esset inquisiuit. Peregrinus, inquit, sum sacerdos. Ad quem carnifex; ostende mihi, inquit, quòd sis sacerdos. At ille amoto caputio à capite (erat cappa indutus) ostendit ei characterem clericalem. Crudelissimus autem ille loco sancto non deferens, vel personæ, eleuata ascia acutissima quam tenebat, sacerdotemque per medium characterem validissimè percutiens, ministrum ecclesiæ in ecclesia interfecit. Iam ad id quod dimisimus, redeamus Non credimus autem prætermittendum, quòd comes Tholosanus, immanis Christi hostis, & crudelissimus persecutor, in castro Vauri in quo erat fons & origo totius hæreseos; quia non erat comitis Tholosæ, imo à multis annis expugnauerat Tholosanos; ob solum Christianæ religionis odium; quemdam Seneschallum suum latenter miserat in castrum Vauri, pluresque milites, vt castrum defenderent contra nostros: quos capto castro comes noster ibi reperit, & diu tenuit vinculatos O nouum proditionis genus! intus milites suos ad castri defensionem posuerat; foris quasi præbens auxilium, à Tholosa deferri victualia permittebat. Sicut enim suprà diximus, in initio obsidionis Vauri deferebantur ad exercitum victualia, sed modica à Tholosa. Sed licet venirent victualia à Tholosa, comes tamen Tholosæ districtè inhibebat, ne machinæ afferretur. Ciues etiam Tholosani circa quinque millia ammonitione venerabilis episcopi sui Fulconis in auxilium nostrorum, ad obsidionem venerant sæpedictam. Ipse etiam episcopus pro fide catholica exulans, ibi aduenit: modum autem egressionis eius à Tholosa, non duximus superfluum enarrare.

CAPVT LI.

Fulco episcopus Tholosanus episcopatu pulsus, magna animi constantia exulat, paratus etiam ceruicem gladio pro Christi nomine præbere.

ERat quodam die episcopus apud Tholosam, Sabatho videlicet post mediam Quadragesimam; & sicut mos est in Episcopalibus Ecclesijs, volebat die illa ordines celebrare: verũtamen comes Tholosæ tunc erat in ciuitate, qui pro excessu multiplici, ab apostolicæ sedis legatis nominatim erat excõmunicatus. Itaque in aliqua villa in qua erat, non poterat quis diuina mysteria celebrare. Misit igitur ad comitem episcopus, humiliter rogans & monens, vt ipse causa ludendi exiens à ciuitate, iret spatiatum, donec solummodo Episcopus Ordines celebraset. Tyrannus autem in furorem conuersus, misit ad episcopũ militem vnum, mandans, & sub periculo capitis districtè præcipiens, vt de ciuitate Tholosa, & de tota terra comitis citiùs egrederetur, Vir autem venerabilis hæc audiens, in feruore spiritus, mente intrepida, clarissimo vultu, tale fertur militi dedisse responsum. Comes, inquit, Tholosanus non me fecit episcopum, nec per ipsum hic ordinatus sum, vel pro ipso: ecclesiastica me elegit humilitas, non intrusit violentia principalis. Non exeo propter eum; veniat si audet, paratus sum excipere gladium, vt pertingam ad maiestatem per calicem passionis: veniat tyrannus stipatus militibus, & armatus, solũ me reperient & inermem; attẽdo brauium, non timebo quid faciat mihi homo O constantia animi! O mirificũ robur mentis! Manens igitur intrepidus ille Dei famulus, de die in diem expectabat tyranni gladium; sed cùm ille non auderet eum interficere, vtpote qui ecclesiæ dei iampridem mala intulerat tot & tanta, timebat que, vt vulgò dicitur, pelli suæ. Postquã episcopus quadraginta dies in illa mortis expectatione peregerat, de ciuitate egredi proposuit Tholosana. Die igitur quodam in octauis Resurrectionis dominicæ, egrediens episcopus de ciuitate; ad comitem nostrum, qui erat in obsidione Vauri, deuenit. Nostri autem in expugnatione castri continuè laborabãt; aduersarij verò, vtpote superbissimi, se instantissimè defendebãt. Nec silendum est, quòd sedentes in equis ferro coopertis, super muros discurrebant in derisum nostrorum; vt sic videlicet ostenderent muros amplissimos & fortissimos se habere.

CAPVT. LII.

Vaurum à catholicis expugnatur, ibique multi nobiles viri suspendio necantur, alij flammis traduntur.

* L'auant.

QVodã præterea die, erexerunt nostri prope muros castri castella quædam de lignis; in quorum summitate Christi milites posuerant signum. Aduersarij verò ad crucis vexillum instãtiùs cũ machinis iacientes, inde supradictæ crucis brachium confregerunt Statim canes impudentissimi, tantum emiserunt vlulatũ & cachinnum; ac si de confractione crucis maximam victoriam reportarent. Sed dedicator crucis, iniuriam istam miraculosè & manifestissimè vindicauit. Contigit autem non multò pòst res mirabilis & mirificè extollenda; quòd crucis inimici, qui de crucis confractione exultauerant, cruce suas iniurias vindicante, in festo crucis capti fuerunt, sicut inferiùs ostendemus. Dum res ita ageretur, fecerunt nostri fieri machinã, quæ vulgò catus vocatur; quæ cùm parata esset, traxerunt eam vsque ad fossatum castri. Post hæc attulerunt nostri in magno conamine ligna & ramos, facientesque fasciculos de ipsis lignis & ramis, proijciebant in fossatum, vt implerent illud Aduersarij verò, vtpote astutissimi, fecerunt viã quamdam subterraneam, pertingentem vsque prope machinam nostram; exeuntesque de nocte per viam illam, ligna & ramos, quos nostri in fossatum proiecerant, extrahebant, & deferebãt in castrum. Quidam insuper de aduersarijs, accedentes prope sæpedictam machinam, illos qui sub protectione machinæ fossatum implere non cessabant, vncinis ferreis latenter & fraudulenter ad se trahere nitebantur. Quadam præterea

Iniuriã crucis illata in festo S Crucis vindicata.

nocte exeuntes aduersarij à castro per viam subterraneam, intrauerunt in fossatũ; iacientesque instantissimè iaculos ignitos, ignem, stupam, adipem, & cætera ignis nutritiua, voluerunt cõburere machinam supradictam. Duo autem comites Alemani custodiebant ipsa nocte vigilias circa machinã. Statim clamor attollitur in exercitu, curritur ad arma, machinæque succurritur. Dicti verò comites Alemani, & qui cum eis erant Teutonici, videntes quòd non possent pertingere ad hostes, qui erant in fossato; cum probitate magna, & sub magno discrimine proiecerũt se in fossatum; hostesque suos viriliter aggredientes, retruserunt eos in castrum, priùs aliquibus ex eis interfectis, & pluribus vulneratis. Interea cœperunt nostri multum turbari, & de captione castri quodammodo desperare; eo scilicet quod quidquid de die in fossato proijcere possent, aduersarij de nocte extraherent, & in castrum deferrent. Sed dum nostri ita turbarentur; quidam ex eis subtiliùs excogitantes, aduersus hostium insidias vtile remedium inuenerũt. Fecerunt siquidem ante egressum viæ subterraneę, per quam hostes egredi consueuerant, proijci ligna viridia, & ramos; posthæc apposuerunt minuta etiam sicca, igem etiam & adipem, stupam, & cætera ignis incentiua in ipso viæ subterraneæ * iterumque desuper proiecerunt ligna & segetes virides, & herbam multã. Statim fumus ex igne egrediens, ita impleuit totam viam subterraneam, quòd aduersarij vlteriùs non potuerunt egredi per viam illam præ fumo. Fumus etenim qui non poterat in altum prorumpere, propter ligna & segetes virides superpositas, totam, sicut diximus, viam sæpedictam implebat. Quod videntes nostri, solitò liberiùs impleuerunt fossatum. Quo impleto milites nostri, & seruientes armati, dictam machinam per multos agones ad murum versus trahentes, suffossores muro apposuerunt Illi autem de castro, ligna, ignem, adipem, sudes etiã accutissimas, & maximas desuper machinam proijcere non cessabant. Sed nostris viriliter ac miraculosè machinam defendentibus sæpedictam, nec machinã incendere, nec fossores à muro depellere potuerunt. Dum autem nostri in expugnatione ista instantissimè laborarent; episcopi qui aderant, & quidam venerabilis abbas Curiæ Dei Cistercienſ. ordinis, qui de mandato legatorum, ipsorum vices in exercitu tunc agebat, vniuersúsque clerus congregati in vnum, cum deuotione maxima *Veni Creator spiritus* decãtabant. Quod videntes & audientes aduersarij, ita Deo disponente stupefacti sunt, vt vires resistendi pene penitus amiserint. Quia, sicut postea confessi sunt, plus timebant eos cantantes, quàm pugnantes; psallentes, quàm insilientes; orantes, quàm infestantes. Muro igitur perforato, iam nostris intrantibus, & aduersarijs, cùm iam non possét resistere, se reddentibus; volente Deo, & nostros misericorditer visitante, in festo inuentionis S. Crucis, captum est castrum Vauri. Mox eductus est de castro Aimericus, de quo suprà tetigimus, qui fuerat dominus Montis-regalis, & alij milites vsque ad octoginta. Nobilis autem Comes proposuit, quòd omnes patibulo suspenderentur; sed cùm Aimericus, qui erat maior inter illos, suspensus fuisset, cadentibus furcis, quę præ nimia festinatione bene nõ fuerant terræ affixę; videns comes, quòd mora magna fieret, alios occidi præcepit; quos peregrini auidissimè suscipientes, occiderunt citiùs in eodem loco. Dominam etiam castri quę erat .. Aimerici, & hęretica pessima, in puteum proiectam, comes lapidibus obrui fecit. Innumerabiles etiam hæreticos peregrini nostri cum ingenti gaudio cõbusserunt.

*adita

Hymnus Veni creator hæreticos frangit.

CAPVT LIII.

Rogerius de Comenge Comiti Monfortio se adiungit, sed postea, quam dederat fidem fallit.

Sciendum est autem, quòd cùm comes noster esset in obsidione Vauri, quidam nobilis de Vasconia, nomine Rogerius de Comenge, consanguineus comitis Fuxi, venit ad eũ, vt se redderet ei. Dum autem esset ante comitem in die Parasceues, vt faceret ei hominiũ, comes illa hora cœpit casu sternutare. Audiens autem dictus Rogerius, quòd comes vnicum sternitum emisisset, vocauit illos, qui secum erant in partem, consulens eos; & nolebat illa hora facere, quod comiti proposuerat. In terra enim obseruant auguria stultissimi homines terræ illius; qui firmissimè credunt, quòd si vnum sternitũ emiserint, ipse, vel... habens aliquid agere, nõ possit ad bonum eis contingere illa die. Veruntamen videns ille Rogerius, quòd nostri illum super hoc deriderent; timensque, ne comes notaret illum de superstitione peruersa, quamuis inuitus, fecit ei hominium, & recepit ab eo terram suam; mansitque in eius seruitio diebus multis: sed postea à fidelitate, quam ei fecerat, miser & miserabilis resiliuit. Non credimus autem prætermittendũ miraculum quoddam, quod apud Vaurum relatione veridica cognovimus accidisse. Cujusdam militis crucesignati cappa, nescio quo infortunio comburebatur: contigit autem miraculosè Dei judicio, quòd combusta tota cappa, sola illa particula, in qua crux assuta erat, remansit integra, & penitus incombusta. Audiens autem dominus Podij Laurentij Sichardus, qui quondam fuerat cum comite nostro, sed ab eo recesserat quando captum est Vaurum, timore ductus, dimittens castrum Podij Laurentij, Tholosam cũ suis militibus properavit. Erat autem Podium Laurentij quoddam nobile castrum, trib⁹ leugis distans à Vauro, in diœcesi Tholosana: quod cùm recuperasset comes noster, dedit illud Guidoni de Lucio, viro nobili & fideli: qui statim illud intravit, & munivit. Interea Episcopus Parisiensis, & Ingeranus de Couciaco, & Robertus de Tornaco, & Ivellus de Meduana, recedentes capto Vauro, ad ꝓpria remearunt. Capto castro Vauri, cùm venissent nostri in castrum, homines comitis Tholosani attendentes etiam quod ipse comes recessisset cum rancore à comite nostro: præterea inhibuerat ne deferrentur ad exercitum machinæ & victualia à Tholosa; insuper & præcipuè quod idem comes per legatos D. Papæ, pro multis excessibus excommunicatus erat & expositus; his inquam omnibus diligenter inspectis, proposuerũt, vt comitem illum, quasi iam apertè damnatum, manifestiùs impugnarent. Comes igitur noster mouens castra, cœpit tendere ad quoddam castrum, quod dicitur Mons-Gaudij, vbi à comite Fuxi peregrini fuerant interfecti. Factum est autem, dum exercitus tenderet ad castrum illud, & dum adhuc aliquantulum longè esset, apparuit in loco illo, vbi occisi fuerant peregrini à comite Fuxi, columna ignis videntibus nostris, lucens & descẽ-

Superstitio hæretici Rogerij.

Columna ignis visa super corpora occisorũ martyrum.

dens super corpora occisorum. Venientes autem nostri ad locum, viderunt omnes occisos iacere resupinos, brachijs in modum crucis extensis. O res mira! Istud audiui miraculum ab ore venerabilis episcopi Tholosani Fulconis, qui pręsens erat. Apud prædictum ergo castrum comes accedens, illud funditus euertit; homines enim castri effugerant prę timore. Inde perrexit comes noster ad aliud castrum, quod dicitur Casser & erat proprium comitis Tholosani. Interim comes Tholosæ venit ad Castrum nouum: erat autem castrum illud nobile; quod comes prędictus igne succendit, timens ne caperetur à nostris, & vacuum dereliquit. Veniens comes noster ad castrum de Casser, obsedit illud: milites autem comitis Tholosæ, qui erant in castro illo licet fortissimo, videntes quod diu castrum illud tenere non valerent, reddiderunt se comiti tali conditione. Promiserũt, quòd redderent nostris omnes hæreticos qui erant in castro, ipsi autem euaderent; factũque est ita. Erant enim in castro illo multi hæretici perfecti. Intrauerunt igitur Castrum episcopi, qui erant in exercitu, cœperuntque hæreticis prædicare, volentes eos ab errore reuocare: sed cùm nec vnũ conuertere potuissent, exierunt à castro; peregrini autem arripientes hæreticos ferme sexaginta, eos cum ingenti gaudio combusserunt. Hic autem manifestissimè apparuit, quantùm comes Tholosæ hæreticos diligeret; cùm in modicissimo ipsius comitis castro inuenti sint hæretici perfecti, ampliùs quàm quinquaginta.

Martyres brachijs in modum crucis extensis iacent.

Caput LIV.

Clerus Tolosanus Christi corpus religiosè deferens, vrbe ipsa hæreticorum nutrice & interdicta excedit.

HIs gestis, episcopus Tholosæ, qui erat in exercitu, mandauit præposito ecclesiæ, alijsque clericis, vt de ciuitate Tholosana egrederentur: qui statim iussa complentes, nudis pedibus cum corpore Christi egressi sunt Tholosa. Capto autẽ castro de Casser, comes noster progrediens; venit ad aliud castrum comitis, quod dicitur Monsferrandus. Erat autẽ ibi frater comitis Tholosæ, nomine Balduinus,* quem frater suus miserat, vt defenderet castrum illud. Veniens comes ad Castrũ, obsedit illud. Post paucos autem dies, nostris insultum facientibus, videns comes Balduin⁹ (sic enim vocabatur) quod diu resistere non valeret, reddidit castrum tali pacto, quod ipse cum suis egrederetur liber; & liberatus præstitit etiam iuramentum, quòd ipse de cætero ecclesiam vel comitem nostrum nullatenus impugnaret; imò si vellet comes noster, ipse eum contra omnes, & in omnibus adiuuaret. Egressus igitur comes Balduinus de castro venit ad fratrem suum, comitem videlicet Tholosanum; sed post paucos dies redijt ad comitẽ Montisfortis; veniensque ad eũ, rogauit, vt comes ipsum in hominem recipere dignaretur; & ipse ei in omnibus & contra omnes fideliter deseruiret. Quid vltra? Annuit comes, reconciliat⁹ est comes Balduinus ecclesiæ; de ministro diaboli, factus est minister Christi. Fideliter quippe se habens, toto nisu hostes fidei ab illo die & deinceps expugnauit. O respectus! O misericordia redemptoris! Ecce duo, ex eodemque patre fratres, sed inter se longè dissimiles. Qui enim per prophetam dixit, *Iacob dilexi, Esau autem odio habui*, vnum istorum incredulitatis limo infixũ deserens; alterum mirabiliter & misericorditer eripuit, secreto suo consilio, quo ipse nouit. Nec silentio prætereundum, quòd cùm comes Balduinus exijsset à Monteferrando, antequam veniret ad comitem nostrum, quidã ruptarij, peregrinos qui à peregrinatione S. Iacobi redibant, in cruce-signatorum odium spoliauerunt. Quod audiens comes Balduinus, diligenter inquisiuit, qui essent qui hoc fecerant, & omnia quæ à peregrinis rapuerant, ex integro reddi fecit. Hoc fecit nuntium futuræ probitatis & fidelitatis comes nobilis Balduinus. Capto Monteferrando, & quibusdam alijs castris per circuitum; munito etiam à nostris Castello nouo, quod, sicut supràdictum est, comes combusserat Tolosanus, transiens comes noster fluuium Tarni, venit ad quoddã castrum, quod dicitur Rabatense, in territorio Albigensi; quod cùm ei redditum fuisset à Burgensibus; inde vadens, proficiens, & succrescens, sex alia castra nobilia pari modo, sine conditione aliqua acquisiuit; quorum ista sunt nomina. Mons acutus, Galliacum, Causacum, S. Marcellus, Guespia, S. Antoninus. Castra ista inuicem prope posita, comes Tholosæ abstulerat Vicecomiti Bitterrensi.

* Alijs *Bertrandus*

Malac. 1. Rom. 9.

Caput LV.

Prima Tholosæ obsidio per Barrensem & Monfortiensem Comites.

HIs gestis, nũtiatum est comiti nostro, quòd comes de Barro ad Christi militiam properans, Carcassonæ * Quo audito, comes gavisus est gaudio magno valde; magna enim dicebãtur de comite illo: nostri etiam de adventu ejus plurimùm confidebant. Sed longè aliter se res habuit, quàm sperabamus: vt ostenderet Dominus, nomini suo dans gloriã, in se, non in homine confidendum. Misit verò comes noster ad dictum comitẽ milites, qui eum adducerent versus Tholosam, super quamdã ripariam: vbi ipse comes noster & exercitus ejus ei occurrere deberent: & factum est ita. Comes autẽ Tholosæ, & comes Fuxi, & hostium multitudo, audientes exercitum venire versus Tholosam, pergunt ad dictam ripariam; non enim distabat vltra dimidiam leugam à Tholosa. Ibi convenerunt nostri ex vna parte, hostes ex alia. Ipsi verò adversarij timentes, ne transirent nostri pontem, qui erat super ripariam, citiùs dirui fecerant: nostri verò circumeuntes, vt possent vadum aliquod invenire, invenerunt aliũ pontem; sed & ipsum tunc adversarij diruebant. Sed nostri cũ maxima probitate, quidam per super pontem, quidam per aquam natantes, fluvium transierunt, hostesque suos vsq; ad ipsas portas Tholosæ viriliter effugarunt: inde redeuntes ad ripariam, ibi quidem manserunt nocte illa; etiam ibi datum fuit consilium, vt obsiderent Tholosam in crastino. Igitur nostri moverunt Tholosam; ibi fixere tentoria ante portas. Fuit in obsidione illa comes de Barro, & plures nobiles viri de Alemannia. Obsessa est igitur ex vna parte civitas, nõ enim sufficiebant nostri, vt à parte alia obsiderẽt. Erat autẽ in civitate comes Tholosanus, & comes Convenarum cognatus ejus: qui eum quantum poterat adjuvabat. Comes etiam Fuxi, & alij milites infiniti: cives etiam Tholosani, quorũ erat innumerabilis multitudo. Quid plura? Ad compara-

* appropinquaret.

tionem multitudinis obsessorũ, paucissimi videbamur. Quia verò longum esset, insultus omnes illius obsidionis exprimere: istud est breuiter dicendum, quòd quotiescumq; adversarij exibant vt nostros infestarent, nostris viriliter resistentibus, cum confusione compulsi sunt civitatẽ introire. Quodam etiam die cùm exiissent hostes, & nostri audaciùs ipsos redire in civitatem compellerent; in ipso insultu occiderunt cognatum comitis Comingensis, & Vuillelmum de Rupeforti, fratrẽ Episcopi Carcassonę Bernardi, de quo superiùs fecimus mentionem. Alio præterea die, dum pransi essent nostri, & vt mos est, post prandiũ pausarent in meridie (æstas quippe erat) scientes adversarij nostros quiescere, exeuntes per quamdam occultam viam, in exercitũ irruerunt: surgentes autem nostri, hostibusque viriliter resistentes, in civitatem ipsos redire compellebant. Dum hæc fierent, Eustachius .. & Simon castellan' de Malpha, viri nobiles, qui ab exercitu exierant, vt præberent conductum illis qui ad exercitum victualia afferebant, eadem hora intrabant exercitum, victualia conducentes: & dum essent in ingressu exercitus, obuiauerunt eis hostes, qui sicut diximus exierant de civitate, ipsosque capere attentatũt: sed illis viriliter se defendentibus, vnus ex aduersarijs iacto gladio, vt eis mos est, dictum Eustachium in latere percutiens, ipsum occidit. Castellanus autem Malphæ, per multos labores, & per miræ pbitatis exercitia viv' & sanus evasit. Facta est caristia magna in exercitu deficientibus victualibus: insup verò † bona dicebantur de comite Barrensi, cunctis qui erant in exercitu sinistram de illo gerentibus opinionem. O justum Dei iudicium! Sperabatur ab hominibus, quòd comes ille mirabilia esset facturus, hominesque plus iusto de homine præsumebant: sed Deus qui per Prophetam dixerat, *Gloriam meam alteri non dabo*, sciẽsque si nostri in illa obsidione multùm proficerent, attribueretur homini, & non Deo: noluit ibi magnificè operari. Videns igitur comes noster, quòd nihil proficeret sed magnũ dispendium fieret; & promotio negotij Christi, detrimentum pateretur; recedens ab obsidione Tholosæ, venit ad castrum quoddam, versus terram comitis Fuxi, q̃ dicitur Alta ripa: quod castrum cùm munivisset seruientibus, ad castrum Appamiarum peruenit. Et ecce subitò venerunt ruptarij apud Altam ripam; homines autem castri statim voluerunt capere seruientes, quos comes noster ibi dimiserat, & tradere ruptarijs: illi autem recipientes se in munitione castri, quæ modicæ erat fortitudinis, cœperunt se defendere. O furiosa traditio! O scelus nequam! videntes autem seruientes sæpedicti, quòd non possent resistere, dixerunt ruptarijs, quod redderent illis munitionem, dummodo paterentur illos abire vivos, & indemnes. Et factum est ita: sed non multò pòst comes noster transijt per castrum supradictum, & totum illud succendit. Mouens comes noster ab Appamijs, venit ad castrũ, quod dicitur Varille, prope Fuxum; quod combustum & vacuum inueniens, gente sua munivit. In terra comitis Fuxi penetrans, castella ipsius plurima deuastabat; ipsum etiam Burgum Fuxi totum combussit. Peractis igitur circa Fuxum octo diebus, destructisque arboribus, vineis extirpatis, comes noster Appamias est reversus. Venerat autem ad ipsum comitem Caturcensis episcopus, missus à nobilibus territorij Caturcensis, supplicantibus, vt accederet ad eos comes; & ipsi constituentes eũ dominum, ab eo acciperent terras suas. Comes autem Tholosanus dominium habuerat in territorio Caturcensi. Tunc rogavit comes nobilis comitem de Barro, & nobiles de Allemania, vt irent cum eo: qui omnes concesserunt, & se ituros promiserunt. Iregitur cœperunt, sed cũ venirent prope Castrum novum, comes de Barro à promissione quam comiti fecerat resilivit; nec famæ suæ prouidens, vel honori, dixit ei, quòd nullatenus iret cum ipso: mirati sunt omnes. Comes noster vehementissimè conturbatus, supplicauit ipse, rogauerunt vniversi, & nihil proficere potuerunt. Mox quæsiuit nobilis comes ab Allemannis, si vellent ire cum eo, qui promiserunt libentissimè se ituros. Mouens igitur comes noster, tendens versus Caturcum, comes autem de Barro aliam viam tendens, cœpit tendere Carcassonam. In ipsa discessione, tantum opprobrium sustinuit comes de Barro, quòd nõ posset de facili explicari. Illi enim qui erant in exercitu vsque eo conuitijs ipsum persequebantur publicè, quòd præ confusione non audemus dicere & scribere quæ dicebant: sicque factum est iusto Dei iudicio, vt qui veniens ad terram Albigensium, in ciuitatibus & castellis honorabatur ab omnibus, ab omnibus timebatur; rediens confunderetur ab omnibus, in omnium oculis vilis factus. Tendens comes noster Caturcum, transijt per quoddam castrum, quod erat comitis Tholosæ, nomine Caslutium,* in territorio Caturcensi; & impetu facto, totum castri burgum extrinsecùs succendit. Inde veniens Caturcum, honorificè est susceptus; & factis ibi paucis diebus, ivit cum Allemanis supradictis, conducens eos vsque ad villam, quę dicitur Rupis amatoris; inde redierunt Allemanni in terram suam, comes autem cum paucissimis Caturcum est reversus. Et dum esset comes Caturci, nunciatum est ei, duos de militibus suis, Lambertum videlicet de Terreio, & Galterum de Langatone fratrem episcopi Cantuariensis* à militibus comitis Fuxensis esse captos. De modo captionis eorum, sicut ab ore vtriusque ipsorum audiuimus, aliquid breuiter exprimamus. Equitabant quadam die dicti milites prope terram comitis Fuxi, cum multis de indigenis, quod cùm audisset comes Fuxi, cũ maxima multitudine insequutus est eos: indigenæ autẽ qui erant cum nostris, qui sicut dicitur, proditionẽ istam fecerant, vt viderunt multitudinem venientem, statim omnes fugerunt; ita nostri tantũ sex remanserunt. Circundantes igitur illos sex vndique aduersariorum plurimi. (comes enim Fuxi fugientes indigenas insequebatur,) equos ipsorum omnes occiderunt. Amissis igitur equis nostri, inimicorum circumdati multitudine, se viriliter defendebant. Tunc quidam aduersariorum, qui erat inter alios nobilior, cognatus comitis Fuxi, dixit præfato Lamberto, ipsum siquidem nouerat, vt se redderent. Quod audiens vir multæ probitatis, nondũ venit inquit hora: tum vt vidit, quia non posset euadere, tali inquit cõditione nos reddimus, si quinque nobis promiseris; videlicet, quòd non occides nos, vel mẽbra truncabis: præterea honesta tenebimur custodia, nec nos ab inuicem separabis; & nos ad competentem induces redemptionem; nec in aliena potestate nos pones. Si hęc omnia firmiter promiseris,

Marginalia: † non — *De Deo, nõ de homine præsumendum. Isai. 42.* — *Barrensis comes turpiter ad sua redit.* — * Caylus — * Stephani

promiseris, si nos tibi reddemus; quod si nolueris, parati sumus mori; sed confidimus in domino, quia non moriemur soli, sed carissimè nos vendentes, auxiliante Christo, priùs ex vobis plurimos occidemus: nondum ligatas habem⁹ manus, nec capietis nos liberè, nec impune. Audiens dict⁹ miles verba Lamberti, promisit omnia quæ petebat libentiùs facturum. Veni igitur, dixit Lambertus, & super hoc in manu mea præstes fidem. Ille autem non fuit ausus accedere ad eum, nisi nostri ipsum priùs securum fecissent. Assecurauit eum Lambertus, & alij quinque; accessit ille ad eos, & tali conditione captos duxit secum. Qui mox quæ promiserat malè seruans, tradidit eos comiti Fuxensi. Comes autem ille maximis cathenis ligatos in tã deterrimo & tam angusto posuit carcere, quod nec stare, nec extenti iacere valebant; lumen etiam non habebãt, nec candelam; & solummodo dũ comedebant, vnum breuissimũ foramen in illo erat ergastulo, per quod cibaria eis porrigebãtur. Ibi lõgissimo tempore eos tenuit comes Fuxi, donec multa pecunia sunt redempti. Nunc ad id quod dimisimus reuertamur. Peractis apud Caturcũ comes nobilis negotijs, pro quibus illuc aduenerat, proposuit abire in terram Albigensem. Rediens igitur à Caturco, transiensque per castella sua, & visitans marchias suas, versus Appamias remeavit. Venit ad quandam munitionem prope Appamias, & inuenit eam contra se munitam. Erãt quidem in ea sex milites, & homines multi; comes verò ipsa die munitionem illam non potuit capere; sed in crastino mane insultu facto, porta succensa, suffosso muro, ipsam munitionem vi cepit & destruxit, tribus militibus qui erant in ea, & hominibus interfectis; tres solum milites ad consilium suorum reseruauit; quia promiserant, quod facerent reddi Lambertũ de Tureyo & Gualterum de Langatone Anglicum; quos, sicut dictum est, comes Fuxi tenebat. Inde Appamias comes noster peruenit: & dum esset ibi, nuntiatum est ei, quod homines de Podio Laurentij facta proditione tradiderant villã Sicardo, qui fuerat dominus castri; & iam tã ipse Sicardus cum suis militibus, quã homines illi, milites Guidonis de Luceio, qui custodiebant castrum, in munitione positos impugnarent. Sicut enim prædiximus, comes noster castrum illud dederat dicto Guidoni. Quo audito turbatus comes in auxilium militum properare cœpit; & cùm venissent ad Castrum nouum, venit ad eum qui diceret, milites dicti Guidonis turrem Podij Laurentij & omnia mœnia castri reddidisse aduersarijs, & verè sic erat. Quidam siquidẽ miles, cui præcipuè Guido sæpedictus custodiam commiserat castri sui, pecunia, vt dictum est, mediante reddiderat aduersarijs turrem prædictam. Sed post aliquot dies cùm de proditione in curia comitis accusaretur miles ille, & nollet se defendere per duellum, memoratus Guido illum patibulo suspendi fecit. Dimissis comes apud Castrum nouum quibusdam militibus suis ad munitionem castri, ipse iuit Carcassonam: verumtamen antequã recederet à Castro nouo, quosdam milites & balistarios miserat apud Montẽferrandum; vt custodirent castrum illud. Iam enim comes Tholosæ, & cæteri aduersarij fidei, vires resumpserant resistendi, videntes comitem nostrum esse quasi solũ: & discurrebant pér terram, vt possent castra quæ amiserant per proditione recuperare. Dum esset comes noster Carcassonæ, nunciatum est ei, quòd aduersarij sui in graui multitudine veniebant ad obsidendũ Castrum nouum; quo audito comes turbatus est valde: statim misit comes ad milites suos, qui erant in Castro nouo, & mandauit ne timerent à facie aduersariorum: quia ipse veniret, & adiuuaret eos.

Infidelitas hæretici.

CAPVT LVI.

Comes Tholosanus castrũ nouum, & Simonem Comitem illud defendentem obsidet.

QVadam igitur die Dominica, cùm esset comes Carcassonæ, & audisset Missam, & diuinis sacramentis communicasset, iturus ad Castrumnovum; conversus quidam Cisterciensis, qui aderat, cœpit consolari eum, & quãtùm poterat, animari. Cui vir nobilis totũ de Deo præsumens, Putatis, inquit, quòd timeam? Christi geritur negotiũ: vniversa pro me orat Ecclesia: scio, quòd non poterimus superari. His dictis ad Castrumnovum vir nobilissim⁹ properavit. Verùm quędam castella prope Castrumnouum jam à dominio ejus recesserãt: & de hominibus, quos in castris illis posuerat, plures jam fuerant ab adversariis per proditionem interfecti. Dum igitur esset comes noster in Castro-novo, ecce comes Tholosæ, & comes Fuxi, & Gasto de Bearno, & quidam nobilis Vasconiæ, cum infinita multitudine à Tholosa egressi, properabant, vt obsiderent castrumnovum. Veniebat etiam cum adversarijs ille pessim⁹ apostata, ille prævaricator, iniquus filius diaboli, minister Antichristi, Savaricus videlicet de Malleone, omnẽ excedens hęreticum, omni deterior infideli, impugnator Ecclesiæ, Christi hostis. O virum, imò virus pessimum! Sauaricũ dico: qui scelestus, & perditus, & prudens, & imprudens, currens adversus Dẽũ exerto collo, etiam impugnare ausus est Ecclesiã sanctam Dei. O hominem apostasiæ principem, crudelitatis artificẽ, peruersitatis auctorem! O hominem malignorum participem! O peruersorum consortem! ô hominem opprobrium hominum! ô virtutis ignarum! ô hominem diabolicum! imò totum diabolum. Audientes nostri tantam multitudinem aduenire, consuluerunt quidam ex ipsis comiti, vt aliquos de suis dimittens ad defensionem castri, secederet ad Fanum Iovis, vel etiam Carcassonam: sed habito saniori consilio, Deo meliùs providente, aduersariorum adventum in Castronouo, comes voluit expectare. Nec silendum, quòd cùm comes esset in Castro novo, & iam quasi esset in manus inimici, ecce missus à Deo Guido de Lucejo, cum quinquaginta ferme militibus superuenit: siquidẽ miserat omnes comes nobilis Regi Arragonię in auxilium contra Turcos. De quorum aduentu exhilaratus est comes, omnium nostrorum animi confortati. Rex autem ille, vtpote pessimus, qui numquam dilexerat negotium fidei, vel comitem nostrùm, militibus quos comes miserat in eius auxilium, valde inurbanum se exhibuit: imò etiam dum milites ipsi redirent ad comitem nostrum, de mandato ipsius comitis per literas eis facto, Rex perfidissimus, sicut dictum fuit; ipsis nostris militibus ad capiendos eos in via insidias præparauerat: innotuit sæpedictis militibus proditio, & à strata publica declinauerunt. O crudelis pij operis recompensatio! O tanti servitij dura stipendia! Iam propositum exequamur. Comite igitur apud Castrum novum,

Christiani Principis fiducia in Deum.

Rex Arragonum perfidus & ingratus.

secretius inimicorum suorum aduentum expectante, ecce quodam die subitò cum infinita multitudine venerant hostes; qui quasi locustæ terram operientes, circumquaq; discurrere cœperant. Vt autem appropinquaverant castro, statim homines de burgo exteriori per desuper murum se præcipitantes, & ad adversarios transferétes, burgum ipsis in primo accessu dimiserunt. Intrantes igitur aduersarij burgum, cœperunt huc illuc discurrere, lætabnndi, gaudentes. Comes verò noster tunc erat in mensa: armantes autem se nostri postquam comederant, de castro sunt egressi; & quotquot de aduersarijs in burgo inuenerunt, citiùs effugarunt, fugientesque aduersarios, & trementes de burgo viriliter ejecerunt. Quo facto comes Tholosæ, & qui cũ ipso erant, fixerunt tentoria à parte castri super montem. Posthæc ita fossatis, lignis, repagulis se cinxerunt, vt non tam obsidentes, quàm obsessi viderentur: videbaturque quasi fortior, & ad accessum difficilior locus in quo erat exercitus obsidentium, quam castrum obsessum. Cùm autem serò esset, adversarij intrauerunt burgũ: erat enim hominibus vacuum, quia nostri propter paucitatem, non poterant illud munire. Nõ enim erant in castro inter milites & seruientes, amplius quàm quingenti homines, cùm hostes fere centum milia esse crederentur. Timentes autem hostes qui burgum intrauerant, ne nostri expellerent eos, sicut antea fecerant; ipsum burgum lignis, & quibuscumque potuerunt, munierunt à parte murorum, ne ad eos exire possent: murumque forinsecum, qui erat inter burgum & exercitum, pluribus locis perforarunt, vt libetiùs fugere possent, si neceessitas immineret. In crastino autem exeuntes nostri de castro, & quidquid aduersarij fecerant destruentes, ipsos de burgo sicut priùs fecerant, projecerunt; fugientes vsque ad tentoria sunt sequuti. Nec silendum credimus, in quo tunc discrimine nobilis erat comes. Comitissa quippe erat apud Vaurum; primogenitus eius Almaricus apud Fanum Iouis infirmabatur: filia, quam in terra illa genuerant, nutriebatur apud Montem regalem, nec poterat alter alterum videre; vel in aliquo subuenire. Illud quoque supprimendum non est, quòd licet nostri essent paucissimi, omni die exibant, hostesque crebrissimè & validissimè impetebant. Nec enim, sicut iam diximus, nostri videbantur obsessi, sed potiùs obsidentes. Tot verò repagulis, sicut dictũ est, aduersarij se cinxerant, quòd nostri ad eos intrare non poterant, licet ardentissimè affectarent. Illud quoque adijciendum est, quòd seruientes nostri ad hostiũ oculos, quotidie equos nostrorum longè à castro ad dimidiam leugam adaquandum ducebant; vineas etiam, quæ erant prope exercitum, pedites nostri, videntibus & inuidentibus aduersarijs, quotidie vindemiabant; erat enim tempus vindemiarum. Quadam autem die, pessimus ille traditor comes Fuxi, & filius eius Rogerius Bernardi, non impar malitia, & magna pars exercitus, venientes prope castrum, voluerunt impugnare nostros, qui pro foribus castri armati stabant. Videntes autem nostri illos appropinquare, cũ maxima vi ipsos impetentes; ipsumque filium comitis Fuxi, & plures alios de equis præcipitantes, ad sua cum confusione tentoria redire compulerunt. Et quia non possemus omnes insultus & euentus illius obsidionis ad plenum exprimere; istud breuiter asserimus, quòd quotiescumque aduersarij ad nostros accedere ausi sunt, causa alicuius impetus faciendi, nostri tota die ante portas foris castrum manebant, bellum desiderantes, ipsos cum maxima eorum erubescentia in sua tentoria reduxerunt. Cùm hæc aguntur, vicina castra per circuitum recesserunt à dominio comitis nostri, & reddiderunt se comiti Tholosano. Die quadam illi de Cabareto miserunt ad comitem Tholosæ, & mandauerunt ei, vt veniret, vel mitteret ad eos, & ipsi statim ei reddiderunt Cabaretum: castrum autem Cabareti distabat à Castro novo quinque leugis. Nocte igitur quadam mouentes aduersariorũ plurimi à castris suis missi à comite Tholosano, cœperunt ire, vt acciperent Cabaretum. Cùm autẽ essent hostes nostri in itinere, diuina disponente clementia, viam quæ ducebat Cabaretum perdiderunt, & diutius deuiantes per inuia, ad sæpedictum castrum Cabareti peruenire nequiuerunt; sicque post longas vagationes, ad castra vnde exierant sunt reuersi. Interea erigi fecit comes Tholosæ machinam, quæ dicitur mangonellus: cœpitque iacere mangonellus in castrũ; sed obfuit nostris in modico, aut in nullo. Post aliquot autem dies parari fecit comes Tholosanus machinam quandam miræ magnitudinis, ad diruendum murum castri. Iaciebantur autem in machina illa maximi lapides, & quidquid contingere poterant, diruebant. Cùm iecissent autem hostes in machina præfata per multos dies, accessit ad comitem Tholosæ quidam suus iaculator, & dixit ei. Vt quid in machina illa tot & tanta expenditis, vt quid muros castri huius destruere satagitis: nonne videtis quotidie, quòd vsque ad tentoria nostra veniunt hostes nostri, & exire non audetis? Certè deberetis velle, quod ferreus esset murus, vt ad nos accedere non valerent. Contingebat siquidem in illa obsidione præter solitum res mirabilis; quia cùm obsidentes obsessos soleant impugnare, obsessi nostri iure contrario, suos impetebant crebriùs obsessores; nostri præterea aduersarios deridebant in hæc verba. Cur in machina vestra & tanta & tot expéditis, in diruẽdo diuti⁹ muro laboratis? credite nobis, nos ab expensa vobis parcemus, nos expediemus vos à labore. Viginti solummodo marchas nobis date, & nos ipsius muri centum cubitos in longitudine funditus diruentes, terræ faciemus adæquari; ita vt si ausi fueritis, non obstante muro ad nos liberè transeatis. O virtus animi! O fortissimum robur mentis! Die quadam exiens comes noster à castro, tendebat vt discinderet machinam supradictam: aduersarij autem tot circa machinam illam fecerant repagula fossataque, quod nostri ad eam pertingere nequiuerunt. Vir autem fortissimus, comes videlicet noster, sedens in equo, fossatum quoddam amplissimum & profundum transire voluit, & in suos irruere audaci⁹ inimicos. Quod videntes quidam de nostris discrimenque ineuitabile, si comes istud faceret, attendentes; arripientes ipsum per frenum, tenuerunt, ne se morti exponeret imminenti; quo facto omnes nostri nullo de suis amisso, ad castrum redierunt, pluribus de aduersarijs interfectis. Rebus sic se habentibus, misit comes noster marescallum suũ Guidonem de Leueis, virum fidelem, & armis strenuum, vt à Fano Iouis & Carcassona faceret victualia deferri ad comitem: hominibus etiam

Obsidentes obsessi videbantur.

Heretici deviant, & redire coguntur

Carcassonensibus & Biterrensibus præciperet, vt ad comitis auxilium festinarēt. Sed cùm nihil proficere posset, omnis quippe terra corruperat viam suam, ad comitem remeauit; comes iterum remisit eum, & cum eo virū nobilem Matthæum de Marliaco fratrem Buchardi: qui venientes ad homines terræ comitis, iterum atque iterum rogauerunt, vt ad comitem venirent, minas precibus adijcientes: sed cùm peruersi homines, & iam vacillantes nollent eos audire; etiam tunc Aimericum dominum Narbonæ, & ciues Narbonenses adierunt, rogantes & monentes, vt ad adiuuandum comitem festinarent. Responderūt ciues Narbonenses, & dixerunt mareschallo, quòd si Aimericus dominus eorum iret cum eis, ipsi eum sequerentur. Ipse verò nullo modo, vtpote vir multum argutissimus, potuit adhoc induci. Exeuntes autem dicti milites nostri à Narbona, de tam populosa ciuitate, vix trecentos homines extraxerunt, & cùm venissent Carcassonam, de tota terra illa non potuerunt habere homines plusquam quingentos; quos cùm vellēt ducere ad Comitem, illi nullo modo voluerūt; sed omnes statim ad propria refugerunt. Interea perfidissimus comes Fuxi quoddam castrum, quod erat Buchardi de Marliaco, prope Castrū nouum à parte Orientali versus Carcassonam, quod S. Martinus dicitur, & quasdam alias munitiones in circuitu occupauerat, & munierat contra nostros. Comes autem mandauerat Buchardo de Marliaco & Martino Algais, qui erant cum comitissa apud Vaurum, vt venirent ad Castrum nouum. Iste Martinus miles erat hispanus, quondam ex nostris: sed quàm pessimè postea se habuit, in sequentibus ostendetur.

CAPVT LVII.

Acerrimo conflictu, illustrique victoria, crucesignati Fuxi comitem ad arcem S. Martini profligant.

ERat autē cū comite nostro miles quidā Carcassonensis de Monte-regali, Guillelmus cognomine Catus, cui dominus comes terram dederat, ipsumque militem fecerat; quem in tāta familiaritate habebat, quòd filiam ipsius comitis dictus Guillelmus leuauerat de sacro fonte. Comes siquidem, & comitissa, & omnes nostri, de ipso super omnes indigenas confidebāt; adeo quòd dominus comes proprium suum primogenitum ipsi traddit aliquando custodiendum. Miserat autem comes à Castro nouo ad Fanum Iouis, vt homines de castris vicinis in auxilium comitis adduceret ad Castrum nouū. Sed iste omni hoste deterior, omnium pessimus traditorum, ingratus beneficijs, oblitus amoris, associatis sibi aliquibus indigenis, pari crudelitatis affectu, in tantam nequitiam pariter consenserunt; vt mareschallum prædictum, & socios eius redeuntes à Carcassona, caperent, & traderent in manus comitis Fuxensis. Oiniqnum proditionis genus! O pestis dura! O crudelitatis artificium! O adinuentio diabolica! Innotuit autem mareschallo prædicto, & ab insidijs declinauit. Nec prætereundum, quòd plures homines terræ illius, aliqui etiam abbates, qui castra multa habebant, recesserunt tunc à comite nostro, & iurauerunt fidelitatem comiti Tholosano. Oiuramentum execrabile! ô infidelitas infidelis! Interea Buchardus de Marliaco, & Martinus Algais, & quidam alij milites comitis nostri, venientes à castro Vauri, & ad auxiliū comitis properantes, venerunt Saxiacum castrū Buchardi; quia non audebant venire recta via, à Vauro ad Castrum nouum. Die autem præcedenti ingressum eorum in Castrum nouum, comes Fuxi, qui eorum aduentum præsciebat, exiens ierat ad castrum supradictum, quod dicitur S. Martinus, per quod milites nostri debebāt transire; vt impugnaret eos. Nobilis verò comes noster istud sciens, Guidonem de Luceio, Castellanum de Malpha, vicecomitem Donges, militesque alios vsque ad quadraginta, misit suis in auxilium; & mandauit, quòd in crastino sine dubio, contra prædictum comitem Fuxi, pugnam essent habituri. Missis illis militibus, non remanserunt cum comite inter milites & armigeros in equis amplius quàm sexaginta. Videns autē comes Fuxi, quòd comes noster misisset suis in auxilium, recedens à castro S. Martini redijt ad exercitum, vt inde assumens armatos secum, rediret ad impugnandum Mareschallum, & eos qui cum eo manebant. Interea comes noster Guillelmum Catum, & milites indigenas, qui cum eo in Castro nouo,* allocutus est in hunc modū. Ecce, inquit, fratres charissimi, comes Tholosæ, & comes Fuxi, viri potentes, cum infinita multitudine sanguinem meum quærunt: ego autē sum in medio hostiū quasi solus. Rogo vos pro Deo, quatinus si timore vel amore ducti, vultis ire ad eos, & à me recedere, non celetis; & ego sanos & saluos vsque ad ipsos faciam vos conduci. O nobilitas viri! O excellentia principis! Respondens autē alter iudas, Guillelmus videlicet Catus, dixit. Absit, domine mi, absit, vt à vobis recedamus; etenim, etsi omnes vos reliquerint, vsque ad mortem vobiscum perseuerabo. Similiter autem & omnes dixerunt: sed non multò pòst dictus traditor, cum quibusdam socijs suis recessit à comite; factus de familiarissimo crudelissimus persequutor. His ita gestis, Mareschallus & Buchardus de Marliaco, & qui cum ipso erant, summo manè audita missa, facta confessione, & cōmunione dominici corporis suscepta, ascensis equis ad comitem dirigunt iter suum. Comes autem Fuxensis sentiens eos venire, accepta secum de melioribus exercitus totius innumera multitudine equitum armatorum, pluribusque etiam millibus peditum electorum, pugnaturus contra nostros obuiam properauit. Fecerat autem idem comes tres turmas: comes autem noster qui erat illa die ante fores Castri noui, & aduentum suorum solicitus expectabat, videns quòd comes Fuxi ad dimicandum contra eos properaret, illos qui secum erant consuluit, quid facere tunc deberent. Diuersis diuersa sentientibus; dicentibus quibusdam ipsum debere ad custodiam castri remanere; alijs è contrario dicentibus, vt ad auxiliandū suis militibus properaret; vir indefessæ virtutis, vir probitatis inuictæ dixisse perhibetur. Paucissimi in castro isto remansimus, totumque Christi negotium pendet ex hoc bello; absit vt milites nostri moriātur in prælio gloriosi, ego viuus & ignominiosus euadā; volo vincere cum meis, vel cum meis mori; eamus & nos, & si necesse fuerit, moriamur cum illis. Quis inter hæc se à lachrymis contineret? sic fatur lacrymans, statimque suis properat in succursum. Comes autem Fuxi vt appropinquauit nostris, tres turmas quas fecerat, in vnam redegit. Hic adijciendum, quòd episcopus Ca-

*erant

turcensis, & quidam monach' Cisterciensis, qui de mandato abbatis Cistercij, de negotio Iesu Christi curam gerebant, veniebant cum mareschallo; qui videntes hostes venientes, bellúque imminere, cœperunt hortari nostros, vt viriliter se haberent; promittētes firmissimè, quòd si in tā glorioso certamine pro fide occumberent Christiana, remissionem adepti peccatorū, omni statim gloria & honore coronati, mercedem reciperent sui certaminis & laboris. Strenuissimi autem milites nostri, certi quidem de præmio, sed & bonam de reportanda victoria spem habentes, hilares & intrepidi hostibus occurrebāt: illi autem veniebant in vnum conglobati. Ordinauerunt autem ipsi aduersarij aciem suam: illi qui in equis sedebant, ferro coopertis incedebant medij: reliqui autem equites ex vna parte, pedites vero ex altera optimè muniti. Habito igiturr nostri inter se consilio, quòd illos qui habebant equos coopertos prius impeterent; dum hæc fierent, aspiciebāt nostri à longè, viderunt comitem nostrum exeuntē à Castro novo, & in eorum auxilium properantem: statim duplicata audacia, animosiores effecti, inuocato Christo in hostes se medios immiserunt, ipsosque dicto citiùs penetrarunt: illi autem victi in momento & confusi, fugæ præsidia arripuerunt. Quod videntes nostri, statim ad pedites qui stabant à parte altera se vertentes, de illis innumerabiles occiderunt. Nec silendum, quòd sicut mareschallus veridica relatione asseruit, contra vnumquemque ex nostris, erant hostes plusquā trigita. Agnoscatur igitur operata diuinitas. Nō enim potuit comes noster bello interesse, quamvis sub festinatione maxima adueniret; iā enim suis militibus victoriam dederat victor Christ'. Insequentibus igitur nostris fugientes aduersarios, & extremos quosque cædentibus, facta est hostium strages magna: de nostris autem non occubuerunt amplius quam triginta, cum à nostris innumerabiles fuerint interfecti. Nec prætereundum, quod Martinus Algais, de quo supra tetigimus, in primo insultu de bello resiliens fugere cœpit: quem venerabilis Episcopus Caturcensis, qui prope erat fugientem videns, & quid factum esset requirens; mortui, inquit ille, sumus omnes. Quod vir catholicus non credens, ipsumque duriùs obiurgans, redire compulit ad certamen. Prætereundum etiam non est, quòd fugientes hostes præ timore mortis, exclamabant fortiter, Mons-fortis, Mons-fortis, vt sic se fingerent esse de nostris, & manus persequentium euaderent arte tali. Nostri verò artem istam arte alia deludebant: cùm enim audiret aliquis de nostris, quempiam hostium exclamare Mons-fortis præ timore, dicebat ei. Si noster es, occide istum fugientem, demonstrató videlicet de fugientibus. At ille timore ductus suum socium occidebat; sed ille qui socium occiderat, occidebatur; mercedem recipiens fraudis suæ & sceleris à nostris. O res mirabilis & inaudita! qui enim causa occidendi nostros ad bellum accesserant, iusto Dei iudicio, suosmetipsos occidentes nobis famulabantur, licet inviti. Postquam nostri hostes diutius fugauerant, & occiderant infinitos, stetit comes in medio campo, vt suos qui insequentes hostes circumquaque dispersi erant, recolligens congregaret. Interea ille apostatarum omnium præcipu', Sauaricus videlicet de Malleone, & magna multitudo armatorum, egressi à loco castrorum, ad fores accesserant Castri novi; ibique stantes cū magna superbia, eleuatis vexillis, belli exitum expectabant. Plurimi etiam ex ipsis inferius burgum intrantes, cœperunt acriùs impugnare illos qui in castro remanserant; quinque videlicet solummodo milites, & paucissimos seruientes. Sed quamvis essent paucissimi, infinitos hostes armis & balistis munitissimos de ipso burgo repellentes, se strenuissimè defendebant. Videns igitur dictus proditor, Sauaricus videlicet, nostros in campo belli obtinuisse victoriam; cernensque, quòd illi qui erant cum eo, castrum capere non potuissent, recollectis suis, confusus ad tentoria remeauit. Comes autem noster, & qui cum eo erant, à campo reportata victoria reuertentes, in ipsa tentoria aduersariorum irrumpere noluerunt. O inuicti milites! O Christi tyrones! sicut iam suprà dictum est, hostes tot se repagulis concluserant & fossatis, quòd nostri nisi de equis descenderent, ad eos accedere non valebant: quod cùm comes facere festinaret, cōsuluerunt quidam, vt differret in diem alteram; eoquod recentes essent hostes, nostri vero prælio fatigati. Acquieuit comes, vtpote qui omnia agens cum consilio & sēper, in his obtemperare voluit. Rediens igitur in castrum vir nobilis, sciensque Dei esse virtutem, Dei esse victoriam, descendens de equo in ipso introitu Castri noui, nudus pedes ad ecclesiam perrexit, omnipotenti Deo pro collatis beneficijs gratias repensurus; in qua ecclesia decantantes nostri cū deuotione & exultatione maxima, *Te Deum laudamus*, in hymnis & confessionibus benedicebant dominum, qui magna fecit in populo suo, & victoriam de suis contulit inimicis. Non credimus autem prætereundum quoddam miraculum, quòd contigit ipso tempore, in quadam abbatia ordinis Cisterciensis, quæ est in territorio Tholosano, & dicitur Grandis-sylva. Monachi domus illius in magna afflictione positi erant; quia si nobilis comes Montis-fortis caperetur in Castro nouo, vel occumberet in bello, imminebat eis mors & gladius. Comes siquidem Tholosanus & complices sui, super omnes exosos habebant monachos Cisterciensis ordinis, & præcipuè domum illam: eoquod abbas Cisterciensis Arnaldus Apostolicæ sedis Legatus, cui exheredationem suam præ ceteris imputabant, abbas fuerat domus illius. Quadam itaque die dum quidam monachus dictæ domus vir religiosus & sanctus celebraret diuina; in ipsa eucharistiæ cōsecratione, ex intima cordis deuotione, pro dicto comite Montis-fortis, qui tunc temporis in dicto Castro nouo obsessus erat, supplicauit: ad quem vox diuina. Quid pro eo oras? Tot pro ipso sunt orantes, quòd oratione tua nō est opus.

Stratagema hostium delusum.

Cœnobium Grandissiluæ præ ceteris exosum hæreticis.

Capvt. LVIII.

Castrum nouum obsidione liberatur.

INterea comes Fuxi nouum proditionis artificium adinuenit; imitans videlicet patrē suum diabolum: qui cùm in vno fuerit superatus, ad alia nocendi conuertitur argumenta. Misit igitur nuntios suos longè lateque per castella, qui comitem Montis-fortis in bello superatum assererent; quidam etiam excoriatum dicerent & suspensum; qua de causa reddiderunt se id temporis aduersarijs nostris. In crastino verò gloriosæ victoriæ consuluerunt comiti nostro milites

fui, vt exiret de Castronouo, quosdam de suis dimittens ibi; pergensque per terram suam, homines quos posset adunaret. Exiens igitur comes de Castronouo perrexit Narbonam. Veniebãt autem de Francia tunc peregrini, Alanus videlicet de Rociaco, vir multæ probitatis; & quidam alij, sed pauci. Comes autem Tholosæ, & qui cum ipso erant, videntes, quod nihil in obsidione Castri noui proficerent; per aliquot dies cõbusta machina sua, cum magna confusione ad propria sunt reuersi. Nec silendum, quòd non fuerunt ausi egredi de castris suis, donec agnouerunt comitem nostrum à castro exisse. Dum igitur esset comes noster apud Narbonam, haberetque secum supradictos peregrinos, plures etiam congregasset de hominibus indigenis; vt rediens pugnaret contra comitem Tolosanum, & eos qui cum eo erant; nuntiatum est ei, quòd comes dictus & sui recesserant ab obsidione Castrinoui. Comes autem noster dimissis indigenis, quos adunauerat, peregrinos tantùm duces secum, rediit ad Castrum nouum: & proposuit, quòd omnes in circuitu munitiones, quæ ab eius dominio recesserant, funditus euerteret. Quod dum fieret, nuntiatum est ei, quoddam castrum, nomine Constantianũ, versus Thermas, ab eius iurisdictione resiliisse, & se inimicis fidei reddidisse. Quo audito statim properauit comes, vt Castrum illud obsideret: quod castrum cùm per aliquot dies impugnasset, videntes qui intus erant, quod non poterant resistere, se & castrum comiti reddiderunt, vt suam de ipsis faceret per omnia voluntatem. Quo facto rediit comes ad Castrũ nouum. Statim nuntiatur comiti nostro, quòd homines castri, quod dicitur Mons-acutus, in diœcesi Albiensi, reddiderant se comiti Tholosano; munitionesque castri, & eos quos comes noster in eo custodiendo posuerat, impugnabãt. Properauit comes noster; sed antequam posset peruenire, illi qui erant in munitione prædicta, iam reddiderant aduersarijs munitionem. Quid plura? Omnia in circuitu castra nobilissima & fortissima, exceptis paucissimis, tunc quasi in vno die reddiderunt se comiti Tholosano. Nomina autem castrorum nobilium, quæ tunc temporis sunt amissa, sunt hæc. In Albiensi diœcesi, Rabasten, Mons-acutus, Galliacum, castrum de Graua, Cahusacum, S. Marcellus, Guespia, S. Antoninus. In diœcesi autem Tholosana iam se reddiderant ante obsidionẽ Castri noui, in ipso tempore obsidionis, Podium Laurentij, Casser, S. Fœlix, Mons-ferrandus, Auinio, S. Michael, Cuc, & Sauerdunum. Præterea perdita sunt alia castra minora, quæ non possemus per singula enarrare; dicuntur siquidem amplius quàm quinquaginta. Quandam autem pessimam & inauditam traditionem, quæ facta est tunc in castro de Grauis, quod est in diœcesi Albiensi, non credimus prætermittendam. Nobilis comes noster cuidam militi Francigenæ castrum illud tradiderat: miles autem ille credebat se hominibus castri plusquam opus esset: illi autẽ de eius morte cogitabant. Quadam verò die, faciebat sæpedictus miles dolia sua refici à quodam carpentario dicti castri, & dum idem carpentarius vnum dolium refecisset, dixit præfato militi, vt inspiceret, & videret, vtrum dolium esset bene reparatum. Qui cùm caput in dolium submisisset, carpentarius eleuata securi, caput illius amputauit. O crudelitas inaudita! Statim insurrexerunt homines castri, & paucos Francigenas quierant in castro occiderunt. Quod cùm audisset nobilis comes Balduinus, de quo suprà tetigimus, frater comitis Tholosani, quadã die summo diluculo venit ante castrum; at illi exeuntes obuiam, putantes quod ipse esset comes Tholosæ, eoquod similia arma portaret, introduxerunt eum in castrum; & lætabundi & gaudentes, crudelitatem quam fecerant narrauerunt. Ille autem cum armata multitudine in eos insiliens, ferè omnes à minimo vsque ad maximum interfecit. Videns comes noster, quòd tot & tanta amisisset, venit Appamias, vt castrum illud muniret, & cùm ibi moraretur, mandauit ei comes Fuxi, quod si solũmodo quatuor dies expectaret, veniret ipse, & pugnaret contra ipsum. Comes autem noster remandauit ei, quod non solummodo quatuor dies, imo plusquam decem apud Appamias expectaret; comes autem Fuxi non fuit ausus venire: insuper milites nostri, etiam sine comite nostro, terram Fuxensem intrauerunt, & quoddam castrũ dicti comitis destruxerunt. Post hæc reuersus est comes noster versus Fanum Iouis; misitque castellanum de Malfa, & Gaufridum fratrem eius milites strenuos, cum alijs paucissimis ad quoddam castrũ; vt facerent deferri bladum à castro ad Fanum Iouis, ad muniendum castrum ipsum. Qui cùm redirent à castro prædicto, filius comitis Fuxi à patris nequitia non degenerans, posuit se in insidijs iuxta viã, per quam dicti milites venire debebant. Habebat autem traditor ille secum armatorum multitudinẽ copiosam. Transeuntibus autem nostris, surgentes hostes de insidijs, aggressi sunt eos; circundantesque dictum Gaufridum, ipsum vndique infestabant. Ille autem, vtpote miles optimus, se viriliter defendebat, habebat verò paucissimos adiutores. Cùm ergo equum suum iam amisisset, & esset iam in suprema necessitate, dicebant ei hostes, vt se redderet: vir autem miræ probitatis, tale fertur dedisse responsum: Christo, inquit, me reddidi, absit vt eius me reddam inimicis: sicque inter hostiũ ictus, gloriosum, vt credimus, spiritum exhalauit. Occubuit etiam cum eo quidam strenuissimus iuuenis cognatus dicti Gaufridi, & alij pauci. Miles quidam verò nomine Drogo, viuum se reddidit, quem comes Fuxi detinuit incarceratum; Castellanus autem de Malfa viu' euadens, amissis fratre & cognato, gemebundus ad castrum, à quo recesserant, remeauit. Post hæc reuertentes nostri ad locum, & tollentes corpora occisorum, sepelierunt ea in quadam abbatia ord. Cisterciensis, quæ dicebatur Bolbonia. Tempore illo Guillelmus venerabilis Archidiaconus Parisiensis, & quidam alius magister Iacobus de vitriaco, de mandato, & ad preces episcopi Vticensis, quem dominus papa pro negotio fidei, contra hæreticos legatũ præfecerat; qui etiam ipsum negotium diligebat, & efficaciter promouebat, prædicationis officiũ assumpserunt; qui zelo fidei succensi, Franciam, imò Alemanniam circumeuntes, tota hyeme illa incredibilem fidelium multitudinem ad Christi militiam signo crucis in pectoribus signauerunt. Isti siquidem duo, præcipuè post Deum, fidei negotium in partibus Gallicanis & Teutonicis promouerunt.

Mons acutus in diœc. Albiensi.

Bolbonia Cœnobium Ordinis Cisterciensis.

Iacobus à Vitriaco crucem prædicat.

Capvt LIX.

R. Malvicinus centum stipatus militibus ex Gallia, Monfortio comiti suppetias venit.

REbus sic se habentibus, ille nobilissimus militum, ille Christi servus, ille Iesu negotij amator præcipuus, & promotor, Robertus videlicet Malus-vicinus, qui præcedenti ætate perrexerat in Franciam, redibat habens secum de electis militibus Franciæ plusquam centum: qui omnes ducem suum fecerant, & magistrum. Hi omnes admonitionibus virorum venerabilium, episcopi videlicet Tholosani, & abbatis Vallium signati, accinxerant se ad militiam Iesu Christi: qui tota hyeme illa in seruitio Iesu Christi perseuerantes, supradictum negotium, quod in multa depressione tunc erat, nobiliter erexerunt. Audiens comes dictos milites aduenire, iuit obviam eis vsque Carcassonam: quò cùm pervenisset, fit exultatio incredibilis inter nostros; fit gaudium magnum valde: inde venit comes cum dictis militibus, vsque Fanum Iovis. Ipso tempore comes Fuxi obsederat quoddam castrum cuiusdam militis indigenæ, nomine Guillelmi Dauta; qui comiti nostro adhærens, ipsum quantum poterat adiuvabat. Erat autem castrum illud prope terram comitis Fuxi, & vocabatur Carun. Comes autem Fuxi jam istud castrum impugnauerat per 15. dies. Moventes igitur nostri à Fano Iovis, properabant, vt comitẽ Fuxi amouerent ab obsidione dicti castri C mes autem ille audiens nostros advenire, relictis ibi machinis suis, cum magna confusione fugiens, ab obsidione recessit: nostri verò per aliquot dies deuastantes terram eius, quatuor de castellis ejus destruxerunt. Inde redeuntes ad Fanum Iovis, properauerunt, vt obsiderent quoddam castrum in Tholosana diœcesi, quod dicitur Pomareda: quod castrum cùm per aliquot dies impugnassent, quodam die facto insultu, fossatum castri vi impleuerunt; sed nocte superueniente, non ceperunt castrum ipsa die. Videntes autem qui in castro erant, quòd quasi capti erãt, media nocte perforantes murum, clanculo aufugerunt; quo facto statim nunciatur comiti, quòd castrum quoddam nomine Albedunum in diœcesi Narbonensi ab eius dominio recessisset; quò dum pergeret comes, dominus castri venit obuiam ei, & se & castrum ejus tradidit voluntati.

Capvt LX.

Venit Guido de Monte forti ad comitem Montisfortis fratrem suum de vltramarinis partibus, cujus aduentu mirificè exultat comes.

HIs gestis venit comes ad illud nobile castrũ in diœcesi Albigensi, quod dicitur Castra, vbi dum moraretur, & ageretur festum dominicæ Nativitatis, venit ad ipsum Guido frater eius germanus, rediens à partibus transmarinis. Iste Guidò frater comitis cum ipso ierat vltra mare, sed redeunte comite, remansit iste Guido in partibus transmarinis, quia duxerat ibi vxorem nobilissimam de regio semine, quæ erat domina Sydonis: quæ etiam veniebat cum eo, cum filijs suis, quos de ipso Guidone susceperat. Nec silendum quòd dum veniret dictus Guido ad comitem, quædam castella in territorio Albiensi, quæ resilierant à dominio comitis sæpememorati, Guidoni se reddiderunt. Quanta autem in aduentu fratris fuerit comitis & nostrorum exultatio, non est qui posset explicare. Post paucos autem dies, properauerunt nostri ad obsidendum quoddam castrum in Albiensi diœcesi, quod dicitur Tudelle, & erat patris Giraldi de Pepios illius pessimi traditoris. Impugnantes autem nostri castrum, post paucos dies illud ceperunt, & fere omnes in ore gladij interfecerũt: solummodo pater Giraldi .... evasit, quem comes reddidit pro quodam milite, quem comes Fuxi tenebat in vinculis, nomine Drocone de Compenso, consanguineo Roberti maluicini. Post hæc properauit comes nobilis, vt obsideret quoddam castrum, quod dicitur Cabusacum, in territorio Albiensi: vbi cùm media hieme præter solitum esset in obsidione, & paucissimos haberet secum, per multos labores & angustias cepit illud castrum. Comes autem Tholosæ & comes Comingensis, & comes Fuxi cum infinita multitudine, congregati erant apud quoddã castrum proximum, nomine Galliacum, miserũtque nuncios ad comitem nostrum, mandantes quod venirent ad impugnandum eum. Hoc autem dicebant, vt si possent terrere comitem nostrum, suam fortè dimitteret obsidionem. Miserunt semel, miserunt iterum, & tamen non sunt ausi venire. Videns autem comes, quòd non venirent, dixit suis, Ex quo non veniunt, certè ego ibo & visitabo illos: & accipiens secum armatos de suis, properare cœpit tendens versus Galliacum, cum paucis ibat spirans & anhelans bellum. Quod audiens comes Tholosæ, & qui cum eo erant, exeuntes à Galliaco, fugerunt versus quoddam castrum proximũ, nomine Montẽ acutũ: comes autẽ noster sequutus est eos, vsque ad castrum illud: q videntes illi inde fugerunt, at illi egressi à castro illo, fugerunt versus Tholosam. Videns igitur comes noster, quod non auderent eum expectare, ad castrum vnde venerat remeauit. His ita rite peractis, misit dominus comes ad abbatem Cisterciensem, qui erat apud Albiam, quærens ab eo quid facto opus esset. Consilium autem abbatis fuit, vt comes obsideret castrum illud S Marcelli, quod prope Albiam ad tres leugas situm erat. Comes verò Tolosæ cuidam pessimo traditori Geraldo de Pepios, commiserat castrũ illud. Venientes igitur nostri ad castrum, tantum ab vna parte obsederunt illud: erant siquidem paucissimi, castrũ verò magnum & fortissimum. Statim certa machina nostri cœperunt fortiter impugnare. Post aliquot verò dies comes Tholosæ, & comes Comigensis, & comes Fuxi, cum incredibili multitudine venientes, intrauerunt castrum, vt illud defenderent contra nostros: & quia castrum licet amplum, non potuit capere tantam multitudinem, fixerunt tentoria sua plurimi hostium ex alia parte castri: quo facto, nostri ab expugnatione castri non desistebant, aduersarij se quantum poterant defendebant. O res mirabilis & stupenda! cum obsidentes soleant obsessos numero & fortitudine superare, obsessi ferme in decuplo plures erant quàm obsidentes: non enim erant nostri amplius quàm centum milites, cum hostes essent amplius quam quingenti. Habebant præterea dicti comites innumerabilem peditum multitudinem: nostri verò habebant pedites nullos aut paucissimos. O grande factũ! O nouitas inexperta! Nec silendum, quod quotiescumque aduersarij exire ausi sunt aduersus nostros, statim à nostris cum virtute maxima sũt repulsi. Quodam denique die comes Fuxi, cum

Obsessi hæretici decuplo plures quàm obsidentes Catholici.

multis exiens de castro, veniebat vt nostram petrariā debilitaret. Quod videntes seruientes nostri, ipsosque solo iactu lapidum viriliter repellentes, antequam milites nostri armari potuissent, in castrum recluserunt. Facta est autem caristia magna in exercitu, non enim poterant nostri habere victualia, nisi ab Albia: aduersarij præterea nostri cum maxima multitudine exeuntes, ita stratas publicas obseruabant, quod illi de Albia non audebant venire ad exercitū, nisi comes dimidium gentis suæ mitteret pro conductu. Peracto igitur in obsidione illa mense vno, sciens comes quòd si paucos milites quos habebat diuideret, dimidiam partem secum retinens, dimidiam pro victualibus mittens: exeuntes aduersarij qui infiniti erant, hos vel illos expugnarent; tam euidenti necessitate compellente perplexus, postquam per plures dies panis in exercitu defecerat, ab obsidione recessit. Nec prætermittendum, quòd cùm comes ipsa die parasceues, vtpote totus catholicus, & diuino seruitio mancipatus, in papilione suo Dominicæ passionis officium faceret solemniter celebrari: audientes aduersarij clericos nostros cantantes, in subsannationem & derisum, ascendentes muros, vlulatum teterrimum emittebant. O peruersa infidelitas! O infidelis peruersitas! Si quis autem diligenter consideret, ampliorem in ista obsidione honorem & gloriam consecutus est comes noster, quam vnquam fuerat in alicuius castri licet fortissimi captione: ab illo siquidem tempore & deinceps, eius probitas magna emicuit, constantia plus refulsit. Nec silendū, quod cùm comes noster à castro recederet sæpedicto, aduersarij licet infiniti, nō sunt ausi exire, vt nostros recedentes aliquantulū impugnarent. Miraculum, quod contigit ipso tempore in diœcesi Rutenensi, nolumus præterire. Prædicabat nāque quadam die dominica in quodam castro abbas quidam de Bonaualle, ord. Cisterciensis, ecclesia autem modica erat, & non poterat capere populum qui aderat: qua de causa egressi erant omnes, & ante fores ecclesiæ prædicationem abbatis audiebant; circa finem verò prædicationis, cum venerabilis abbas vellet hortari populum qui aderat super assumendis crucibus cōtra Albigenses, subitò videntibus cunctis apparuit crux in aëre; quæ versus partes Tholosanas tendere videbatur. Miraculum istud audiui ab ore dicti abbatis, viri religiosi, & grandis auctoritatis. Recedens comes ab obsidione S. Marcelli, ipsa die, scilicet in vigilia Paschæ, venit Albiam, actum ibi festum dominicæ resurrectionis. Aduenerat autem ibi à Francia venerabilis abbas Vallium, de quo suprà fecimus mentionē. Erat enim electus in Episcopū Carcassonensem Quē cùm comes & milites nostri in prædicta repperissent ciuitate, gauisi sunt valde, omnes enim ipsum affectu præcipuo diligebant. Erat enim à multis annis familiarissimus comiti: idem insuper comes quasi ab infantia eius consilijs se subdiderat; ad eius se habuerat voluntatem. Ipso etiam tempore electus fuerat abbas Cistercij Arnaldus, de quo sæpe fecimus mentionem, in Archiepiscopum Narbonensem. Ipsa die Paschæ exiens comes Tholosæ, & qui cum eo erant à castro S. Marcelli, venerunt Galliacum; quod tribus leugis distat ab Albia. Cogitans autem comes noster, ne fortè gloriarentur aduersarij, se vicisse nostros; volensque palā ostendere, quòd à facie eorum non timebat; in crastino Paschæ exiens ab Albia cum suis, iuit Galliacum, suos inuitans ad prælium inimicos. Et cùm illi non essent ausi egredi aduersus eum, ipse Albiam remeauit. Electus autem Carcassonensium, de quo suprà tetigimus, erat in ciuitate illa, & ego cum eo; me enim adduxerat secum de Francia, ob solatium suum, in terra aliena peregrinus: cùm essem monachus, & nepos ipsius.

Pietas Monfortij in Deū.

Crux in aëre apparet.

Author huius historiæ nepos erat Abbat. Vallium.

Caput LXI.

Obsidio Altipulli, & expugnatio fortissima, atque captio gloriosa.

Hautpoul.

Peractis apud Albiam aliquot diebus, perrexit comes cum suis ad castrum, quod dicitur Castra: vbi cùm fecissemus paucos dies, habito comes consilio, proposuit comes obsidere quoddam castrum inter Castra & Cabaretum, quod dicitur Altus-pullus. Castrum siquidem illud circa tempus obsidionis Castri noui reddiderat se comiti Tholosano. Exeuntes igitur à Castris quadam die dominica, scilicet in quindena Paschæ, venimus ante castrum prædictum. Hostes autem qui ad defendendum intrauerant castum illud, cuius suburbia magna, exeuntes aduersus nostros, cœperunt eos acriùs infestare: nostri verò mox illos in castrum retrudentes, à parte vna castri fixere tentoria; erant enim pauci. Castrū autem Alti-pulli in altissimi & arduissimi montis arduitate, super rupes maximas, & quasi inaccessibiles situm erat. Tantæ siquidem erat fortitudinis, sicut ipse vidi oculis, & experientia didici: quòd si apertæ essent ianuæ castri, & nullus penitus resisteret, non posset quis sine graui difficultate ipsum castrum perambulare, & ad turrim ipsius pertingere. Præparantes igitur nostri petrariam vnam, ipsam die tertia aduentus sui erexerunt, & fecerunt iacere ad turrem castri. Eadem etiam die armauerunt se nostri milites, descendentesque in vallem ad pedes castri, voluere ascendere in castrum, si fortè illud capere possent per insultum. Factum est autem dum intrassent primum burgum, ascendentes illi de castro super muros & domos, cœperunt ingentes lapides creberrimosque iacere super nostros, Alij autem in loco per quem nostri intrauerant ignem copiosum accenderunt. Videntes igitur nostri, quòd nihil proficerent, eoquod hominibus quasi inaccessibilis esset locus ille; iactus etiam lapidum sustinere non possent; per medium ignem, non sine graui dispendio exierunt. Quadam autem die pessimam & crudelissimam traditionem, quam fecerant illi de castro, non credimus prætermittendam. Erat autem cum comite nostro miles indigena, cognatus cuiusdam traditoris, qui erat in castro: qui etiam ex parte dominus fuerat Cabareti. Mādaverunt igitur illi de castro comiti nostro, vt mitteret ad eos dictum militem, vt haberent cū eo colloquium de compositione, & per ipsum quod vellent, comiti remandarent. Dum igitur accessisset ad eos de licentia comitis miles prædictus, loqueretur que cum eis in porta castri; quidam de illis de castro sagittam ictu balistæ dirigens, ipsum grauissimè vulnerauit. O proditio crudelissima! Sed non multò pōst, scilicet ipsa die vel in crastino, contigit iusto Dei iudicio, quod ille traditor, qui dictum militem nostrum cognatum suum ad colloquium vocauerat; in eodē loco vbi vulneratus fuerat, in crure videlicet,

Perfidia ingens.

ipse à quodam de nostris validissimum vulnus accepit. O justa diuinæ vltionis mensura! Interea petraria nostra ad turrem castri continuè iaciebat. Die autem quarta ab initio obsidionis, post occasum solis, orta est spissisima nebula. Illi de castro diuino timore correpti, nacta occasione apti temporis, exeuntes de castro fugere cœperunt; quod nostri percipientes, statim clamore facto, in castrum irruerunt, & quotquot inuenerunt de hostibus interfecerunt. Alij autem in ipsa obscurissima nocte illos qui fugiebant insequuti, aliquos ex eis comprehenderũt. In crastino autẽ fecit comes castrum illud dirui, & comburi. Quibus gestis, milites qui venerant à Francia cum Roberto Malovicino, sicut superiùs dictũ est, & tota hyeme præcedente fuerant cum comite, recedentes ab eo, ferè omnes ad propria remearunt.

CAPVT LXII.

Insurgunt Narbonenses malitiosè contra Almaricum filium Simonis comitis.

SCelus quoddam ciuium Narbonensiũ, quod ipso tempore perpetrarunt, non credimus omittendum. Ciues enim Narbonenses homines erant pessimi, & nunquàm dilexerant negotium Iesu Christi; licet per ipsum negotium infinita prouenissent eis bona. Quodam die Guido frater comitis nostri, & primogenitus comitis Almaricus, Narbonam perrexerunt: & cum esset in ciuitate illa dictus Almaricus, vtpote puer, causa spatiandi intrauit palatium Aimerici domini Narbonæ. Palatium autem illud vetustum erat, & quasi in solitudinis desertum redactum. Cùm igitur dictus Almaricus quamdam fenestram palatij manu tangeret, & vellet eam aperire; fenestra illa nimia vetustate consumpta, casu cecidit. Quo facto Almaricus redijt ad domum Tẽplariorum, vbi tunc hospitabatur. Guido verò frater comitis hora illa erat in domo Archiepiscopi Narbonensis; & statim cives Narbonenses quærentes occasionem ad faciendum malum, imposuerunt prædicto paruo, filio videlicet comitis, quòd voluisset vi intrare palatium Aimerici. O modica sceleris perficiendi occasio, imo nulla! Statim armaverunt se cives præfati, & currentes donec venirent ad locum, vbi erat puer, in ipsam domum Templariorũ irrumpere satagebant. Videns autem puer, quia quærebant animam eius, armauit se, & in quadam turre domus Templariorum se recipiens, à facie hostium se abscondit. At illi domum sæpedictam instantissimè impugnabant. Alij Francigenas, quos in ciuitate reperiebant, apprehendentes, plures occiderunt. O rabies iniquorum! duos etiam armigeros proprios comitis interemerũt. Guido verò frater comitis in domo Archiepiscopi erat hora illa, & egredi non audebat. Postq̃ verò dicti ciues diutius impunaverant domũ, in qua erat Almaricus, tandem consilio cujusdam civis Narbonensis, quieuerunt ab impugnatione illa; sicque puer de graui periculo liberatus, vivus per Dei gratiam & sanus evasit. Nunc ad id quod dimisimus reuertamur. Recedens comes nobilis à castro Altipulli cum militibus paucissimis, intrauit terrã comitis Tholosani. Post paucos autem dies venerunt ad eum plures de Allemannia peregrini: cœperunt præterea de die in diem venire peregrini, qui vt suprà diximus, ad prædicationem Guillelmi venerabilis Archidiaconi Parisiensis, & M. Iacobi de Vitriaco, cruce-signati erant. Et quia non possemus omnia sigillatim exprimere; quomodo videlicet misericors Deus à diebus illis negotium suum cœpit mirabiliter promouere; hæc breuiter dicimus, quòd comes noster, in brevissimo tempore plura castra vi cepit, multa etiam vacua invenit. Nomina autem castrorum, quæ infra tres septimanas recuperauit comes, sunt ista. Castrum quod dicitur Cuc, Mons-Maurus, S. Felix, Casser, Mons-ferandus, Avinio, S. Michaël, & alia multa. Dum autem esset exercitus apud castrum, quod dicitur Sanctus Michaël, distabatque vna leuga à Castro nouo, superuenit episcopus Carcassonensis Guido, qui fuerat Abbas Vallium, & ego cum eo. Ipse enim post captionem Altipulli recesserat ab exercitu adhuc electus; & perrexerat Narbonam: vt cum Domino abbate Cisterciensi, qui etiam erat electus in archiepiscopum Narbonensem, consecrationis beneficiũ sortiretur. Destructo igitur funditꝰ castro, quod dicitur S. Michael, proposuit comes obsidere illud nobile castrum, quod diciturPodium Laurentij; quod etiã sicut supra diximus, anno precedenti à dominio eius recesserat. Mouentes igitur, & ad castrum illud tendentes, fiximus tentoria in loco prope Podium Laurentij, ad duas ferme leugas. Ipsa die superuenerũt peregrini, præpositus videlicet Coloniensis ecclesiæ, potens & nobilis; pluresque cum eo nobiles Alemãni. Comes autem Tholosæ erat apud Podium Laurentij, cum suis ruptarijs infinitis. Veruntamen audiens nostros appropinquare, expectare non est ausus; sed cũ velocitate exiens de castro, omnesque castri homines secum trahens, fugit versus Tholosam, castrum vacuum derelinquẽs O vecordia hominis! O contemptibilis stupor mentis! In crastino summo diliculo venientes ad castrum, & inuenientes ipsum vacuum vlteriùs processimus; & fiximus tentoria in quadã valle. Guido autem de Luceio, cui comes iamdudum dederat castrum illud Podij-Laurentij, intrauit illud, & gente sua muniuit. Exercitus autẽ moratus est duos dies prope castrum in quadã valle. Ibi nunciatum est comiti nostro, quòd peregrini multi & magni, Rothomagensis videlicet Archiepiscopus Robertus, & electus Laudunensis Robertus, Guillelmus venerabilis Archidiaconus Parisiensis, pluresque alij nobiles & ignobiles veniebant à Francia Carcassonam. Videns autem comes, quòd multum exercitum haberet secũ; habito consilio, Guidonem fratrum suum, & Guidonem mareschallum misit obuiam dictis peregrinis Carcassonam; vt alium facientes exercitum per se, ad alias partes se verterent, Christi negotium promoturi. Comes autem mouens cœpit tendere apud castrum de Rabastenx. Vt autem prætermittentes superflua, ad magis vtilia attingamus, dicamus breuiter, quòd illa tria castra nobilia, videlicet Rabastenx, Monsacutꝰ, Galliacum, de quibus sæpius fecimus mentionẽ, tunc quasi vno die sine obsidione & difficultate aliqua, se nostro comiti reddiderunt. Audientes burgenses castri, quod dicitur S. Marcellꝰ, quòd comes noster, recuperatis pluribus castris, ad obsidendum eos properaret, timore ducti, miserũt ad eum suplicantes, vt eos in pace recipere dignaretur, & ipsi voluntati eius traderent castrũ. Comes autem scelera eorum recogitans & peruersitates inauditas, nullo modo voluit componere cum eis: sed nuncios eorũ ad ipsos remittens,

Impostura in puerum filium Monfortij.

Arces & castella intra tres hebdomadas recuperata.

Tholosa comes abiecti animi.

tens, mandauit quod pacem eius vel concordiã, nullo pondere vel pretio possent aliquando adipisci. Quod audientes dicti homines, fugientes de castro suo, ipsum vacuum reliquerunt. Ad quod cùm venissemus, fecit illud comes comburi, turrimque eius & omnes muros terræ penitus adæquari. Inde progredientes, venimus ad illud proximum castrum, quod Guespia dicebatur, quod cum inuenissemus vacuum, iussit comes illud destrui & comburi. Vnde proficiscens comes, in vlteriora procedens, perrexit vt obsideret S. Antoninum. Comes autem Tholosæ dederat castrũ illud cuidam militi, homini pessimo & peruerso. Factum est autem, dum pergeremus ad castrũ illud, episcopus Albiensis præcesserat nos, & venerat ad castrum sæpedictum, oblatum pacem, moniturusque dictum militem vt nosto comiti redderet castrũ illud. Ille autem vtpote superbissimus, cum magna indignatione respondit; sciat comes Montis-fortis, quod burdonarij nunquã poterunt capere castrũ meum. Burdonarios autẽ vocabat peregrinos, eo quod baculos deferre solerent, quos lingua communi burdones vocamus. Audiens hoc comes, festinauit ad obsidionem castri sæpedicti. Quadam verò die dominica, in octauis videlicet Pentecostes, venimus ad castrum S. Antonini, illud obsessuri; & fiximus tentoria ex vna parte castri ante portas. Castrum autem illud nobilissimum in valle quadam, ad pedes montis, in loco amœnissimo situm erat. Inter montem & castrũ iuxta muros ipsius castri, perlucida fluebat aqua: ex alia autem parte castri erat grata planicies, partemque illam nostri occupaverant obsessores. Exeuntes autem adversarij à castro cœperunt tota die nostros sagittis à longè infestare. Advesperascente die, egressi hostes à castro, cœperunt aliquantulum progredi, nostrósque de longe aggredi, sagittas suas vsque ad tentoria dirigentes. Quod videntes servientes exercitus, & præ cõfusione diutius sustinere nõ valentes, aggressi sunt adversarios, ipsosque in castrum suũ repellere cœperunt. Quid plura? Fit clamor in exercitu, currunt peregrini pauperes & inermes, ipsoque comite nostro & militibus exercit⁹ nescientibus & inconsultis, castrũ impugnare cœperunt: tantaque & tam incredibili & penitus inaudita probitate adversarios impetebãt; quòd ex continuo jactu lapidum timorem mittentes in eos pariter & stuporem, abstulerunt eis in vnius horæ spatio tres fortissimas barbacanas. O quasi sine ferro pugna! O victoria gloriosa! Testem enim invoco Deum, quòd post redditionem castri, intraui ipsum castrum, & vidi parietes domorum quasi corrosos ex ictibus lapidum, quos nostri jecerant peregrini. Videntes autem illi de castro, quod amisissent barbacanas, exeuntes à castro ex alia parte, per aquam fugere cœperunt. Quod videntes peregrini nostri, trãsierunt aquam illam; & quotquot apprehendere potuerunt, in ore gladij peremerunt. Captis barbacanis, peregrini nostri retraxerunt se ab insultu: jam enim inclinata die, nox imminebat. Circa mediam igitur noctem, videns dominus castri, quod amissis barbacanis, quasi captum erat castrum, misit ad comitem nostrum: quasi paratus reddere castrum, dummodo ipse posset evadere: quem redditionis modum cùm comes renueret, dominus castri iterum misit ad eum: exponens ejus omnia voluntati. Summo

Bourdon, Obsidio castri S. Anto.

igitur diluculo jussit comes omnes extrahi de castro, habitoque cum suis consilio, quod si homines, vtpore rudes & agricolas, interfici faceret, castrum illud destructis habitatoribus, redigeretur in solitudinem: saniori igitur vsus consilio comes dimisit homines: dominum verò castri, qui totius hujus mali causa fuerat, retrudi jussit in imo carceris Carcassonẽsis: vbi in custodia & vinculis per multos detentus est dies? Milites etiam paucos, qui erant cum eo, fecit comes carceri mancipati.

Caput LXIII.

Vocatus Comes ab Episcopo Aginnensi, vadit, & recipit civitatem.

Erant autem tunc tẽporis in exercitu Vticensis & Tholosan⁹ Episcopi, & Episcopus Carcassonæ. qui numquã ab exercitu recedebat. Cõmunicato igitur cum istis consilio, in hoc comes ejusque milites consenserunt, vt dirigeret comes aciem suam versus territorium Aginnense. Episcopus siquidem Aginnensis jampridem mandaverat comiti nostro, quòd si ad partes Aginnẽses se transferret; ipse & sui consanguinei, qui potentes erant in terra illa, eum pro posse suo adjuvarent. Erat enim Aginnum civitas nobilis, inter Tholosam & Burdegalam in amœnissimo loco sita. Civitas illa in territorio suo à diebus antiquis fuerat Regis Angliæ: sed Rex Richardus, quando dedit sororem suã Ioannam Raimondo comiti Tholosano in vxorem, civitatem sæpedictam, cum territorio suo, dedit pro matrimonio sororis suæ comiti Tholosano. Dominus etiam Papa comiti nostro dederat in mandatis, vt omnes tam hæreticos, quàm hæreticorum fautores impugnaret auxilio cruce-signatorum. Mouentes igitur à castro S Antonini, venim⁹ recto gressu ad quoddam castrũ comitis Tholosani, quod dicebatur Monscuc. Nec silendum, quòd munitiones, per quas transibamus, quæ timore nostrorum ab incolis erant derelictæ, de quibus poterat prouenire malum aliquod Christianitati, faciebat comes funditus euerti, vel comburi. Quoddam præterea nobile castrum, quod est prope S Antoninum, nomine Cassutium, quod tenebat comes Tholose, traditum est tunc temporis comiti nostro, mediante industria viri nobilis & fidelis, comitis videlicet Balduini. Comes enim noster iam habuerat antea castrum illud; sed homines de castro anno præterito ab eo recesserant, & reddiderant castrũm comiti Tholosano. Audientes autem homines castri de Mõtecuc nostros aduenire, timore ducti omnes fugerunt, castrũ vacuum relinquẽtes. Erat autẽ castrũ illud nobile, & in optimo & fortissimo loco sitũ. Comes verò noster dedit ipsũ supradicto comiti Balduino fratri comitis Tholosani. Inde progredientes, venimus prope quoddã castrum ad duas leugas, quod dicebatur Penna,* in territorio Aginnensi. Castrũ illud commiserat comes Tholosæ cuidã militi seneschallo suo, qui dicebatur Hugo d'Alfar, & erat Nauarrus: insuper & filiam suam, non de legitimo matrimonio, eidem militi dederat in vxorem. Audiens comes aduenire comitem Montisfortis, adunauit ruptarios suos fortes & munitissimos circiter quadringentos. Omnes autem homines castri à minimo vsque ad maximũ expulit à castro: ipse verò cum ruptarijs suis in munitionem se recipiens, victualibusque copiosissimis, omnibusque, quæ ad defensionem necessaria videbantur, mu-

Situs & descriptio vrbis Aginnẽs.

** Penne en Agennois.*

ditionem ipsam, optimè muniens, paravit se ad resistendum. Quod audiens comes noster, proposuit obsidere illud; sed habito cum suis consilio, priùs ire voluit Aginnum, vt in potestate sua reciperet civitatem. Assumens igitur de militibus exercitus secum quos voluit, perrexit Aginnum, exercitu in loco in quo erat eius reditum expectante: perveniénsque Aginnum, honorificè est susceptus. Insuper & cives constituentes eum dominum suum, præstito sacramento fidelitatis, tradiderunt ei civitatem. Quibus omnibus rite peractis, comes ad exercitũ remeavit, castrum de Penna obsessurus. Anno Domini 1212. 3. Non. Iunij, die Dominica venimus ad destruendum castrum Pennæ, illud adjuvante domino obsessuri. Hugo autem d'Alfat, qui erat custos castri, de quo suprà tetigimus, videns appropinquantem exercitum signatorum, se & ruptarios suos in castri munitione recepit, per totum burgum inferius ignem mittens. Erat autem castrum Pennæ nobilissimum in territorio Aginnensi. In cujusdam siquidem collis amœnitate situm, latissimis & fœcundissimis circumquaque vallibus cingebatur. Ornabat quippe castrum hinc terrarum opulentia, illinc pratorum planities gratiosa; hinc delectabilis sylvarum amœnitas, illinc lætificans fertilitas vinearum. Arridebat insuper aëris desiderata salubritas, circumcurrentium opulenta jocunditas fluviorum. Ipsa autem castri munitio supra rupẽ fundata maximam & nativam, muris munita fortissimis, quasi inexpugnabilis videbantur. Richardus siquidem rex Angliç, cujus, vt suprà diximus, fuerat castrum Pennæ, munitionem supradictam fortissimè munierat; puteumque in ea fodi fecerat; quia castrum illud erat quasi caput & clavis totius territorij Aginnensis. Prædictus autem comes, Hugo videlicet, cui comes Tholosæ castrum illud dederat, munitionem illam adeo munierat electis bellatoribus, & minutis victualibus; insuper & machinis, quæ dicuntur petrariæ, lignis, ferro, & omnibus ad defendendam munitionem necessarijs, quòd non posset quis credere munitionem sæpedictam per multorum annorum curricula posse capi. Fecerat denique intra sæpedictam munitionem officinas fabrorum duas, furnum & molendinum. Multiplici ergo munimine septus, obsidionem quasi intrepidus expectabat. Venientes autem nostri ante castrum, fixere tentoria circumquaque. In ipsa autem fixione tabernaculorum, cœperunt aliqui de castro egredi, nostrosque sagittis acriùs infestare. Post aliquot autem dies, intra burgum, quod combustum fuerat, erexerunt nostri petrarias, vt iacerent versus munitionem. Quod videntes illi de castro, erexerunt & ipsi petrarias, ad perturbandum & impediendum nostras; jacientésque lapides magnos & creberrimos, nostros haud modicùm infestabant. Post hæc nostri plures petrarias erexerunt. Verumtamen quamvis machinæ nostræ continuè jacerent, ac domos quæ in munitione erant confringerent: muros ipsius munitionis in modico, aut in nullo debilitabant. Erat autem temp⁹ æstivum & calidissimum, circa festum videlicet beati Ioannis Baptistæ. Nec silendum credimus, q comes noster paucos habebat milites: licet multos haberet pedites peregrinos. Vnde contingebat, quòd quoties nostri causa impugnationis accedebant ad munitionem; adversarijs, quia muniti erant, & docti ad prælium, se viriliter defendentibus, parũ aut nihil proficere poterãt. Quadam die etiam, cùm nostri sæpedictam munitionem infestarent, quoddam repagulum de lignis muro proximum vi ceperunt: sed adversarij per desuper murũ creberrimos lapides jacientes, nostros statim à repagulo quod ceperant repulerũt. Cumq; nostri se in interiora recepissent, exeũtes adversarij, in ipso ardore diei veniebant, vt comburerent machinas nostras: afferentes secum ignẽ & stipulam, & cetera ad ignis incentivum necessaria: sed nostris viriliter resistentibus, petrarias nostras non solùm comburere, sed nec ad ipsas quidem accedere poterant. Non solùm autẽ illa die exierunt adversarij contra nostros: sed per multas vices exibant, nostrósque prout poterant infestabant. Erat in obsidione illa venerabilis Episcopus Carcassonæ, de quo sæpius mentionem fecimus, & ego cum eo. Hic in exercitu Domini de mandato Archiepiscopi Narbonensis, qui fuerat Abbas Cisterciensis, & erat legatus, sicut superiùs est præmissum, vice fungens legati, in fervore spiritus indefesso, in labore corporis incredilili officium prædicationis, ceteraque ad obsidionẽ pertinentia sedulus exercebat. Vt breviter dicam, tanto & tam importabili curarũ sibi invicem succedentiũ pondere premebamur, quòd vix licebat nobis comedere, vix modicum pausare. Nec prætermittendum, quòd dum esset comes in obsidione Pennæ, venerunt ad eum omnes nobiles terræ illius, & facientes ei hominium, acceperunt ab eo terras suas. Dum res ita se haberet, Guido de Monte-forti, frater comitis nostri, & Archiepiscopus Rothomagensis Robertus, & electus Laudunensis Robertus, & Guillelmus archidiaconus Parisiensis, & Ingerranus de Bova, cui comes noster jampridem terram comitis Fuxi pro parte concesserat, pluresque alij peregrini, egressi à Carcassona, versus terram Fuxensem se transtulerant, & venerant ad quoddam castrum, quod dicitur Anclanetum. Quod statim per insultum vi capientes, hostes qui in eo erant ceciderunt. Quod audientes illi, qui erant in castris vicinis, castella sua tradentes incendio, à facie nostrorum fugerunt. Nostri verò castra illa perambulantes, ea funditus evertebant. Inde procedentes versus Tholosam, castra multa & fortissima, quæ derelicta erant vacua, penitus destruxerunt. Ex quo etiam ceperunt Anclanetum, non invenerunt qui auderet eos in aliquo castro, licet fortissimo, expectare: timor quippe magnus irruerat super omnes habitatores terræ illius. Dum ita viriliter se haberent nostri prædicti, misit ad eos comes noster, mandans, vt venirent ad eum apud Pennam. Peregrini siquidem qui erant cum eo, peracta quadragena sua in exercitu, volebant ferè omnes ad propria remeare. Properantes igitur viri prædicti, veniebant ad comitẽ. Quodam autem die venerunt ad castrum fortissimũ, quod dicitur Penna in Albiensi: castrum illud adhuc Christianitati & comiti resistebat, semperque ruptarijs erat plenum. Cùm ergo venissent supradicti peregrini ante castrum illud, ruptarij qui erant in castro exeuntes adversus nostros, vnum de nostris militibus occiderunt. Nostri autem nolentes in captione castri diutius morari, eo quòd comes noster vocaret eos sub festinatione, destructis in circuitu castri segetibus & vineis, recedentes nostri

Penna castrũ à Richa. Angliæ Rege munitum

ad comitem festinabant. Illi autem de castro post discessum nostrorum, qui ibi fuerant per aliquot dies, venerunt ad locum vbi nostri militem, qui occisus fuerat, tradiderant sepulturæ; extrahentes corpus de tumulo, & per plateas distrahentes, bestijs & avibus exposuerunt. O iniqua rabies! O crudelitas inaudita! Pervenientes sæpius dicti peregrini ad comitem, qui erat in obsidione Pennæ, ab eo cum ingenti gaudio sunt suscepti: statimque diuisis circumquaque agminibus, fixere tentoria prope castrum. Comes autem cum suis militibus obsedit castrũ à parte Occidentis, in illa enim parte erant machinæ nostræ adaptatæ: Guido verò frater comitis ab alia parte, scilicet ab Oriente fixit tentoria; & in illa erigens machinam, cœpit & ipse castrum fortiter impugnare. Quid plura? Multiplices adhuc eriguntur machinæ, instant nostri impugnationi castri. Erant autem circa castri circuitum novem machinæ erectæ. Et quia omnia, quæ in illa obsidione gesta sunt, sigillatim exprimere non valemus, attingamus ad summa. Videns comes noster, quòd machinæ nostræ non poterant diruere murum castri; fecit fieri aliam machinam, longè præ ceteris majoris magnitudinis; & dum machina illa pararetur, Archiepiscopus Rothomagensis, & electus Laudunensis, & ceteri qui cum eis erant, expleta quadragena sua, recedere volebant; singulis etiam diebus, completa quadragena sua recedebant peregrini; veniebant autem nulli, aut paucissimi. Sciens igitur comes noster, quòd quasi solus remanebat, in multa angustia positus, accessit ad majores exercitus; & supplicavit, ne Christi negotium in tanta necessitate desererent, sed adhuc ibi per aliquantulum temporis spatium morarentur. Dicebatur autem, quod multitudo magna peregrinorũ veniens à Francia erat Carcassonæ, & verè sic erat. Nec silendum, quòd præpositus Coloniensis, omnesque Allemanni, qui multi & nobiles cum eo, & post eum venerant, jam ab exercitu recesserant. Audiens electus Laudunensis, preces comitis non exaudivit, sed quamdam infirmitatem prætendẽs, nullo modo potuit detineri: similiter & ceteri ferè omnes fecerunt. Solummodo Archiepiscopus Rothomagensis, qui se in servitio Dei laudabiliter habuerat, secum tenens proprijs sumptibus plurimos milites, & familiam multam nimis, ipse benignus benignè comiti acquievit, & tandiu cum eo remansit, donec novis superuenientibus peregrinis, ipse de licentia & voluntate comitis, cum honore ad propria remeavit. Cùm ergo recessissent episcopus Laudunensis, & pars magna exercitus, cœpit venerabilis Archidiaconus Guillelmus, vir magnæ constantiæ, & mirificæ probitatis, in his quæ ad obsidionem pertinebant, instantissimè laborare. Episcopus autem Carcassonensis propter quædam negotia perrexerat Carcassonam. Interea illa magna machina, quam superiùs commemoravimus, parabatur; quæ dum parata fuisset, fecit eam dictus archidiaconus à parte quadã erigi prope castrum. Illa autem machina, vtpote magna magnos jaciens lapides, murum castri paulatim debilitare cœpit. Post aliquot verò dies, superuenerunt peregrini, de quibus suprà fecimus mentionem, abbas videlicet S. Remigij Remensis, & quidã abbas Suessionensis, Decanus etiam Autisidorensis, qui ibi postea defunctus est, & Archidiaconus Cathalaunensis, viri magni & litterati; & plures milites & pedites peregrini; qui cùm venissent, venerabilis episcopus Rothomagensis, de voluntate & benevolentia comitis recedens ab exercitu repatriavit. Illi autem qui supervenerant, cœperunt in expugnatione castri strenuè laborare. Quodam die adversarij nostri pauperes & mulieres quos secum habebant, ejecerunt à castro, & exposuerunt morti; ne victualia eorum consumerent. Comes autem noster ejectos illos noluit occidere, sed redire repulit in castrum. O nobilitas principis! Dedignatus est occidere, quos non ceperat: nec de illorum morte credidit adepturum se gloriam, de quorũ captione non fuerat assecutus victoriam. Igitur cùm machinæ nostræ diutius jecissent intra munitionem, omnesque domos & refugia, quæ in ea erant confregissent; machina insuper magna, quæ de novo erecta fuerat, ipsum murum munitionis debilitare cœpisset; videntes illi qui in castro erant, quòd non poterant diu se tenere, & si castrum vi caperetur, omnes in manu gladij traderentur; attendentes insuper quod nullum habituri essent succursum à comite Tholosano, tentaverunt cum nostris de compositione, in hunc modum. Debebant reddere comiti nostro castrum, dummodo ipsi evaderent cum armis suis. Quo audito, habuit comes cum suis cõsilium, vtrum reciperet compositionem, quam adversarij offerebant. Attendentes autem nostri, quod ferè omnes peregrini erant quasi in recessu, cõpleta scilicet quadragena sua, & quòd comes remaneret ibi quasi solus; considerantes etiam, quòd illi de castro, adhuc per multos dies poterant resistere; cogitantes insuper, quòd comes multa alia & magna necessariò habebat facere; hiems verò imminebat, in qua non poterat obsidionem tenere; his inquam omnibus circumspectis; consuluerunt comiti, vt acquiesceret compositioni, quam adversarij offerebant. Anno igitur incarnati verbi 1212. in mense Iulij, in festo S. Iacobi ejectis adversarijs, recepit comes nobile castrum Pennæ. Die autem crastina supervenit venerabilis Archiepiscopus Remensis Albericus, vir multæ bonitatis; qui negotium Iesu Christi devotissimo amplexabatur affectu: venitque cum eo cantor Remensis, & quidam alij peregrini. Non credimus autem supprimendum, quod dum esset comes noster in obsidione Pennæ, rogauit Robertum Malumvicinum, vt ipse pergeret ad quandam villam valde nobilem, nomine Marmandam, quæ fuerat comitis Tholosæ; acciperetque eam ex parte comitis nostri, & custodiret. Vir autem nobilissimus, licet grauissima infirmitate laboraret, non recusans laborem, nec fatiscentem prætendens infirmitatem, libenter acquieuit. Hic est enim, de cuius præcipuè circumspecta prouidentia, saluberrimoque consilio pendebát comes, imò totũ negotium IesuChristi. Veniens Robertus ad villam prædictam, honorificè à burgensibus est susceptus. Sed quidam seruientes comitis Tholosæ, qui custodiebant munitionem castri, noluerunt se reddere; sed cœperunt resistere, ipsamque defendere munitionem. Quod videns vir strenuus, videlicet Robertus, statim ante munitionem fecit erigi vnum mangonellum; qui cùm aliquot lapides iecisset, dicti seruientes reddiderunt munitionem. Mansit autem Robertus in villa illa aliquantis diebus; & post hæc redijt ad

Heretici exhumant corpus catholici & bestijs exponunt.

Præsules Rotomagen. & Laudun. redire statuũt.

Accedunt S. Remigij Remensis Abbas, & alij.

Albericus Remẽsis Præsul ad bellũ accedit.

comitem apud Pennam. Capto castro Pennæ & munito, proposuit comes noster, vt obsideret quoddam castrum proximum, nomine Biron. Castrum illud dederat comes Tholosæ cuidam traditori, nomine Martino Algais; qui, sicut in superioribus diximus, fuerat cum comite nostro, sed postea proditione facta ab eo recesserat. Hic in castro prænotato moram faciens, aduentum nostrorum ibi voluit expectare; quod iusto Dei iudicio prouisum, rei exitus demonstrauit. Venientes igitur nostri ante castrum, obsederunt illud. Post hoc impugnatione, *post multos labores, & miræ probitatis exercitia, ascendentes muros, vi burgum ceperunt. Statim aduersarij, se in munitionem receperunt; videntesque quòd non poterant resistere, quæsierunt pacem: parati reddere munitionem illam, dummodo euaderent ipsi viui: quod comes nullatenus facere volebat. Veruntamen timens comes, ne furtiuè euaderet dictus traditor, Martinus videlicet Algais, propter cuius captionem comes præcipuè obsederat castrum illud: obtulit aduersarijs, quòd si traditorem illum in manibus eius traderent, ipse eos ab imminētis mortis angustia liberaret. Quo audito, illi audissimè cucurrerunt, Martinumque arripientes, ipsum comiti tradiderunt. Quē comes arripiens, obtulit ei confessionem, sicut alijs damnatis facere consueuerat vir catholicus. Post hęc ligatum ad caudam equi per exercitum distrahi fecit, distractumque dignè pro meritis patibulo suspendi. Venit ibi ad eum nobilis quidā princeps Vasconiæ, Gasto de Bearno, homo pessimus, qui semper adhæserat comiti Tholosano, facturus colloquium de compositione. Comes autem noster, quia ipsa die componere nequiuerunt, alterum ei diē assignauit apud Aginnū: sed ille pacis inimicus, à compositionis pacto resiliens, ad diem illam venire noluit. Dum hæc agerentur, nobilis Comitissa Montis fortis, & venerabilis episcopus Carcassonensis &, ego cum eo, à partibus Carcassonæ properabamus ad comitē, habentes nobiscū paucos pauperes & peregrinos. Nec silendū, quòd dū pgimus, multi de peregrinis nostris, propter calorē feruentissimū, & arduitatem viæ, deficiebant in via: venerabilis autem Carcassonensis episcopus, & nobilis comitissa eorum dolori compatientes, eos tota die in equis suis, retro se deportabant. Aliquando etiam vterque ipsorum, episcopus videlicet & Comitissa, super equum suum duos leuari faciebant peregrinos, ipsi autem pedites incedebant. O compassio pia episcopi! O nobilis humilitas Comitissæ! Cùm autem venissemus Caturcum ad comitem properantes, dictum est nobis, quòd illic propè erāt castella, in quibus ruptarij & inimici fidei morabantur. Cū ergo accederemus ad castella, & essemus paucissimi, diuina clementia mirabiliter operante, perterriti hostes, & à facie nostra fugientes, plura castra & fortissima vacua reliquerunt: quæ postquam destruximus, venimus ad comitem apud Pennā. His omnibus ritè peractis, habito comes nobilis cum suis consilio, proposuit obsidere quoddam castrum, nomine Moïsacum, quod erat in potestate comitis Tholosani. Venientes igitur ad castrum in vigilia assumptionis B Mariæ, obsedimus illud. Castrum autem Moïsaci situm erat ad pedem montis in quadā planicie, propè fluuium Tarni, in loco plurimum fertili & amœno. Vocatur Moïsacum, à moys, quod est aqua: eo videlicet, quod dulcissimis intus fontibus abundat. Homines autem castri cum audissent nostros accedere, vocaverunt ad se ruptarios, & homines Tholosanos quamplurimos, vt eorum auxilio resistere nostris possent. Erant autē ruptarij illi homines peruersi & pessimi. Cùm enim castrum illud iamdudum fuisset à legatis D. Papæ interdictum, eoquod faveret hæreticis, impugnaretque ecclesiam cum comite Tholosano: dicti ruptarij in contemptum Dei & nostrum, campanas ecclesiæ, quæ in castro erat nobilis & amplissima, omni die, ad omnem horam, festiuè faciebant pulsari. Rex siquidem Franciæ Pipin* in castro illo monasterium mille fecerat monachorū. Post paucos dies fecit comes parari machinas, & erigi propè castrū: quæ jacientes cœperunt aliquantulum murū debilitare. Erexerūt autem & aduersarij machinas suas, & fecerunt jacere contra nostras. Viri autem venerabiles, & hujus negotij rectores & magistri, scilicet episcopus Carcasson. & Guillelmus archidiaconus Parisiens. in his quæ obsidioni erant necessaria instantissimè laborabant. Archiepiscopus etiam Remensis, qui ibi erat, verbum prædicationis & exhortationis sæpissimè & libētissimè peregrinis ministrans, & in his quæ opus erant obsidioni se humiliter exponēs, & sua liberaliter expēdens, valde erat necessari* negotio Iesu Christi. Quodam autem die exierunt adversarij à castro, & cœperunt venire, vt debilitarent machinas nostras: currens autem comes noster, & quidam de nostris armati, hostes in munitionem suam retrudebant. In illo autem conflictu quidam de adversarijs sagittam dirigens, comitem nostrum in pede vulneravit; sed & quendam juvenem de nostris, qui erat nepos archiepiscopi Remensis, capientes, illum post se traxerunt: quem occidētes, & turpiter detruncantes, ad nos projecerūt. Venerabilis autem Archiepiscopus avunculus occisi juvenis, licet affectu diligeret eum singulari; propter servitium tamen Iesu Christi mortem nepotis æquanimiter sustinens, & multa animi virtute dissimulans, cunctis qui in circuitu erant, miræ patientiæ & magnanimitatis exemplum demonstravit. Nec silendum est, quòd circa hujus obsidionis initium, cùm præ paucitate peregrinorum, non possemus castrum vndique obsidere, exibant quotidie adversarij à castro, venientesque per super montem, qui castrum supereminebat, cum multa superbia exercitum ininfestabant. Peregrini autem nostri ascendentes ad eos, tota die contra illos dimicabant. Quotiescumque verò adversarij aliquem de peregrinis nostris occiderant, in contemptum nostrorum circumdantes corpus occisi, in ipsum singuli gladios infigebant. Tantæ enim crudelitatis erant, quod non sufficiebat eis, si aliquem nostrorum occisum viderent, nisi nova adjicientes vulnera, omnes quotquot erant hostes, corpus defuncti gladijs suis transverberarent. O pugna contemptibilis! O rabies iniquorum! Cùm autem hæc agerentur, cæperunt venire de die in diem à Francia peregrini: episcopus etiam Tullensis Regeinaldus die quadam cum alijs peregrinis supervenit. Crescente igitur peregrinorum multitudine, occupaverunt dictum montem; venientibusque paulatim peregrinis, sicut antea facere consueverant, castrum ferè vndique obsederunt. Nec silentio prætereundum, quod antequā castrum vndiq; esset obsessum, exeuntes

Margin notes: * Deest aliquod verbum. — Iustum proditoris supplicium. — Caritas Episcopi & Comitissa singularis in peregrinos. — Cœnobium mille monachorum. — Rabies Albigensium in corpora occisorum.

adversarij à castro, & ascendentes in montem, quando videbant episcopum Carcassonæ sermonem exhortationis ad populum habentem, in turbam populi qui sermonem audiebat, cum balistis sagittas jaciebant: sed per Dei gratiam nullum lædere potuerunt. Et quia non omnia quæ ibi gesta sunt, possemus latiùs exprimere, accingamur ad summa. Postquam machinæ nostræ diu jecerant, debilitarant muros castri, fecit fieri comes machinam quamdam, quam lingua vulgaris Catum dicit; quæ cùm facta esset, iussit comes trahi eam ad fossatum castri, quod latissimum erat, aqua etiam plenum. Adversarij autem quædam extra fossata repagula de lignis fecerant, & post illa repagula iterum aliud fossatum; manebantque semper inter illa duo fossata; & inde exibant sæpius, & infestabant nostros; interea dicta machina nostra ad fossatum trahebatur. Erat autem cooperta pellibus bovinis recentibus, ne ab hostibus posset comburi. Adversarij autem quamdam machinam petrariam faciebant jacere assiduè super machinam illam, vt diruerent illam. Dum autem esset machina sæpedicta super primum fossatum, nihilque superesset, nisi vt ipsum fossatum sub protectione à nostris impleretur; quadam die post occasum solis exeuntes adversarij à castro, attulerunt ignem, ligna sicca, stipulam, stupam, carnes salsas, adipem, oleum, & cetera ignis incentiva; cœperuntque instantissimè projicere, vt comburerent machinam nostram. Habebant prætcrea balistarios, qui nostros defendentes machinam gravissimè vulnerabant. Quid plura? altius erupit flamma, turbati sumus omnes. Comes autem & frater ejus Guido erant inter machinam. Projicientes igitur adversarij indefessè ad incendendum ignem necessaria, nostri constantissimè & cum multo labore, vinum, aquam, terram in ignem mittebant: alij autem instrumentis ferreis frusta carnium, & vasa oleo plena, quæ adversarij jactabant, ab igne extrahebant. Sic itaque nostri per incredibiles caloris & laboris anxietates, quod sine lachrymis videri vix posset, sæpedictam machinam ab igne exemerunt. In crastino autem, armantes se peregrini nostri ad castrum vndique accesserunt; intrãtesque audacissimè primum fossatum, per multos labores & constantissimas probitates, repagula lignea confringebant. Adversarij autem, qui inter repagula & in barbacanis erant, ipsas barbacanas, prout poterant, defendebant. Cùm fieret autem insultus iste, episcopus Carcassonæ, & ego per exercitum discurrebamus, nostros exhortantes. Archiepiscopus autem Remensis, & Tullensis, & Albiensis episcopi, & Guillelmus archidiaconus Parisiensis, abbas etiam Moïsaci cum quibusdam monachis, reliquusque clerus exercitus, in montis descensu ante castrum stabant, induti vestibus albis, & nudis pedibus; tenentes ante se crucem, cum reliquijs sanctorum, voce altissima & devotissima cantabant, *Veni creator spiritus*, divinum auxilium flagitantes. Nec defuit exorantibus paracletus; sed mox vt versum hymni, scilicet, *Hostem repellas longiùs*, tertiò repetentes incœperunt, exterriti adversarij divinitus & repulsi, dimissis barbacanis, ad castrum confugerunt, seque intra murorum ambitum concluserunt. Interea burgenses cujusdã castri comitis Tholosæ, quod proximum erat, & vocabatur castrum Sarracenum, venerunt ad comitem nostrum, & reddiderunt ei castrum illud.

Devotio præsulum & cleri.

Fugantur hostes inuocatione Sancti Spiritus.

Misit etiam comes Guidonem fratrem suum, & comitem Balduinum fratrem comitis Tholosæ, & alios milites ad aliud castrum nobile, quod erat comitis Tholosæ, distans quinque leugis à Tholosa, super Garumnam fluvium situm, nomine Verdunum. Homines autem castri illius sine conditione aliqua reddiderũt se comiti nostro. Similiter autem omnia in circuitu castra se reddiderunt, excepto vno, quod dicitur Mons-Albanus. Audientes burgenses Moïsaci, quòd castella quæ in circuitu erant, se reddiderant comiti nostro; videntes etiã quòd resistere non valebant, miserunt ad comitem, postulantes pacẽ. Cogitans autẽ comes, quòd erat adhuc satis forte, nec poterat capi vi, sine multa nostrorũ interfectione; attendens etiã quod si caperetur vi, destrueretur villa, quę optima erat, & propria monachorum: videns insuper, quòd õnes qui in castro erant, pariter interirent: dixit quòd tali cõditione reciperet illos, si ruptarios illos, & õnes qui causa munitionis castri venerant à Tholosa, traderent in manus eius; ipsi insup jurarent super sacrosancta evangelia, quòd nõ impugnarent de cetero Christianos. Quibus ritè peractis, traditisq; ruptarijs, & hominib⁹ Tholosanis, recepit comes castrũ, & restituit ipsum abbati; salvo eo, quod de jure habuerãt in castro comites Tholosani. Accipientes autẽ peregrini nostri ruptarios, avidissimè interfecerunt. Nec silendum credimus, quòd castrum Moysiaci, quod in vigilia assumptionis B. Mariæ obsessum fuerat, in festo Nativitatis ejusdem virginis captũ fuit: agnoscitur ergo, operatã B. Virgo. Movens comes à Moysiaco, proposuit obsidere castrum quoddã prope Fuxum, nomine Sauerdunum in diœcesi Tholosana. Castrũ illud à dominio comitis nostri recesserat: comesque Fuxi, qui illud tenebat, occasione castri illius castrum Appamiarum plurimùm infestabat. Interea quidã peregrini nobiles de Alemania venerant Carcassonam. Ingerrannus autem de Bova, cui, vt suprà diximus, comes noster concesserat pro parte magna terrã Comitis Fuxi, alij etiam milites nostri qui custodiebant terram Carcassonensem, dictos Alemãnos apud Appamias duxerunt. Comes autẽ Tholosæ & comes Fuxi erant apud Saverdunũ. Moventes autẽ milites nostri cum Allemannis, properabant versus Saverdunum; quo audito, comes Tholosæ & comes Fuxi fugerunt à Saverduno; sicque sine conditione vel pugna, Ingerranus recuperavit Saverdunum. Dum hæc agerentur, comes noster cum suo exercitu à Moysiaco veniebant, & cùm esset prope Saverdunũ, ipse ivit Appamias, vbi erant Alemanni, exercitus vero perrexit Saverdunum. Comes autem assumens Alemannos, equitavit ante castrum Fuxi, & inde redijt ad exercitum, qui recesserat à Saverduno: & perrexerat ad Altamripã. Homines autem Altæripæ à facie eorum fugerant, & dimiserant castrum vacuum. Comes autem munivit castrum Altæ-ripæ, quia per illud suos arcere poterat inimicos: erat enim situm inter Tholosam & Fuxum. His gestis proposuit comes invadere terram comitis Convenarum; venitque ad castrum quoddam, quod erat prope Tholosam, nomine Murellum. Erat enim castrũ illud amœnissimum, super Garonnam fluvium situm. Cùm autẽ appropinquaremus castro Murelli, homines castri timentes à facie nostra fu-

B. Deipara sancta Catholicus festa.

gerunt, & intraverunt Tholosam: sed & quidā ex ipsis, in pōtem castri, qui erat ligneus & longissimus super Garonnam, per quem transire debebamus, ignem miserunt. Cùm venissemus igitur ante castrum, & ponte cōbusto, non possemus in ipsum intrare, comes & plures de nostris mittentes se in aquam, quæ profunda erat & valida, non sine grandi periculo transierunt: exercitus autem fixit tentoria citra aquam. Statim currens comes cum quibusdam suis ad pontem, ignem cum multo labore extinxerunt: statimque tanta abundantia aquæ pluvialis erupit, adeoque aqua prædicta excrevit, quòd nemo sine graui propriæ vitæ periculo, poterat illam transire. Vespere autem facto, videns nobilis comes, quòd ferè omnes milites & fortiores exercitus trāseuntes per aquam intrassent castrū, pedites autem & invalidi non valentes transire, remanūssent citra aquam; vocavit mareschallum suum, & dixit ei: volo redire in exercitum. Cui ille: quid, inquit, quid dicitis? Robur exercitus totum est in castro isto; vltra aquam non sunt, nisi pedites peregrini; præterea tam magna & valida est aqua, quod nullus modo posset eam transire, insuper venire possent Tholosani, & vos, & omnes peregrinos interficere. Respondit comes mareschallo: Absit à me, vt faciam quod consulitis. Pauperes Christi expositi sunt gladio, & ego in munitione manebo? Fiat de me voluntas Domini; certè ego ibo, & manebo cum eis. Statim exiens à castro, transiuit aquam, & rediit ad exercitum peditum, mansitque ibi cum paucissimis, scilicet quatuor vel quinque militibus, plures dies, donec facto ponte, totus transiuit exercitus. O magna probitas principis! O virtus invicta! noluit enim cum militib^9 manere in castro, dū pauperes expositi peregrini erāt in cāpo.

Mon-fortij generosum dictum & factum.

Caput LXIV.

Comes Monfortius San-Gaudentium occupat, Tholosam vexat. Comes Raimundus Arragonensis Regis poscit opem.

DVm comes noster moraretur in castro Murelli, venerunt ad eum Episcopi Convenarum & Conloranensiū, viri venerabiles, & Deo pleni; qui negotium Iesu Christi vnico diligebant affectu, exhibitione operis promovebant: quorum etiam consilio & industria comes adierat partes illas. Monuerunt igitur comitē, vt vlteriùs procederet, & sine pugna & gladio maximam reciperet Vuasconiæ partē. Properans igitus comes, perrexit ad castrum quoddam, quod dicebatur S. Gaudentius, & fuerat comitis Convenarum. Homines autem castri tradentes ei castrum, ipsum cum gaudio receperunt. Venerunt etiam ibi ad eum nobiles illius; facientesque ei hominium, receperunt ab eo terras suas. Insuper penetrans montana apud Fuxum, terrā Rogerij de Cominges nepotis comitis Fuxi ex parte maxima devastavit. InterecaCarcassonēsis episcop^9, qui cum quibusdam peregrinis in castro Murelli remanserat, circa munitionē castri ipsius assiduè laborabat. Peractis comes noster in Vuasconia negotijs, pro quibus perrexerat, rediit Murellū: non enim habebat milites peregrinos, nisi comitem Tullensem, & quosdam alios milites paucissimos. Sed quamvis esset cum paucis, frequenter tamen equitabat vsque ad portas Tholosæ: illi autē qui in Tholosa erant, innumerabiles & munitissimi, non audebant exire adversus eum: ipse verò omnia in circuitu devastās, munitiones ante ipsorum oculos devastabat. Erat autem Tholosa civitas vltra modum plena populo: quia Biterrenses, & Carcassonenses, & Tholosani hæretici, & hereticorum fautores, & ruptarij, amissis divino judicio terris suis, Tholosam intraverant, adeoq; impleverant; quòd ipsa claustra monachorum ciuitatis, expulsis canonicis, fecerāt pecorum ovilia, & stabula equorum. O nidus hæreticorum Tholosa! ô tabernacula prædonum! Nec prætermittendum, quomodo afflicta & obsessa erat tunc Tholosa. Comes enim noster erat ex vna parte apud Murellum: quidā milites nostri ex alia parte apud Verdunum: comes Balduinus ex alia: Guido frater comitis ex altera. Hi omnes ex omni parte Tholosam circumdātes, & vsque prope portas ipsius sępius equitantes, eam non modicùm infestabant. Comes autem Tholosę, qui peccatis suis exigentibus exhereditatus, præter Tholosam & Montem Albanum, perdiderat terram suam, ad Regem Arragonum confugerat: ab eo super recuperatione terræ suæ cōsilium & auxilium quæsiturus. O justum justissimi Dei judicium! O misericordissimi, fratris videlicet Petri de Castronovo, veridica sententia! Dicebat siquidem vir bonus, sicut ab illis audiui, qui ab illius ore sæpius audierunt: negotium, inquiebat, Iesu Christi in partibus istis numquam prosperum sortietur effectum, donec aliquis de nobis prędicatoribus pro defensione fidei moriatur: & vtinam ego prior persecutoris exciperē gladium. Ecce miser ille comes Tholosanus, cùm mortem huic sanctissimo viro intulisset, eo quòd ipsum de perpetratis nequitiis publicè & in facie redargueret vir bon^9, post hæc se evasisse putavit, posthæc recuperare se credidit terrā suam: sed Domino retribuente vindictam, sanguinemque sui Martyris vindicante, vnde speravit se habere lucrum, nonnisi dispendium gravissimum, inde damnum irrecuperabile reportavit. Diligenter etiam est notandum, quòd dictus comes miser ille occisorē viri Dei in maximo amore & familiaritate receperat: adeo quòd per civitates & castella ipsum ducens quasi pro spectaculo, omnibus dicebat. Iste solus me diligit: iste solus concordat maximè votis meis: iste eripuit me ab inimico. Licet autem crudelissimum homicidam illum comes prædictus ita extolleret: ipsum muta etiam animalia abhorrebant. Sicut enim multorum, & proborum virorū canonicorum Tholosanæ Ecclesiæ veridica relatione audivimus, ab illo die quo prædictus homicida virum Dei memoratum occidit, in detestationem tanti sceleris nūquam canis dignatus est accipere de manu ejus*. O res miranda, ô res inaudita! Hoc ideirco inseruimus, vt quā justè comes Tolosæ exhereditatus sit, ostendamus. Dum res ita se haberet, vt suprà dictū est, Rogerius Bernardi filius comitis Fuxensis ꝓpe Carcassonam cum ruptariis trāsiens, equitabat quodā die vers^9 Narbonam: vt si quos inveniret peregrinos, vinctos perduceret Fuxum, aut morte crudelissima condemnaret. Factum est igitur dum iret, obvios habuit paucos peregrinos, qui tendebant ad comitem nostrum, venientes à partib^9 Gallicanis. Peregrini autem illi videntes hostes venientes, putantesque, quòd essent de nostris, intrepidi adversarijs occurrebant. Traditores siquidē prędicti, in his nequitiæ suæ providebant, quia videlicet lento passu, & per stratam publicā ambu-

Tholosa nidus hæreticorum.

Notabile dictum B. Petri de Castronovo.

Mors Martyris vindicata.

*escam.

Manuscrip. etiam ait, aliquot hostes gestasse habitum Cisterciensem super arma sua.

labant, vt non esset facilè advertere, quod non essent de nostris. Vt autem appropinquauerunt ad invicem, statim crudelissimi carnifices insurrexerunt in nostros, qui pauci erant & inermes, vtpotè proditionis ignari; occidentesque plures de nostris, & membratim dilacerantes, reliquos secum duxerunt vsque Fuxum; vbi eos tenentes in vinculis, tormentis validissimis dilaniabant. Cum maximo siquidem studio nova quotidie & inexperta excogitabant supplicia, quibus suos affligerent captivos. Sicut enim ab ore cujusdã militis nostri audiui, qui ibi tenebatur in vinculis, qui præsens erat & videbat; captivos suos cruciabant illi tot & tantis tormentis, quòd Diocletiano & Maximiano posset æquiparari malitia, vel etiam anteferri. Vt enim prætermittamus ibi minima, ipsos sacerdotes, & divini mysterij tractatores, frequentiùs suspendebant: quandoque etiam, quod dictu horribile est, ligatis ad genitalia membra funibus, ferocissimè distrahebant. O crudelitas immanis! O rabies inaudita!

Caput LXV.

Conventus episcoporum & Baronũ apud Appamiam celebratur à Simone Comite, vbi multa decreta & leges statuuntur; quas se comes servaturum pollicetur.*

* *Pamie*

Anno Incarnationis Dominicę 1212. mense Novembri, convocavit comes Montisfortis Episcopos & nobiles terræ suæ, apud castrum Appamiarum celebraturus colloquium generale. Causa autem colloquij hujus ista fuit, vt comes noster in terra quam acquisierat, sanctęque Romanæ Ecclesiæ subjugaverat, institui faceret mores, hæretica spurcitia procul pulsa, quæ totã corruperat terram illam: bonæ, tam cultu religionis Christianæ, quàm etiam de temporali pace & quiete, consuetudines plantarentur. Terra siquidem illa ab antiquis diebus deprędationibus patuerat, & rapinis: opprimebat quippe potens impotentem, fortior minùs fortem. Voluit igitur comes nobilis cunctas consuetudines, fixosq; limites terræ dominis ponere, quos transgredi nõ liceret: quatenus etiam milites de suis certis & rectis redditibus rectè viverent: minor etiam populus sub alis dominorum posset vivere, immoderatis exactionib⁹ non gravatus. Ad quas consuetudines statuendas electi fuerunt viri duodecim, qui super sacrosancta Evangelia juraverunt, quòd pro posse suo tales cõsuetudines ponerent, per quas Ecclesia sua libertate gauderet; tota etiã terra in statu firmaretur meliori. De illis autem 12. electoribus, quatuor fuerunt ecclesiastici: duo scilicet Episcopi, Tholosanus & Cõsoranensis, vnus Templarius, vnusque Hospitalarius: quatuor pręterea Frãcigenæ milites: quatuor etiam indigenæ, duo milites, & duo burgẽses: per quos dictæ consuetudines satis competenter positæ & firmatæ. Vt autem consuetudines illæ inviolabiliter servarentur, antequã proferrentur in medium, nobilis comes, omnesque milites sui super 4. Evangelia juraverunt, quòd suprà memoratas consuetudines numquam pręsumerent violare. Vt etiam majorem obtinerent firmitatem, redactæ sunt in scriptum: sigillo etiam comitis & omnium episcoporũ, qui ibi plures erant, firmatæ & munitæ. Dum hæc agerentur apud Appamias, hostes fidei à Tholosa egressi, discurrere cœperunt per Vuasconiam, & facere mala quæcumque potuerunt. Venerabilis autem episcopus Convenarum assumptis secum aliquibus de militib⁹ nostris, perrexit in Vasconiam, terramque illam ab hostibus fidei viriliter defendebat: nobilis autem comes noster perrexit Carcassonam, & inde Biterrim, habiturus colloquium cum archiepiscopo Narbonensi, super his quæ spectabant ad negotium IesuChristi. Dum autem essemus apud Biterrim, & sedes episcopalis vacaret, canonici illius Ecclesiæ cõmuni assensu elegerunt venerabilem archidiaconum Parisiensem Guillelmum in suum episcopum & pastorem: sed ipse nulla ratione ad hoc potuit induci, vt electioni eorum assensum præberet.

Archidiaconus Parisiẽs. renuit pontificatum.

Caput LXVI.

Rex Arragonensis venit Tholosam, & colloquium habet cum comite Simone, & apostol. sed. legato.

Circa festum verò dominicæ Apparitionis rex Arragonum Petrus, qui negotio fidei plurimùm invidebat, venit Tholosam: & fecit ibi milites, excommunicatis & hæreticis communicando: mandavitque rex Archiepiscopo Narbonensi apostolicæ sedis legato, & comiti nostro, quod volebat habere colloquium cum eis, & de pace & de compositione inter comitem nostrum & hostes fidei tentare. Igitur assignata fuit communi assensu dies & locus inter Tholosam & Vaurum, vbi colloquium celebrari deberet. Cùm igitur venissemus ad locum concilij, rex cœpit rogare Archiepiscopum Narbonensem & episcopos, de restituendis terris comitib⁹ Tholosano, Convenarum, Fuxensi, & Gastoni de Bearno. Archiepiscopus autem Narbonensis respondit regi, vt omnes petitiones suas redigeret in scriptum; & scriptas & sigillatas mitteret episcopis apud Vaurum. Rex verò Arragonensis, postquam applausum magnum fecerat comiti nostro, & fratri, & filijs ejus, rogavit ipsum comitem, vt octo diebus desisteret à malefaciendo inimicis suis. Cui nobilissimus & vrbanissimus respondit. Non desistam, inquit, à malefaciendo; sed ob reverentiam vestram, cessabo his octo diebus à benefaciendo. Similiter autem & rex promisit ex parte hostium nostrorum, quòd ipso tempore colloquij non facerent nostris malum. Sed ipsi infidelissimi, cùm scirent nostros convenisse ad colloquium, licet nos per regem fecissent securos, discurrere cœperunt per terram nostram versus Carcassonam; multa mala facientes, plurimos etiam occiderunt. O fraus nequam! Die tertio postquam recessit rex à loco colloquij, & intravit Tholosam, scripsit petitiones suas ad Archiepiscopos & Episcopos nostros, in hæc verba.

Petitiones regis Arragonensium ad Prælatos in Concilio apud Vaurum congregatos.

Quoniam Sacrosancta mater Ecclesia non solum verba, sed verbera quoque docetur habere, devotus ecclesiæ filius P. Deo miserante Rex Arragonensis, pro comite Tholosano, ad sinum ejusdem matris ecclesiæ cupiente redire, & à sanctitate vestra petit humiliter, & rogat instanter; quatinus faciendo satisfactionem personalem pro excessibus quibuscumque, provt ipsi ecclesiæ visum fuerit expedire; ac pro damnis & injurijs illatis diversis ecclesijs & prælatis satisfaciendo, secundùm quod clementia matris ecclesiæ, ipsi comiti duxerit injungendum, restituatur clementer & misericorditer ad possessi-

Tholosanus comes simulat se velle ad ecclesiam redire.

Videtur supplendū, ob culpas, aut quid simile.

ones suas, & alia quæ amisit. Quod si fortè * comitis nollet ecclesia ipsius regis petitioné audire: petit & rogat hoc idem pro filio; ita tamen quòd puer nihilominus satisfaciat personaliter pro excessibus, vel in frontaria Saracenorum cū militibus eundo in subsidium Christianorum; vel in partibus transmarinis, secundùm quod ecclesia melius arbitrabitur expedire: & infans in terra sua in tam diligenti custodia, & tam fideli cura, ad honorem Dei & S.R.E. habeatur, vsquequo de bonitate sua, signa compareāt manifesta.

Et quoniam comes Convenarū, nec fuit vnquam hæreticus, nec eorum susceptor, sed potius impugnator;& ideo terram dicitur amisisse, quòd astiterit consobrino & domino suo comiti Tholosano: petit idem Rex,& rogat pro eo, sicut pro vasallo suo, vt restituatur ad terram suam: satisfaciendo quoque ad arbitrium ecclesiæ, si eum apparuerit in aliquo deliquisse.

Item, comes Fuxensis, cùm nec sit, nec fuerit hæreticus; pro eo memoratus rex petit, & rogat sicut pro consanguineo suo carissimo; cui sine verecundia in jure sic deesse non potest, quatinus pro reverentia ipsius, & gratia restituatur ad sua: satisfaciendo nihilominus ecclesiæ in his & pro his, quibus clementia matris Ecclesiæ eum apparuerit deliquisse.

Item, pro Gastone de Bearno Vassallo suo, petit sæpedictus Rex, & rogat affectuosè, quatin⁹ restituatur ad terram suam, & fidelitates Vassalorum suorum: maximè cùm paratus sit parere, & ad arbitrium ecclesiæ satisfacere coram judicibus non suspectis: si nobis causam ipsius audire, & expedire non licet.

In omnibus tamen præmissis, duxit memoratus rex, misericordiam potiùs quam judicium invocandum: mittens ad clementiam vestram clericos & barones suos; super præmissis ratum habiturus, quicquid à vobis cum eis fuerit ordinatum. Supplicans, vt talem habere dignemini circumspectionem & diligentiam in hoc facto, vt in negotio Christianitatis in partibus Hispaniæ, ad honorem Dei & S. matris Ecclesiæ dilatationem, prædictorum baronum & comitis Montisfortis subsidium* possit. Datum Tholosæ 17. Cal. Februarij.

Fortè impendi.

Responsio Concilij.

ILlustri & dilecto in Christo P. Dei gratia regi Arragonum, comiti Barchilonensium, Concilium apud Vaurum* salutem, & sinceram in domino dilectionem. Petitiones & preces vidimus, quas pro Tholosano, & ejus filio, & Fuxēsi, & Convenarum comitibus, & nobili viro Gastone de Bearno, vestra regalis serenitas destinavit: in quibus etiam literis, inter cætera ecclesiæ filium dicitis vos devotum: super quo domino Iesu Christo, ac regali vestræ celsitudini, gratiarum referimus actiones: & in cunctis quibus secundùm Deum possemus, propter illam mutuam dilectionem, qua vos sancta Romana mater Ecclesia, sicut intelligimus, amplectitur, & vosipsam, nec non & ob reverentiam excellentiæ vestræ regalis, admitteremus affectuosiùs præces vestras. Super eo quod pro comite Tholosæ petitis & rogatis, hæc duximus serenitati regiæ respondendum: quod tam causa comitis quàm filij, quæ pendet ex facto patris, auctoritate superioris est à nobis exempta: cùm idem comes Tholosæ Regiensi episcopo, & Magistro Theodisio, à Domino Papa negotium suum fecerit sub certa forma committi. Vnde, sicut credimus, memoriter retinetis, quot & quātas gratias dicto comiti, post multos excessus ipsius, dominus Papa fecit: necnon & quam gratiam, ad intercessionem vestram & preces, venerabilis Narbonensis Archiepiscopus, Apostolicæ sedis legatus, tunc abbas Cistercij apud Narbonam & Montempessulanum, eidem comiti faciebat, biennio, si bene meminimus, jam transacto. Volebat siquidem idem legatus, omnes dominicaturas & proprietates, eidem comiti remanere integras & illæsas: & vt illa jura quæ habebat in castris aliorum hæreticorum, quæ de feodo ejus erant, sine alberga, sine quista, sine cavalgata, eidem integra remanerent. De illis preterea castris, quæ erant aliorum hæreticorum, quæ de feodo ejus non erant, quæ idem comes dicebat esse quinquaginta, volebat præfatus legatus, vt quartalis & tertia pars eorum, caderet in proprietatem comitis supradicti. Spreta verò comes illa magna gratia domini Papæ, ac prædicti legati, & ecclesiæ Dei, veniens directè contra omnia juramenta, quæ olim præstiterat in manibus legatorum; & addens iniquitatem iniquitati, crimina criminibus, mala malis, ecclesiam Dei & Christianitatem (fidem & pacē cum hæreticis * & ruptarijs) impugnavit & damnificauit: adeo vt omni gratia & beneficio reddiderit se indignū.

*Lavaur

* *statuens.*

Quòd autem pro comite petitis Convenarum, taliter super hoc duximus respondendum. Pro certo intelleximus, quòd cùm post excessus suos multiplices, & juramenti transgressionem, fœd⁹ cum hæreticis & eorum fautoribus contraxisset; & ipsam ecclesiam, licet nunquam in aliquo læsus esset, cum ijsdem pestilentibus impugnasset; licet postimodum diligenter fuerit admonitus, vt cessaret à cœptis, & rediens ad cor tandē reconciliaretur ecclesiasticæ vnitati: nihilominus idem comes in sua nequitia* extitit, excommunicationis & anathematis vinculo alligatus. De quo etiam, vt dicitur, comes Tholosæ asserere consuevit, quòd ipse comes Convenarum eum ad guerram impulit, & induxit. Vnde idem comes, auctor per hoc guerrę & malorū, quę ecclesiæ multipliciter provenerunt, extitit. Verūtamen si talem se exhibuerit, vt absolutionis beneficium mereatur; postmodum cùm fuerit absolutus, & habuerit potestatem standi judicio, si de aliquo querelętur, ecclesia ei justitiam non negabit.

Fortè legendum pstitit.

Petit præterea regia celsitudo pro comite Fuxensi. Ad quod taliter respondemus; quòd constat de ipso, quod hæreticorum extitit à longo tempore receptator: præsertim eum non sit dubium, quin credentes hęreticorū hæretici sint dicendi: qui etiā post multiplices excessus suos, post præstita juramenta, post obligationes tam personarum quam rerum, post injectionem manuum in clericos, & detrusionem eorum in carcerem, pro quibus causis & multis alijs anathematis mucrone percussus; post illam etiam gratiam, quam idem legatus ad intercessionem vestram olim ipsi comiti faciebat, cruentam cædē exercuit in signatos, tam laicos quam clericos, qui in paupertate & simplicitate sua, cōtra Vauri hæreticos in Dei servitium ambulabant. Qualis autem & quanta erat illa gratia, bene recolit, sicut credimus, regia celsitudo: ad cujus preces cum eodem comite compositionem faciebat dictus legatus

Fuxensis comes ob injurias clericis illatas precipuè excommunicatus.

ctus legatus. Sed quòd non fuit facta illa compositio, per ipsum comitem stetit: extant enim litteræ ad dominum comitem Montis-fortis regali sigillo munitæ, talem clausulam continentes. Dicimus etiam vobis, quòd si comes Fuxensis noluerit stare placito illi, & vos postea non audieritis preces nostras pro eo, non erimus inde vobis dipacati: veruntamen si dederit operā, vt absolutionis beneficium cōsequatur, & postmodum, cùm absolutionis fuerit gratiam consequutus, de aliquo quereletur, justitiam ei ecclesia non negabit.

Postulatis insuper, & rogatis pro Gastone de Bearno, vt restituatur ad terram suam, & ad fidelitates vassalorum suorum: super quo vobis taliter respondemus. Vt alia multa, imò potiùs infinita, quæ in ipsum Gastonem dicuntur, ad præsens silentio transeamus; confœderatus tamen hæreticis, & receptatoribus, seu defensoribus eorum contra Ecclesiam & signatos; est Ecclesiarum & ecclesiasticarum personarū manifestissimus persecutor. Venit in auxilium Tholosanorum, ad obsidionem Castrinovi. Interfectorem Fr. Petri de Castronovo Apostolicæ sedis legati habet secum: ruptarios diu tenuit, atque tenet. In anno præterito ruptarios in Cathedralē Ecclesiam Oleronis induxit: vbi amputato fune, de quo pendebat pyxis continens, corp⁹ Domini nostri Iesu Christi in terrā cecidit: & quod nefas est dicere, ipsum corpus Dominicū est per terram sparsum. Transgressus juramenta, manus in clericos violentas injecit: pro quibus, & alijs causis pluribus quas ad pręsens tacemus, excommunicationis & anathematis est nexibus innodatus. Verùmtamen si satisfecerit Ecclesiæ, prout debet, & absolutionis beneficium cōsequetur: & si conquestus fuerit de aliquo, audietur de jure suo. Aliter siquidem pro prædictis sic excommunicatis, clarissime princeps, vestram regiam majestatem intercedere non deceret: nec nos pro talibus, & in talibus audemus aliter respondere Ad hæc, serenitatem vestram regalem monemus & exhortamur in Domino, quaten⁹ ad memoriam revocare dignemini honorem, quem vobis fecit Sedes Apostolica,* & illum, quem in præsentiarum illustri Regi Siciliæ sororio vestro facit: quid etiam D. Papæ in vestra promisistis vnctione: & quid vobis Sedes Apostolica dederit in mandatis, Oramus, vt Deus ad honorem suum, & S. Rom. Ecclesiæ, per multa tempora vos conservet. Quòd si per hanc nostram responsionem vestræ Regiæ majestati non fuerit satisfactum, nos ob reverētiam vestram & gratiam, D. Papæ curabimus intimare. Datum Vauri 15. Cal. Februarij.

Eucharistia in terram sparsa.

** An. 1204 à Papa regi is insi nibus fuerat decoratus.*

Audiens rex Arragonum responsiones prælatorum nostrorum, vidensque petitiones, quas fecerat, penitus refutatas, affectumque suū non posse perduci ad effectum; alium circumventionis modum invenit. Misit itaque nuncios ad prælatos, mandans & rogans, quatinus inducerent comitem Montis-fortis ad hoc, vt comiti Tholosano, cæterisque fidei Christianæ inimicis treugas daret, vsque ad futurum proximū Penthecosten, vel saltem vsque in Pascha. Quod audiētes prælati nostri, animadvertenteſque, quòd rex ob nihil aliud peteret hoc, nisi vt hoc audiretur in Francia, sicque devotio tepesceret signatorum, petitionem istam, sicut & primas fecerant, refutarunt. Quia verò longum esset omnia enarrare per ordinem, quæ rex ille mandavit, & nostri ei respondenda duxerunt istud breviter dicamus, quòd hæc fuit tota intentio dicti regis, laborare videlicet, vt comes Tholosæ, & alij religionis Christianæ inimici restituerētur ad terras suas; vel saltem ipsis treugæ darentur à nostris, ob intentionem superiùs memoratam. Nostri verò viri providi & cōstantes, nec terras reddere, nec treugas concedere voluerunt. Videns rex, quòd nihil proficere potuisset, in graue dispendium famæ suæ pariter & honoris, apposuit, quòd excommunicatos, & terras eorum, quas adhuc tenebant, in sua protectione reciperet: & vt suam nequitiam aliquantulum palliaret, sedē Apostolicam appellavit. Prælati autem nostri huic appellationi, quia multiplicibus ex causis frivola erat & invalida, minimè detulerunt: sed archiepiscopus Narbonensis apost. sedis legatus misit litteras in hunc modum.

Epistol. Præsulis Narbonens. ad Arrago. regem

Illustrissimo domino Petro, Dei gratia regi Arragonensi, Frat. Arnaldus, divina miseratione Narbonensis Archiepiscopus, Apostolicæ Sedis Legatus, Salutem in caritate animi, & visceribus Iesu Christi. Intelleximus, non sine turbatione multa, ac amaritudine animi, quòd civitatē Tolosæ, ac castrum Montis-Albani, & terras ꝑpter crimen hæreseos, ac alia multa & nefanda facinora traditas Satanæ, ac ab omni communione matris Ecclesiæ separatas, & crucesignatis authoritate Dei, cujus nomen in his graviter blasphematur, expositas, disponitis in protectione ac custodia vestra recipere: ac eas cōtra Christi exercitum defensare. Cùm igitur hæc, si vera sint, quod Deus avertat, non solùm in salutis vestræ dispendium, sed in honoris Regij, ac opinionis vestræ & famæ possit cedere detrimentum: nos, qui salutem vestram, & gloriam & honorem zelamus, totis visceribus caritatis Celsitudinem regiā rogamus, consulimus, monemus, & hortamur in Domino, & in potentia virtutis ejus: ex parte Dei Redēptoris nostri Iesu Christi, ac sanctissimi Vicarij ejus domini nostri summi Pontificis, authoritate qua fūgimur, inhibem⁹, & modis quibus possumus obtestamur: ne per vos, vel per alios, terras recipiatis, vel defendatis prædictas Optamus autem, quatenus tam vobis, quàm & ipsis taliter dignemini providere; ne cōmunicando excommunicatis, & maledictis hæreticis, & fautoribus eorumdem, labem excommunicationis incurrere vos contingat. Vnum autem nō volumus Serenitatē vestram latere, quòd si quos de vestris in defensionem prædictæ terræ duxeritis relinquendos, cùm excommunicati sint ipso jure, vos denūtiari excommunicatos, tamquam defensorem hæreticorum publicè faciemus.

Rex Arragonensis in nullo resipiscens, sed quæ malè proposuerat pejùs adimplēs, hæreticos omnes, & excommunicatos comites, Tholosanum videlicet, Convenarum, & Fuxensem, Gastonem de Bearno, omnesq; milites Tholosanos & Carcassonenses, qui pro hæresi exhereditati Tholosam confugerant, cives etiam Tholosanos in sua protectione suscepit, & ab ipsis juramentum recepit: civitatem etiam Tholosanā, quæ est propriè de dominio regis Frāciæ, & totum illud terræ, quod illi adhuc tenebant, in sua custodia recipere præsumpsit. Non credimus omittendum, quòd cùm essent nostri prope dictum colloquiū apud Vaurum, comesque Montisfortis ob reverentiam regis, diebus colloquij, inimicis treugas dedisset & rex similiter ex parte adversariorum

treugas firmasset: ipso tēpore colloquij manentibus treugis, nostrisque non caventibus, equitarunt hostes pluries per terram nostram, prędāque multam capientes, plurimosque insuper homines occidentes, multos captos ducentes, mala vbique gravissima intulerunt: super quibus malis cùm rex sæpius requireretur à nostris, non fecit vllatenus emendari. Videntes igitur nostri, quod rex detineret eos nuntiis, literis, & etiam appellationibus superfluis, & nihilominus tēpore colloquij & treugarum nostros ab excōmunicatis, quorū causam fovebat, permitteret apertissimè & sępissime infestari, à Vauro recesserunt: verùm tamen antequam recederent, scripserunt D. Papæ de communi negotio Ecclesiæ, & de præfato colloquio in hunc modum.

Litera Synodi Vaurensis ad D. Papam Innocentiū.

SAnctissimo patri in Christo, ac Beatiss. Dño suo, Innocentio Dei gratia summo Pontifici, devoti & humiles servi ejus. Archiepiscopi, Episcopi, & alij Ecclesiarum prælati, apud Vaurum pro sanctæ fidei negotio congregati: cum omni affectione longum vitæ spatiū, & salutis. Ad agendas paternitatis vestræ solicitudini dignas grates, cùm nec lingua, nec calamus nobis sufficiant: retributorē omnium bonorum exoramus, vt nostrum in hac parte suppleat defectum: & abunde vobis retribuat omne bonū, quod nobis & nostris, aliisque partium nostrarum Ecclesiis tribuistis. Cùm enim in partibus istis pestis hæretica antiquit⁹ seminata, nostris temporibus vsque adeo succrevisset, quòd cultus divinus ibidē haberetur omnino in opprobrium & derisum: & in clerum, & bona ecclesiastica hinc hęretici, inde ruptarij grassarentur: & tam princeps quàm populus in reprobum sensum datus, à fidei rectitudine deviavit: vt per vestros exercitus signatorū, quos ad emundandas spurcitias pestis hujus sapientissimè destinastis; & Christianissimum eorum principem comitem Montisfortis, intrepidum omnino athletam, & invictū dominici prælij bellatorem: ecclesia, quæ tam miserabiliter ibi corruerat, caput inibi cœperit relevare: & in parte maxima destructis adversitatibus & erroribus vniversis, terra dudum à cultoribus horum dogmatum cōculta, demum divino cultui assuescat. Restant verò adhuc reliquiæ dictæ pestis, Tholosa videlicet ciuitas, cum castris aliquot: vbi tāquam sordes in sentinam cadentes, residuū pravitatis hæreticæ se collegit: quorum princeps, comes scilicet Tholosæ, qui ab antiquis temporibus, sicut multoties jam audistis, hæreticorum & fautor extitit, & defensor: & pro viribus quæ sibi remanserunt, impugnat ecclesiam: & quoad potest, pro fidei hostibus eius cultoribus se opponit. Ex quo enim redijt à Sanctitatis vestrę pręsentia cum mandatis, quibus, vltra omnem meritorum exigentiam suorum, egeratis misericorditer cum eodem, introivit, sicut manifestè videtur, angelus Satanæ in cor ejus, & gratiæ vestræ beneficiorum ingratus, de his quæ coram vobis promiserat, nihil implevit; imo pedagia sæpius abjurata vehementer adauxit; & ad omnes, quos scivit nostros & ecclesiæ adversarios, se convertit. Sanè per Othonem Dei & ecclesiæ inimicum, opinatus contra ipsam ecclesiam vires assumere, sub ipsius confidentia manifestè, sicut asseritur, minabatur, quod ecclesiam de finibus suis, & clerum radicitus extirparet: hæreticos & ruptarios, quos multoties abjuraverat, extunc ferventius solito fovere studuit & tenere. Cùm enim catholicorum exercitus obsideret Vaurum, vbi sedes erat Sathanæ, & quasi hujus erroris hæretici provincia, ipse in subsidium perversorum, misit milites & clientes, & in castro suo, quod Casser appellatur, fuerunt inventi & combusti à crucesignatis plusquam quinquaginta hæretici, præter credentium eorum multitudinem copiosam. Invocavit etiam contra Dei exercitum, Savaricum inimicum ecclesiæ, Regis Angliæ Seneschallum, cum quo Christi pugilē prædictum comitem Montisfortis apud Castrū novum Arrij obsidere præsumpsit: sed Christi dextera faciente, citò fuit ejus præsumptio in cōfusionem conversa; ita quòd pauci catholici infinitam Arrianorum multitudinem effugarint. Prædictorum autem Othonis & regis Angliæ confidentia defraudatus, vt qui baculo arundineo nitebatur, cogitavit iniquitatem abominabilem, & ad regem Marochitarum nuntios destinavit, subsidium ejus. non solùm in terræ nostræ, sed totius Christianitatis exitium implorando: sed conatum ipsius divina pietas impedivit. Episcopum Agennensem à sede propria expellendo, bonis omnibus spoliavit: & abbatem de Moysiaco cœpit, & abbatem Montis-Albani ferè per vnum annum tenuit captivatum. Ruptarij quoque ipsius & complices, peregrinos clericos & laicos innumerabiles varijs tormentis affecerunt, & nonnullos detinent, ac diutius tenuere captivos. In his omnibus non aversus est furor ejus, sed adhuc manus ejus extenta; ita vt fiat quotidie semetipso deterior; & omnia mala quæ potest per seipsum, & filium, & complices Fuxensem, & Convenarum comites, & Gastonem de Bearno, viros sceleratissimos & perversos, contra Dei ecclesiam operetur. Cùm autem vltione divina & censura ecclesiastica, memoratus athleta fidei, comes christianissimus terras ipsorum, tamquam hostium Dei & ecclesiæ, sancto & justo occupavit prælio ferè totas; ipsi adhuc in sua persistentes malitia, & humiliari sub potenti manu Dei contemnentes; nuper ad regem Arragonum recurrerunt, per quem fortè intendunt vestram circumvenire clementiam, & ecclesiam suggillare. Adduxerunt enim ipsum Tholosam, nobiscum, qui de mandato legati & delegatorum vestrorum apud Vaurum conveneramus, colloquium habiturum; qui quæ, aut qualia proposuerit, & quæ nos ei duximus respondenda, ex rescriptis, quæ vobis sigillata mittimus, plenius cognoscetis. Omnes igitur vnanimiter & concorditer hæc prænissa sanctitati vestræ intimamus; liberantes animas nostras; ne per defectum significandi, in negotio fidei de cōtingentibus aliquid omittatur. Pro certo namque sciatis, quòd si terra quæ dictis tyrannis, cū tanta justicia & multa Christianorum effusione sanguinis est ablata, ipsis aut hæredibus eorum restituatur, non solùm fieret novissimus error pejor priore: sed exinde excidium clero & ecclesiæ inestimabile immineret. Ad hæc quoniam enormitates abominabiles, & alia scelera prædictorum, per singula præsenti paginæ non credimus annotanda, ne librū texere videremur; quędam in ore nuntiorum posuimus, quæ sanctis auribus vestris poterunt viva voce referri.

Plusquam 50 hæretici in Casser cōbusti.

Dei cultus per hæresim destruitur, &c.

Nuntij, qui detulerunt litteras istas ad D. Papam, fuerunt hi. Venerabilis Convenarum epi-

scopus, abbas de Claraco, archidiaconus Parisiensis Guillelmus, M. Theodisius, & cleric9 quidam, qui diu fuerat corrector literarum in curia domini Papæ, & dicebatur Petrus Marci. Priusquam autem venirent ad curiam dicti viri providi & discreti, rex Arragonũ per nũtios suos circumvenire intendebat simplicitatẽ Apostolicam: & per suggestionem falsitatis, & veritatis suppressionem impetraverat literas, in quibus D. Papa præcipiebat comiti Montisfortis, quatenus comitibus Convenarum * & Fuxi, & Gastoni de Bearno redderet terras suas. Scripsit etiam archiepiscopo Narbonensi alias literas, in quibus D. Papa indulgentiam, quam fecerat proficiscentibus contra hæreticos Albigenses, videbatur revocare. Venientes igitur nuntij nostri ad curiam Romanam, D. Papam invenerũt aliquantulum durum: eoquod nimis credulus fuisset falsis suggestionibus nuntiorum regis Arragonensium: sed postea veritate comperta per nuntios nostros, quicquid fecerat ad regis nunciorum suggestionem, revocavit in irritum; & ipsi regi misit literas in hæc verba.

Legati Conc.ily ad Pontificem missi

* Cominge, & Foix.

Litera D. Papæ regi Arragonensium, ne opponat se negotio ecclesiæ

INNocentius episcopus, servus servorum Dei, Petro illustri regi Arragonensium. Is in cujus manu sunt omnium corda regum, inspiret tibi humiliter exoratus, vt prudenter attendẽs, quòd juxta mandatũ apostolicũ, nos oportet arguere, obsecrare, increpare; nostras increpationes, quas paterna affectione in te depromim9, devotione recipias filiali; & sic obtemperes salubribus monitis & consilijs, & correptionem apostolicam recipiendo, demonstres te in his & affectum habuisse sincerum, in quibus absque dubio per effectum nosceris deliquisse. Sanè ad totius ferè mundi notitiam jam peruenit, nec serenitatem tuam credimus ignorare, aut etiã diffiteri, quòd inter cæteros principes Christianos, te specialiter studuimus honorare, per quod & potentia tibi accrevit & fama: & vtinam cum his & prudentia & deuotio pariter accrevissent: quod licet nobis gratum existeret, tibi tamen ampliùs expediret. Verùm in hoc, nec tibi providisse dignosceris, nec nobis, vt decuit detulisse; quia cùm Tholosani cives, tamquam putrida membra sint præcisi excommunicationis mucrone, & ipsa civitas supposita sit interdicto: pro eo quod quidam eorum manifesti sunt hæretici, plures verò credentes, fautores, & receptatores eorum, ac defensores: adeo, vt alij quoque, quos Christi exercitus, imò veriùs ipse Christus, quẽ contra se ipsos suis adinventionib9 provocarant, à suis fecit tabernaculis emigrare, ad Tholosanam quasi quamdam sentinam erroris confugerint civitatem: tu divini timoris oblitus, quasi prævalere valeas contra Dominum, vel avertere manum ejus contra eos exigentibus suis culpis extentam, ipsos in defensionem sub specie pietatis impietatem exercens, in scandalũ populi Christiani, & propriæ famæ dispendium, recepisti. Nuper igitur auditis, quæ venerabilis frater noster Segobiensis episcopus, ac dilectus filius Columbus, nuntij legatorum nostrorum, & comitis Montisfortis in præsentia nostra proponere voluerunt, & literis hinc inde directis pleniùs intellectis, habito cum fratribus tractatu ac consilio diligenti; volẽtes honori tuo, quãtum ad famam, saluti quantum ad animam, indemnitati, quantum ad terram, paterna sollicitudine præcauere serenitati tuæ, in virtute Spiritus Sancti, sub obtentu divinæ ac apostolicæ gratiæ providimus injungendum, vt prænominatos deseras Tholosanos, nonobstante promissione vel obligatione quacumque præstita in elusionem ecclesiasticæ disciplinæ: ipsis, quamdiu tales extiterint, non impensurus consilium, auxilium, vel favorem. Si verò ijdem ad ecclesiæ redire desiderant vnitatem, prout fuit dictis nuncijs tuis propositum, coram nobis, nos venerabili fratri nostro F. Tholosano episcopo, viro integræ opinionis & vitæ, qui testimoniũ habet non solum ab his qui intus, sed ab his etiam qui sunt foris, nostris damus literis in mandatis; vt adjũctis sibi duobus, eos qui voluerint de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta redire, sufficienti ab eis cautione recepta, reconciliet ecclesiasticæ vnitati. Illos verò, quos in erroris sui tenebris persistentes, idem episcopus de labe * hæreticæ pravitatis, exterminari faciat à civitate jam dicta, & bona eorum omnia confiscari; ita quòd nullo vnquam tempore recipiantur in ipsa, nisi fortè divinitus inspirati, se veros fidei orthodoxæ Christianos, exhibitione bonorum operum demonstrarint; & sic ipsa civitas reconciliata pariter & purgata, sub Apostolicæ sedis protectione consistat, non molestanda de cætero à comite prædicto, vel alijs catholicis, sed defendenda potiùs & fovenda. Miramur insuper, & movemur; quòd pro terra nobilium vestrorũ, Comitis Fuxensis & Convenarum, & Gastonis de Bearno restituenda sibi, per nuncios tuos suppressâ veritate mendacium exprimentes, Apostolicum subripi fecisti mandatum; cùm propter multa & magna eorum flagitia ob hæreticorum favorem, quos manifestè defendunt, excommunicationis sint vinculo innodati. Vnde cùm mandatum pro talibus sic obtentũ non teneat, illud tamquam subreptum penitus revocamus. Si verò ijdem Ecclesiasticæ vnitati reconciliari desiderant prout dicunt; venerabili fratri nostro Narbonensi archiepiscopo, Apostolicę sedis legato, nostris damus literis in mandatis, vt recipiens ab ipsis non solùm iuratoriam cautionem, cùm suæ jam sint juramenta transgressi; sed & aliam quam viderit expedire, beneficium absolutionis impendat; & ijs rite præmissis, quasi veræ devotionis indicijs, legatum de latere nostro, virum honestum, providum, & constantem, ad partes illas curabimus destinare: qui non declinans ad dexteram vel ad sinistram, sed incẽdens regia via semper, quæ rectè facta inuenerit, approbet & confirmet, errata corrigat & emendet; & tam nobilibus antedictis, quàm alijs conquerentibus, exhiberi faciat iustitiæ complementum. Interim ergo inter te & terram tuã, & dictum comitem Montis-fortis, volumus & mandamus firmas treugas fieri & servari. Mandantes nihilominus comiti antedicto, vt pro terra quam à te tenet, reverenter exhibeat, quod exhibere tenetur. Illud autem excellentiam tuã volumus non latere; quòd si Tholosani & nobiles supradicti, adhuc quoque in errore suo duxerint persistendum, nos per indulgentias innovatas, crucesignatos & fideles alios excitamus; vt ad extirpandam pestem hanc, divino freti auxilio, insurgentes tam contra ipsos, quàm contra quoslibet alios, receptatores & defensores ipso-

Fautores hæreticorũ hæreticis sũt pejores.

rum qui plus ipsis hæreticis sunt nocivi, procedant in nomine domini Sabaoth. Monemus igitur serenitatem tuam, rogamus & obsecramus in domino, quatinus quæ præmisimus, prompto animo, quantum ad te pertinet exequaris: pro certo sciturus, quod si aliter (quod non credimus,) duceres faciendum, præter indignationẽ dominicam, quam ex hoc contra te procul dubio evocares, grave & irreparabile posses incurrere detrimentum: nec nos, quantumcumque diligamus personam, tibi contra fidei Christianæ negotium, possemus parcere vel deferre. Quantum enim tibi immineret periculũ, si Deo & ecclesiæ, præsertim in causa fidei te opponeres, vt consummationem sancti operis impedires, non solum vetera, sed etiam moderna possunt te exempla monere. Datum Laterani 12. Cal. Iunij pontif. nostri anno 19.

Post consummatum prælatorum concilium apud Vaurum, cùm rex Arragonensis exisset à Tholosa, & plures de militibus suis ob civitatis custodiam, & hostium Christi auxilium, dimisisset in eadem civitate; post paucos dies mandavit comiti nostro, quòd volebat habere cum eo colloquium prope Narbonam. Comes autem noster volens deferre regi, vt Domino, quantũ posset secundum Deum, & obedire: respondit, quod libenter iret ad colloquium prænotatum. Rex autem non venit ad locum colloquij, nec vnquam venire proposuerat: sed tam de Arragonensibus, quàm de Tholosanis hæreticis, & ruptarijs multi venerunt; & timebatur, ne venientem comitem cum paucis ad colloquiũ proditiosè caperent. Innotuit comiti, quod fiebat; & à loco colloquij declinavit.

Capvt LXVII.

Rex Arragonum Comiti Montisfortis per facialem bellum indicit.

POst paucos verò dies, præfatus rex misit nũtios ad comitẽ ferentes ipsius literas; in quibus continebatur, quod rex diffidebat comitem; & ei, quantum poterat, minabatur. Veruntamẽ comes noster, licet rex illum cum tanta superbia diffidasset, nullum damnum voluit inferre terræ regis, à quo diebus singulis mala multa & gravia sustinebat. Homines siquidem Cathalanenses intrabant terram nostram; & eam, quantum poterant, infestabant. Post aliquot verò dies, misit comes noster ad regem Lambertum de Turrejo, probum militem & discretum; quærebatque à rege per prædictum militem, vtrum super diffidatione præmissa per nuncios regis res ita se haberet; mandabatq; etiam ei, quòd in nullo vnquam ei forefecerat, sed paratus erat ei reddere quod debebat. Offerebat insuper, quòd si de ipso rex conquereretur super terris hæreticorum, quas de mandato summi pontificis, auxilio crucesignatorũ acquisierat: paratus erat stare juri in curia D. Papæ, vel in curia D. Narbonensis archiepiscopi, apost. sedis legati. Quasdam etiam litteras tradidit militi prænotato, quas regi præsentari præcepit, si in sua obstinatia duceret permanendum. Continentia autem litterarum hæc erat. Scribebat comes regi, absque salutatione; significans ei, quòd ex quo ipse post tot juris & pacis oblationes sibi factas, in sua diffidatione & obstinatia permanebat; comes eum similiter diffidebat, dicens, quòd nullo ei de cætero iure servitij tenebatur; sed per Dei auxilium tam de ipso, quàm de alijs se defenderet ecclesiæ inimicis.

Comitis ad Regem Arragonum litera & nuntius.

Veniens sæpedictus miles ad regem, coram ipso multisque baronibus terræ suæ, diligẽter & providè omnia, quæ comes in eius ore posuerat, per ordinem enarravit: obstinatus autem rex omnem respuit modum pacis, nec à diffidatione sua contra comitem animum voluit revocare. Statim sæpedictus nuntius literas comitis super diffidatione regi præsentavit; quæ in communi tam ipsius regis quam baronum suorum audientia sunt perlectæ: quibus lectis & pleniùs intellectis, rex & sui in iram versi sunt, & furorẽ. Post hæc emisso nuncio ab aula regia, & diligenter custodito, quæsivit rex à suis consilium, quid facere deberet de nuntio supradicto. Consuluerũt autem eum quidam barones sui, quòd mitteret ad comitem nostrum, mandans & præcipiens, vt veniens ad ipsum in sua curia, faceret ei vt suo domino quod debebat: quod si comes nollet venire, judicabant ipsum nuncium reum mortis. In crastino autem venit nuntius ad curiã; & quæ die præcedenti ex parte comitis dixerat, diligẽtiùs replicavit. Audacter se etiam obtulit, quòd si quis de militibus regis vellet dicere, quòd comes noster regem injustè offendisset, vel extitisset ei aliquando infidelis; paratus erat in ipsa curia regis dominum super fidelitate defendere, per duellum. Sed cùm nullus auderet eum impetere, omnes tamen clamarent duriùs contra illum; tandem ad preces quorumdam Arragonensium militum, quibus aliquantulum erat notus, dimissus à rege, post multa mortis pericula, ad comitem remeavit. Ex tunc sæpedict' rex, qui à retroactis diebus, persecutus fuerat comitem Iesu Christi, sed tantum in oculto, cœpit ipsum gravare in omnibus, & persequi manifestè.

Capvt. LXVIII.

Ludovicus Regis Galliæ filius cruce signatus, multos ad eam sumendam inducit.

ANno ab Incarn. Dom. 1212. mense Febru. Ludovicus filius Regis Franciæ, mitissimus juvenis, & bonæ indolis adolescens, signo crucis signavit se cõtra hæreticos: quo audito, infiniti milites ejus amore & æmulatione provocati, signũ crucis vivificæ assumpserunt. Rex verò Frãciæ audiens, quòd filius suus cruce signatus esset, multùm doluit: sed causam doloris ejus non est nostrum exponere. Prima verò die Quadragesimæ celebravit Rex generale colloquium in ciuitate Parisiensi, vt ordinaret de motione filij sui: & sciret, qui, & quãti, & quales irent cũ eo. Erãt tunc Parisiis Tholosanus & Carcassonensis episcopi, viri totius sanctitatis: qui tunc venerant in Franciam, vt promoverent negotium fidei contra hæreticos pestilentes. Rex autẽ Arragonensis, qui quantum poterat, impediebat negotium, nuncios suos misit ad regem Franciæ, episcopũ scilicet Barcilonensem, & quosdam milites cũ eo. Duabus autem de causis misit rex Arragonũ nuncios illos. Sollicitabat enim regem Franciæ per nuncios suos, vt daret ei filiam suam in vxorem. Sæpedictus enim rex Arragonum vxorem suam legitimam, filiam Guillelmi de Montepessulano, dimittere volebat; imò quantum in se erat jam dimiserat; ipsa autem ad D. Papam accesserat, conquerens, quòd vir suus injustè dimisisset eam. Summus autem Pontifex cognita pleniùs veritate, dedit sententiam contra regem, & confirmavit matrimonium inter ipsum & præ-

Rex Arragonum legatos ad Regẽ Galliæ mittit.

fatam reginam. Volebat autem rex ille habere filiam regis Franciæ in vxorem; vt sic posset eum per talem confœderationem sibi allicere, & evocare cor ejus à dilectione negotij fidei, & auxilio nobilis comitis Montisfortis. Sed videntes supradicti nuncij regis Arragonum, jam manifestũ & publicum esse in curia regis Franciæ, quod D. Papa confirmasset matrimonium inter regem & reginam Arragonum; non fuerunt ausi de contrahendo matrimonio, pro quo venerant, facere mentionem. Secunda autem causa adventus eorum in Franciam, hæc fuit. Sæpe memoratus rex civitatem Tholosanã, quæ ab antiquo fuit, & erat receptaculũ hæreticorum, & sentina, necnõ ipsos hæreticos & fautores eorũ in sua custodia & protectione receperat, excommunicatis hæreticis plenè & planè communicans: laborabatq; quantum poterat, quasi sub specie pietatis impietaté exercens, ad hoc vt peregrinorum devotio cessaret, & zelus tepescerét signatorum: volens civitaté Tholosam, & quædam circumadjacétia castra, quæ adhuc Christianitaté impugnabát, manere illęsa: vt sic totũ sacrosanctæ fidei negotiũ posset postmodũ destruere, & penitus dissipare. Ob hoc etiam misit literas quasdã Regi Franciæ, & comitissæ Campaniæ, & multis alijs, sigillatas sigillis multorum Episcoporũ terræ suæ: in quibus D. Papa intendebat revocare indulgentiam, quam fecerat contra hæreticos sæpius memoratos: literasque illas faciebat publicare per Franciam, vt à peregrinatione contra hæreticos animos omnium revocaret. His breviter perstrictis de illius malitia, propositum exequamur. Videns Episcopus Barchilonensis, & alij nũtij Regis Arragonum, qui venerant ad hoc, vt laborarent, quod peregrini non irent contra hęreticos, quia Ludovicus filius Regis Franciæ, & multi nobiles cũ eo contra hæreticos se signassent: non fuerunt ausi etiam mutire de revocatione nostrorum à devotione peregrinationis prædictæ. Sic nihil facientes eorũ, pro quibus venerant, ad Regé Arragonũ sunt reversi. Rex autẽ Franciæ, qui sicut diximus, cõvocarat barones suos Parisios, ordinavit de peregrinatione filij & aliorũ, qui crucesignati erant: & motionis diem præfixit, in octava videlicet Dominicæ Resurrectionis. Quid plura? Fit ingens Christianorum gaudium & exultatio: hæreticis autem mœror, & timor magnus. Sed heu! post modicũ cithara nostra in luctum convertitur; luct⁹ hostium in gaudium commutatur. Antiquus enim hostis generis humani diabolus, videns quòd negotium Christi esset quasi in consummatione, mediante labore & industria crucesignatorum, novum nocendi artificium inveniens, impedire voluit, quod doluit consummari. Suscitavit enim Regi Franciæ guerras, & occupationes tot & tantas: quòd oportuit eum retardare filium suum, & crucesignatos ab executione propositæ peregrinationis.

Impietas Regis Arragonensis.

Duæ causæ legationis Arragonensium irritæ.

CAPVT LXIX.

Manasses Aurelianensis, & Guillelmus Antisiodorensis Episcopi fratres, crucem assumunt.

EA tempestate Episcopus Aurelianensis Manasses, & Autissiodorensis Episcopus Guillelmus, viri per omnia laudabiles & constantes: duo magna, imò præcipua tunc temporis Gallicanæ ecclesiæ lumina, fratres insuper secundùm carné germani, crucem assumpserant contra hęreticos superiùs cõprehensos. Hi videntes signatorũ multitudiné remansisse, scientesq; negotium fidei in arcto discrimine constitutũ: pro eo quòd hostes fidei pro remansione peregrinorũ, cornua solito crudeliùs assumpsissét: collectis secum militibus quotquot potuerunt, miro fervore spirit⁹ & virtute iter arripuerunt contra hæreticos: parati nõ solùm sua expendere, sed & seipsos, si opportuerit, periculis & morti exponere pro servitio Iesu Christi. Properantes igitur viri Deo pleni, recto itinere pervenerunt Carcassonam; de quorũ adventu nobilis comes Montisfortis, & pauci qui cum eo erant, gavisi sunt gaudio magno valde. Invenerunt autem dicti episcopi nostros in castro quodam prope Carcassonam, quod dicitur Fanum-Iovis: fecerunt auté in castro illo paucos dies; post quos perrexit comes cum episcopis ad castrum Murelli prope Tholosam, de quo suprà fecimus mentionem: inde equitarunt nostri ante Tholosam, vt Christi & suos arcerent crebriùs inimicos. Sed miles quidã nomine Alardus de Estrepiq, & alij pauci, qui non satis bene se habuerant in negotio Christi, noluerunt ire cum eo: comes auté qui non habebat tantum exercitũ, vt circa Tholosam, vel aliquod aliud forte castrum posset obsidionem firmare, proposuit frequenter equitare ante Tholosam cum exercitu quem habebat; vt & munitiones, quæ circa Tholosam erant multæ & fortes, everteret, arbores decorticaret, segetes & vineas extirparet. Tempus siquidem messionis instabat. Sicut autem proposuit, ita & fecit. Sæpedicti autem episcopi sequebantur cum comite, seque quotidie pro Christi servitio periculis exponebant: de suo prætereà dabant larga dona militibus, qui cum eis erant in servitio Dei; redimebát captivos, & cetera largæ & sanctæ probitatis officia viri sanctissimi solicitè exercebant. Quia verò non possemus omnia sigillatim exprimere, istud breviter dicamus, quòd infra paucos dies septemdecim munitiones everterunt nostri; segetes etiam Tholosæ, vineas & arbores ex parte maxima destruxerunt. Nec silendum est, quòd cùm nostri equitarent ante Tholosam, & Tholosani & ruptarij, qui erant Tholosæ, duplo plures quàm nostri, frequenter exibant, & nostros à longè infestabant: sed quoties nostri ipsos volebant impetere, ipsi fugam arripiebant. Inter munitiones autem, quas nostri destruxerunt, erat quædam munitio propè Tholosam satis debilis & immunita. Quidam auté milites strenuę probitatis, scilicet Petrus de Sissi, Simon Lisesnes, Robertus de Sartis qui supportaverát ab initio pondus guerræ, rogaverunt comitem, vt dimitteret eis munitionem illã; vt ibi morantes, equitarent ante Tholosã, & infestarent sæpius Tholosanos. Comes autem licet invitus, vict⁹ tamen precibus eorũ, annuit eis. Circa festũ nativitatis B. Ioannis Baptistæ comes voluit, vt primogenitus suus Almaricus fieret nouus miles. Ordinauit autem comes de consilio suorum, quòd in Castronouo, quod est inter Tholosam & Carcassonam, celebraretur ista noua militiæ solemnitas, in festo natiuitatis B. Ioannis. Dum hæc agerentur à comite, & illis qui cum eo erát, Guido de Montefortis frater germanus comitis, erat in obsidione cujusdam castri, quod dicitur Podiumcelsum, in diœcesi Albiensi; à quo recedens, properavit ad comitem fratrem suum: qui & ipse properabat ad castrum nouum Arij, propter nouam filij sui Almarici militiam, de quo suprà

Episcoporũ in causa Christi pietas.

Guido frater Montefortis ad eũ venit.

tetigimus; eoquod instaret nativitas B. Ioannis. Venerunt etiam sui barones & milites de terra comitis, ad nouæ militiæ festiuitatem. Modum autem ipsum, quo prædictus filius comitis factus fuit miles Christi, exprimere volumus vtpotè nouum, & à seculis inauditum.

Caput LXX.

Almaricus filius comitis Simonis fit miles.

AN. verbi incarnati 1213. comes nobilis Môtisfortis, & plures Barones & milites ipsi᷒, in festo nativitatis B. Ioannis convenerunt apud castrum novum Arrij. Erant autem cum comite duo venerabiles episcopi memorati, & quidam milites peregrini. Christianissimus autem comes voluit, & rogavit Aurelianensem episcopum, vt filium suum Christi militem faceret, & ipsemet traderet ei cingulum militare. Venerabilis autem episcopus diu multùm restitit, sed tandem victus precibus comitis & nostrorum, petentibus acquievit. Comes autem, quia tempus æstiuum erat, & quia Castrumnouum non poterat competenter capere tantam multitudinem, eoquod jam semel vel bis fuisset destructũ, in amœna planicie juxta castrum fecit figi plures papiliones. Ipsa autem die natiuitatis S. Ioannis, venerabilis Aurelianensis episcopus induit se pontificalibus induméτis; celebraturus in papilione quodam Missæ solemnitatem. Conveneṙunt autem tam clerici, quàm milites ad audiendam Missã. Astante igitur episcopo ante altare, & Missam celebrante, apprehendens comes Almaricum primogenitum suum per dexteram, & Comitissa per sinistram, accesserunt ad altare, & obtulerunt illum domino: rogantes episcopum, vt faceret eum militem, ad seruitium Iesu Christi. Quid plura? Statim Aurelianensis, & Autisiodorensis episcopi, flexis genib᷒ ante altare, cinxerunt pueũ cingulo militari: incipientes cum deuotione maxima, *Veni creator spiritus.* O nou᷒ & inexpertus militiæ modus! Quis ibi se à lacrymis contineret? Hoc modo & ordine sæpedictus puer cum magna solemnitate factus est nouus miles: qua solemnitate expleta, mouens comes post paucos dies à Castronouo cum episcopis & filio suo, equitauit ante Tolosam, captisque aliquibus de Tholosanis, perrexerunt nostri Murellum. Venerunt ibi ad comitem nobiles Vasconiæ plures: vocauit enim eos, & voluit comes, vt facerent hominium paruo filio suo; & factum est ita. Post paucos autem dies, movit comes à Murello versus Vasconiam, ducens filium suum, vt traderet ei partem Vasconiæ jam acquisitam; & per Dei auxilium acquireret acquirendam. Episcopi autem remanserunt Murelli, die tertia ad propria reversuri: suam enim peregrinationẽ diebus 40. laudabiliter, vtpotè per omnia laudabiles, expleuerant, cum labore magno & expensis. Die autem tertia moventes episcopi à Murello, tendebant Carcassonam Videntes autẽ Tholosani, & alij hostes fidei, quod comes noster pergeret cum filio suo in Vasconiã; Episcopi verò, & qui cum ipsis erant peregrini, reverterentur ad propria; nacta occasione securitatis egressi à Tholosa cum exercitu magno, obsederunt milites quosdam de nostris, scilicet Petrum de Sissi, Simonem de Sesne, Rogerum de Sartis, & alios paucos; qui, sicut diximus superiùs, munitionem quandam satis debilem & immunitam tenebant prope Tholosam, Venientes adversarij ad munitionem illam, cœperunt nostros acriter impugnare; obsessi quantum poterant se defendere. Post paucos autem dies, videntes obsessi nostri, quod non possent diu se tenere; cogitantes etiã quod non poterant habere tempestiuum succursum, eo quod comes perrexisset in Vasconiam, episcopi autem & peregrini reverterẽtur ad propria; post duras angustias reddiderũt se aduersarijs: tali tamen côditione & securitate apposita, quòd adversarij conseruarẽt vitam & membra. Illud autem supprimendum non est, quod prædicti episcopi, qui jam erant Carcassonæ, cùm audissent milites nostros obsessos esse prope Tholosam, côuluerũt, monuerunt, & supplicauerut peregrinis, qui cũ ipsis erant, vt cum eis reuerterentur ad succursum obsessorum. O viri per omnia commendabiles! O viri virtutis! Acquieverũt omnes, egressique à Carcassona, festinabãt, vt succurerent obsessis. Sed cùm venissent prope castrũ nouum Arij, dictũ est eis, quòd jam capti erãt obsessi nostri à Tholosanis: & verè sic erat. Quod audientes, cum dolore multo reversi sunt Carcassonam: adversarij autem duxerunt milites captos Tholosã. Stati omnib᷒ infidelibus deteriores, nõ deserẽtes pmissioni vel sacramento, milites nostros quos, vt dictũ est, de vita & mẽbris securos fecerant, distrahi fecerunt ad caudas equorũ per plateas ciuitatis, & distractos in patibulis suspenderũt. O graue traditionis & crudelitatis genus! Nobilis autẽ comes Montisfortis, qui, sicut diximus, duxerat filiũ suum in Vasconiam, & multa castra, & fortia, jam per Dei auxilium acquisierat, cùm audisset, quòd Tholosani obsedissent milites suos prope Tholosam, dimittens filium suum in Vasconia, festinanter redijt, vt succurreret obsessis: sed antequam ad eos pervenire posset, jam capti erant, & Tholosam perducti. Rex Arragonẽsis Petrus pȩterita hieme nuntios suos miserat Romam, insinuans D. Papæ per falsissimam suggestionem, quod comes Montisfortis injustè abstulisset terras suas comitibus Convenarum & Fuxi, & Gastoni de Bearno. Dicebat etiã Rex, quòd tres illi nũquã fuerant hȩretici: licet manifestissimum esset, quòd hȩreticos fovissent, & S. Ecclesiam toto nisu impugnassent. Intimauit D. Papæ, quòd negotium fidei consummatum esset contra hȩreticos, ipsis hæreticis pcul fugatis, & de terra Albigẽsi penitus exterminatis: ideoq; necesse erat, vt D. Papa indulgentiam, quam fecerat proficiscentibus cõtra hæreticos, penitus revocaret: eamque transferret, vel contra paganos Hispanienses, vel ad subsidium terræ sanctȩ. O inaudita sub specie pietatis impietas! Hoc enim dicebat Rex pessimus, non q de angustijs & necessitatibus S. Ecclesiȩ pertineret ad eum: sed vt negotium Christi contra hæreticos, quod per multos annos cum maximo labore, & multa sanguinis effusione fuerat miraculosè promotum, ipse suffoçaret & destrueret in momento, sicut manifestissimis indicijs demõstrauit. Summus autem Pontifex nimis credulus falsis suggestionibus dicti Regis, ipsius petitionibus facilè acquievit. Misit nempe literas suas comiti Montisfortis, mandans ei, & præcipiens, vt prænotatis comitibus Convenarum & Fuxi, & Gastoni de Bearno, viris sceleratissimis & perditis, terras suas, quas justo Dei iudicio, auxilio crucesignatorum acquisierat, redderet indilatè: suam præterea indulgentiam, quam fecerat proficiscentibus contra hæreticos, revoçauit, Post

Ritus. quo factus est miles Monfortij filius.

Hæreticorũ perfidia & perjurium.

Regis Arragonens. impietas & mẽdacium.

modum etiam misit D. Papa legatum suum in Franciam, Magistrum Robertum de* Corceone, Anglicum natione, cum multis paribus literarum & indulgentiarum; vt sollicitè prædicaret, & prædicari faceret, pro succursu terræ Ierosolymitanæ. Qui legatus veniens in Franciam, sollicitudine non pigra iniunctum exequens officium, cœpit discurrere per Franciam, Archiepiscoporum & episcoporum concilia celebrare, prædicatores instituere, modisque omnibus terræ sanctæ negotium promouere. Prædicatores quoque illos, qui laborabant pro negotio fidei contra hæreticos fæpeditos, eidem negotio abstulit; & fecit eos pro terræ sanctæ negotio prædicare: & ita quantum ad humanum iudicium, quasi in abolitionem venit negotium fidei contra hæreticos pestilentes. In tota siquidem Francia non erat nisi vnus, venerabilis scilicet Carcassonensis episcop⁹, vir eximiæ sanctitatis, qui pro fæpedito fidei negotio laboraret. Ipse enim cū magna instantia discurrebat per Franciam; & negotium fidei ne in obliuionem veniret, omnimodè in quantum poterat, promouebat. His de statu Franciæ præmissis, ad narrationis seriem redeamus. Cùm emanassent literæ apostolicæ à curia, in quibus D. Papa mandabat comiti Mōtisfortis, vt redderet terras tribus nobilibus supradictis: christianissimus comes noster, & episcopi terræ Albigensis miserunt nuntios suos ad D. Papam, episcopum videlicet Convenarum, Archidiaconum Parisiensem Guillelmum, quēdam etiam Abbatem de Claraco, viros prouidos & constantes: duos etiam clericos, quos D. Papa jam miserat à latere suo comiti Montisfortis, scilicet M. Theodisium Pisanum, qui negotium fidei miro amplexabatur affectu, & Petrum Marci, qui fuerat notarius D. Papæ, & erat de Nemausensi* diœcesi oriundus. Hi omnes venientes ad curiam, ipsam duram, & admodum sibi difficilem invenerunt: quia nuntij Regis Arragonensis, quorum quidā morabantur in curia, animos ferè omnium, qui erant in curia, per suggestionē falsitatis inclinaverant sibi. Tandem post multos labores, D. Papa,* agitata pleniùs veritate, per nuntios comitis misit literas Regi Arragonensi, in quibus asperrimè increpabat eū, eoquod Tolosanos, & alios hæreticos in sua protectione & custodia recepisset: injungebatque ei districtissimè in virtute Spiritus sancti, vt ab eis recederet indilatè: nec eis impenderet de cetero auxilium vel favorem. Conquerebatur insuper per literas D. Papa de Rege Arragonensi, eo quod per falsi suggestionem omnimodā impetrasset literas Apostolicas, de restituendis terris comitibus Convenarum, Fuxi, & Gastoni de Bearno: vnde D. Papa literas illas, tamquam subreptitias, revocabat. Mandabat præterea in eisdem literis nobilibus prædictis, & civibus Tholosanis, vt ad consilium & voluntatem Narbonensis Archiepiscopi Apost. Sedis legati, & Episcopi Tholosani, satisfacerent Deo, & redirent ad Ecclesiæ vnitatem. Quòd si nollent, D. Papa præcipiebat, per memoratas indulgentias populos excitari cōtra Tolosanos & fautores eorum. Hæc fuit summa literarū: quibus impetratis, nuntij nostri à curia redierunt. Nobilis autem comes Montisfortis, & qui cum eo erant, gravi tunc temporis discrimine arctabātur: erant enim quasi soli, & penè penitus desolati; eoquod pauci, vel nulli in eorum auxiliū venirent à Francia peregrini. Sicut enim jam diximus, pene in oblivionem venerat negotium fidei, per novam prædicationem legati, quē D. Papa miserat in Franciam pro negotio terræ sanctæ: ideoq; ferè nulli signabant se contra hæreticos pestilentes. Rex præterea Franciæ per intestinas guerras quas habebat, non permittebat quòd milites, qui se jādiu cruce signaverant contra hæreticos, attingerent ad perficiendum vota sua. Super hęc omnia dicebatur in tota terra Albigensium, & celebri jam erat sermone vulgatū, quòd Rex Arragonensis congregabat exercitus suos, vt intraret cum superbia* terram nostram, militesq; Christi de terra illa penitus extirparet. Comes autem noster iterato discrimine misit ad filium suum, qui in Vasconia erat, in obsidione castri, quod dicitur Rupesfortis, mandans ei, vt recedens ab obsidione, festinanter veniret ad eū. Timebat enim, ne si rex intraret Vasconiam cum exercitu suo, posset eum cōprehendere: eoquod paucissimos Francigenas secum haberet. Pius autem Dominus Iesus, qui semper adjutor est in opportunitatibus in tribulatione, ita ordinauit, vt filius patris mandato obediret, & de dimissa obsidione erubescentiam non haberet. Ea siquidem nocte, qua literæ comitis venerunt, adversarij, qui erant in castro obsessi, rogaverunt ea, quæ pacis sunt: parati reddere castrum, & captivos quos tenebant fermè sexaginta, dummodo ipsi permitterentur abire illæsi: quo, quia instabat necessitas, concesso, Almaricus filius comitis castrum illud muniens paucis militibus, ad patrem suum properavit. Tota autem terra Albigensium in multa turbatione & vacillatione erat posita. Hostes siquidem fidei, & milites Regis Arragonensis quia jam longam moram fecerat in Tholosa, circuibant per ante castella nostra, invitantes indigenas ad apostasiam & redditionem nostram. Plures autem ex ipsis ob securitatem Regis Arragonensis, quem cum maximo desiderio expectabant, convertebant se ad adversarios; & ita plura castra magna & fortia reamisimus. Ea tempestate nobilis comes Montisfortis, & episcopi terræ Albiensis duos abbates miserunt ad regem Arragonum: qui literas & mandatum D. Papæ deferrent ad eum; supplicantes ei, juxta mandatum apostolicum, vt ab hæreticorum auxilio desisteret, nec Christianitatem impugnaret. Rex autem, vtpotè fallax & subdolus, respōdit in dolo, quòd omnia quæcumque mandabat ei summus Pontifex, libenter adimpleret. Sed licet semper promitteret mādatum apostolicum libentissimè se facturū: noluit tamen revocare milites suos, quos præterita hieme Tholosæ dimiserat; per quos cum Tholosanis & alijs hæreticis Christianitatem impugnaret: sed & alios plures Tholosam misit milites, Præterea de terra sua, quos poterat adunabat; & insuper, sicut audivimus, partem terræ suæ non modicam, pignori obligavit; vt haberet, vnde conducere posset stipendiarios in auxilium hæreticorum, & Christianitatis impugnationem. O crudelitas subdola! ô proditio crudelissima! Licet enim toto posse suo exercitus contra nos adunaret; promittebat tamen, quòd mādatum D. Papæ de deserendis hęreticis & excōmunicatis libenter adimpleret; vt nos immunitos redderet & securos. Sed quia non sit prudentia, nec concilium contra dominum, rei exitus demonstravit. Per id tempus sæpememoratus rex Arragonensis, vt iniquitatem quā contra Chri-

**Ciaconius vocat de Torcon. alij Corson.*

** Nismes*

** meliùs agnita.*

Francia intestinis bellis afflicta.

Rex Arrag. fictè promittit se Pontifici obtemperaturum.

stû & suos cõceperat, parturiret; egressus de terra sua, cû infinita eqvitû multitudine, ingressus est Vasconiam: volens, si posset, totam terram, quę per Dei gratiam & auxilium crucesignatorum, fuerat acquisita, hæreticis reddere, & suo dominio subjugare. Ingressus fines Vasconiæ, cœpit tendere versus Tholosam: plura autem castella Vasconiæ, per quæ transitum faciebat, timore ejus reddiderunt se illi. Quid vltra? Fit in tota terra illa sermo de adventu regis celeberrimus: gaudent indigenæ plures, plures apostatant, reliqui ad apostatandum se parant. Rex autem impius cùm circuisset plura castella, venit ante Murellû, quoddã nobile castrû, sed quoad fortitudinem situs debile, distans tribus leugis à Tholosa. Sed licet muris esset debile & fossatis, erat tamẽ munitum militibus triginta, & paucis peditibus; quos nobilis comes Montisfortis ibi ad custodiã castri dimiserat; qui Tholosanos præ ceteris impugnabant. Veniens Rex Arragonum Tholosam, congregavit Tholosanos & alios hæreticos, vt obsidionem firmaret circa Murellum.

Caput LXXI. *Obsidio Murelli.*

Anno Domini nostri Iesu Christi 1213. 4 Id. Septemb. feria 3. post Nativitatem B. Mariæ, Rex Arragonum Petrus, congregatis comitibus Tholosano, Convenarum, & Fuxi, & copioso exercitu Arragonensium & Tholosanorum, Murellum obsedit. Erat autem castrum Murelli situm super Garonam fluviû, prope Tholosam, ad tres leugas versus Vasconiam. Accedentes adversarij ad castrû Murelli, statim primo incursu primum castri burgum intraverunt: quia obsessi nostri non poterant illud munire: pauci quippe erant, & se in aliud burgum aliquantulùm forti' receperant. Ipsum tamen primum castri burgum hostes citiùs dimiserunt. Statim milites nostri de castro miserunt ad nobilem comitem Mõtisfortis, significantes ei, quòd obsessi erant; & rogantes, vt succurreret eis: quia modica, imò quasi nulla habebant victualia, & de castro egredi non audebant. Erat comes apud castrum, quod dicitur Fanum-Iovis, distans octo leugis à Murello. Proposuerat enim ire Murellû, vt muniret illud tam hominibus quàm victualibus: pro eo quòd de adventu regis Arragonû, & de obsidione Murelli aliquid suspicaretur. In ipsa autem nocte, qua comes proposuerat egredi à Fano-Iovis, comitissa nostra, quæ ibi erat, somnium vidit, vnde perterrita fuit valde. Videbatur enim ei, quòd ab vtroq; brachio suo in magna abundantia exibat sanguis. Quod somniû cùm mane comiti referret, & diceret, vehementissimè super hoc se turbatam: comes respondit. Quasi vna de mulieribus estis locuta. Putatis enim, quòd more Hispanorum sequamur somnia vel auguria? Certè etsi somniassem hac nocte, me interficiendum esse in hoc bello, ad quod propero; securiùs & libentiùs irem, vt stultitiæ Hispanorum & hominum terrę hujus, qui somnia curãt, & auguria, pleniùs contrairem. His dictis exivit comes à Fano-Iovis, & properabat cum suis versùs Saverdunum: & dû esset in via, venit ad eum nuntius, missus à militibus, qui in castro Murelli erant obsessi, ferens eorum, literas; continentes, quòd Rex Arragonum obsidionem firmasset ante Murellum. Quo audito, omnes nostri jam de futura victoria spẽ habentes, gavisi sunt valde. Statim comes mandavit comitissæ, quæ & ipsa recedens à Fanojo-

Hispani vanis olim somniorum observatores.

vis, tendebat Carcassonã: milites quotquot potuit, congregavit. Rogavit insuper quemdam nobilem de Francia, vicecomitem videlicet Corbolicum, qui peracta peregrinatione sua, revertebatur ad propria, vt rediret, & festinaret ad succursum comitis nostri; qui libenter adquievit, & libenter se rediturum spopondit. Moventes igitur prænotatus vicecomes cum suis, & pauci milites, quos sicut diximus, Comitissa mittebat Comiti in succursum, venerunt ad Fanum Iovis. Comes autem noster, & qui cum eo erant, properantes Saverdunum, venerunt prope quãdam abbatiam Cisterciensis ordinis, quæ dicitur Bolbona; ad quam divertens comes noster, intravit ecclesiam causa orationis, vt etiã se & suos, orationibus monachorum commendaret. Et cùm prolixiùs & diutius orasset, arripiens ensem, quo erat præcinctus, posuit illum super altare, dicens. O bone domine. O Iesu benigne, tu me licet indignum, ad tua prælia elegisti: desuper altare tuum hodie arma accipio, vt præliaturus prælia tua, à te accipiam justitiam præliandi. His dictis, exiens comes cum suis, venit Saverdunum. Erant autem cum comite septem Episcopi, & tres Abbates, quos Narbonensis Archiepiscopus apost. sedis legatus congregari fecerat, vt cum rege Arragonensi, de pace & concordia loquerentur; sed & quidã milites circiter triginta nuperrime venerant à Francia, vt votû suæ peregrinationis complerent: inter quos erat quidam miles juvenis, & frater comitis nostri ex parte matris, nomine Guillelmus de Barris. A domino facta sunt ista. Cùm venisset comes Saverdûnû, convocatis militibus, qui cum ipso venerant, quęsivit ab eis consilium, quid facto opus esset. Ipse autem ad hoc omnimodè aspirabat, sicut ab ore ipsius postea audivimus, vt ipsa eadem nocte iret & intraret Murellum: quia princeps fidelissimus multum de suis solicitus erat obsessis. Ceteri autem volebant nocte illa manere Saverduni, eoquod erant ieiuni & lassi; & dicebãt, quòd forsitan opporteret eos in ipsa via cum hostibus habere conflictum. Acquievit comes licet invitus, vtpote qui semper omnia cû concilio faciebat. Incrastino summè diluculo vocauit Capellanum suum, faciensque confessionem, ordinauit testamentum suum; ipsumque testamentum scriptum & sigillatum misit ad dominum abbatem Bolbonæ, mandans & ordinans, quòd si contingeret ipsum in bello occumbere, mitteretur Romam prænotatum testamentum, & confirmaretur à D. Papa. Postquã autem factus est dies, Episcopi qui erant Saverduni, & comes, & omnes sui convenerunt ad Ecclesiam. Statim vnus ex ipsis sacris vestibus se induit, missam celebraturus, in honorẽ B. Mariæ virginis: in qua missa omnes episcopi excõmunicaverunt comitem Tholosanum & filium eius, comitem Convenarum, & omnes fautores & coadjutores, & deffensores eorû; in qua sententia proculdubio rex Arragonum involutus est, licet episcopi ex industria, nomen eius suppresserint: tamen pro eo facta fuit excommunicatio: quia ipse non solum erat adjutor dictorû comitû & defensor; sed totius militiæ, quæ exercebatur in obsidione Murelli, caput erat & author. Celebrata missa, comes & sui armis se induunt, & egredientes à Saverduno in quadam planicie juxta castrum ordinaverunt acies, in nomine S. & individuæ Trinitatis. Et procedentes venerunt

Bolbona Cœnobium Ordinis Cisterc.

G. de Barris uterinus frater Comitis Monfortij.

Comes Tolosanus & alij excommunicantur.

venerunt ad quoddã castrum, quod dicitur Altaripa, quod medium est inter Saverdunum & Murellũ. Inde progredientes, venerunt ad quẽdam locum transitu difficilem, inter Altamripam & Murellum; in quo loco arbitrati sunt nostri quod haberent obuios hostes; quia lutosus erat locus, via stricta & aquosa. Erat autem prope locum illum quædam ecclesia, in qua secundùm consuetudinem intrauit comes causa orationis: inundabat autem ipsa hora pluvia, & milites nostros non modicum infestabat; sed orante milite Iesu Christi, videlicet comite nostro, cessauit pluvia, fiunt nubila in serenum. O immensa bonitas conditoris! Cùm surrexisset comes ab oratione, reaccensis equis locum prædictum transierunt, nullumque hostilem obicem invenerunt. Inde progredientes, venerunt vsque prope Murellum, citra Garonam. Rex autem Arragonensis, & qui cum eo erant à parte alia vltra Garonam, castrum obsederant, multiplicati super arenam maris. Milites autem nostri, vtpote ardẽtissimi, consuluerunt comiti, vt statim intrans castrum, bellum cum hostibus committeret ipso die; sed comes nullo modo voluit, quòd ipsa die fieret bellum: quia erat hora vespertina, & nostri tam milites quã equi, erant lassi, hostes verò recentes. Præterea ipse comes omnem volebat exhibere humilitatem, & offerre regi Arragonũ verba pacis; & supplicare, ne contra ecclesiam veniens, se Christi jungeret inimicis. His ergo de causis noluit comes, quòd congressus fieret ipso die. Transeuntes igitur pontem, intraverũt Murellum. Statim episcopi nostri plures & plures nuntios miserunt ad regem, orantes & deprecantes, vt misereri dignaretur ecclesiæ sanctę Dei. Sed rex, vt obstinatissimus, nullis ipsorum petitionibus acquiescere voluit, nec aliquid pacificè respondere; sicut inferiùs continetur. In ipsa nocte vicecomes Corboliensis, & pauci milites Francigenæ, qui veniebant a Carcassona, de quibus supra tetigimus, intraverunt Murellum. De quorum adventu comes, & qui cum eo erãt, gavisi sunt valde. Nec prætermittendũ, quòd in castro Murelli non erant victualia, quæ possent sufficere nostris in vnum diem; & ipsa quidem nocte res ita se habuit.

Orante Mõfortio cessat pluvia.

CAPVT LXXII.

De strenuissima pugna & gloriosissima victoria comitis Montis-fortis & suorum habita in campo Murelli de rege Arragonum, & hostibus fidei.

IN crastino summo mane intravit comes basilicam suam, quæ erat in munitione castri, auditurus Missam. Episcopi autẽ nostri & milites perrexerunt ad Ecclesiam, quæ erat in burgo, vt & ipsi Missam audirent. Comes autem audita Missa de munitione exivit in burgũ cum suis, & à suis consiliũ habituros, vt nostri simul loquerentur: erant inermes, pro eo quod de pace cum Rege quodãmodo per Episcopos tractabatur. Statim Episcopi, de cõmuni nostrorum assensu, discalceatis pedibus voluerunt ire ad Regem: supplicaturi ei, ne Ecclesiam impugnaret. Et cùm misissent nuntium, qui talem Episcoporum nunciaret adventum, ecce plures de hostibus armati in equis intraverunt burgũ, in quo erant nostri: erant enim fores apertæ, quia nobilis comes non permittebat vt clauderentur. Mox comes noster allocutus est Episcopos, dicens: Videtis, quia nihil proficitis, sed magis tumultus fit: satis, imò plusquam satis sustinuimus. Tempus est, vt nobis detis licentiam dimicandi. Episcopi autem, quia necessitas sic vrgebat, concesserunt ei. Tũc nostri recedentes à loco illo colloquij, perrexerunt vnusquisq; in domum suam, vt se armarent. Cùm autem intraret Comes munitionem castri, vt se armaret, & transiret per ante basilicam suã; subitò introspexit, & vidit Vticensem Episcopũ celebrantem Missam, & dicentem, *Dominus vobiscum*, post evangelium ad offerendam. Statim cucurrit comes Christianissimus, & flexis in terram genibus, & junctis manibus ante Episcopũ, dixit ei: do, & vobis offero animã meam, & corpus meum. O devotio Principis! Post hæc intrans munitionem, armis se munivit: rediensque iterum ad Episcopum in prænotata basilica, denuo obtulit se ei, & arma sua. Sed cùm flecteret genua ante altare, brachile ejus à quo depedebant caligæ ferreæ, ruptum est medium. Sed vir Catholic' ex eo quod acciderat nihil timoris, nihil turbationis concipiens, aliud brachile afferri præcepit: quo facto egressus est de basilica Cõmes. Cui egredienti adductus est equus suus: quẽ cùm vellet ascendere, essetque in loco eminenti, ita quòd videri posset à Tholosanis, qui erant foris castrum, equus elevato capite percussit comitem, & à se aliquantulum resilire fecit. Quod videntes Tholosani, in derisionem comitis, vlulatum maximum emiserunt. Quibus comes catholicus dixit: vos modò clamando deridetis me; sed confido in domino, quòd victor clamabo post vos vsque ad portas Tholosæ. Quo dicto comes ascendit equum; veniensque ad milites qui in burgo erant, invenit eos armatos & paratos ad bellum. Consuluit autem comiti miles quidam, vt numerari faceret milites suos, & sciret, quot essent. Cui Comes nobilis, Non est, inquit, opus, satis sumus ad superandũ, per Dei auxilium, hostes nostros. Omnes autem nostri, inter milites & servientes in equis, non erant plusquam octingenti, cum hostes centum millia esse crederentur: pauciffimos autem, & quasi nullos pedites, nostri habebant. Insuper & comes nobilis inhibuerat, nequis pedes egrederetur ad pugnam. Dum igitur comes & milites nostri mutuò loquerentur, & de bello tractarent, ecce episcopus Tholosanus advenit, habens mitram in capite, in manibus verò vivificæ lignum crucis. Mox nostri cœperunt descendere de equis, & singuli crucem adorare. Episcopus autem Cõvenarum, vir miræ sanctitatis, videns quòd in ista adoratione crucis à singulis nimia fieret mora, arripiens de manu Tholosani episcopi lignũ crucis, ascendens in locum eminentiorem, signavit eos dicens. Ite in nomine Iesu Christi, & ego vobis testis sum, & in die judicij fidejussor existo, quia quicumque in isto glorioso occubuerit bello, absque vlla purgatorij pœna, æterna præmia, & martyrium gloriam consequetur, dummodo confessus sit & contritus; vel saltem firmũ habeat propositum, quod statim peracto bello, super peccatis de quibus nondum fecit confessionem, ostendet se sacerdoti. Qua promissione, ad instantiam nostrorum militum, repetita sæpius, & multoties ab episcopis confirmata, statim nostri per cordis contritionem, & oris confessionem mundati à peccatis, donantes sibimetipsis, siquis adversus aliquem querelam haberet, egrediuntur de castro, & tribus aciebus dispositis, in nomine Trinitatis, contra hostes intrepidi

Offert se Deo per eũ mes ante altare.

Adoratio crucis.

Episcopus gloriam promittit æternam in bello morituris.

procedebant. Episcopi autem & clerici intraverunt ecclesiam, deprecaturi dominum pro servis suis, qui se pro ejus nomine morti exponebant imminenti: qui orantes & clamantes in cœlum, tantum pro imminenti angustia mugitum emittebãt in cœlum, quòd vlulantes dici deberent, potiùs quàm orantes. Ibant igitur milites Christi gaudentes ad locum certaminis; parati pro ejus nomine, non solum contumeliam, sed & mortem pati. Qui egressi de castro, in campi planicie juxta castrum, viderunt hostes paratos ad pugnam, quasi totum mundum. Statim prima acies nostra audacter in hostes insilijt, & in ipsos medios se immisit: mox secunda subsequitur, hostes penetrat sicut prima. In quo congressu rex Arragonensis occubuit, & multi Arragonenses cum eo. Ipse enim, vtpotè superbissimus, in secunda acie se posuerat; cùm reges semper esse soleant in extrema. Insuper arma sua mutaverat, armisque se induerat alienis. Videns comes noster, duas acies suas in medios hostes mersas, & quasi non comparere; irruit à sinistris in hostes, qui stabant ex adverso innumerabiles. Stabant autem ordinati ad pugnam juxta fossatum quoddam, quod erat inter ipsos & comitem nostrum. Statim irruens comes in hostes praenotatos, & licet non videret aliquam viam, per quã ad eos posset pertingere, invenit tandem in fossato modicissimã semitam, ordinatione divina, vt credimus, tunc paratam; per quam trãsiens, in hostes se dedit: &, vtpote miles Christi fortissimus, ipsos fortissimè penetravit. Nec silendum est, quòd cũ vellet in ipsos irruere, ipsi eum cum gladijs suis tanto nisu à parte dextera pupugerunt, quod pro nimia ictuum impulsione, ruptus est ei staph' sinister: nobilis verò comes calcar sinistri pedis voluit infigere coopertur equi, sed ipsum calcar confractum de pede resilivit. Miles tamen validissimus non cecidit, sed hostes validè percussit. Quidam autem de adversarijs comitem nostrum validè percussit in capite; vir autem nobilis dictum militem cum pugno cecidit subtus mentũ, & de equo cadere fecit. Quod videntes socij dicti militis, qui infiniti erant, sed & ceteri omnes adversarij nostri, victi citiùs & confusi, fugae praesidia quaesierunt. Quod vidẽtes nostri, illi videlicet, qui fuerant in prima acie, & in secunda, instantissimè insequuti sunt fugientes, & grauissimè persequuti. Extremos etenim caedentes, ex ipsis multa millia occiderunt. Comes verò noster, & illi qui cum eo erãt, lēto cursu post nostros qui eos insequebãtur, de industria sequebatur; vt si fortè hostes conglobarent se, & resumerent animos resistendi, nostri qui fugientes, divisi alter ab altero consequebantur, ad comitem possent habere recursum. Nec silendum, quòd comes nobilissimus non est dignatus in bello aliquem percutere, ex quo fugientes vidit, & vertere sibi tergum. Dum haec agerentur, cives Tholosani, qui remanserant in exercitu infiniti, ad pugnam parati, in expugnãdo castro totis viribus laborabant. Quod videns Episcopus Tolosanus, qui erat in castris, vir bonus & mitis, eorumq; miseriae compatiens, quẽdam virum religiosum misit ad eos: monens, & consulens, vt jam tandem converterentur ad Dominum Deum suum, armaq; sua deponerent: & ipse eos eriperet à morte imminenti. In cujus assecurationis testimonium misit eis cucullam suã: monachus quippe erat. Illi autem, vtpote obstinati, & divinitus excaecati, responderunt, quòd Rex Arragonensis vicerat omnes nostros, Episcopus autem volebat eos morti tradere, non salvare: & hac de causa auferentes cucullã nuntio, ipsum lanceis graviter vulneraverũt. Intereà milites nostri revertebantur à caede, cum victoria gloriosa: venientesque ad ipsos Tholosanos, ex ipsis plura millia occiderunt. Post haec praecepit Comes quibusdam de suis, vt ducerent eum ad locum, vbi Rex Arragonensis fuerat interfectus: locum siquidem & horam interfectionis ipsius penitus ignorabat. Veniens igitur ad locum, invenit corpus Regis Arragonensis prostratum in medio campo nudum. Pedites siquidem nostri ipsum jam nudaverant: quia visa victoria, egressi erant de castro, & quos adhuc vivos jacentes invenire potuerant, peremerant. Piissimus autẽ comes videns Regem jacentem prostratum, descẽdit de equo, alterum David super Saul alterum repraesentans. His omnibus rite peractis, & de hostibus fidei, tam submersione quàm gladio, circiter viginti millibus interfectis: Christianissim' comes intelligens tantum miraculum Dei virtute, non humanis viribus factum esse: ab illo loco vbi descenderat, nudus pedes ad Ecclesiã perrexit, omnipotenti Deo pro collata victoria gratias repensaturus: equum etiã suum & arma dedit pauperibus in eleemosynam. Vt autem veritas hujus pugnae mirabilis, & gloriosae victoriae audientiũ cordib' pleniùs infigatur; literas, quas episcopi & abbates, qui aderant, ad vniversos fideles miserunt, operi nostro duximus inserendas.

Rex Arragonensis in praelio occiditur.

Pietas Montfortij in hoste mortuũ.

Caput LXXIII.

Litera praelatorum, qui in exercitu Simonis comitis erant, cum de fidei hostibus triumphant.

Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus, qui sanctam ecclesiam bona diligũt voluntate. Deus fortis & potens, Deus potens in praelio, quinta feria infra octavas nativitatis B. Mariae virginis, sanctae concessit ecclesiae, devictis miraculosè inimicis fidei Christianae, victoriam gloriosam, & triumplum gloriosum, in hunc modum. Post correptionem affectuosissimam, zelo paternae pietatis à summo pontifice diligentissimè regi factam Arragonensi, inhibitionemque districtissimam, ne inimicis fidei praestaret auxilium, consilium, vel favorem, sed ab eisdem recederet indilatè, & treugas haberet firmissimas cum comite Montis-fortis: quibusdam etiam literis, quas ejusdem regis nuncij per falsissimam suggestionem contra comitem Montis-fortis impetrarant de terris reddendis comitibus Fuxi, Convenarum, & Gastoni de Bearno, post veritatis cognitionem cassatis à D. Papa, & tamquam nullius valoris penitus revocatis: idem rex correctionem patris sanctissimi, non devotione recipiens filiali, sed contra mandatum apostolicum superbè recalcitrans, quasi cor habens durius induratum; licet venerabiles patres, Narbonensis archiepiscopus apostolicae sedis legatus, & Tholosanus episcopus, sibi literas & mandatum summi pontificis transmisissent, mala quae pridem conceperat, voluit postmodum parturire: quia in terram, quae per virtutem Dei, auxilio signatorum contra haereticos & eorum defensores fuerat acquisita, intravit cum exercitu, eamque contra mandatum apostolicũ subjugare, ac praedictis inimicis reddere attentavit.

parte ejus jam sibi aliquantulũ subjugata, cùm pars multa residui, ob ipsi' securitatẽ apostatare intenderet, & se ad apostatandum jam pararet. Congregatis insimul comitibus Tholosæ, Fuxi, & Convenarum, Tholosanorum exercitu magno valde, feria tertia post nativitatem B. Mariæ, Murelli castrum obsedit. Quo audito* patrum venerabilium, archiepiscoporum, episcoporum, & abbatum, quos venerabilis pater Narbonensis archiepiscopus, apostolicæ sedis legatus, propter sanctum negotium fecerat congregari, qui vt de dicto negotio & de pace tractarent, diligenter advenerant, in Christo vnanimes & devoti, Simon comes Montis-fortis, habens secũ quosdam nobiles & potentes crucesignatos, qui nuperrimè de Francia venerant ipsi & Christi negotio in succursum, suamque familiam, quæ in Christi negotio diu secum laboraverat; iter arripuit ad castrũ obsessum viriliter succurrendum. Et dum die martis infra octavas supradictas venisset ille Christi exercitus ad quoddam castrum, q̃d dicitur Saverdunũ, venerabilis episcop' Tholosæ, cui cõmissa erat à summo pontifice Tholosanorum reconciliatio, licet de reconciliatione ter vel quater monuisset; cujus admonitionibus, licet salubribus, acquiescere postponebant, respondentes super hoc nullatenus respondere: ad dictos regem & Tholosanos in obsidione Murelli assistentes suas misit literas: significans eis, quòd episcopi memorati veniebãt, vt de pace & concordia diligenter tractarent, & petebat sibi dari ducatum securum. In crastino autem, prima die mercurij subsequente, quia res sic vrgebat, supradictus exercitus exijt Saverduno, festinans ad succursum Murelli celeriter advenire: dicti verò episcopi morari proposuerant apud quoddam castrum, quod dicitur Altaripa, quod medium inter Saverdunum & Murellum, distatque ab vtroque duabus leugis, vt ibi missũ nuntium expectarent; qui nuntius rediens ex parte regis respondit, quòd ex quo episcopi cum exercitu veniebant, non daret eis ducatum: ipsi quidem alio modo non poterant ire, sine manifesto periculo, propter guerrã. Cùm episcopi & Christi exercitus Murellum accederent, ex parte civium Tholosanorum prior hospitalis Tholosæ ad episcopum Tholosanum missus venit; ferens eorũ literas, in quibus cõtinebatur, quòd modis omnibus parati erant D. Papæ & ipsius episcopi facere voluntatem; quodquidem eis bonum fuisset, si compensassent veriùs facta dictis. Eidem verò priori statim remisso ab Episcopo respondit rex, quòd ducatum episcopo non præberet; sed si vellet ire Tholosam, vt cum Tholosanis loqueretur, eum concederet illuc ire, & hoc derisoriè fuit dictum. Ad quod episcopus. Non decet, inquit, servum civitatem intrare, de qua dominus suus exul est ejectus: nec ego, cùm corpus Christi de civitate illa ejectum fuerit, illuc revertar, donec Deus meus & dominus meus revertatur. Verumtamen dicti episcopi cum exercitu Murellum intraverunt die mercurij superiùs memorata, qui solicitudine non pigra duos viros religiosos ad Regem & cives Tholosanos destinarunt: qui à rege tale habuerunt responsũ, quòd propter quatuor ribaldos, quos episcopi secum adduxerant, petebant colloquium habere cum ipso, & hoc dixit in derisum & contemptum signatorum. Tholosani verò prædictis nũtijs responderunt, quòd in crastino super hoc responderent, & hac de causa eos vsque in crastinum tenuerunt. In crastino autem prima die jovis responderunt, quòd ipsi regi Arragonensi erãt confœderati, & nihil facerent, nisi regis in omnibus voluntatem. Quod cùm redeuntes mane ipsa die jovis nuncij retulissent, episcopi & abbates discalciatis pedibus ire proposuerunt ad regem: & cùm quemdam religiosum mitterent, ad nunciandum regi adventum ipsorum in hunc modũ; patefactis januis, cùm comes Montisfortis ac crucesignati essent inermes, pro eo quod de pace episcopi & abbates insimul loquebantur; hostes Dei superbè ac fraudulenter armari, vicum subintrare cum impetu attentarunt; sed per Dei gratiam, à suo fuerunt desiderio defraudati. Quorum superbiam comes & crucesignati videntes, cùm sine periculo & damno maximo vlteriùs differre non possent, per cordis contritionem & oris confessionem, vtpote viri cultores fidei Christianæ, mundati salubriter à peccatis, armis suis se viriliter accinxerunt; venientesque ad sæpedictum Tholosæ episcopum, qui authoritate D. Narbonensis archiepiscopi apostolicæ sedis legati, legationis officio fungebatur, exeundi licentiam contra hostes fidei humiliter petierunt; qua, quia negotium erat in arcto constitutum necessitatis articulo compellẽte, concessa; pro eoquod ipsam domum in qua episcopi morabantur, ipsi hostes erectis jam machinis, alijsque bellicis instrumentis, festinabant protinus impugnare, balistarum quarellis, jaculis, atque lanceis emissis hostiliter circumquaque: Christi milites reverendi ligni dominici signaculo cum insignijs pontificalibus consignati, in nomine S. Trinitatis tribus aciebus dispositis exierunt. Hostes verò è contrario multas habentes acies, & multùm magnas, suis jam muniti armis tentoria sunt egressi. Quos licet multos milites, & populum multum nimis, clientes Christi de ipsius auxilio confidentes, & licet illorum respectu paucissimi, magnam multitudinem non verentes, armati ex alto viriliter sunt aggressi. Statim virtus altissimi per manus servorum suorum hostes suos confregit, & comminuit in momento. Terga enim vertentes, in fugã facti sunt, tamquam pulvis ante faciem venti; & angelus domini persequens eos erat. Hi turpiter fugientes, turpi fuga mortis periculum evaserunt; alij vitantes gladios, aquæ periculo perierunt; quãplures verò fuerunt in ore gladij devorati. De illustri rege Arragonensi, qui cum interfectis occubuit, plurimum est dolendum; quia princeps tam potens, & nobilis, qui si vellet, posset, & deberet ecclesiæ sanctæ vtilis multum esse; nunc Christi adjunctus hostibus, Christi amicos, & sanctam ecclesiam improbè perturbabat. Cæterùm cùm victores à cæde & persecutione hostiũ reverterentur cum victoria gloriosa: sæpedictus Tholosanus episcopus, Tholosanorum stragi & miseriæ caritativè & miserabiliter compatiens; corde pio, eos qui de stragis residuo, adhuc intra sua tentoria morabantur, salvare cupiens ne perirent; vt saltem tantorum flagellorum verbere castigati, citum periculum evadentes, converterentur ad dominum, & viverent in fide catholica permansuri; missa eis per quemdam religiosum virum cucula, qua indutus erat, mandavit eis; quòd nunc demum arma sua, & suam deponerent feritatem; & inermes venirent ad ipsum, vt eos salvaret de morte. Qui adhuc quoque in

* Deest vox consilio, aut similis.

Rex Arragonum renuit ducatũ dare Episcopis

Hostes fidei innumerabiles à paucissimis Catholicis momento vincuntur.

sua perseverantes malitia: & se, qui jam victi erant, vicisse Christi populum autumantes, non solùm parere sui episcopi admonitionib' contempserunt; verùm etiam ablata cuculla, ipsum nuntium austeriùs verberarunt. Post quos Christi militia recursum faciens, circa sua diffugientes tentoria interemerunt. Certus hostium interfectorum, tam nobilium quàm aliorum numerus, præ multitudine nullatenus sciri potest: de militibus autem Christi vnus solus interemptus est in conflictu, & paucissimi servientes. Omnis igitur populus Christianus, pro Christianorum victoria, mente pia & toto cordis affectu gratias agat Christo; qui per paucos fideles infidelium multitudinem innumerabilem superavit; & sanctam ecclesiam suam, de hostibus suis concessit fideliter triumphare. Ipsi honor & gloria, in sæcula sæculorum amen. Nos Tholosanus, 1. Nemausensis, 2. Vticensis, 3. Lodovensis, 4. Biterrensis. 5. Agatensis, 6. & Convenarum episcopi, & de Claraco, villa magna, & S. Tiberij abbates, qui mandato venerabilis patris Narbonensis archiepiscopi, apostolicæ sedis legati, veneram'; & de pace ac concordia tractare, cum summa diligentia summoque studio nitebamur; præscripta omnia, sicut quæ vidimus & audivimus, esse verissima, in verbo Dei perhibemus: consignantes ea nostrorum munimine sigillorum; vtpote conservari digna in memoriam sempiternã. Datum Murelli, in crastino victoriæ gloriosæ; scilicet sexta feria, intra octavas Nativitatis B. Mariæ anno Domini 1213.

Interfectorum hereticorum numerus præ multitudine sciri nequit.

Caput LXXIV.

Parta victoria apud Murellum, Tholosani ad eorum reconciliationem obsida præsulibus dare offerunt.

Post gloriosam & inauditam victoriam, septẽ Episcopi prænotati, & tres Abbates, qui adhuc erant in castro Murelli, credentes, quòd cives Tolosani tãto miraculo Dei pariter & flagello territi, citiùs faciliusq; à suis possent erroribus revocati ad gremium matris Ecclesiæ: secundùm mandatum, potestatem, & seriem mandati Apostolici rursum tractarunt rogando, monẽdo, terrendo, eos inducere ad Ecclesiæ vnitatem: cumque promitterent Tholosani, se mandatum apostolicum adimplere, viva voce petierunt ab eis Episcopi sufficientem cautionem standi mãdato Apostolico, videlicet obsides ducentos de civibus: quoniã juratoria cautione nullatenus possent esse contenti; cùm multoties Tholosani sua juramenta super hoc negotio fuerint transgressi: qui post multas altercationes verborũ sexaginta tantũ obsides de suis civibus se daturos promiserunt. Episcopi verò, ob majorem securitatem, propter magnitudinem civitatis, & dolosam indomabilemque populi multitudinem: & quia alia etiam vice datos obsides super eodem negotio de ditioribus civitatis, in commissum cadere permiserunt, vsq; ad ducentos petebant: ipsi verò subterfugium quęrentes, 60. se daturos, & nõ plures promittebant. Statim Episcopi, ne aliquã causam excusationis habere possent Tholosani, aut occasionem aliquam subterfugiendi, & suos errores palliandi, responderunt episcopi, sexaginta obsides quos promittebãt, se libenter suscipere, & sic eos reconciliare, & in pace ecclesię & vnitate fidei catholicæ conseruare. Ipsi autem jam amplius suas malitias non valentes velare, responderunt, quod nullo modo obsides darẽt, per hoc manifestè denudantes, quod non nisi in fraudem & intentionem dolosam, de 60 obsidibus priorem fecerant promissionem. Hic annectendum est, quod homines cujusdam nobilis castri in diœcesi Albigensi, cui nomen Rabastenx, qui paulò antè recesserãt à Deo & nostris, & se reddiderãt Tolosanis, audita prædicta victoria, omnes præ timore fugerunt, castrũque hominibus vacuum dimiserunt. Guido autem de Monteforti, frater comitis Montisfortis, cujus fuerat castrum, misit & occupavit illud, & gente sua munivit. Post paucos dies, supervenerunt à Francia peregrini, sed pauci, episcopus videlicet Attrebatensis Radulphus, & pauci milites cum eo, & milites peregrini non multi. Comes autem noster, & omnes qui cum eo erant, equitauerunt in terram comitis Fuxi, ipsumque Fuxi burgum inferius combusserunt: & inde vlteriùs per terram comitis dicti equitantes, quidquid extra munitiones invenire poterant, combusserunt.

Tolosanorũ perfidia & obstinatio.

Caput LXXV.

Comitis Fuxensis terras Monfortius inuadit, Narbona & Monspessulanus rebellant.

Post hæc nunciatum est comiti nostro, quòd quidam nobiles provinciæ, rupto pacis fœdere perturbabant ecclesiam sanctam Dei; insuper & stratas publicas observantes, crucesignatis venientibus à Francia, mala quæ poterant, inferebant. Habito igitur comes cum suis concilio, proposuit descendere ad partes illas, vt perturbatores pacis opprimeret; & stratas publicas ab incursu malignantium redderet expeditas. Movens igitur comes cum peregrinis, qui cum eo erant, venit Narbonam. Cives autem Narbonenses, quia semper exosum habuerant Christi negotium, & illi quàm multoties, sed latenter se opposuerant; nulla vnquam ratione, ad hoc potuerunt induci, vt comitem nostrum cum peregrinis suis, aut etiam peregrinos sine comite, suam intrare permitterent civitatem; & ideo oportuit tunc omnes nostros manere foris nocte illa in hortis & virgultis civitatis: inde in crastino venerũt Biterrim; & inde post duos dies progredientes, venerunt vsque ad Montempessulanum. Homines autem Montis-pessulani pares Narbonensibus in malitia, nullo modo permiserant comitem nostrum, nec illos qui cum eo erant, villam suam intrare; ad hospitandum nocte illa: sed fecerunt illis per omnia, sicut cives Narbonenses fecerant. Moventes igitur à Montepessulano, venerunt Nemausum. Cives vero Nemausenses primò quidem noluerunt comitẽ in suam introire civitatem; sed videntes ejus iram & indignationẽ, ipsum & omnes qui cum illo erant in civitatem receperunt; & multa eis debitæ humanitatis obsequia impẽderunt. Inde progrediens comes noster, venit ad castrũ de Borcolio, vbi à dominis castri honorificè est susceptus. Inde perrexit comes in villam, quæ Argentata dicitur, eoquod in partibus illis esset quidã nobilis, nomine Pontius de Montelauri, qui episcopos terræ, pacem & ecclesiam, in quantum poterat, perturbabat. Omnes autem crucesignati jam recesserant à comite; nec habebat nisi secum paucos stipendiarios, & archiepiscopum Narbonensem. Audiens prædictus Pontius adventũ comitis nostri, timore ductus venit ad eum; & se & sua ejus voluntati reddidit. Erat præterea in partibus illis nobilis quidam potens, sed ma-

Narbonẽses & Monpessulanenses impij.

lus, Ademarus Pictavensis, qui negotium Christi semper exosum habuerat, & corde adhæserat comiti Tholosano. Hic adventum comitis nostri audiens, munivit castra sua; milites etiam quos potuit in quodam castro adunavit; vt si comes transitum faceret juxta castrum, illo exiret cum suis, & impugnaret illud. Sed cùm comes nobilis per ante castrum transiret, licet cum paucissimis, memoratus Ademarus, quàvis multos haberet secū, non est ausus egredi contra nostros. Dum esset comes noster in partibus illis, venit ad eum Dux Burgundiæ Odo, vir potens & bonus, qui negotium fidei contra hæreticos, insuper & comitem nostrum multo amplectebatur affectu: venerunt etiam cum duce Lugdunensis & Viennensis archiepiscopi. Dum ergo essent Dux & comes noster propè Valentiā, apud Romam vocaverunt inimicum ecclesiæ Ademarum Pictavensem ad colloquium: convocatus venit, sed super his quæ pacis erant, noluit comiti vel duci assentire. Item vocauerunt eum Dux & comes noster ad colloquium; & tunc quidem nihil proficere potuerunt. Videns igitur, quòd nihil proficere posset, motus ira & indignatione Dux contra Ademarū, promisit comiti nostro, quòd nisi supradictus Ademarus staret per omnia mandato ecclesiæ, & haberet se ad voluntatem comitis nostri, & super his bonam faceret securitatem, ipse Dux cum comite nostro eum impugnaret. Statim etiam vocauit plures milites suos, iturus cum comite nostro contra Ademarū sæpius memoratum: quod audiens Ademarus, tandem necessitate ductus, venit ad Ducem, & comitem nostrum: & se obtulit eorum per omnia voluntati. Tradidit etiam quædam castra sua pro securitate, quæ comes commisit Duci custodienda. Interea venerabilis pater Narbonensis archiepiscopus, vir consilio providus, & omnino virtuosus, ad cujus monitionem etiam prædictus Dux Burgundiæ ad partes venerat Viennenses: cœpit tentare cum duce de negotio, pro quo ipsum vocaverat; de contrahendo videlicet matrimonio inter primogenitum comitis nostri, nomine Almaricū, & filiam Delphini, qui erat princeps potens, & frater germanus ipsius ducis. Acquieuit Dux consilio & voluntati archiepiscopi. Interea dum hæc agerentur, Arragonenses ruptarij, & alij fidei inimici, cœperunt discurrere per terram comitis nostri: venientesque vsque Bitterim, fecerunt mala quæcumque potuerunt; sed & plures de militibus terræ comitis nostri perjuri effecti, & innatæ sibi malitiæ recidivum patientes, à Deo, ecclesia, & dominio comitis nostri recesserunt. Nobilis verò comes, peractis in provincia negotijs, pro quibus ad partes illas accesserat, redijt ad terram suam: statimque terrā hostium suorū aggrediens, equitauit ante Tholosam; vbi per dies quindecim moram faciens, multas munitiones diruit penitus, & destruxit. Dum res ita se haberet, magister Robertus de Corceone Cardinalis, apost. sedis legatus, qui sicut superiùs diximˀ, laborabat in Francia, quātum poterat, pro negotio terræ sanctæ; prædicatoresque nostros, qui pro negotio fidei contra hæreticos prædicare soliti erant, nobis abstulerat, faciebatque illos pro succursu terræ sanctæ instantius prædicare; ad bonorum & prudentū virorum consilium, quosdam de prædictis prædicatoribus nobis reddidit, vt pro negotio fidei prædicarent. Ipse etiam ad expugnādos hæreticos tholosanos, suscepit in pectore viuificę signū crucis. Quid vltra? Revixit prędicatio pro negotio fidei in Francia; multi cruce se signant, fit comiti, & nostris gaudium magnum valde. Proditionem crudelissimam, quæ facta fuit illo tempore in comitem Balduinum, præterire nec volumus, nec debemus. Iste comes Balduinus frater comitis Tholosani, & regis Franciæ consobrinus, longè à fratris malitia, & in Christi militia totis viribus se exercens, comitem Montisfortis & christianitatem, contra fratrem suum & alios hostes fidei, quantum poterat adjuvabat. Quadam igitur die, secunda videlicet feria post primam dominicam Quadragesimæ, venit prædictus comes ad quoddam castrū in Caturcensi diœcesi, quod Olima dicebatur. Statim milites de castro illo, qui erant homines ipsius comitis, miserunt ad ruptarios, & quosdam milites indigenas pessimos traditores, qui erant in quodam vicino castro, quod dicitur mons Lenardus: & significarunt eis, quòd comes Balduinus erat in Olima; mandantes vt venirent, & sine difficultate aliqua traderent eis comitem Balduinū. Hoc idem significaverunt cuidam traditori pessimo, sed occulto, Raterio videlicet de Castronovo. Iste Raterius, jamdiu inierat fœdus cum comite Montisfortis, & juraverat ei fidelitatē. Comes etiam Balduinus, de ipso quasi de amico confidebat. Quid plura? Venit nox, & comes Balduinus securus, vtpote inter suos, somno se dedit & quieti. Erat autem cum comite Balduino miles quidam Francigena, nomine Guillelmus de Contris; cui comes Montisfortis dederat castrum quoddam, quod dicitur Sarraceū. Quidam etiam serviens Francigena custodiebat castrum, quod Moysiacum nominatur. Quiescentibus igitur, comite & illis qui cum eo erant, in diversis domibus ab invicem separatis, dominus castri clavem cameræ in qua comes Balduinus dormiebat arripiens, obserato ostio, de castro ad prædictum Raterium & ruptarios properauit: quibus clavem ostendens, dixit. Quid tardatis? Ecce hostis vester in manibus vestris; properate & eum vobis tradam dormientem pariter & inermem. Nec solum ipsum sed plures de vestris hostibus vobis tradam. Quo audito gaudentes ruptarij & velocissimè concurrentes, ad portas Olimæ devenerunt. Statim dominus castri, qui erat Dux eorum, qui comprehendere volebant comitem, videlicet alter Iudas, convocatis secretissimè hominibus castri, diligenter quæsivit à singulis, quot de socijs comitis Balduini quisque haberet apud se hospitantes: quo diligenter quæsito, ad ostia domorum duplo plures de ruptarijs armatos poni fecit, quàm essent de nostris dormientes inermes. Statim accensis candelis innumerabilibus, clamor attollitur, hostes in nostros irruunt imparatos. Raterius autem de Castronouo & prænotatus dominus castri, venientes ad cameram, in qua comes nobilis Balduinus dormiebat, aperientesq; ostium, ceperunt ipsum dormientem inermem, imò nudū. Quidam autem de nostris, qui erant per castrum, occisi sunt; alij capti, nonnulli fuga opitulante evaserunt. Nec prætereundum, quòd quidam de nostris, quem viuum ceperant, præstitoque juramento, ipsum de vita securum fecerant, & de membris, in ipsa postmodum ecclesia latitantem occiderunt. Arripientes adversarij comitem Balduinū, duxerunt eum ad quoddam castrum ipsius co-

Dux Burgūdiæ sacro interest bello.

Plures milites Monfortij ab eo desciunt.

Resumitur prædicatio in Albigenses.

Balduinus Tholosani frater proditoriè captus

mitis, quod dicitur MonsEvæ in territorio Caturcensi. Homines autem castri, vtpotè pessimi, ruptarios, qui dominum suum ducebant captũ, libenter receperunt. Mox ruptarij dixerunt comiti Balduino, vt faceret eis reddi turrem castri, quam quidam Francigenæ, de mandato ipsius custodiebant. Ipse autẽ comes districtissimè inhibuit Francigenis illis, ne aliqua ratione turrim redderent, etiam si viderent ipsum comitem suspendi in patibulo; sed se instãtissimè defenderent, donec haberent succursum à nobili comite Montisfortis. O virtus principis! O mirificum robur mentis! Quo audito ruptarij irati sunt valdè, ipsumque comitem per duos dies jejunare fecerunt; quibus transactis, fecit vocari comes capellanum quendam diligentissimum, eique puram fecit confessionem: qua facta, communionem postulauit corporis Iesu Christi: sed dum capellanus afferret diuini mysterij sacramenta, supervenit quidam pessimus ruptarius, jurans, & firmissimè contestans, quod comes Balduinus non comederet nec biberet, donec redderet ruptarium quendam quem ceperat, & teneri in vinculis faciebat. Ad quæ comes, ô crudelissime, inquit, nunquid panis aut vini abundantiam, aut frustum carnis quæsiui; qui nihil ad corporis sustentationem, sed ad animæ salutẽ, diuini mysterij communionem petij? Iterum carnifex cœpit firmiter asserendo jurare, quod nec comederet nec biberet; nisi faceret, quod petebat. Ad quæ denuo vir nobilis: ex quo, inquit, mihi divinis sacramentis comunicare non permittitur; ostendatur mihi saltem Eucharistia, videlicet salus mea; vt in vita ista videam salvatorem meum. Qua à capellano leuata & ostensa, Comes eam deuotissimè adorauit. Dum hæc agerentur, illi qui erant in turre castri, timore mortis tradiderunt turrem ruptarijs; recepto tamen priùs ab eis juramento, quòd ipsos abire dimitterent sanos pariter & indẽnes: sed traditores pessimi, spreta religione juramenti, ipsos statim patibuli morte turpissima condemnarunt. Quo facto, arripientes comitem Balduinũ, duxerunt eum ad quoddam castrum comitis Tholosani, quod dicitur Monsalbanus: vbi eum tenentes in vinculis, adventum Tholosani comitis expectabant. Post paucos verò dies venit comes Tholosanus, habens secum illos pessimos traditores, comitem videlicet Fuxi, & Rogerium Bernardi filiũ eius, & quendam militem de terra regis Arragonensis, qui dicebatur Bernardus de Portellis. Statim ad mandatum comitis Tholosani eductus est de castro Montisalbani comes nobilissimus Balduinus. Id autem quod sequitur, quis vnquam sine lacrymis legere poterit, vel audire? Mox comes Fuxi, & filius ejus, à patris malitia non degenerans, & Bernardus de Portellis ligauerunt funẽ in collo viri nobilissimi; ipsum de voluntate, imò de præcepto comitis Tholosani suspẽsuri. Quod videns vir christianissimus, instanter ac humiliter quæsiuit confessionem & viaticum; sed canes crudelissimi vtrumque ei penitus denegarunt; quibus miles Christi. Ex quo, inquit, non licet me ostendere sacerdoti, testis est mihi De⁹, quòd prompta voluntate semper & ardenti Christianitatẽ * & dominum meum comitem Montisfortis, & pro hac & in hac defensione volo mori. Vix verba compleverat; ecce tres prænotati traditores elevantes eum à terra, ad nucis arborem suspenderunt. O crudelitas inaudita! O alterum Cain! imo longè pejorem Cain, comitem dico Tholosanum: cui non suffecit fratrem, & talem fratrem occidere: nisi ipsum inaudita mortis crudelitate damnaret.

Eucharistiã dari Balduino non permittit impius.

** Deest verbũ defendi, aut simile.*

Comes Tholosæ in fratrem alter Cain fuit.

Capvt. LXXVI.

Aimericus & ciues Narbonenses, comitis Monfortij hostes in vrbem admittunt; eamque ob caussam territorium Narbonense comes deuastat.

Circa idẽ tempus, Aimericus dominus Narbonæ, & cives Narbonenses, qui numquã dilexerant negotium Iesu Christi, vt iniquitatem quam longè antè conceperant, parturirent; recesserunt manifestè à Deo: receperuntque in civitatem suam ruptarios, nec non Arragonenses & Cathalonenses: vt per eos expellerent si possent nobilem comitem Montis-fortis. Arragonenses siquidem & Cathalonenses persequebantur dictum comitem in vindictam sui regis. Malitiam autem istam perpetraverunt Narbonenses, non quia comes eos læderet in aliquo, vel læsisset; sed quia putabant, quòd crucesignati de cetero non venirent; sed aliter disponebat ille, qui sapientes in sua astutia cõprehendit. Dũ enim congregati essent Narbonæ omnes quos prædiximus hostes nostri, vt impetum facerent vnanimes in comitem nostrum, & paucos qui cum ipso erant: ecce subitò venerunt à Francia peregrini; Guillelmus videlicet de Barris, vir probatæ militiæ, pluresque milites cum eo: quibus adjunctus, & à quibus adjut⁹ comes noster, venit prope Narbonam: discurrensque & devastans terram Aymerici domini Narbonæ, ejus fere omnia castra cepit. Quadam autem die proposuit comes noster equitare ante Narbonam; armatisque omnibus suis, & tribus aciebus dispositis, ipse comes in prima fronte, appropinquavit portę civitatis. Hostes autem nostri egressi erant de civitate, & stabant in porta. Miles autem invictus, videlicet comes noster, per locum arduum & inaccessibilem in ipsos subitò voluit insilire. Hostes autem qui stabant in loco eminenti, ipsum tot lanceis impulerunt, quòd rupta sella equi in quo sedebat, cecidit ipse de equo. Statim concurrunt vndique hostes ad capiendũ vel occidendum comitem, nostri ad protegendum; sed nostri gratia Dei per multos labores comitem viriliter erexerunt. Post hæc Guillelmus, qui erat in extrema acie, & nostri omnes impetũ fecerunt in hostes, ipsosque in civitatem intrare citiùs compulerunt: quo facto comes & nostri ad locum vnde ipsa die venerant sunt reversi.

Periculum Monfortij.

Capvt LXXVII.

Petrus Beneventanus Card. apost. sedis legatus comites Fuxensem & Convenarum Ecclesiæ reconciliat.

Dvm hæc agerentur, magister Petrus Beneventanus Cardinalis, Apostolicæ Sedis legatus, missus à D. Papa, veniebat ad partes Narbonenses, vt de his quæ pacis erant & fidei ordinaret. Audiens autem legatus, quomodo se habebant Narbonenses, mandavit eis, & districtè pręcepit, vt firmas treugas haberent cum comite Montisfortis, quousque ipse veniret. Idem etiã mandavit comiti nostro, ne scilicet læderet in aliquo Narbonenses. Post paucos autem dies venit legatus, & intravit Narbonam: viso tamen priùs comite nostro, & habito cũ ipso colloquio diligenti. Statim accesserunt ad eum hostes fidei, comites scilicet Convenarum & Fuxi, & alij mul-

ti, qui exigentib⁹ meritis fuerant exhæredati, pro restitutione sua ipsi legato supplicaturi. Legatus sapiens & discretus omnes reconciliavit: recipiens ab eis non solùm juratoriam cautionē standi mandato Ecclesiæ, sed etiam quædam castra fortissima, quæ adhuc remanserant hostibus prænotatis. Rebus sic se habentibus, homines de Moisiaco, tradiderunt villam Moisiaci per proditionē comiti Tholosano. Illi autem qui erant in villa ex parte comitis nostri, receperunt se in munitionem villæ satis debilem & immunitam. Comes verò Tholosanus in gravi multitudine ruptariorum cœpit impugnare munitionē illam per tres cótinuas septimanas: sed obsessi nostri, quamvis paucissimi, se viriliter defendebant. Quod audiens comes nobilis, statim properavit in subsidiū obsessorum: sed comes Tholosanus, & qui cum eo erant, plures etiam de hominibus dictæ villæ, qui factę proditionis capitales fuerant & authores, præscientes adventum comitis nostri, cum summa festinatione fugerunt: obsidionem, quā diu tenuerant, dimittentes. Comes autem noster & qui cum eo erant, audientes quòd hostes prędicti aufugissent, descenderunt ad partes Aginnenses: vt castrum, quod dicitur Mansum, in extremis finibus diœcesis Aginnēsis, quod ipso anno apostataverat, si possent, caperent per insultū. Rex etenim Angliæ Ioannes, qui semper advérsat⁹ fuerat negotio IESV Christi, & comiti Mōtisfortis, ipso anno versus partes perrexerat Aginnenses: & plures de nobilioribus terræ illius in ejus sperantes auxilium recesserunt à Deo, & dominio comitis Mōtisfortis: sed postea per Dei gratiam frustrati sunt à spe sua. Properans igitur comes noster cum suis ad prædictum castrū, venit ad quemdam locum, vbi oportebat eum trāsire Garonam. Habebat autem naviculas paucas immunitas; homines autem... quod est castrum quoddam Regis Angliæ, ascenderant cum navibus multis & armaturis, vt nostris transitum prohiberent: sed nostri intrantes aquam, ipsis invitis liberè transierunt. Venientes ad castrum supradictum, scilicet Mansum, illud per triduum impugnarunt: sed quia nō habebant machinas, nec comes poterat ibi firmare obsidionem, eo quod ad mandatum Legati oportebat eum redire ad partes Narbonenses, recessit à castro sæpedicto ad partes proprias Narbonenses.

Rex Angliæ adversatur negotio Christi.

CAPVT LXXVIII

Carcassona Episcopus è Gallia cum ingenti peregrinorum multitudine revertitur.

ANno Verbi Incarnati 1214. venerabilis Carcassonæ Episcopus, qui toto pręcedenti anno pro negotio fidei contra hæreticos, discurrēdo & prædicando laboraverat in partibus Gallicanis, circa octavam Dominicæ Resurrectionis iter ad partes arripuit Albigenses. Ipse etenim omnibus crucesignatis, tam illis quos signaverat, quàm alijs, qui de manu magistri Iacobi de Vitriaco, viri per omnia laudabilis, & quorumdam aliorum, susceperant signum crucis, diem motionis alligaverat: ita quòd in quindena Paschæ pariter congregati, essent profecturi cū eo per partes Lugdunenses, contra hæreticos pestilentes. Sed M. Robertus de Corceone Apostolicæ sedis legatus, & venerabilis Archidiaconus Guillelmus crucesignatis suis diem pręfixerant, vt essent in quindena Paschæ Biterris; contra prænotatos hæreticos per partes alias profecturi. Moventes igitur à Nivernis Episcopus Carcassonensis, peregrinique supradicti, itinere prospero ad Montem devenerunt Pessulanum; ego autem eram cūm Episcopo Carcassonensi. Ibi invenimus Parisiensem Archidiaconum, & peregrinos, qui cū ipso venerant à partibus Gallicanis. Cardinalis verò, scilicet M. Robertus de Corceone, in partibus Podiensibus quibusdā negotijs erat occupatus. Proficiscentesque à Montepessulano, venimus propè Biterrim ad castrum S. Tiberij: ibique occurrit nobis nobilis comes Montisfortis. Eramus autem tam equites quàm pedites circiter centum peregrini; inter quos vnus de militibus erat vicecomes castri Dunensis: pluresq; alij milites, quos nōn est opus per singulos numerare. Progredientes à partibus Biterrensibus, venimus Carcassonā, ibique fecimus paucos dies. Notabiliter autem notandus est, & pro miraculo est habendus totus illius anni eventus. Sicut suprà diximus, quando venit suprà memoratus Petrus Beneventanus in terram Albigensem, Arragonenses, & Cathalonenses erant Narbonæ congregati contra Christianitatem, & comitem Mōtisfortis: & hac de causa comes noster erat propè Narbonam; nec sæpe poterat elongare, quia hostes statim totam terram in circuitu devastarent. Sed & Tholosani, & Arragonenses, & Caturcenses, à remotis partibus movebant ei guerras multum graves. Dum in hac tribulatione esset athleta Christi, non defuit adjutor in opportunitatibus in tribulatione: in vno siquidem & eodē temporis spatio, venit legatus à Curia Romana, venerunt à Francia peregrini. O magna multitudo misericordiæ Dei! Nec enim peregrini, sicut multis visum est, sine legato aliquid magni fecissent, nec legatus sine peregrinis adeo profecisset. Si enim hostes fidei non timerent peregrinos, non obedissent legato: rursus si non venisset legatus, peregrini qui tunc venerunt, contra tot & tantos hostes parum proficere potuissent. Egit ergo misericorditer divina dispositio, vt dum legatus hostes fidei, qui Narbonæ erant congregati, alliceret, & cōpesceret fraude pia; comes Montisfortis & peregrini qui venerant à Francia, possent transire ad partes Caturcenses & Aginnenses; & suos imò Christi impugnare inimicos. O legati fraus pia! O pietas fraudulenta!

Eventus totius anni miraculosus.

CAPVT LXXIX.

Guido de Monteforti & peregrini terras R. de Castronovo invadunt & devastant.

CVm fecissent supradicti peregrini paucos dies Carcassonæ, nobilis comes Montisfortis rogavit eos, vt cūm episcopo Carcassonensi & Guidone de Monteforti fratre germano ipsius comitis, ad partes Rutenenses accederent, & etiam Caturcenses: vt terras tam Raterij de Castronovo; qui nobilissimum & christianissimum comitem Balduinum crudelissimè prodiderat, quam aliorum hostium Christi penitus devastarent. Ipse verò comes cum suo primogenito Almarico, descendit vsque Valentiam, invenitque ibi ducem Burgundiæ, & Delphinum; habitoque super præfato matrimonio consilio & assensu. Comes noster, quia non erat tempus congruum ad contrahendum, nec ipse propter multimodas guerræ necessitates, ibi poterat facere multos dies; dictam puellam duxit secum Carcassonam; ibique fuerunt nuptiæ celebratæ. Peregrini verò, qui jamdiu à Carcassona exierat,

& jam episcopatum intrauerant Caturcensem, terras hostium fidei, quæ timore eorum erãt derelictæ vacuæ, vastauerunt. Nec prætereundum est, quod cùm transiremus per episcopatum Rutenensem, venimus ad quoddam castrum, quod Mauriliacum vocatur. Illi autem de castro voluerunt nobis resistere, quia miræ fortitudinis erat castrum, & penitus inaccessibile. Erat autem in exercitu nostro magister Robertus de Corceone, apost. sedis legatus, de quo supra tetigimus; qui nuperrimè venerat à partibus Gallicanis. Mox nostri in suo aduentu accesserunt ad castrum, & cœperunt hostes suos acriter impugnare. Vidẽtes illi de castro, quòd amplius resistere non valerent; reddiderunt se ipsa die legato, ad ipsius per omnia voluntatem: nostri verò de voluntate legati castrum penitus destruxerunt. Nec silendum, quòd ibi invenimus septem hæreticos, de secta illa quæ Vualdensium dicebatur: qui ad legatum adducti, suam incredulitatẽ plenius sunt confessi; quos nostri arripientes peregrini, cum ingenti gaudio combusserunt. Post hæc nũtiatum est comiti nostro, quòd quidam milites Aginnenses, qui præcedenti anno ab ejus dominio recesserãt, castrum quoddã munierant, quod dicitur Mons * Pisatus. Quid plura? accessimus ad illud obsidendum: prænotati vero milites de Monte pisato, audientes adventum crucesignatorum, timore ducti fugerunt, castrum vacuum dimittentes: nostri verò venientes ad castrum, illud penitus destruxerunt. Movens comes noster à Monte-Pisato, cœpit vlterius progredi per episcopatum Aginnensem, vt castra, quæ præcedenti anno à suo dominio recesserant, occuparet. Omnes autem adversarij timore ducti, antequam comes accederet ad eos, reddiderũt se illi, preterquoddam nobile, ꝙ Marmanda vocatur. Comes autem ob majorem securitatẽ, ne iterum apostatarent, sicut consueverãt, ferè omnes turres & muros dirui faciebat; exceptis paucis de fortioribus castris, quæ ipse tam sibi, quàm Frãcigenis, munire voluit, & tenere. Veniens comes ad obsidendum castrum Marmandæ, invenit illud contra se munitum: miles enim quidam regis Angliæ quosdam servientes in castrum adduxerat, vexillumque suum in summitate castri posuerat, vt castrum defenderet contra nostros. Sed appropinquantib⁹ nostris, & ipso advẽtu suo ad muros accedẽtibus; post modicam defensionem de castro fugere cœperunt; recipientesque se in navibus, per Garonam fluvium celeriter descendebant ad quoddã castrum proximum regis Angliæ, quod Regula dicebatur: servientes verò regis Angliæ, qui ad defensionem castri venerant, se in tuto receperunt. Nostri verò intrantes castrum, bona illius omnia diripuerunt: servientes verò regis Angliæ, qui erant in turre, comes viuos & sanos abire dimisit. Post hæc datum fuit comiti à suis consilium, vt non funditus destrueret castrum, eoquod esset satis nobile, & in extremitate terræ suæ: sed consuluerunt, vt turrim majorem muniret, ceterasque turres, & partem murorum dirueret. Quo facto, reversus est comes Aginnum. Erat autem castrum Cassanolij nobile & fortissimum in territorio Aginnensi. Ad pedem siquidem cujusdam montis in amœnissima planicie situm erat: sed & aquis circumfluentibus, & natiuis rupibus cingebatur. Erat in castro illo sedes hæreticormm vna de principalibus, & fuerat ab antiquo. Homines autem castri illius erant pro magna parte raptores & perjuri; repleti omni iniquitate & genere peccatorum. Iam enim semel & iterum reddiderant se Christianitati; nunc etiam & tertia vice christianitati & comiti nostro resistere attẽtatuor. Erat autem castri illius dominus major, Hugo de Rominiaco, frater episcopi Aginnensis. Hic comitis familiaris fuerat, & amicus: sed ipso anno rupta familiaritate & sacramento per proditionẽ, à Deo recesserant, & comite memorato. Collegerant etiam se alij proditores quamplurimi in castro illo. Veniens igitur nobilis comes Montisfortis cum exercitu ante castrum, in vigilia Apostol. Petri & Pauli obsidionẽ firmavit ex vna parte super montem: non enim sufficiebat exercitus ejus ad castrum in circuitu obsidendum. Post paucos autẽ dies fecit comes machinas erigi ad diruendos muros castri. Machinæ autem illæ & ad muros, & intra castrum instantiùs jacientes, in brevi domos castri plurimas diruerunt. Post aliquot autem dies, supervenientibus peregrinis, descendens comes de monte, fixit tentoria in planitie prope castrum, partẽ exercitus habens secum: plures verò remanserunt in monte, cum nobilissimo, & probissimo juvene Almarico filio Comitis, & venerabili Episcopo Carcassonæ Guidone: qui ibi legati fungens officio, ad expugnationem & captionem castri instantissimè atque efficacissimè laborabat. Fecit autem comes in planitie, vbi se locauerat, erigi machinas, quæ petrariæ nuncupantur: quæ die noctuque jacientes, muros castri debilitabant plurimùm. Quadã autẽ nocte circa aurorã exeuntes plures ex adversarijs de castro, ascenderunt in montem, impetum facturi vnanimiter in exercitum: venientesq; ad tentorium, in quo Almaricus filius Comitis dormiebat, irruerunt in eum validissimè, ipsum capturi, vel occisuri, si possent: sed currentes nostri, & hostes viriliter infestantes, ad castrum suum redire cõpulerunt. Dum hæc agerẽtur in obsidione illa, Rex Angliæ Ioannes, qui dolens de exheredatione nepotis sui videlicet filij comitis Tolosani, bonis nostris successibus invidebat, accesserat prope partes illas, ad Petragoricensem videlicet civitatem, habens secum exercitum magnum valde. Confugerant enim plures de hostibus ad ipsum, qui peccatis suis exigentibus, justo Dei judicio fuerant exheredati: quos idem assumpsit, & diu tenuit, non sine multorum scandalo, & graui propriæ famæ jactura. Illi verò qui erant in castro obsessi, frequentes nuntios mittebant ad Regem prædictũ, petentes succursum: & ipse eos per nuncios plurimùm animabat. Quid plura? Fit rumor celebris in exercitu nostro, quia Rex sæpedictus volebat in nos irruere; & fecisset forsitan, si ausus fuisset. Comes autem fortissimus Montisfortis in nullo perterritus est de auditis: sed firmiter proposuit, quòd si Rex vellet irruere in exercitum, non ideo recederet ab obsidione: sed se & suos defendens pugnaret contra eum. Sed sępedictus Rex sanioti vsus consilio, nihil de his quæ dicebantur, & quæ forsitan proposuerat, agere attẽtavit. Nec silendum, quòd M. Robertus de Corceone Cardinalis, Aposto. sedis legatus, de quo suprà fecimus mentionem, venit ad exercitum, in obsidione Cassanolij; & paucos ibi faciens dies laborabat prout potuit, vtpote homo bonæ voluntatis, ad expugnationem castri: sed negotijs injunctæ sibi legationis ipsum revocantibus, non expectavit

Vualdenses hæretici septem combusti.

** Mõpezat*

Periclitatur Almaricus filius Monfortij, & saluatur.

expectavit vsque dum caperetur castrum. Igitur laborantibus nobis in obsidione illa, & per jact⁹ machinarum muris castri pro magna parte debilitatis: quadam nocte convocatis comes de majoribus exercitus, & quodam artifice carpētario, inquisivit ab artifice illo, quomodo possent nostri ad muros accedere, & castrum capere per insultum. Erat enim aqua profunda inter exercitū & castrum, & quam oportebat transire, si vellent nostri ad muros accedere: & non erat ibi pons, quia adversarij ipsum à parte exteriori diruerāt ante adventum nostrum. Multis multa dicentibus, tandem ad consilium dicti artificis in hoc convenerunt, vt fieret pons de lignis & cledis, qui per mirabile artificiū super dolia magna impulsus per aquam, nostros vltra portaret. Statim venerabilis Episcopus Carcassonæ, qui vt vltrà ingredi etiam posset, die noctuque laborabat in his quæ obsidioni opus erant, convocata multitudine peregrinorum, fecit afferri copiosa ligna, ad faciendum pontem. Postquam autem factus est pons, armantes se nostri, paraverunt se ad insultum; impellentesque pontem, ad aquam vsq; venerunt: sed mox vt pons aquam tetigit, pro sui ponderositate, & quia ripa aquæ à parte illa alta erat, ad ima tanto impetu dilapsus est, quòd nullo modo retrahi potuit, vel levari: sicque totus labor noster quoad pontem illum quassatus est in momento. Post paucos antè dies fecerunt nostri alteri⁹ modi pontem: si fortè possent per ipsum aquam illam transire: Parauerunt etiam naviculas paucas, per quas, licet cum magno discrimine, pars nostrorum transiret: omnibusq; paratis armantes se nostri, pontem trahunt ad aquam: alij autem naviculas ascenderunt. Illi autem de castro habentes petrarias multas, cōtra nostros instantissimè & validissimè jaciebant. Quid plura? Projiciunt nostri pontem super aquam, sed nihil profecerunt; quia nimis brevis, & omnino insufficiens erat ponticulus ille. Fit mœror & luctus nostris, gaudiū & exultatio inimicis. Constantissimus autem comes ex his quæ acciderant nihil desperationis concipiens, convocat artifices suos, consolans eos; & mandans, vt attentarent parare machinas, ad trascendum aquam. Magister verò artificum mirum & inauditum excogitauit machinæ modum. Fecit enim afferri ligna multa & magna, & primò super ligna maxima construere quasi domum amplam de lignis, tectum habentem de cledis non cacuminatum, sed planum: postea super medium tecti erexit quasi turrem altissimam de lignis & cledis, quinque habentem in altū mansiones, in quibus balistarij stare possent. Post hęc in circuitu turris illius fecit super tectum memoratum quasi murū de cledis, in quibus stare possent multi de nostris, qui turrim defenderent: habentesq; aquam multam in cuppis magnis, vt extinguere possent, si hostes projicerent ignem: ob hoc etiam videlicet, ne hostes possent incendere machinam illā, fecit artifex ipsam operiri totam ex parte anteriori corijs bovinis. Omnibus igitur paratis, cœperunt nostri trahere & impellere machinā versus aquam: hostes verò lapides grandes & creberrimos cū petrarijs è contrà jaciebant: sed per Dei gratiam in modico nocebant, aut in nullo. Cùm ergo nostri machinam impulissent vsq; ad aquam, attulerunt in cophinis terram, ligna, & hujusmodi, ad projiciendum in aquam: illi, qui erant sub tecto inferiori, securi & inermes implebant fossatum: balistarij, & alij qui erant in superioribus munitionibus, impetus hostiū coërcebant. Quadam autem nocte adversarij quidam naviculam impleverunt lignis siccis, carne salsa, adipe, & alis† ignis incentivijs, volentes eam impellere ad machinam nostram, vt comburerent eam; sed non potuerunt, quia servientes nostri naviculam illam combusserunt. Quid vltra? Laborantibus nostris in implendo fossato, transibat machina nostra sicca pariter & illæsa: quātum enim implebant de fossato, tantumdem machinam vlterius impellebant. Quadā igitur die dominica videntes adversarij, transeunte machina, sibi captionis periculum imminere, projecerunt ignem contra machinam: sed nostris cum aqua ignem extinguentibus, nihil proficere potuerunt. Iam enim propinqui erant nostri & adversarij, qui se mutuò cum lanceis impetebant. Cogitans igitur comes noster, ne forte adversarij de nocte cōburerent machinā ipsam, eadē die dominica circa vesperam fecit armari suos & omnes concrepantibus tubis vocari ad insultū. Episcopus autem Carcassonæ, & clerici qui erāt in exercitu cum eo, convenerunt in locum eminentiorem prope castrum, clamaturi in cœlum, & pro nostris pugnantibus oraturi. Mox igitur nostri intrantes machinam, ruptis anterioribus machinę cledis, cū multa probitate trāsiere fossatū. Interea clerici nostri, *Veni creator Spiritus* cum deuotione maxima decantabant: adversarij autem videntes irruentes nostros, receperunt se intra muros, & cœperunt nostros per desuper muros jactu lapidum creberrimo grauiter infestare: nostri verò quia imminebat nox, & quia non habebant scalas, muros conscendere nequiverunt: sed intra muros & fossatum, in modica quadam planicie stantes, barbacanas quas hostes extra muros fecerant, ipsa nocte destruxerūt. In crastino verò, tota die laborauerunt artifices nostri in scalis faciendis, & alijs machinis, vt die tertia castrum ascenderent per insultum. Quod scientes & timētes milites ruptarij, qui erant in castro, sequenti nocte exeuntes cum armis, quasi insultum facturi in exercitum, omnes fugerunt. Plures autem de nostris insequuti sunt eos diutius, sed comprehendere nequiuerunt. Reliqui verò accedentes ad castrum media nocte, vi intrauerunt, apponentesque ignem, combusserunt illud; & quos inuenire potuerunt in ore gladij peremerunt. Per omnia benedictus Deus, qui tradidit impios, & si non omnes. Post hæc fecit comes noster quasi solo tenus destrui in circuitu muros castri; sicque captum est & cassatum Cassanolium sexto decimo Calendas Septembris, ad laudem Dmini nostri; cui est honor & gloria in secula seculorum.

Artificium mirum, & tamen inutile.

Artificium inauditum vtile.

† Alia editio male habet lignis.

Clerici pugnant orationibus.

Capvt LXXX.

De destructione castri Doma in Petragoricensi diœcesi, quod erat pessimi tyranni G. de Cabusaco. [In textu vocatur Bernardus de Casuacio.]

His ita gestis, significatum est comiti nostro, quod in episcopatu Petragoricensi erant castra, in quibus habitabant pacis & fidei inimici; & verè sic erat. Proposuit igitur comes progredi, & inuadere castra: vt per Dei gratiam & auxilium peregrinorū, expulsis ruptarijs, & raptoribus relegatis, pacem ecclesijs, imò toti terræ

Patragoricensi relinquerent. Omnes autē Christi, & nobilis comitis nostri adversarij, audito quòd captum esset Cassanolium, tanto timore perculsi* sunt, quòd in nulla munitione, etiam fortissima, adventū comitis & exercitus ausi sunt expectare. Movens igitur exercitūs à Cassanolio, venit ad vnum de castris, quod Doma dicebatur; invenit illud vacuum, & absque defensore. Erat autem castrum nobile & fortissimum, super Dordonam fluvium, in amœnissimo loco situm. Statim comes noster turrem castri, quæ erat altissima & pulcherrima, & penè vsque ad summum munita, subfodi fecit & dirui. Ad dimidiam verò leugam erat castrum aliud miræ fortitudinis, quod dicebatur Monsfortis. Dominus verò castri, nomine Bernardus de Casuacio, homo crudelissimus, & omnium pessimus, timore ductus fugerat à facie comitis nostri, castro suo vacuo derelicto. Tot enim & tantæ erāt crudelitates, rapinæ, enormitates illius nequissimi & sceleratissimi; quòd vix possent credi, aut etiā cogitari. Et cùm talis esset, procurauerat ei diabol' adjutoriū simile sibi, vxorē videlicet, quę erat soror vicecomitis Turenæ. Hæc altera Iesabel, imò longè pejor & crudelior, quàm Iesabel, omnium malarum erat pessima fœminarum, & viro in crudelitate non impar & malitia. Ambo igitur, cùm essent nequissimi, spoliabant, imo destruebant ecclesias, peregrinos inuadebant, membris innoxios detruncabāt: ita q in vnico monasterio monachorū nigrorū, quod Sarlatiū* dicitur, inventi sunt à nostris centum quinquaginta inter viros & mulieres; qui manib' vel pedibus amputatis, erutis oculis, sive ceteris mēbris cæsis, à prædicto tyranno & vxore ejus fuerant mutilati. Ipsa enim vxor tyranni totius pietatis oblita, pauperibus mulieribus, vel mamillas faciebat extrahi, vel pollices abscindi; vt sic ad laborandum inutiles redderentur. O crudelitas inaudita! Sed his omissis, cùm nec millesimam malitiarum dicti tyranni & vxoris ejus partem possemus exprimere, ad propositum redeamus. Destructo igitur & everso castro Domæ, voluit comes noster subvertere castrū Montisfortis, quod erat sicut diximus, præfati tyranni. Mox episcopus Carcassonæ, qui totum pro negotio Christi se laboribus exponebat, assumēs secum partem peregrinorum, abiit, & fecit dirui castrum illud. Adeo autem fortissimi erant muri illius, quòd vix poterant dirui: eo quod cementum in lapidem obduruisset; vnde etiam multos dies oportuit nostros facere in diruendo castro. Ibant peregrini mane ad operandum, & serò revertebantur ad locum castrorum: exercitus enim non recesserat à Doma, eo quod aptior & competentior exercitui erat locus. Erat præterea prope Montemfortem aliud castellum, nomine Castrum novum, non impar cęteris in malitia; & hoc ipsum timore exercitus fuerat derelictū. Proposuit autem comes noster tenere & occupare castrum illud, vt per hoc melius posset pacis cōpescere turbatores. Sicut cogitavit, ita & fecit. Erat insuper quartum castrum satis forte, nomine Bænatium. Hujus castri dominus pessimus erat, & ecclesiarum molestissim' oppressor. Dedit autem ei comes noster optionem, vt vnū eligeret de duobus; videlicet vt infra terminum à comite, & ab ipsis qui ibi erant præfixum, restitueret malè ablata, aut humiliarentur muri castri ipsius. Et ad hoc exequendum datæ fuerunt induciæ per plures dies: sed cùm intra dies illos, de rapinis non fecisset restitutionem, voluit comes noster humiliare munitionem castri Bænacij, invitoque tyranno, & multum dolente, fecit comes noster humiliare turrem, & muros castri Bænacij. Allegabat enim maleficus sæpedictus, castrum suum non debere humiliari; eo quod ipse solus erat in terra illa, qui juvaret regem Franciæ contra regem Anglorum: sed comes allegationes istas vanas sciens & frivolas, non destitit à proposito. Iam etiam allegationes prædictas, tyrannus memoratus exposuerat regi Franciæ, sed nihil proficere potuit. In hunc modum subjugata sunt quatuor castra illa, Doma videlicet, Monsfortis, Castrum novum, Bænacium. In his 4. castris, à centum annis & antea, sedes fuerat satanę; ab his egressa fuerat iniquitas super faciem terræ. Istis igitur subjugatis per peregrinorum laborem, & probitatem expertissimam comitis Montisfortis, reddita est pax & tranquilitas, non solum Petragoricensibus; sed etiam Caturcensibus & Aginnensibus, & Lemovicensibus, pro magna parte. His igitur ad gloriam nominis Christi peractis, rediit comes noster & exercitus ad partes Aginnenses; & data sibi opportunitate, fecit dirui muniriones, quæ erant per diœcesim Aginnensem. Postea venit comes Figiacum, auditurus loco regis Franciæ causas & quæstiones indigenarum; rex enim commiserat ei in partibus illis vices suas in multis. Multa audivit, & multa correxit: & plura correxisset, sed noluit excedere fines regij mandati. Inde progressus versus diœcesim Ruthenensem, occupavit castrum fortissimum prope Figiacum, nomine Capdecanacum, vbi ab antiquo fuerat nidus & refugium ruptariorum. Inde venit comes cū exercitu* Ruthenam civitatem. Impetijt autem comes comitem Ruthenensem de multis. Ipse enim comes Ruthenensis homo legius erat comitis nostri: sed quoddam quærens subterfugiū, dicebat, quòd partem terræ suæ maximam tenebat à rege Angliæ. Quid plura? Post multas altercationes, recognovit totam terram suam tenere à comite nostro, & de tota terra sua fecit ei hominium; & ita facti sunt amici & concordes. Erat prope Ruthenam, castrum quoddam forte, nomine Severacum, in quo habitabant ruptarij turbatores. Tot enim & tanta mala provenie-bant à castro illo, quòd non posset de facili exprimi. Illi siquidem qui erant in castro illo, non solum Ruthenensem diœcesim infestabant; sed totam terram in circuitu ad Podium B. Mariæ. Dum igitur comes noster esset apud Ruthenam, mandavit domino castri, vt redderet ei ipsum castrum: ille verò de fortitudine munitionis confisus, cogitans etiam quod comes tunc temporis non posset obsidionem circa castrum tenere, eo quod hiems erat, & castrum illud in montanis, & in locis frigidis esset situm, noluit reddere castrum suum. Quadam igitur nocte Guido de Monte forti frater comitis nostri germanus, assumptis militibus & servientibus secum, exiens à civitate Ruthenensi, equitavit de nocte vsque prope castrum sæpedictum; & summè diluculo illucescente aurora, irruit subitò in burgum inferius, cepitque illud in momento, & occupavit. Illi autem de burgo receperunt se in inferiorem munitionem; in summitate siquidem montis sita erat munitio, burgum verò forinsecus à munitione illa per descensum montis protendebatur

*perculsi

Bernardi de Casuacio & vxoris eius crudelitas.

**Gallicè* Sarlat. *nunc Episcopatus.*

Frivola allegationes domini Benatij.

*Rhodez

Comes Ruthenēsis Mōfortio hominiū facit.

debatur. Ideo autem dictus Guido occupavit burgum, ne adversarij venientes exercitu possent illud comburere. Veniens igitur comes cum exercitu ad castrum Soveraci; invenit dictum burgum illæsum, domosq; plurimas exercitui aptas ad manendum: quas occupantes nostri, firmaverunt obsidionem. A domino factum est istud, qui verus est in opportunitate adjutor, & pius in necessitate provisor. Paucis diebus transactis, erexerunt machinam vnam, quæ petraria dicitur, & fecerunt jacere contra castrum: adversarij verò vnam similiter machinam erexerunt, & cum ipsa nostros, quantum poterant, infestabant. Nec silendū, quòd obsessos illos ita attenuaverat dñs in victualibus, quòd nimia penuria arctabantur; frigus præterea & hiemis asperitas ita eos affligebat, vtpote qui modicas, & vilissimas habebant vestes, quòd nesciebant, quid agerent. Si quis autem de paupertate & miseria eorum miretur, noverit quòd ita subitò præoccupati fuerunt, quòd non licuerit eis, nec armis, nec victualibus se munire. Non enim putabant, sicut diximus, quòd nostri media hieme, & in locis tam frigidis, possent obsidionē tenere. Post paucos verò dies fame & siti, frigore & nuditate afflicti, postulaverunt pacem. Quid plura? Post longum & varium de modo compositionis tractatum, tandem ad proborum consilium in hoc cōvenerunt tam nostri, quàm dominus castri, quòd ipse redderet comiti castrum; & comes ipsum castrum Episcopo Ruthenensi, & cuidam nobili militi, qui dicebatur Petrus Brimundi, traderet custodiendū: factumque est ita. Statim nobilis comes de mera liberalitate sua reddidit supradicto domino Severaci totam aliam terram suam, quam occupaverat Guido de Monteforti. Priùs tamen quàm redderet ei terram suam, induxit eum ad hoc, q hominibus suis malum non inferret, eo quod se reddidissent memorato Guidoni. Post hæc etiam nobilis comes, vtpote liberalissimus, reddidit ei Severacum, recepta ab ipso hominij fidelitate & sacramento: & ita in gratiam & familiaritatem comitis est susceptus. Nec prętermittendū, quòd per redditionem castri Severaci toti terrę illi reddita est pax & quies. In omnibus laudandus est Deus, amplectendus athleta ipsius fidelissimus, comes videlicet Christianissimus Montis-fortis.

Monfortij liberalitas in hostem.

His omnib' ritè peractis, Magister Petrus Beneventanus Apost. sedis legatus, de quo suprà fecimus mentionem, reversus à partibus Arragonēsibus, in quibus pro gravibus negotijs fecerat lōgam moram, convocavit celeberrimum & generalissimum Concilium, in quindena Nativitatis Dominicæ apud Montempessulanum.

Caput LXXXI.

Concilium apud Montempessulanum celebratur: in quo Mōfortius terra conquisita princeps declaratur

Anno ab Incarnat. Dom. 1214. in quindena Nativitatis Dominicæ, convenerunt apud Montempessulanum Archiepiscopi & Episcopi, vocati à M. Petro Beneventano Apostolicę sedis legato, ad Concilium: vt de his, quæ pacis erant & fidei, idem legatus secundùm prælatorum cōsilium ordinaret. Convenerunt autem ad illud Conciliū quinque Archiepiscopi, videlicet Narbonensis, 1. Accitanus, 2. Ebredunensis, 3. Arelatensis, 4. Aquensis. Fuerunt episcopi 28. pluresque de baronibus terræ ibi affuerunt. Nobilis autem comes Montisfortis non intravit cum alijs Montempessulanum: sed mansit diebus Concilij in quodam vicino castro, quod erat episcopi Magalonensis. Homines autem Montispessulani, vtpotè pessimi & superbissimi, sēper exosū habebant comitem, & omnes Francigenas; ita quod ipsum comitem non permittebant Montēpessulanum intrare. Hac de causa mansit, sicut diximus, in castro prædicto, veniebatque quotidie vsque Montem-pessulanum in domo fratrū militiæ templi foris murum, vbi egrediebantur foris ad eum archiepiscopi & episcopi, quoties opus erat. Igitur convenientibus, vt prædictum est, legato, archiepiscopis, & episcopis, abbatibus, & alijs ecclesiarum prælatis apud Montem pessulanum, fecit legatus sermonem in Ecclesia B. Virginis Mariæ. Postea vocavit in domo in qua manebat, archiepiscopos quinque, & episcopos 28. abbates, & alios ecclesiarum prælatos innumerabiles: quibus in vnum congregatis, primò eos allocutus est in hæc verba. Repeto & requiro à vobis, sub obtestatione divini judicij, & obedientiæ debito, quo Romanæ ecclesiæ tenemini, vt omni gratia, odio, livore postpositis, detis nobis fidele consilium, secundùm scientiam vestram; cui meliùs & vtiliùs, ad honorem Dei & S. matris Ecclesię, & pacem terræ, ad expugnandam vel expurgandam spurcitiam hæreticorum, concedi & assignari debeat Tholosa, quam comes Tholosanus tenuit, & aliæ terræ, quas occupauerunt exercitus Christianorum crucesignatorū. Omnes archiepiscopi & episcopi habuerūt longā & diligentē deliberationem, vnusquisque cū abbatibus suæ diœcesis, & familiaribus clericis suis; & quia bonum videbatur & rectum redigere in scriptum, & in hoc tandē omnium & singulorum vota & consilia conuenerunt, vt nobilem comitem Montisfortis eligerent in totius terræ illius principem & monarcham. O res miranda! Si creandus est episcopus aut abbas, vix in vnam personā conveniunt paucissimorum consensus; ecce in electione principis tantæ terræ, tot & tantæ personæ in memoratū Christi pugilem, sine aliqua dissensione vota sua vnanimiter contulerunt: à Deo procoldubio factum est istud, & est mirabile in oculis nostris. Postquam ergo archiepiscopi & episcopi elegerant prænobilem comitem modo quo prædiximus; instantissimè requisierunt à legato, vt ipse statim traderet totā terram eidem comiti: sed habito recursu ad literas D. Papæ, quas miserat legato, inventum est, quod legatus non poterat istud facere, inconsulto D. Papa: & hac de causa, communi assensu tam legatorum quàm prælatorum, Ebredunensis archiepiscopus Girard', vir multæ scientiæ, & totius bonitatis, missus est Romam, & quidam clerici cum eo; literas tam legati quàm prælatorum ferentes secum; in quibus supplicabant prælati omnes D Papæ instantissimè, vt nobilem comitem Montisfortis, quē vnanimiter elegerant, concederet eis in terræ dominum & monarcham. Illud autem non credimus reticendum, quòd dum celebraretur memoratum concilium in Monte pessulano, quodam die legatus comitem nostrum, qui erat foris muros, in domo militię templi fecit vocari, vt intraret ad ipsum & prælatos. Statim comes intravit cum paucis; militibus verò suis, qui cum eo pauci intraverant, causa spatiandi per villam evagātibus; comes erat cum legato & prælatis, ipse & duo filij ejus. Mox illi de villa, vtpote nequissimi

Narbonne 1. Auch 2. Ambrun 3. Arles 4. Aix

Comes Monti fortis terræ devictæ princeps eligitur.

simi, armaverunt se clanculo pro magna parte; intrantesq; ecclesiam B. Mariæ, postquam comes intraverat, totam viam per quã ipsum redire putabant, observantes, expectabant reditum ejus, vt eum occiderent, si possent. Sed pius dñus aliter & longè melius ordinabat. Innotuit ergo comiti nostro, quod fiebat: & per aliã viam quam intraverat exiens, ab insidijs declinavit. His omnibus rite gestis, & celebrato per multos dies concilio, prælati qui aderant, ad propria redierunt: legatus autẽ & comes noster venerunt Carcassonam. Interea legatus episcopum Tholosanum misit Tholosam, vt ex parte ipsius occuparet & muniret castrum Narbonense: sic enim vocabatur munitio & palatium comitis Tholosani. Cives autem Tholosani ad mandatum domini legati, imò potius, timore ipsius, filium comitis Tholosani fecerũt exire à munitione jam dicta, quam hactenus tenuerant, & tradiderunt eam ex parte legati episcopo suo; qui intrans munitionem tenuit eam, & muniuit eam militibus & servientibus, tamen in sumptibus civiũ & expensis.

Monfortius euadit insidias hostiũ.

Capvt LXXXII.

Primus adventus Ludouici filij regis Franciæ in partes Albigensium.

AN. Verbi incarnati 1215. Ludouicus fili⁹ regis Franciæ primogenitus, qui triennio jam transacto, crucem contra hæreticos assumpserat, sed multis & grauibus guerris fuerat impeditus; sopitis pro magna parte guerris, quas contra hostes multas & multũ graues habebat pater eius; ipse iter arripuit ad partes Albigensium, vt votũ suæ peregrinationis expleret. Venerunt cum eo multi nobiles & potentes: qui omnes ad diem, quam eis præfixerat, in die S. Dominicæ Resurrectionis convenerunt ad Lugdunum. Fuerunt ibi cum Ludovico episcopus Beluacensis Philippus, Comes S. Pauli, Galterus comes Pontiui, * Comes Sagiensis, * & de Alacone Robertus, Guiscardus de Bellojoco, Matthæus de Monte-Maurenciaco, vicecomes Meleduni, & multi alij probi milites, nobiles & potentes. Fuit etiam ibi venerabilis episcopus Carcassonæ Guido, qui ad preces nobilis comitis Mõtisfortis, paulò antè pro negotio fidei ad partes descenderat Gallicanas, & cum Ludouico veniebat. Ludovicus autem, & qui cum eo erant, ipsum tenerrimè diligebant; ejusque voluntati & consilijs in omnib⁹ acquiescebant. In crastino Paschæ mouens episcopus cum suis à Lugduno, venit Viennam: comes autẽ Montisfortis occurrebat domino suo, Ludovico videlicet, lætabundus & gaudens, & descenderat vsque Viennam. Quanta autem fuerit in mutua illa obuiatione exultatio, non esset facile exprimere. Progrediens Ludouicus cum suis Vienna, venit Valentiam: legatus autem, de quo supra tetigimus, scilicet Magister Petr⁹ Beneuentanus, occurrebat Ludovico, & venerat vsque Valentiam. Sicut in superioribus expressimus, memoratus legatus ciues Tholosanos & Narbonenses, & alios, qui fuerant contra christianitatem & comitẽ Montisfortis, absoluerat, secreto suo & prouido consilio, quo ipse nouit: Tholosanam insuper & Narbonensem ciuitates, & alia castra hostiũ Christi in partibus Albigẽsib⁹, in manu sua & protectione tenebat; timebatque ne Ludouicus, vtpote primogenitus Regis Frãciæ, & totius terræ, quam legatus tenebat, domin⁹ principalis, aliquid potestatiuè vellet facere cõtra cõsiliũ & ordinationẽ legati: aut occupãdo ciuitates & castella, quæ legatus tenebat, aut etiã destruendo; ideoque, sicut dicebatur, & erat verisimile, non placebat legato adventus & præsentia Ludovici: nec mirum. Cùm enim tota terra sæpius memorata veneno hæreticæ pravitatis infecta fuisset, rex Franciæ, vtpote dominus principalis, admonit⁹ fuerat, & multoties requisitus, vt tanto morbo manum apponeret expulsiuam, & ab heretica spurcitia purgare intenderet regnũ suum: ipse verò non apposuerat consilium, vel auxilium, vt deberet; & ideo cùm terra illa per D. Papam auxilio signatorum fuisset acquisita, non videbatur legato, quòd Ludovicus deberet aut posset, contra ordinationes ejus aliquid attẽtare. Videbatur etiam legato, qui cruce signatus erat, & tamquam peregrinus veniebat, vnde non deberet ejus dispositioni in aliquo cõtraire. Ludovicus autem, vtpote mitis & benignissimus, respondit legato, quòd ad voluntatem ipsius & consiliũ se haberet. Exiens Ludovicus à Valentia, venit ad villam S. Ægidij, & comes nobilis Montisfortis cum eo. Venerunt à curia Romana nuntij, quos, sicut suprà memoratum est, legatus, & Archiepiscopi, & Episcopi patriæ Provincialis miserant ad Dominum Papam, postulãtes ibi dominum & monarcham nobilissimum & Christianissimum comitem Montis fortis. Dominus autem Papa misit literas legato, & prælatis, & etiam comiti Montisfortis, sub eadem forma: quibus continebatur, quòd ipse D. Papa totam terram, quam comes tenuerat Tholosanus, terras etiam illas, quas crucesignati acquisierant, & quas legatus tenebat per obsides & custodes, commendabat comiti Montisfortis custodiẽdas: donec in Concilio Generali, quod in Calendas Novẽbris illius anni convocaverat, de terris prędictis pleniùs ordinaret. Hoc audito, Ludovicus & comes noster significaverunt legato de adventu nuntiorum. Legatus autem tunc erat prope S. Ægidium cum pluribus Episcopis in ciuitate Arelatensi.

Cõmendatur terra acquisita Monfor. io.

Concilium Lateranense indictũ.

** Pontiuiensis*
** Seez*

Litera D. Papæ ad Comitem Montis forti

INnocentius Episcopus Servus servorum Dei, dilecto filio suo, nobili viro, Simoni Comiti Montis-fortis, salutem, & Apostolicam benedictionem. Nobilitatẽ tuam dignis in Domino laudibus commendamus: quia pura dilectione, mẽte sincera, & viribus indefessis, tamquam verus & strenuus miles Christi, & invictus Catholicæ fidei propugnator, prælia Domini laudabiliter præliatus: vnde in omnem ferè terram tuæ fidei sonus exivit. Propter quod super caput tuũ multæ benedictiones effunduntur, ad gratiã tibi ampliùs acquirendam, & totius Ecclesiæ precamina congeruntur: & multiplicatis intercessoribus, corona tibi gloriæ conservatur, reddenda tibi à justo judice in futurum; quam propter tua merita speramus esse tibi repositam nunc in cœlis. Eia miles Christi, ministerium tuum imple, currens per propositum tibi stadium, donec bravium comprehendas: nec in tribulationibus vnquam deficias; sciens collateraliter tibi assistere Deum Sabaoth, Dominum videlicet exercituum, ac principem militiæ Christianæ: nec velis bellicos sudores abstergere, antequam palmam victoriæ consequaris; quinimo cùm bene inchoaveris, bonum principium, ac media quæ postmodum laudabiliter prosequi curavisti, per longanimitatem & perseverantiam, quæ coronat, laudabi-

lium oportet fine studeas consummare; sciens, juxta verbum apostoli, neminem esse coronandum, nisi legitimè decertantem. Cùm igitur totam terram, quam comes tenuit Tholosanus, cum alijs terris à crucesignatis obtentis, quæ à dilecto filio nostro Petro S. Mariæ in * Aquiro Diacono Cardinali, apostolicæ sedis Legato, tenentur per obsides vel custodes, vsque ad tempus Concilij generalis, in quo de ipsis, consilio prælatorum plenius possimus salubriter ordinare, prudentiæ tuæ duximus committendas, vt eas conserves, custodias & defendas: concedentes tibi redditus & proventus earum, cum justitijs, & cum alijs ad jurisdictionem spectantibus: cùm nec possis, nec debeas proprijs stipendijs militare, salvis expensis, pro munitione & custodia castrorum, quæ de mandato nostro tenentur. Nobilitatem tuam cum omni diligentia commonemus, totis affectibus in domino postulantes pro nemine, ac sub obtestatione divini numinis obsecrantes, in remissionem peccaminum injungendo, quatenus non refugias hanc pro Christo legationem recipere: cùm ipse pro te à Patre legatione suscepta, tamquam gigas cucurreris vsque ad crucis patibulum & ad mortem; cùm te totum devoveris in Christi obsequio, non deficias fatigatus, nec recuses vsque ad finem, bonam pro Christo militiam exercere: nec vnquam in cor tuum ascendat, vt tam dulcibus paternis obvies monitis & mandatis; sed potiùs toto desiderio & affectu amplecti studeas, quæ mandamus; vt in perpetuum Christi amplexibus fovearis, qui te ad amplexus invitans, extendit pro te brachia indefessa. Provida etiam deliberatione diligenter attendas, ne in vacuum cucurreris, aut etiam laboraveris; si per tuam negligentiam locustarum multitudo, quæ de abyssi puteo sunt egressæ, sed per tuum ministerium, de terra quam occupaverant ejectæ, ipsam, quod absit, iterum occupaverint in exterminium plebis Dei. Nos autem, quia pro certo speramus, quod de tua salute sollicitus, numquam debeas mandatis apostolicis obviare, Baronibus, Consulibus, & alijs Christi fidelibus in terris prædictis constitutis, dedimus in mandatis, in virtute Spiritus Sancti præcipientes districtè, quatinus plenariè intendentes mandata tua super negotio pacis & fidei, & alijs quæ superius sunt expressa, inviolabiliter observare procurent, contra impugnatores Catholicæ fidei, & pacis disturbatores, magnificè ac potenter tibi consilium & auxilium impendentes; ita quod eorum cooperante subsidio, negotium pacis & fidei salubriter exequaris: quod Legato quoque præcipiendo mandamus, vt super his statuat & disponat, quidquid ipsi negotio viderit expedire, impendens tibi concilium & auxilium opportunum; & quod statueris, faciat firmiter observari: contradictores, si qui fuerint, vel rebelles, sublato cujuslibet conditionis vel appellationis obstaculo, ad id quod videris expedire, districtione compellens. Datum Laterani 4. Non. Apr. Pontif. an. 18.

Progrediens Ludovicus à villa S. Ægidij, venit ad Montempessulanum, & inde Biterrim. Civitas autem Biterris distat quatuor tantùm leugis à Narbona. Cives autem Narbonenses timore ducti miserunt ad Ludovicum, significantes ei, quòd parati erant ad faciendam ejus in omnibus voluntatem. Nec silendum, quòd Archiepiscopus Narbonensis Arnaldus, quantum poterat laborabat ad hoc, quod muri Norbonæ non diruerentur; ob hoc etiam descenderat obviam Ludovico vsque Viennam. Dicebat siquidem, quod sua erat Narbona, & hoc pro parte verum erat: insuper etiam Ducatum Narbonæ, quem ab antiquis temporibus comes tenuerat Tholosanus, vsurpaverat sibi archiepiscopus, & tenebat. Quamvis autem homines Narbonenses essent pro parte de dominio Archiepiscopi, tamen contra Deum & christianitatem comiti Montis fortis se opposuerant, imò Christum impugnaverant toto nisu; ob hoc etiam in villam suam intromiserant hostes Christi, & diu tenuerant. Archiepiscopo etiam, qui pro conservatione murorum ita ardenter laborabat, graves præcedenti anno intulerant metus fortis. Vnde videbatur nostris quod Archiepiscopus contra vtilitatem ecclesiæ, & suam etiam, instabat, ne muri caderent Narbonæ. Propter hoc & alia quædam, quæ non est necessarium replicare, aliquantulum discordiæ intervenerat inter Archiepiscopum, & comitem Montisfortis: videbatur siquidem omnibus, quod Archiepiscopus, quo ad prædicta, non satis in futurum providebat vtilitati negotij fidei Christianæ. Cùm essent Biterris legatus, & Ludovicus, & comes Montisfortis, & peregrini; omnes de voluntate Legati, & consilio Prælatorum, qui plures illuc convenerant, ita est ordinatum; quod Ludovicus de voluntate & authoritate Legati, faceret dirui muros Narbonæ, Tholosæ, & quorumdam castrorum: eoquòd per munitiones illas Christianitati evenerant multa mala. Inhibuit autem Ludovico, ne homines dictarum civitatum perturbaret in aliquo, nisi tantum in dirutione murorum. Quod vt posset meliùs observari, Ludovicus mandavit civibus Narbonæ, vt ipsi ad arbitrium duorum militum, quos ad hoc misit Narbonam, infra tres septimanas diruerent muros suos, quod nisi facerent, scirent se graviter puniendos. Cœperũt igitur Narbonenses diruere muros Iericho, Narbonæ videlicet civitatis. Ludovicus autem movens à Biterris, venit cum suis Carcassonam; vbi cum per aliquos dies moram fecisset, venit legatus. Quadam igitur die convocavit legatus ad se in domum Episcopi Carcassonensis Episcopos, qui aderant, Ludovicum, & comitẽ Montisfortis, & nobiles qui erant cum Ludovico. Quibus omnibus congregatis legatus juxta formam mãdati apostolici, commendavit comiti terram vsque ad Concilium generale. Post hæc movens Ludovicus Carcassonâ, perrexit ad quoddã castrum vicinũ, quod dicitur Fanum Iovis, & fecit ibi paucos dies. Interea legatus & comes Montisfortis perrexerunt ad castrum Apamiarum. Venit ibi ad legatum pessimus comes Fuxi. Comes autem noster, noluit illum videre. Ibi commendavit legatus comiti nostro castrum Fuxi, quod diu in manu sua tenuerat; comes autẽ noster statim misit milites, & castrum Fuxi munivit. Nec silendum, quod antequam exirent Legatus, & Ludovicus à Carcassona, comes Montisfortis misit Guidonem fratrem suum, & milites cum eo, ad recipiendam & occupandam ex parte ejus Tholosam. Post hæc receperunt ex parte comitis nostri sacramẽta fidelitatis à civibus, & præceperunt eis, vt diruerent muros civitatis. Acquieverunt cives, licet inviti, nimiumque dolẽtes: & plus timore impulsi, quàm amore inducti, cœperunt diruere muros suos. Ab illo igitur

*Ciaconius legit Aquiro.

Archiepiscopus Narbonensi pro conservatione murorũ orbis nimis laborat.

tempore humiliata est superbia ciuitatis Tholosanæ. Igitur postquā legatus comendauit comiti nostro castrū Fuxi, legatus ipse, & Ludouicus, & comes Montisfortis, & peregrini omnes, perrexerunt & intrauerunt Tholosam. Inde Ludovicus & peregrini, peracto peregrinationis suæ termino, videlicet 40 dierum, ad partes Franciæ redierunt. Legatus etiam exiens à Tholosa, venit Carcassonam: ibique expectauit per aliquot dies comitem Montisfortis. Comes autem nobilis postquam paucos dies fecerat in Tholosa, venit Carcassonam ad legatum. Postquā igitur legatus in terra Albigensium fecerat plures dies, & sicut vir circunspect⁹ & prouidus, injūctæ sibi legationis officium laudabiliter fuerat exequutus, tota insuper terra sæpedicta de mādato summi pontificis commendata erat nobili comiti Montisfortis; descendēsque idem legatus in partes Prouinciæ, ad summum Pontificem est reuersus. Nobilis autem comes Montisfortis prosecutus est legatum à Carcassona, vsque ad S. Antonium prope Viennam. Inde perrexit legatus Romam; nobilis autem comes, postquam fecit in Prouincia paucos dies, ad partes reuersus est Carcassonę: factisque ibi paucis diebus, versus partes Tholosanas & Aginnenses se transtulit; vt visitaret terras illas, & corrigeret corrigenda. Nec silendum, quòd muri Tholosę pro magna parte fuerant jam subversi. Post aliquot autem dies, Bernardus de Casuacio, vir pessimus & crudelis, de quo supra fecimus mentionem, castrum quoddā in Petragoricensi diœcesi, quod ipsius fuerat, & dicebatur Castrumnovum, proditiosè recuperauit. Miles enim quidam Francigena, cui comes custodiendum commiserat castrum illud, minùs sufficienter illud munierat, sed dimiserat pene vacuum. Quo audito, prędictus Bernardus venit ad castrum, & obsedit illud; statim cœpit, militesque, qui ibi erāt, morte patibuli condemnauit.

Relit in ... Ludovicus filius Galliæ Regis (marginal note, partly cut off)

CAPVT LXXXIII.

Concilium Lateranense celebratur, in quo Comitatus Tholosanus Simoni comiti commendatus, decreto Concilij eidem conceditur.

ANNO Verbi incarnati 1215. mense Nouembri, D. Papa Innocentius 3 convocatis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, & alijs Ecclesiarum Prælatis, in Lateranensi Ecclesia, celebrauit in vrbe Roma generale Concilium, & solemne. Inter alia quę ordinata fuerūt in Concilio, & statuta, tractatū fuit de negotio fidei contra Albigenses. Venerat etenim ad Cōcilium Raimundus quondā comes Tholosanus, & filius eius, comes etiam Fuxi, pacis & fidei manifestissimi turbatores; supplicaturi Concilio pro recuperatione terræ suæ, quam perdiderāt, divina disponente censura, suffragante auxilio signatorum. Comes verò nobilis Montisfortis, misit illuc fratrē suum germanum Guidonē de Monteforti, aliosq; fideles nuntios & discretos. Verum est, quòd fuerunt ibi aliqui, etiam quod est gravius, de prælatis, qui negotio fidei adversi, pro restitutione dictorum comitum laborabant: sed non pręvaluit consilium Achitophel, frustratum est desiderium malignorum. Dominus etenim Papa, approbante pro majori parte & saniori sacrosancto Concilio, in hunc modum ordinavit de negotio memorato. Statuit siquidem, & providit, quòd Tholosa civitas, & aliæ terræ à crucesignatis obtentæ, concederentur comiti Montisfortis: qui in prædicto negotio viriliter & fideliter laboravit super omnes. Terram verò, quā comes Tolosanus habuerat in Provincia, custodiri voluit summus Pōtifex, vt de illa fieret provisio in parte, vel in toto, filio dicti comitis Tolosani: si tamen per certa fidelitatis & bonæ cōversationis indicia ostenderet se misericordia dignū esse. Sed quàm malè prædicti se habuerint, & qualiter misericordiam in durum sibi converterit judicium, in sequentibus ostendemus. Post reditum nuntiorum suorum à Concilio, comes Montisfortis de pręlatorum terræ Albigensis, & baronum suorum consilio, perrexit in Franciam ad dominum suum Regem: vt ab eo terram reciperet, quæ de feudo ejus erat. Quantus autem honor ei exhibitus sit in Frācia, nec à nobis scribi, nec ab audiente de facili credi posset. In quācumque enim civitatem, castellum, seu villam intrabat, exibant ei obviā cum processione clerus & popul⁹, clamantes & dicentes, *Benedictus qui venit in nomine Domini*; tantaque & talis erat pia & religiosa deuotio populi, quod beatum se esse dicebat, qui ejus poterat tangere fimbriā vestimenti. Veniens comes ad regem, ab eo benignissimè & honorificè est susceptus. Post jocunda verò gratæ familiaritatis colloquia, rex inuestiuit comitem, & confirmauit ducatū Narbonæ & Tholosę ei, & hæredibus eius: totam etiam terram, quam in feudo eius acquisierant crucesignati, contra hæreticos & defensores eorum. Cùm esset nobilis comes in Francia, Raimundus filius Raimundi quondā comitis Tholosæ puer, sed non à puerilitate, imò potius ā stultitia, mandatis apostolicis per omnia veniens ex adverso; spreta insuper illa magna gratia, & copiosa misericordia, quam ei sedes apost. fecerat, licet indigno, ad partes Prouinciales accessit: & facta conjuratione contra Deum, & jura ciuilia & canonica, cum Avinionensibus, & Taraconensibus, & Massiliensib⁹, cōsilio & auxilio quorumdam nobilium Prouinciæ, occupauit terrā illam, quam de commendatione D. Papæ custodiebat nobilis comes Montisfortis. Occupata terra trans Rodanum, venit ad quoddam nobilissimum castrum in regno Franciæ, in diœcesi Arelatensi, in ripa Rhodani fluvij magni situm. Castrum illud fuerat comitis Tholosæ, sed Ecclesia Romana illud concesserat, & rex confirmauerat comiti Montisfortis; nec non & archiepiscopus Arelatensis, cujus est minus dominium ejusdem castri, eidē comiti vt vassallo in feudum concesserat, & ab eo hominiū acceperat pro eodē castro. Veniens dictus Raimundus Belliquadrum, vocatus ab hominibus ejusdem castri, qui nostro comiti hominium fecerant, in burgum est receptus. Statim confluentibus ad eum quibusdam nobilibus Prouincię civibus, & Avinionensibus, & Massiliensibus, burgensibus insuper Tarasconensibus, viris perfidis & malignis, Seneschallum comitis Montisfortis, milites que & servientes, qui cum dicto Seneschallo munitionem seruabant, in ipsa munitione obsedit, cœpitque acriter impugnare. Quo audito, Guido frater comitis Montisfortis, & Almaricus ipsius comitis primogenitus, cæterique Barones comitis, & milites, qui erant in partibus Tholosanis, festinanter venerunt versus Belliquadrū, vt suis si possent, succurrerent obsessis. Erat autem cum eis venerabilis episcopus Carcassonæ Guido; qui,

Quidā prælati indecorè pro hæreticis stant in Concilio.

Monfortio itur obviā cum processionibus, & acclamationibus.

Beauquaire

...co, sæpedictus est, erat in fidei negotio totus ardens. Interea comes nobilissimus Montisfortis, cum festinatione veniebat à Francia: adducebat autem secum plures milites, quos magnis stipendijs conductos traxerat à Francia. Properantes Guido frater comitis, & Almaricus filius eius, versus Bellicadrum, venerunt Nemausum ciuitatem, quæ distat à castro Bellicadri spatio quatuor leugarum: & manserunt ibi nocte vna. Facto autem mane, audita missa, facta confessione, & communione dominici Sacramenti percepta, ascensis equis egrediuntur à Nemauso, Bellicadrum propere antes. Ibant autem parati ad bellum: hoc enim erat summum ipsorum & solum desiderium, scilicet quòd possent cum hostibus capitalem habere congressum. Factum est autem dum essemus in via, dictum est nobis, quod prope publicam stratam erat quoddam castrũ, Bellagarda nomine, quod reddiderat se hostibus nostris, & etiam ipsam publicam stratam poterat plurimum infestare: ideoque de nobilium nostrorum consilio divertim' ad castrum illud, quo statim capto, ibi quievimus nocte illa. In crastino summo diluculo audita missa, exivimus à castro illo, Bellicadrum properantes. Ibant autem nostri parati ad bellum, tribus aciebus dispositis, in nomine Trinitatis. Venientes autem nostri ante castrum Bellicadri, invenimus infinitam hominum multitudinem, qui milites & seruientes nostros in castri munitione obsessos tenebant: sed cum essent infiniti hostes, nostri verò respectu eorum pauci, non tamen ausi sunt exire inferiores muros castri, licet nostri ante muros diutissime stantes eos ad prælium inuitarent. Videntes nostri, quòd non exirent hostes ad dimicandum contra eos, postquam expectaverant eos, & invitauerant ad exeundum, reuersi sunt ad castrum Bellegardæ, vnde venerant, die altero reversuri. Dum autem essemus apud Bellamgardam, comes nobilis Montisfortis rediens à Francia, properansque Bellicadrũ, venit Nemausum. In crastino summo manè movit comes à Nemauso, & nos à Bellagarda: venientesque ante Bellicadrum, comes ex vna parte, & nos ex altera, ipsos obsedimus obsessores. Videns Filius quondam comitis Tholosani, quod comes Mõtisfortis obsedisset Bellicadrũ, convocauit quoscumque potuit, Avinionenses, Tarasconenses, Volobereenses, & multos alios de vicinis castellis, & gentem perfidam, gentem apostatantem. Hi enim in vnum congregati contra Deum & athletam Christi, scilicet comitem Montisfortis, obsessos nostros qui erant in munitione, quantum poterant infestabant. Non enim solummodo obsederamus Bellicadrũ, sed civitates & castella supradicta, imò prouinciam fere totã. Fecerant autem hostes circa munitionem à parte exteriori murum & fossatum, ne nostri ad munitionem accedere possent. Ipsam præterea munitionem cum machinis, quæ dicuntur petrariæ, acriter infestabant; crebros præterea & duros insultus nostris, qui erant in munitione, faciebant; sed nostri se viriliter ac mirabiliter defendebant, & ex eis plurimos occidebant. Fecerunt hostes arietem miræ magnitudinis, quem applicãtes ad murum munitionis, ipsum murum fortiter concutiebant, Nostri verò, per miræ probitatis & subtilitatis artificia, ita impediebant ictus arietis, quod in nullo, vel in modico debilitauerũt murum. Fecerunt etiam adversarij multas & alias multimodas machinas, sed nostri obsessi omnes combusserunt. Comes autem nobilis Montisfortis cum multo discrimine & expensis foris tenebat obsidionem: tota quippe terra in circuitu corruperat viam suam. Non enim poteramus habere victualia ad opus exercitus, nisi à villa S. Ægidij, & à Nemauso. Oportebat etiam, quod quando volebamus habere victualia à duabus villis, mitterentur milites, qui armati conducerent eos, qui victualia deferebant. Oportebat insuper, quòd sine intermissione, tam die quàm nocte, tertia pars militũ exercitus armata esset; tum quia timebatur, ne hostes subitò in exercitum irruerent insperati, quod tamen nunquã ausi sunt attentare; tum propter machinas custodiendas. Parari etiam fecerat comes nobilis petrariam, quæ jaciebat ad primum murum burgi. Non enim poterat habere plures machinas, quia non habebat milites, qui traherent eas: paucissimos habebat milites indigenas, & illi tepidi erant, & trepidi & in modico, vel in nullo, exercitui Christi proficientes. Illi verò qui erant à parte aduersa, animosi erant & audaces. Nec silendum, quòd quando hostes aliquos de nostris capere poterant, siue clerici essent, siue laici, morte turpissima condẽnabant. Postquã enim suspenderant eos, alios occidebãt, alios mẽbris truncabant. O bellũ ignobile! ô cõfusa victoria! Quadã die ceperunt quẽdam militẽ de nostris, captum occiderunt, occisum suspenderũt, suspenso manus & pedes abstulerunt. O crudelitas inaudita! Pedes insuper militis quos absciderãt, projecerunt in munitionem cum mãgonello; vt ita terrerent, & irritarent obsessos nostros. Interea Raimondus quondam comes Tholosæ, discurrebat per Cathaloniam & Arragoniam, adunando quos poterat milites, vt eorum auxilio intraret terram nostram, & occuparet Tholosam. Ciues autem Tholosani nequam & infideles, parati erant eum recipere, si veniret. Insuper obsessis nostris, qui erant in Bellicadro, victualia defecerunt; nunquam enim possent eos capere hostes, si ad sustentationem solummodo haberent victum. Significata est comiti nostro suorum inopia obsessorum; qui in multa anxietate positus, quid ageret nesciebat. Nec enim suos obsessos poterat liberare, nec vlla ratione volebat expositos morti dimittere. Tholosana insuper civitas, & aliæ terræ quas tenebat, erant in summo perditionis periculo. His omnibus diligenter consideratis, laborare cœpit comes nobilis & fidelis, quomodo obsessos suos liberare posset, & habere. Quid plura? Loquantur nostri per interpositas personas cum hostibus; fit talis dispositio, ne expositionem dicamus. Ordinatur, quod obsessi nostri dimitterent hostibus munitionem Bellicadri; ita quòd dimitterent eos aduersarij exire cum suppellectili sua tota: factumque est ita. Si quis autem consideret hujus obsidionis circumstantias, licet nobilis comes de captione Bellicadri non habuerit victoriam; tamen fidelis nobilitatis, & nobilissimæ fidelitatis insignia reportauit. Recedens nobilis comes cum suis ab obsidione Bellicadri, venit Nemausum: ibique dimittens equites, qui custodientes ciuitatem, etiã discurrerent per terrã, ipse properauit Tholosam. Quod audiens Raimundus quondam comes Tholosæ, qui & ipse veniebat ad occupandam Tholosam, confusus aufugit. Accedens comes Tholosam, præmisit

Militũ Catholicorum pietas.

Immanitas hæreticorũ.

Bellicadrũ hostibus necessitate traditur.

quosdam de militibus suis in ciuitatē. Ciues autem perfidi, & ad proditionem parati, cœperunt illos, & in vna domo tenuerunt inclusos. Quod audiens comes, iratus & miratus est valde: videnfque quod Tholosani vellent resistere, fecit ignem apponi in parte ciuitatis. Ciues autem fugerunt in burgū, adhuc volentes resistere: sed videntes quòd comes vellet eos aggredi per insultum, timore ducti, exposuerunt se & ciuitatē ejus per omnia voluntati. Comes verò muros & turres ciuitatis funditus euerti fecit: insuper & de ciuib.* ob sides habuit, quos in castris suis posuit custodiēdos. Interea homines S. Ægidij apostatæ & infideles, receperunt in villā suam filiū quondam comitis Tholosæ, contra abbatis & monachorum voluntatem. Quod videntes ipse abbas & monachi, extrahentes de ecclesia corp.* Christi, de villa nudis pedibus exierunt; villam ipsam interdicto & anathemati supponentes. Peractis comes nobilis apud Tholosam aliquantis diebus, iuit in Vasconiam: ibique contractū est matrimonium inter Guidonem fratrē ipsius comitis, qui erat secundus natu, & Comitissam Bigorræ: & post paucos dies, comes rediit Tholosam.

Apostasia ciuium S. Ægidij.

Caput LXXXIV.

Obsidio Montis Grenarij.

EO tempore, ille negotij Iesu Christi hostis antiquus, & persecutor indefessus, comes Fuxi, mandatis summi Pōtificis & generalis Cōcilij secū di, super pace vel saltē treugis per quindenium obseruandis veniens ex adverso, munitionem quamdam extruxerat prope Fuxum, quę Mons-Grenarius dicebatur. Erat autē dicta munitio in altissimi summitate montis fundata: & quantum ad humanā æstimationem non solùm inexpugnabilis, sed quasi inaccessibilis videbatur. Ibi habitabant perturbatores pacis, & fidei subversores: ibi hostes Ecclesiæ habebant refugiū & recursum. Audiens comes Montis-fortis, quòd per munitionem sępedictam damna multa & grauia prouenirent; quòd nisi festinanter periculo occurreret imminenti, dānificari posset incomparabiliter negotium Iesu Christi: obsidere proposuit munitionem sæpius nominatam. Anno igitur Verbi incarnati 1216. 8. Idus Febr. Montem-Grenarium obsedit comes fortissimus Montisfortis. Erat autē in munitione illa Rogerius Bernardi, filius comitis Fuxēsis, non degenerans ab iniquitate paterna; plures erant milites, & servientes cum eo. Non enim credebat, quòd aliquis mortalium Montemgrenariū non solùm capere posset; sed etiā tali tempore obsidere auderet. Sicut enim diximus, in montanis altissimis & frigidissimis situs erat: hiems adhuc erat, quæ in locis illis solet asperiùs dominari. Sed fortissimus comes fidens in illo, qui aquis & ventis imperat, & cum tentationibus dat proventum: non veritus ventorum turbinem, non asperitatem nivium, non pluviæ abundantiam expavescens: in luto & frigore obsidionem firmans, castrum obsessum cœpit fortiter impugnare, illi de castro se defendere toto nisu. Et quia omnes hujus obsidionis difficultates & argutias vix possemus per ordinem enarrare: istud breviter dicimus, quòd totus illius obsidionis status non tā labor, quàm martyrium debeat appellari. Post multos autem dies obsessis aqua defecit; & deficientibus etiam victualibus, defecit eis animus resistendi. Obsessores autē nostri, licet cum difficultate maxima, ita die noctuque omnes aditus obstruebant, quòd obsessi nec victualia inferre poterant in castrum, nec audebant descendere ad hauriendam aquam. His afflicti angustijs, loquūtur de redditione castri: verumtamen nostri non plenè sciebant statum eorum, vnde faciliùs petitioni eorum assenserunt. Modus autem redditionis, quem adversarij offerebant, talis erat. Offerebant, quòd redderent comiti castrum, dummodo permitterētur abire cū armis suis. Exit de castro Rogerius Bernardi cum suis. Iurauit autem comiti, quòd per vnum annum non faceret ei guerram: quod juramentum quàm malè seruauerit, in sequentibus ostendemus. Redditū est castrum in vigilia Dominicę Resurrectionis. Statim comes nobilis castrum seruientibus muniuit, & post hæc perrexit Carcassonam. Erant autem castra quædā in diœcesi Narbonensi, & prope Termas, in quibus habitabant ruptarij: qui peccatis exigentibus fuerant de terris suis expulsi. Iuit comes ad partes illas, & ex castris illis quædam vi cœpit, quædam sine conditione aliqua reddiderunt. His rite gestis, perrexit comes nobilis versus partes Provinciæ, ad diœcesim videlicet Nemausensē. Villa siquidem S. Ægidij, inito mortis fœdere cum Auinionensibus & Bellicadrēsibus, plura castra dictæ diœcesis, ipso anno recedentes à Deo & Ecclesia, reddiderant Raimundo filio Raimūdi quondam comitis Tholosani. Cùm verò comes nobilis causa peregrinationis, & de voluntate Abbatis, qui habet plenum dominiū in dicta villa, ad villam S. Ægidij peruenisset, non est admissus ab hominibus ejusdē villæ: sed appellantes ad D. B. Cardinalem, portas villæ clauserunt. Sed comes noster, sicut vir humilis & deuotus, appellationi deferens, inde recessit. Venerat enim in Prouincia ipso tempore M. Bertrandus, tituli SS. Ioannis & Pauli presbyter Cardinalis, Apostol. sedis legatus, vir multæ scientiæ, & probitatis immensæ: missus à summo Pontifice, vt in prouincia Viennensi, Arelatensi, Aquensi, Ebredunensi, Narbonensi, quæ pacis sunt & fidei ordinaret. Erat autē trans Rhodanum in Arausica* ciuitate. Ciues autē Auinionenses, & Massilienses, & homines villæ S. Ægidij, & Bellicadrenses, & Tarrasconenses, dati in reprobū sensum, & versi in apostasiam, obedire nolebāt. Interea comes nobilis Montisfortis castra quæ apostataverant ipso anno, sicut prædiximus, in diœcesi Nemausensi, fortiter impugnabat. Venerant autem in ejus auxilium, Girardus Bituricēsis archiepiscopus, & & Robertus Claromontensis episcopus, viri potentes: qui anno præcedenti crucē assumpserant contra turbatores pacis, & fidei subversores. Venerunt autem cum eis milites, & seruientes quam plures: quorum auxilio suffultus comes, obsedit quoddam castrū, prope villam S. Ægidij, quod Postquarię nuncupatur: quo capto in breui, obsedit aliud castrum, quod Brimicium appellatur; quod viriliter impugnans, potenter expugnauit: multosque de hominibus castri, pro meritis, patibulis suspendit. Quæ res apostatas omnes de terra illa adeo perterruit; quòd dati in stuporem, castra omnia in quibus habitabant, fugientes à facie comitis, vacua dimiserunt. In tota enim terra illa citra Rhodanum vix remansit, qui resisteret comiti, præter villam S. Ægidij, & Bellicadrū, & aliæ munitiones paucissimæ. His gestis, descendit comes versus villam super Rodanum, quę dicitur

Mons grenarius inexpugnabilis videbatur.

Montis grenarij deditio.

Impij appellant ad Cardinalē Beneuentanū.

* Orenge.

dicitur Portus S. Saturnini. Cardinalis autem transivit Rodanum versùs Vivariam civitatem: volens videre comitem, & cum eo habere colloquium super negotio Iesu Christi. Non enim erat liber transitus in aliquo viciniori loco per Rhodanum: quòd Avinionenses, & alij hostes fidei impedirent propositũ & conatum: qui, sicut ipse conquerebatur, eum quodãmodo obsessum tenuerant in Arausica civitate, & venit ad S. Saturninum: vbi inter alias injurias, quas fecerunt ipsi legato inimici fidei & pacis, hæc fuit nõ modica, quòd cùm ipse legatus sederet cùm multis clericis & laicis in aspectu Rhodani, subitò inimici Dei, qui portum munierant, in personam legati septem & octo emiserunt quarellos, Deo ipsum conservante illæsũ. Tamen tractarius Papæ, qui ibi aderat, vulneratus est. Comes autem cum exultatione & festinatione maxima venit illuc ad legatum. Quantum autem honorem exhibuit Comes Christianissimus Cardinali, non esset facile explicare. Circa idem tempus, Archiepiscopus Bituricensis, & Episcopus Claromontensis, peracto suæ peregrinationis termino, videlicet 40. dierum, ad propria remearunt: comes verò noster turrem Draconeti fortissimã, super ripam Rodani sitam, obsedit viriliter, cepit, & funditus dissipauit: captis illis omnibus qui intus erant, & vinculis mancipatis. Ad hoc autem turris facta fuerat, vt esset spelunca latronum, peregrinos & alios spoliantium, tam per terram, quàm per Rodanum transeuntes. Post hæc omnia, fuit Cardinalis consilium & voluntas, vt nobilis comes transiret Rodanum, & in Provinciæ partibus, pacis compesceret turbatores. Raimundus enim filius quondam comitis Tholosani, & Ademarus Pictauensis, & complices eorundem, negotium pacis & fidei in partibus illis totis nisibus perturbabât. Obedivit comes nobilis Cardinali, & fecit sibi parari apud Viuariam naviculas, vt Rodanũ transiret. Quod audientes adversarij ipsius, convenerunt in vnũ per terram, vt ei transitum impedirent. Sed & Avinionenses venientes per Rodanum cum navibus valde munitis, proposuerunt comiti transitum prohibere. Sed cùm paucissimos de militibus comitis transire viderent, divino miraculo versi in timorem, fugæ præsidia quæsierunt: sed & omnes, qui de terra illa adhærebant adversarijs comitis, tantus terror inuasit, quòd castra multa & fortia dimiserunt. Transijt igitur comes nobilis cum suis, & venit ad castrũ, quod dicitur Montilium. Cardinalis autem transivit cum eo, de cujus voluntate & mandato comes omnia faciebat. Guitaldus autem Ademari, qui erat dominus Montilij pro majori parte, erat cum adversarijs comitis, cum esset ligius homo D. Papæ; nec requisitus voluit dictum castrum reddere Cardinali, quod receptaculum fecerat hæreticorum. Sed homines de castro receperunt comitem: quidam enim miles, consanguineus dicti Guitaldi, qui erat alter dominus Montilij, adhærebat, & semper adhæserat comiti. Peractis comes apud Montilium paucis diebus, perrexit ad obsidendum quoddam castrũ in diœcesi Valentina, quod dicitur Cresta, & erat Ademari Pictavensis. Ademarus autem, sicut jam dixim⁹, adversabatur comiti Montisfortis, & multũ persecutus fuerat episcopum Valentinum: civitas enim Valentia adhærebat, & semper adhæserat comiti memorato, Veniens comes ad castrum Cristæ, obsedit illud. Erat castrum nobilissimum & fortissimum, & militibus & servientibus bene munitum. Firmata obsidione, cœpit comes castrũ fortiter impugnare, obsessi defendere se pro viribus, Erant autem cum comite plures de Episcopis illius terræ, & milites Francigenæ, quos Rex ei Philippus per sex menses serviturós miserat, ferme centum. Et dum esset comes in obsidione illa, tentatũ fuit de compositione & pace facienda, inter comitem, & Ademarum Pictavẽsem. Post multa autem verba longumque tractatum, firmata est compositio inter comitem & dictum Ademarum; promissumque est ab vtroque firmiter, quòd filius Ademari haberet filiam comitis in vxorem. Tradidit etiam Ademarus quædam castra, pro securitate, quòd de cætero comitem nullatenus impugnaret. Quidam præterea nobilis de terra illa, nomine Draconetus, qui anno præterito recesserat à comite, reddidit se ei. Facta est insuper cõpositio & pax, inter Episcopum Valentiæ, & sæpedictum Ademarum. Dum igitur Dominus Iesus negotium suum ita miracolosè in partibus illis promoveret; antiqu⁹ hostis videns impedire voluit, quod doluit promoueri. Eisdem siquidem diebus ciues Tholosani, imò dicamus meliùs, Dolosani, instinctu diabolico agitati, apostatantes à Deo, & ab ecclesia, & recedentes à comite Montisfortis, receperunt in civitatem suam Raimundum quondã comitem, & dominum suum: qui meritis exigentibus, ex hæredat⁹ fuerat auctoritate summi Pontificis, imò generalis Concilij Lateranensis secundi. Nobilis autem Comitissa, vxor comitis Montisfortis, & vxores Guidonis fratris sui, & Almarici, & Guidonis filiorum; & multi filij & filiæ, tam comitis, quàm fratris sui, erant in munitione Tholosæ, quæ dicitur castrum Narbonense. Statim dictus Raimundus, & Rogerius Bernardi filius comitis Fuxi, & quidam alij, qui cum eo venerant, civesque Tholosæ, cœperunt die noctuque munire Tholosam multis repagulis & fossatis. Audito nuncio de proditione Tolosæ, Guido de Mõteforti frater comitis, & Guido filius ejusdem comitis, & plures milites cum eis, quos comes dimiserat in partib⁹ Carcassonę, vt custodirent terram, cum festinatione perrexerunt Tholosam, & miserunt se in munitionem prædictam, vbi erat Comitissa in domibus forinsecus, ne adversarij à parte exteriori obsiderent munitionem.

Hæreticorũ in Legatum Pôt. injuria

Infidelis terror à Deo inuadit.

CAPUT LXXXV.

Secunda Tholosæ obsidio.

AVdiens comes nobilis apostatasse Tholosã, transijt Rodanum & redijt festinanter. Cardinalis autem transiuit cum eo. Venientes igitur Tholosam Cardinalis & comes, obsederunt eam an. 1217. Erat enim civitas maxima & populosa valde, & ruptarij & * faidici, & multi alij, qui antea inimici erant oculti comitis Montisfortis, se receperunt in eam; vt eam defenderent, contra Deum, comitem, & ecclesiam sanctam: pro qua comes nobilis totis viribus laborabat. In dicta enim proditione multa castra, multique nobiles circa Tholosam, consenserãt, Valentiam loco & tempore promittentes. Cùm autem comes nobilis venisset cum suis ad fossata Tholosæ, volens per insultum capere civitatem, repulsus est à ciuibus violenter; fixitque sua tẽtoria juxta castrum Narbonense. Sed cùm Tholosa obsideri cum effectu non posset, nisi vltra

Tholosa civitas maxima.

** Fortè faidici.*

fluvium Garonam, qui à parte Vaſconiæ Tholoſam vallabat, eſſet exercitus, qui exitum Tholoſanis defenderet, qui per duos pontes ſuper ipſũ fluvium eiſdem patebat: tranſiuit vltrà comes cum multis, multis etiam citrà dimiſſis cum filio ſuo Almarico. Fuit illic comes nobilis aliquantis diebus; tandem intelligens, quòd exercitus Almarici non eſſet ſufficiens ad reſiſtendum inimicis, tranſiuit fluvium: vt de duobus invalidis, vnus fieret exercitus validus & ſecurus. Sed miraculum, quod Deus fecit in ipſo tranſitu, non omittemus: vt ſemper & in omnibus magnificetur Deus. Dum enim ipſe comes Montisfortis, totus armatus, & in equo armato, navem intrare vellet, in flumen cecidit, vbi aqua profundiſſima cernebatur: qui cùm non appareret, timor & tremor, & planctus nimi⁹ noſtros tenuit vniverſos. Rachel plorat filium, infernus doloſè exvltans vlulat, noſtros appellat orphanos viuo patre. Sed qui ad preces Eliæ * ſecurim in aqua ſupernatare voluit, noſtrum de aquæ abyſſo levanit principem, manus conjunctas ad cœlum devotiſſimè extendentem: quem noſtri de navigio cum gaudio ſuſcipiunt, & ſanctæ matri eccleſiæ ſervant incolumem, pro qua ſe opponebat obicem dictus comes. O ineffabilis clementia ſalvatoris! Interim Tholoſani machinas multas petrarias, & Mangonellos erigunt, vt & caſtrũ Narbonenſe præcipitent, & Bertrandum Cardi nalẽ apoſt. ſedis legatum lapidibus obruerẽt, & ejus ſocios; & in eo Romanam eccleſiam lapidarent. O quoties dictus Cardinalis mori ibidem timuit! qui tanquam vir providus, pro negotio Ieſu Chiſti viuere minimè recuſauit. Eodem tempore comes nobilis hoſtagia ab hominibus de Montealbano accepit: eoquod ſuſpecti habebantur, ne cum Tholoſanis fraudem facerent contra pacem. Mel enim illi portabant in ore, ſed fel conceptum geſtabant in corde. Quod comparuit ex pòſt facto: quia cum Seneſchallus Aginnenſis ex parte comitis Montisfortis, & epiſcopus Lectorenſis veniſſent Montemalbanũ, & nocte illa dormiſſent ſecurè, ecce illi de Montealbano Tholoſam miſerant, vt Raimundus quondam comes cum Tholoſanuis ad caſtrum accederent: & eis Seneſchallum tedderent, & ſocios interficerẽt vniuerſos. Qui Raimundus, quingentos præmiſit armatos, qui in illa eadem nocte intrantes caſtrum, prope enim erat Tholoſam, cum conſilio illorum de caſtro, qui erant ad tria millia & amplius, plateas obſtaculis munierunt, & ad oſtia domorum, vbi Seneſchallus & ejus jacebant ſocij, armatos pro cuſtodibus poſuerunt, ne illi evaderent: nihilominus ligna plurima oſtijs apponentes, vt ſi aliter capi non poſſent, igne penitus conſumerentur. Quo facto exclamant Tholoſani, clangunt buccinæ, fit metus & ſtrepitus magnus, ſurgunt Francigenæ ſõnolenti & ſtupidi, non de viribus confidentes, ſed de ſolo Dei adjutorio præſumentes: armant ſe ſubitò, & licet diſperſi per caſtrũ, omnes tangit vna voluntas, vna fides in domino, vna ſpes triumphandi: exeunt de domibus inuitis hoſtibus, in quos more leonis irruunt impatientes. Hoſtes fugiunt, quidam in laqueos incidũt quos fecerunt, quidam de muris ſe præcipitant, licet à nemine fugarentur. Omnia ferè mobilia noſtri capiunt, cetera incendio conſumuntur.

* *Legendũ* Eliſæi *4. Reg. c. 6.*

CAPUT LXXXVI.

Tholoſani obſeſſi in obſeſſores impetum faciunt Nobilis comes à Monteforti, poſtridiè natiuit. S. Ioan. Bapt. interimitur.

CVm comes nobilis in obſidione Toloſæ jã peregiſſet circiter novem menſes; quadam die, videlicet in craſtino B. Ioannis Baptiſtæ, illi qui erant in Tholoſa ſummo ſe diluculo munierunt; vt dormientibus adhuc quibuſdam de noſtris, quibuſdam in audienda celebratione divinorum intentis, ipſi ſolita fraude, & inolita malignitate inſultum in nos facerent repentinum: & vt acriùs improviſos impeterẽt, vt vexarent crudeliùs inimicos, ordinaverunt machinarum cuſtodiæ deputatos, quòd quædam pars irrueret in noſtros; alij ex alia parte in exercitum inſilirent: quatenus noſtri, ſicut diximus immuniti, à parte duplici pugnaturi, ad obviandũ hoſtibus minùs eſſent habiles, & ad ſufferendum inſultum minùs fortes. Nuntiatum eſt comiti, quòd hoſtes ſui ſe armaverant, & infra munitionẽ ſuam juxta foſſam latebant: comes verò audiebat Matutinas, quo audito rumore, ſua juſſit arma parari: quibus indutus vir Chriſtianiſſimus, ad Eccleſiam auditurus Miſſam cum feſtinatione perrexit. Factum eſt autem cùm eſſet in Eccleſia, & Miſſa jam incœpta oraret attentiſſimè vir devotus, ecce multitudo maxima Tholoſanorũ per meatus occultos à foſſatis ſuis egreſſi, elevatis vexillis, cum maximo ſtrepitu & clangore in noſtros, qui prope foſſatum cuſtodiebant machinas, irruerunt: alij verò ex altera parte egreſſi, versùs exercitum acies direxerunt. Factus eſt clamor in exercitu, noſtri ſe quàm citiùs munierunt: verùm antequã noſtri eſſent armati, illi pauci à noſtris, qui ſicut diximus, machinarum & exercitus erant cuſtodiæ deputati, contra inimicos dimicantes, tot & tanta perſecutionum vulnerum diſcrimina ſunt perpeſſi, quòd non poſſet de facili æſtimari. In ipſo autem hoſtium egreſſu, venit nuncius ad comitem, qui Miſſam, ſicut diximus, audiebat, ſollicitans eum, vt ſuis ſuccurreret indilatè. Cui vir devotus, ſine, inquit, divina audire myſteria, & redemptionis noſtræ priùs cernere ſacramentum. Adhuc eo loquente, venit alter nuncius dicens; feſtinate, ingrauatum eſt bellum, nec noſtri poſſunt diutius ſuſtinere. Ad quæ vir Chriſtianiſſimus, non exibo, niſi priùs meum videro redemptorem. Cùm autem ſacerdos ſacræ conſecrationis hoſtiam elevaret ex more, vir devotiſſimus flexis in terram genibus, ſed manibus elevatis in cœlum. *Nunc dimittis*, inquit, *ſervum tuum domine, ſecundum verbum tuum in pace, quia viderunt oculi mei ſalutare tuum.* Et addidit, eamus, & ſi opportuerit moriamur pro illo, qui pro nobis dignatus eſt mori. His dictis, vir invictiſſimus ad pugnam properavit. Ingravabatur autem bellum vtrimque, pluresque hinc & inibi vulnerati fuerant, & interfecti; ſed adveniente milite Ieſu Chriſti, noſtris audacia & viribus duplicatis, adverſarij omnes repulſi ſunt; & vſque ad foſſata, à noſtris viriliter ſunt retruſi. Retrahentes ſe comes & qui cum eo erant aliquantulum, propter grandinem lapidum, & intolerabilem ruinam ſagittarum, ſteterunt ante machinas cledis ante ſe poſitis, quibus ſe tuerentur à lapidibus & ſagittis: jaciebãt ſiquidem hoſtes ſuper noſtros creberrimos lapides cum duobus trabuchetis, mangonello, & pluribus mataſundis. Vnde illud quod ſequitur, quis ſcribere

Vox Montfortij mox morituri.

vel audite; quis, inquam, illud sine dolore poterit recitare, quis sine singultibus audire: quis inquam non resolvatur & penitus liquefiat, audiens contritam pauperum vitam? Omnia quippe sunt ipso occumbente contrita, ipso moriente mortua: ipse enim erat mœstorum consolatio, ipse debilium fortitudo, ipse in afflictione refrigerium, ipse refugium miserorum. Ideo lacrymabile propositum exequimur. Dum stat et comes fortissimus, sicut jam dictum est, cum suis ante machinas suas, ne hostes denuo exirent, ad sæpedictas machinas diruendas; ecce lapis mangonello aduersariorum proiectus, percussit in capite militem Iesu Christi. Qui ictu lethali recepto, pectus suum bis percutiens, Deoque & B. Virgini se commendans, mortem imitatus B. Stephani, & ipsius lapidatus in vrbe, cum ipso in domino obdormivit. Nec silendum, quòd iste fortissimus miles domini; imò, ne fallamur, gloriosissimus martyr Christi, postquam ex ictu lapidis vulnus excepisset lethale, quinque à sagittarijs vulnera receperat ad similitudinem saluatoris; pro quo mortem patienter sustinuit, cum quo post mortem, vt credim⁹, fœliciter gloriatur & vivit. Cui successit filius suus primogenitus Almaricus, juvenis bonus & strenuus, imitator per omnia bonitatis & strenuitatis paternæ: cui milites omnes Francigenæ, quibus terras dederat, ipsi sacramentum fidelitatis, & hominium præstiterunt. Post paucos autem dies, videns novus comes, quòd non posset diutius in Tholosa obsidionem tenere: tum quia audita morte comitis, multi de indigenis apostatæ pessimi recedebant ab eo & Ecclesia, imò Christi hostibus se jungebant; tum quia exhaustus erat sumptibus, & victualia exercitui deficiebant, ac peregrini in terram suam redire volebant: ab obsidione recessit, castrum resignans, quod tenere non poterat, Narbonense: & corpus primùm apud Carcassonam curatum, more gallico exportavit.

Monforti j mors.

Explicit historia, de factis & triumphis memorabilibus nobilis viri Domini Simonis Comitis de Monte-forti.

Litera Domini Innocentij Papæ III. pro nobili viro ac strenuo, domino Simone comite Montis-fortis, de negotijs conquestæ, in monasterio Prulian Bullata.

INnocentius Episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus, Antissiodorensi & Aurelianensi Episcopis, & dilecto filio Decano Altissiodorensi, salutem, & apostolicā benedictionē. Porrecta nobis dilecti filij nobilis viri Simonis comitis de Monteforti petitio continebat: quòd cùm principes, qui adversus perfidos Albigeos prælium Domini præliantes Carcassonā expugnaverunt, pecuniam, & alia quæ inventa fuerunt ibidem, sustentationi ejusdem comitis, & aliorum secum remanentiū deputassent: quidam ad ea fideliter observanda, præstito juramento fuerunt electi, qui ad valentiam quinque milium librarum, de illis surripere presumpserunt: quapropter tam à legatis nostris, quàm ab ipsis Episcopis, qui fuerunt cum ipsis, sententiā meruerunt excommunicationis astringi. Ideoq; discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatinus sententiam ipsam rationabiliter promulgatam, vsque ad satisfactionem idoneā, faciatis appellatione remota, firmiter observari. Quòd si non omnes his exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exequantur. Datum Laterani, 5. Id. Novemb. pontificatus nostri anno. 12.

Aliud ejusdem Innocentij Papæ diploma.

INnocentius Episcopus servus servorum Dei, dilecto filio nobili viro A. & civibus Narbonensibus, salutem, & apostolicā benedictionem. Gloriantes hactenus in malitia, & in sua iniquitate potentes, destruere tandem incipiens manus Dei, miraculosè jam fecit eos de suis tabernaculis emigrare; dum eo terram populi sui misericorditer emundante, pestis hæreticæ pravitatis, quæ serpens vt cancer, provinciam pene totam infecerat, mortificata depellitur; captisque in potētissima manu sua numerosis castris, & civitatib⁹, quas per possessos à se diabolus habitabat, in locis expulsorum hæreticorum Spiritui paracleto per repletos ab ipso sanctum habitaculum præparatur. Super quo laudes & gratias omnipotenti Deo referimus; qui in vna eademque misericordiæ suæ causa, duo dignatus est justitiæ opera exercere; ita perfidis faciendo dignam supervenire perniciem, vt quàm multi fideles meritam ex ipsorum assequerentur exterminatione mercedem, cùm & si eos in solo spiritu oris sui potuisset quandocumque conterere, suorum tamen exercitui signatorum in illorum contritione dignatus sit salutis causam; imò salvationis occasionem præbere. Quo nuper sub nostrorū magisterio legatorum de ipsis mirabiliter triumphante, dilectus filius nobilis vir Simon de Monteforti, vir vtique strenuus & catholicus, terræ à quib⁹ illi depulsi sunt, provida est deliberatione præfect⁹, vt per providentiā ejus in his quę gesta sunt vel gerenda, negotium pacis & fidei, possit ibidem efficacius promoveri. Quia igitur & si tantæ pietatis negotia prosperè vsque processerint, sine tamen adhuc non sunt necessario solidata, vniversitatem vestram rogandam duximus attentiùs & monendam; in remissionem vobis peccaminum injungentes, quatinus ad reliquias huius pestis penitus extirpandas, ad similitudinē hydræ, quæ locupletior fieri fertur damno capitum, graviùs possent, si negrectæ fuerint, reviviscere; tam per vos quàm per vestra, obsequiū Deo devotum, & auxilium opportunū ecclesiæ impendatis, scientes remissionem peccaminum à Deo, ejusque vicario vniversis indultam, qui orthodoxæ fidei zelo succensi, se ad opus accinxerint hujusmodi pietatis: vt eis labor tam sanctus ad operis satisfactionem sufficiat super istis offensis, pro quibus cordis contritionem, & oris confessionem vestrā obtulerint vero Deo. Quapropter expergiscimini boni filij, & ad palmam huius gloriosi certaminis festinate; piaque pœnitentia ducti, quòd tam fecundis ejus principijs neglexeritis interesse, felicissimi fini vestam studeatis & operam & presentiam exhibere. Quia cùm evangelicus tributor illis æqualiter retribuerit, qui novissimè venerunt in vineam, & qui primò; licet ij qui cœperunt, forsan amplius laborarint, præcedentib⁹ tamen atque sequentib⁹ par merces, pro pari devotione reddetur. Datū Laterani, Id. Novemb. Pontif. nostri anno 12.

Tertium ejusdem Innocentij diploma.

INnocentius Episcopus seruus seruorum Dei, dilectis filijs, abbatibus, & alijs Ecclesiarũ prę-latis, in partibus Narbonensibus, Biterrensibus, Carcassonensibus, Tholosanis, & Albigensibus constitutis: salutem & Apost. benedictionem. Optaveramus, vt orthodoxæ fidei subversores, qui se in partibus vestris à communione fideliũ præsciderunt, non solùm ea quæ sua dicebant, hæreticam pravitatem imitando, non perderent; sed ad puritatem catholicam redeundo, vobiscum, in charitate ac pace, quæ vestra sunt etiam possiderent: verùm quia propter impœnitens cor eorum, super iniquitates suas Dominus de cœlo prospexit, ad exterminationem suam, rerumque publicationem suarum: secundùm constitutiones ciuiles & canonicas est processum, vt, quemadmodum scriptum est, impiorum spolia justi tollant, & diuitias thesaurisent ipsorum. Licet igitur ea quæ apud vos quidã hæretici deposuisse dicuntur, sicut & aliæ res eorum, pro confiscatis sint meritò computanda, quia tamen christianæ religionis non est, ex occasione legalium præceptorũ, obtentu cupiditatis hoc fieri, quin potiùs causa debet correctionis impleri; vniuersitati vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatinus ea quæ penes vos ab hæreticis sũt deposita, nisi forsan ad hoc pręmoniti, sine dilatione curauerint ad ecclesię vnitatem redire; vt sic de miserationum Domini multitudine, sit cum eis misericorditer faciendũ; dilecto filio Simoni de Monteforti, cui terra de hujusmodi pestilentium sordibus expiata nouiter est commissa, cum consilio & mandato legatorum nostrorum, assignare ac tradere procuretis, in pios vsus pro publicis ejusdem terræ vtilitatibus expendenda. Datum Laterani, 4. Cal. Iulij, Pontif. nostri anno 13.

Sapient. 10.

Hæreticorũ deposita pios in vsus convertenda.

Literæ Simonis comitis scripta in fauorem D. Dominici, ordinis fratrum Prædicatorum Institutoris.

SImon Dei prouidentia Dux Narbonensis, comes Tholosæ & Leycestriæ, Bitteris & Carcassonę vicecomes; dilectis & fidelibus suis, Carcassonensi & Agennensi seneschallis, salutem & dilectionem. Mandamus vobis, & præcipimus, quatinus omnes res & domos carissimi nostri fratris Dominici canonici, vt propria custodiatis, & defendatis. Datum in obsidione Tholosę, Idibus, Decembris.

NOTÆ IN HISTORIAM PETRI VALLIVM SARNAY MONACHI.

AVthor ipse Monachum se fatetur Vallium Sarnay in Præfatione Operis hujus ad Innocentiũ Papam, & cap 60 vbi & nepotem Guidonis ejusdem Cœnobij Abbatis se esse dicit. An autem Cernayum scribendum sit, vt jam vsus obtinuit, an Sarnayum, vt in hac historia, non est nostrũ definire. Porrò Cernayum, siue Sarnayũ, pagus est, in cujus vallib' situm est illud Cœnobium, vnde & nomen accepit.

Pag 1. *In Prouincia Narbonensi*, &c. In hoc opere nomen *Prouincia* sępe vsurpatur vt proprium, Gallicè *Provence*: hic tamen videtur sumendum vt generale seu cõmune. Gallia enim Narbonensis continet sub se Provinciam *Provence*, vt totũ partem: & præcipuæ vrbes hæreticæ, quarum in hoc Opere fit mentio, scilicet Tholosa, Alba, seu Albia, & ipsa Narbona, in Provincia non sunt, sed in altera parte Galliæ Narbonensis, quæ appellatur Tectosages, Gallicè *Languedoc*.

Capite 2. vbi historia de filiabus hominum & filijs Dei recitatur ex Genesi, correximus vocem Apocalypsis ibi positam pro Genesi.

C. 8. in fine reposuimus *secundùm* pro *scilicet*, errore ejus, qui priorem editionem adornavit, vt opinor, olim posito: quia in quibusdam manuscriptis vtraque particula per abbreviationem simili ferè modo scribitur. Alij typographiæ sunt errores, & ejus qui eidem præfuit. vt apparet.

In fine cap. 8. mendosum locum indicavimus; cujus sensus est, Deum non egere nostro seruitio, quasi per se minùs valeat, & ideo à nobis juvandus sit; aut fatigetur, & ipsius omnipotentia sit minor, nisi accedat cooperatio hominis.

Cap. 17. ad illud, *Stalla Ecclesia destruxerunt*, D. Camuzatius notat in Gallica versione stabula ineptè positum; ipse autem diuinat, hac voce significari peristylia. Verùm hoc nomen significat locum in quo stat aliquis, vt stallum fori, seu macelli: stalla autem Ecclesiæ sunt structuræ ligneæ in choro, in quibus stant clerici, & aliquãdo sedent: ideo sedilia etiam appellantur. De ijs Thesaurus linguarum Hispan. Gallic. & Italicæ, in voce Italica *Stallo*, hæc habet. *Stallo. Fior. lo stare, luogo doue si sta. lieu ou on demeure, posada, Chiamasi stallo oggi il luogo del Canonico in Choro, e lo dicono* latinè *Stallum*. Hæc Thesaurus.

Cap. 19. *Talem decebat Dominum exercituũ*, &c. Reposui vocem *Domini*: sensus enim loci illius est, Decuisse, vt Monfortius imperaret exercitui Dei, qui est Dominus exercituum. Ibidem paulò pòst, *A Christo si monte non* pro *à Christo monte Simon*. Sensus enim iste est clarus, ille nullus

Quod eodem cap. narrat Author de Venetorum excommunicatione carpit Camuzatius, eique Villarduinũ opponit. Verùm D. Spondanus ad annũ 1201. hanc assertionẽ Authoris nostri demonstrat, tum ex alijs Scriptoribus, & ex ipso Villarduino; tũ ex Actis & Epistolis Innocentij 3. Advertit quoque Scriptores Venetos rem tantam tacuisse; verecundiã, inquit, vt par est credere, fœditatis suæ. Addit idẽ Spondanus, *Quem* sc. Petrum nostrum, *non reprehendisset, qui ejus historiam edidit* Camuzatius, *si vel Acta Innocentij, vel Epistolas, vel etiam Villarduinum, aut Güntherum easdem excommunicationes, &c. attestantes vidisset.* Malè itaque arguitur hoc loco Author.

Plurima passim menda à nobis correcta omittimus hic commemorare.

OPERA B. HELINANDI MONACHI FRIGIDIMONTIS ORDINIS CISTERCIENCIS.

HELINANDVS *Frigidi-Montis olim Monachus, Hermanno nobili Flandro, sed in Galliam profugo, genitus est, vt ipsemet innuit ad annum* 1127 *& causam declarat Caroli Flandriæ Comitis necem, à Rege Galliæ vindicatam: qua vindicta multi innocentes qui non rapuerant exsolverunt* Inter quos, *inquit*, fuerunt pater meus Hermannus, & frater ejus Ellebaudus: qui pueri nobiles & pulcherrimi, magnis hereditatibus perditis, de Flandrijs in Franciã aufugerunt. *Edidit hic Author Chronicon ingens ab initio mundi vsque ad annum* 1204.*: cujus solùm superest vltima pars, jamque suo tempore dissipatum fuisse hoc opus tradit Vincentius Belvacensis lib.* 29. *Speculi Historialis cap.* 108. *vbi & Authorẽ asserit commodasse D. Garino Silvanectensi Episcopo quaterniones aliquot, quos amiserit. Scripsit item Epistolam, cui titulus est*, De reparatione lapsi, *ad Galterum quemdam, qui in Ordine Cisterciensi, & pòst in Præmonstratensi nouitius fuerat: scripsit autem illam nomine Guillelmi monachi, fratris ejusdem Galteri. Scripsit item Sermones aliquos peroptimos, inquit idem Vincentius: itẽ Martyrium S. Gereonis & sociorum, testibus Baronio ad* 10 *Octobris. & alijs. quod extat apud Surium. Denique alia multa scripsisse fertur, vt versus Gallicos* De morte, *&c. Extat Commentarius in Apocalypsin Helinandi nomen præferens: sed alius est ab isto, ejusdem tamen Ordinis Cisterciensis Religiosus. Porrò tanti fecit idem Vincentius nostri Helinandi Opera, vt ex ijs Flores selegerit, siue sententias, loco suprà citato, complectentes* 40. *capitula: quibus hanc apposuit conclusionem* Expliciunt Flores Helinãdi Monachi, viri boni, religiosi, honesti, & sancti, ac vita præcipui. *Ejus Opera, quæ in ipso Frigidimõtis Cœnobio reperimus, scilicet vltimam partem, eamque quartamdecimam dumtaxat Chronici, quod olim extitit, (in autographo enim Authoris, quo vsi sumus, hæc vltima pars incohatur à quaternione* 79. *& terminatur in* 84. *desunt itaque* 78. *& solùm supersunt* 6.*) & Sermones, ac Epistolam* De reparatione lapsi, *hic edidimus: additis Floribus prædictis, à Vincentio Belvacensi collectis.*

Hoc cœnobium est in Belvacensi diœcesi.

CHRONICHORVM HELINANDI LIBER XLV.

Ann. Christi 634.

ROMANI & Saraceni vario euentu confligunt. Osvualdus & Osvuinus successores Eduvini à Cenduvala perimuntur, apostatæ facti. Dagobertus Sclavos bello devincit.

Ann. 635.

Severinus Papa obijt 4. nonas Augusti, & cessavit Episcopatus mensibus 4 diebus 24. Postquem 74. sedit Ioannes 4. hujus nominis, natione Dalmata, ex Patre Venantio scholastico, anno 1. mensibus 9. diebus 18.

Ioannes Papa 4.

Hic misit multas pecunias per Istriam & Dalmatiam, ad captivos redimendos: fecit Ecclesiam SS. martyribus Venantio, Anastasio, & Mauro, & alijs, quorum reliquias de Dalmatijs adduci fecit. Fecit Episcopos 18. Post Ebubeher regnavit Haumar annis 12. Saracenis Syriã incursantibus, Heraclius crucem Domini ab Ierusalem Constantinopolim transtulit. Osvualdus filius Edelfridi Regis regno Nordanimbrorum suscepto Cenduvalam Regem Britonum peremit: & quia fidem Christi firmiter tenuit, super omnes Britaniæ Reges eminuit. Hic apud Scotos Christianus factus est, & quatuor linguarum gentes, Pictos, Scotos, Britones, Anglos, sub ditione accepit. Octo annis regnavit. Eo tempore cultus idolorum in Anglia ad cineres torpuit. Aidanus Episcopus, sancti Columbani discipulus, à Scotia veniens, apud Anglos claret sanctitate & doctrina. Hic quando verbum faciebat ad populum Scotica lingua, si deerat interpres, ipse Rex Osvualdus indutus veste regia, interpretis officio fungebatur. Idem ipse Rex cibos sibi propter pauperes subtrahebat,

Ann. 636.

Dagobertus Vascones bello deuicit. Ioannes Papa obijt ..idus octobris, & cessavit Episcopatus mense 1. diebus 1 , post quem 75. sedit Theodorus natione Græcus, ex patre Theodoro Episcopo de civitate Ierosolyma, annis 6. mensib. 5. diebus 15.

Theodorus Papa.

Fuit amator pauperum, largus & benignus super omnes, & multum misericors. Hujus tempore Mauritius cartularius interfectus est à militibus Isachij; cujus caput positum est in stipite in loco Ravennatis ad exemplum. Non multò pòst defunctus est Isachius, pro quo missus est Theodorus Patricius exarchus ad regendã Italiam. Tunc venit Pyrrhus ex Africa, qui fuerat Constantinopolitanus Patriarcha, ad limina Apostolorum; & obtulit libellum, in quo condemnabat, quæ à se vel à suis decessoribus scripta erant contra fidem Catholicam: quem Papa Theodorus in sedem restituit: qui postea reversus ad vomitum, & condemnatus ab eodẽ Theodoro, reversus est in Orientem. Tunc levata sunt corpora sanctorum Primi & Feliciani de arenario via Numentana, & posita in Ecclesiam beati Stephani. Fecit & oratorium sancto Eupillo martyri, deposuit Paulum Constantinopolitanum hæreticum. Fecit Episcopos 46. Saraceni capta Damasco Phenicem & Ægyptum occupant.

637.

Florebant in Francia hoc tempore tres frates, Ado, Rado, Dado, qui & Audoenus; qui singuli singula cœnobia fundaverũt: ex quibus Dado erat referendarius Dagoberti Regis. Referendarius autem dicebatur, ad quem publicæ conscriptiones referebantur, vt per eũ Regis

annulo signarentur. Hos ad hoc animarat Eligius aurifex, jamdudum in aula Regis Lotharij clarus: qui etiam ex dono Dagoberti Regis Solemniacum monasterium construxit: ubi S. Remaclus ab Aquitania veniens, se in Christi tyrocinio sub eo exercendum dedit. Sanctus autem Audoenus intra Briegensem saltum cœnobium construxit, quod Resbacus dicitur: in quo sancta Aurea claruit, quam S. Eligius monasterio Virginum Parisius à se constructo præfecit.

An. 638. Saraceni Jerusalem biennio à se obsessam capiunt. Sanctus Amandus Tungrensi Episcopatu post habito, verbi instat officio. Sub hoc sanctus Laudoaldus floruit; qui filium Apri viri illustris Lambertum à puero imbuens, in viam Dei induxit. Romaricus Abbas, & Goëricus Metensium Episcopus clarent.

639. Saraceni Syriam occupant. Iudæi in Hispania Christiani efficiuntur. Sisebutus enim Visigothorum Rex gloriosissim⁹ plurimas in Hispania provincias, & multas militiæ vrbes sibi bellando subjecit, & Iudæos in suo regno ad fidem Christi convertit. Saraceni Antiochiam capiunt.

640. Dagobertus filium suum Sigibertum Austrasijs Regem mittit, sub tutela Pipini & Chuniberti Episcopi. Sanctus Arnulphus ex majore dom⁹ Metensis Episcop⁹, & ex Episcopo solitari⁹ dormit in Christo. Hic Arnulphus, ait Petrus Damianus, pater Pipini fuit, & avus Caroli magni. Hic non procul à Flandria in Lotharingia ducatum tenebat. Qui, cùm vxoris & filiorum affectus postponens, Eremum peteret; contigit, vt per fluvium Mosellam transitum haberet. Ad cujus pontis medium veniens, vbi fluvius profundior est, ibi annulū suum sub hac fœderis cōjunctione projecit. Cùm ego, inquit, annulum hunc reperero, tunc ego proculdubio confidam me esse peccatorum meorum nexibus absolutū. Quo facto eremum petijt, vbi non parvo tempore mundo mortuus, Deo vixit. Interea defuncto Metensi Episcopo electus est; dumque esu carnium abstineret, sicut in eremo consueverat, piscis ei præsentatus est; quem cocus exenterans annulum reperit, quem lætabundus domino suo obtulit. Quem ille statim recognovit. Est autem bidui iter à ponte in quem annulus projectus fuerat, vsque ad locum in quo piscis Episcopo præsentatus est. Tunc vir Dei magis tremefactus, & arbitratus se Deo amplius debitorem, quò magis ejus bonitatem experiebatur; eligens sibi successorem, rursus eremum petijt: ibique defunctus est. Hujus filius Clodulphus pòst Metensis Episcopus, sanctitatem Patris imitatus est. Doda mater ipsius Cleodulphi Treviris inclusa est. Eadbaldo Anglorum Rege mortuo, qui regnauit annis 25, Combertus filius ejus ex Emma filia Regis Francorum susceptus regnat annis 24. vel secundum alios 15. Qui religiosus in Deum, pius in patriam, iustus in omnes, omnia templa & sacella Deorum complanavit ad solum; præcepitque per omne regnum quadragesimale jejunium observari. Hujus filia Etagota apud Kalam monasterium Galliarum sanctimonialis & sanctè vixit.

641. Saracenis Persæ iterum confligunt & vincuntur, & Hormisda rege eorum fugato Saraceni totam Persidem sibi subjugant.

642. Heraclius Imperator moritur, post quem Cōstantinus filius ejus imperat; qui quarto mense imperij sui à Martina noverca sua, & Pyrrho Patriarcha, veneno extinctus est; & Martina cum filio suo Heraclona imperium arripit. Sub quibus Cyrus Alexandriæ, Sergius & Pyrrhus regiæ vrbis Episcopi, hæresim instaurantes, vnā operationem in Christo divinitatis & humanitatis, statuunt. Beda statim post Heraclium ponit Heracleonem, cum matre sua Martina: post hos Constantinum fratrem Heraclij, quem dicit regnasse mensibus 7. Sub his autem Paulum Pyrrhi successorem aperta persecutione Catholicos partim carceribus, partim exiliis, partim verberibus affecisse. Post Constantinū dicit idem Beda Constantinū filium eius regnasse annis 28. Sisebodo Vvisigethorū Rege mortuo Suliolā regnat annis 2. Dagobertus Saxonibus contra Vuinidos sibi auxiliantibus annuum tributū quingētarū marcharū eis indulget. Heraclonas abscisso naso, & mater ej⁹ abscissa lingua exiliantur: post quos Constans qui etiā Constantini filius Constantini regnat annis 26.

643. Osvualdus Rex à Penda Merciorum Rege perimitur. Hujus dextera multarū eleemosynarū largitrix cum brachio & cute & nervis incorrupta jacet, toto reliquo corpore in cineres dissoluto. Excitata rebellione à Penda Rege merciorum, ipse Osvualdus fraternam salutem in pectore gerens, pro animabus fidelium suorum Deo supplicabat. Hujus defuncti brachia cum manibus & capite insatiabilis victoris ira desecta, & stipiti appensa sunt; brachium cum manibus, a[illegible]c inviolata durant. Quæ à fratre Osvuio apud vrbem Banbamberch composita in scrinio, monstratur pro miraculo. Caput Lindisfarni humatum à fratre, nunc Dunelmi esse dicitur, inter brachia sancti Cuthberti. Ossa reliqui corporis cùm Regina Ostricula vxor Regebredi Regis Merciorum, filia Regis Osvuij charitate patrui ducta, Bardonio monasterio suo, quod est in regione Merciorum, non longè à Lincolnia civitate inferre vellet, expulerunt eam monachi, invidentes mortuo quietem ossium; quia super eos bellico iure regnum acceperat. Sed nocte intempesta, per lucernā de cœlo super reliquias emissam, vltro petierunt, quæ ante reiecerant. Ibi ex cadenti sanguine revixit cespes, quo sanatus est sonipes, & quem affixū sinuosis anfractibus ignis intabundus effugit. Pulviculus lavatusq; reliquiarum eius mentis impotes sanat. Stipes qui innocentem cruorem susceperat, lotura sua sanitatem tribuit desperatis. Huius filius Osvuius regnavit post eum annis 27. Iudicaël rex Britonum gratiam Dagoberti sibi redimit.

644. Haudmar Ammiras templum suum in Ierusalē ædificat: & quia structura nullomodo consistere poterat, suggestione Iudæorum crucem desuper montem Oliveti tolli imperat: & tunc structura stare potuit. In Hispanijs Suitilan ob crudelitatē suam à Visigothis reprobato, Sisenandus per auxilium Dagoberti sublimatus in Regē, regnat annis 20.

645. Dagobertus Rex moritur in villa Espinensi, pago Parisiensi: sepultusq; est in basilica S. Dionysij. In quibusdam Chronicis dicitur, quòd Dagobertus obijt anno Domini 641. De quo per visionem cuidam reuelatū est, quòd anima ejus ad judicium rapta, & multis Sanctis contra eam de expoliatione ecclesiarum suarum reclamantibus, cùm eum mali Angeli vellent ad pœnas inferni rapere, interventu S. Dionysij, cui maximè devotus fuerat, liberata est. Post quem Clodovæus filius ejus regnat annis 17. Sigeberto fratre ejus jam regnante in Austria. Hujus Clo-

dovæi major dom⁹ fuit Hercanoaldus. Hic Clodovæus habuit vxorem de genere Saxonum, Bathildem nomine. Sanctus Remaclus fit Trajectensium Episcopus. Rodoaldus frater ista, & avunculus sanctæ Gertrudis, Archiepiscopus Treverensis, sanctitate & doctrina claret in eadem vrbe: soror ejus Severa Abbatissa. Post Rotharith apud Lógobardos regnat filius ejus Rodoaldus annis 5. Pipinus major dom⁹ moritur: cui succedit filius ejus Grimoaldus in aula Sigeberti regis. Persa quidam simulans se velle adorare Haudmar, infixo in ventrem ejus gladio perimit eum: post quem Hothmen regnat annis 10.

646.

647

Theodorus papa obijt 2. idus Maij: & cessavit episcopatus mensibus 5. diebus 18. Post quẽ sedit 76. Martinus de ciuitate Tudertina prouinciæ Thusciæ, annis 6. mense 1. diebus 27. Saraceni Africam occupant. Sigebertus Rex Radulpho Thoringorũ Duci bello concurrit. Sanctus Furseus in Hibernia claruit: qui pro Christo peregrinatus in Gallia, à Clodovæo Rege Dagoberti filio honorificè susceptus, Latiniacum cœnobium fundavit. Quem non multò pòst fratres sui Foillanus & Vltanus pari voto peregrinationis secuti, per Gallias claruerũt. Ex quibus Foillanus dono Gertrudis virginis Fossense monasterium postea fundavit: vbi etiam martyrio coronatus quiescit. Hic Furseus aliquando infirmatus cùm se tenebrarum caligine circũdari vidisset: quatuor manus desuper ad se extensas conspexit, tenentes illum per brachia, pennis subvolantes: erant enim sub pennis. Tertium quoque Angelum vidit armatum scuto candido, fulgore, gladio, ac claritate præcipuum. Hi tres canebãt, vno incipiente. *Ibunt Sancti de virtute in virtutẽ: videbitur Deus Deorum in Sion*: eratq; in carmine elevatio, & ad finem positio. Audiebat quoq; aliud quasi ignotum canticum multorum milliũ Angelorum, vnde pauca vix poterat intelligere. Exierunt autem obviam Christo. Tunc vnus ex supernis jussit armato præcedentique Angelo ad corpus reducere virum, suamque secũ debere deferre solicitudinem. Illis ergo redeuntibus, tunc primùm Furseus se exutum à corpore agnoscẽs, nolebat reverti, nec ab eis separari. Cui Angelus respondit: ad te completa prædicta solicitudine revertemur. A vespertina hora vsque ad gallorũ cantum mortuus fuerat. Reviviscens autem, statim petiit & accepit sanctam communionem, vixitq; infirmus illo die & altero. Media verò nocte tertia feria manibus in oratione ptensis mortuus est: viditq; tres illos Angelos, duos à lateribus, tertium armatum ad caput. Levantibus illũ Angelis, audivit vnum dæmoniorum dicentem. Antecedamus, & bella ante faciem ejus cómoveamus. Tunc cœpit diabolus subtilissimè accusare, dicens, Scriptum est. *Non solùm qui faciunt, sed etiam qui consentiunt, digni sunt morte*. Iste totiens consensit quotiens nõ restitit. Ang. Restitit cùm potuit, & cùm resistendum putavit. Diabolus. Otiosos sermones sæpe protulit. Angelus. Nisi principalia protuleris crimina, propter minima non peribit. Diabolus. Scriptum est. *Nisi remiseritis hominibus peccata eorum, nec pater vester cœlestis dimittet vobis peccata vestra*. Angelus. Vbi se vindicavit? Diabolus. Non est scriptum, si vindicetis, sed si non remiseritis de cordibus vestris. Angelus. Iudicemur ante Dominũ. Diabolus. Scriptum est. *Nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum*. Hoc iste non implevit. Angelus. Vbi superbivit? Diabolus. Non est scriptum, non superbiatis, sed *nisi conversi fueritis*, &c. Angelus. Iudicemur ante Dominum. Diabolus confusus recessit. Tunc dixit ei Angelus. Respice mundũ. Et respiciens vidit quatuor ignes in aëre aliquibus spatijs à se distantes, mendacij, cupiditatis, dissensionis, impietatis & fraudis. Vnusquisque accendit alium. Cùm ergo timeret Furseus ab illis ignibus, ait Angelus. Quod non accendisti, non ardebit in te. Tunc Angelus divisit flammã in duos muros: & vidit Fursei⁹ ex adverso quatuor dæmonia, quorum vnus dixit. *Servus qui scit voluntatem Domini sui, & non facit eam, vapulabit multis*. Angelus. Quid de voluntate Domini sui non fecit? Dæmon. Dona iniquorum recepit. Angelus. Credidit quòd egissent pœnitentiam. Dæmon. Ante debuit probare pœnitentiam & perseuerantiam, & sic suscipere. Et adjecit. Omne delictum, quod non purgatur super terram, in cœlo dixit Deus vindicandũ. Hic homo non purgavit se de hoc, nec hic vindictam recipit. Ang. Quamdiu speratur pœnitentia, hominem comitatur Dei gratia. Dæm. Non est hic locus pœnitentiæ. Angelus. Nescitis occulta Dei judicia: fortassis erit. Dæmon. Scriptum est. *Diliges proximum tuum sicut teipsum*. Angelus. Vir iste in proximos suos operatus est bona. Dæmon. Non sufficit homini, nisi sicut semetipsum eos dilexerit. Angelus. Fructus dilectionis est, bona operari. Dæmon. Sed verbum diligendo non implevit. Angelus. Iudicemur ante Dominum. Dæmon. Promisit se sæculo abrenunciare, & contra præceptum Apostoli dilexit mundum. Angelus. Non sibi soli dilexit ea quę mundi sunt, sed omnibus indigentibus. Dæmon. Qualicumque modo diligatur, contra præceptum Apostoli est, & contra sponsionem in baptismo. Angelus. Iudicemur ante Dominum. Dæmon. Scriptũ est. *Nisi annunciaveris iniquo iniquitatem suam, sanguinem ejus de manu tua requiram*. Hoc iste non fecit. Angelus. De hoc tempore scriptum est. *Prudens in tempore illo tacebit, quia tempus pessimum est*. Quando enim auditores despiciunt verbum, lingua doctoris præpeditur, dum videt quòd audita prædicatio despicitur. Dæmon. Iste tamen vsque ad mortem annuntiare debet veritatem. Angelus. Iudicemur ante Dominum. Victis dæmonibus Angeli clamabant. Nullus labor durus videri debet, nullum longum tempus, quo gloria æternitatis acquiritur. Post hæc Furseus vidit duos Episcopos Beatum & Medanũ loquentes cum eo, & credebat eos mortuos; cũque delectarentur in audiendo cœlestia carmina, ait ad Angelum. Magnum est gaudium, hæc auscultare. Cui Angelus. Hoc auditu pro mysterio dispensationis humanæ sæpe privamur; ne quod annuntiando laboramus, dæmonia corrumpendo humana corda dissipent. Tunc vidit illos duos præsules quasi à summo cœli exire, & sibi præcipere redire ad sæculum. Cùm autem transiret per ante ignes præfatos, vir vn⁹ de igne prosiliens, dæmonibus illum projicientibus super humerum ejus, maxillam suam maxillæ ejus imprimens incendit. Hic erat vir, qui moriens vestimentum suum illi donaverat. Cui Angelus. Quod incendisti, hoc arsit in te, quamvis propter animam ejus liberandam suscepisses. Prædica ergo, quòd nil substantiæ peccatoris in peccatis suis mortui suscipiendum est, nec corpus ejus in

648.

Martinus.

Psal. 83.

Rom. 1.

Mat. 18.

Ibidem.

Luc. 12.

Rom. 13.

Ezechiel 3.

Prove. 11.

sancto sepeliendum est loco. Deinde vidit in pectore suum corpus aperiri, & sic revixit. Prædicavit populis Gothorum per decem annos, prædicans in Hibernia cum paucis fratribus, per Britanniam in Saxoniam transuectus, & à Rege Sigeberto honorificè susceptus: vbi ei monasterium ædificavit, quod commendavit fratri suo Foillano, & ipse profectus est ad Vultanum eremitam fratrem suum, cum quo faciens annum vnum, ad Galliam perrexit. Ibi susceptus est à Clodovæo Rege & Patricio, & monasterium construxit in loco qui dicitur Latiniacus. Eligius Noviomensis Episcopus, & Odoenus Rothomagensis clarent, & Philibertus de Herio insula, & Richarius Pontivensis, & Geremarus Flaviacensis Abbates, & Angadrisma secus Belvacum, & Ansegisus filius sancti Arnulphi, cui Begga soror Grimoaldi nupserat. Horum Richarius natus est in villa Crintula provinciæ Pontiuæ, qui de rustico factus est vir religione notissimus. Conversus est ad magnam religionem per Caidocum sacerdotem, quem de Hibernia venientem hospitio suscepit. Vescebatur pane hordeaceo cinere commixto, & aqua lachrymis temperata: leprosos balneis fovebat, & eadem post ipsos intrabat. Prædicavit in Britannia. Equo quo vtebatur diabolus immisit insaniam, quo per orationem ejus sanato & relicto, deinceps asello vsus est. Floruit temporibus Dagoberti Regis & filiorũ ejus. Obijt 6. Calendas Maij. Vitam verò beati Eligij scripsit sanctus Audoënus. Hic Eligius natus est in territorio Lemovicæ vrbis villa Catalasensi, quæ distat à præfata vrbe circiter sex millibus. Pater eius Eucherius, mater verò Terrigia dicta est. In cuius aluo cùm ille adhuc esset, vidit mater eius in visione aquilam valde pulchram supra suum volitare fœtum, ac se tertiò inclamantem, sibique nescio quid pollicentem. Traditus est puer viro honorabili Albano fabro aurifici, qui in vrbe Lemovica publicam monetæ fiscalis gerebat officinã. Post aliquot annos relicta patria Franciam adijt; & factus est notus cuidã thesaurario Regis Clotarij, Bolboni nomine. A quo Rege accepto auro & gemmis ad vnius sellæ opificium, Eligius inde perfecit duas. Quarum vnam perfectam pri⁹ obtulit Regi, deinde alteram dicens. Quod ex auro superfuerat, ne perderetur huic operi aptavi. Ex hoc factus est honorabilis in palatio Regis. Erat autem statura prolixus, facie rubicundus, cesarie formosus, crine circilliatus, Angelici vultus, simplicis & prudẽtis aspectus. Aurato & gemmato imprimis habitu nitens, zonas habẽs comptas ex auro & gemmis, lineas metallo rutilas, *botas sarchorum auro opertas, vestimenta omnia pretiosa, pleraque holoserica; ob ostentationem fugiendam intrinsecùs ad carnem cilicium. Quæ omnia postea in egentium necessitatibus consumpsit; deinde vilibus vestibus vsus est, funiculo cinctus, plerumque propter pauperes etiam expoliatus: cui Rex tunc dabat proprium vestimentum, & cingulum: quia sicut animam suam, ita illum diligebat. Vnde & illi fecerat mansionem suæ subjunctam. Rex quoque Dagobertus pulcher & inclytus, cui in cunctis retro Francorum Regibus nullus similis fuit, ita diligebat illum, vt frequenter se ab optimatibus subtrahens, Eligium solus frequentaret: à quo quidquid Eligius postulabat, sine dilatione impetrabat; & omnia expendebat in egenos, & captivos, & debiles. A tempore autem Brunichildis Reginæ vsque ad tempora Dagoberti Simoniaca pestis in Gallia viguit: pro qua auferenda tunc solicitè invigilabant Eligius & Audoenus. Tunc electus est Ælìgius Ecclesiæ Nouiomagẽsi post Acatiũ ejusdem vrbis antistitẽ: cum quo pariter electus est Audoenus sodalis ejus ad Ecclesiam Rothomagensem. Præfuit autẽ Eligius Viromandensi metropoli, Tornacensi quoque quondam regali ciuitati, Noviomagensi quoque & Flandrensi, Gandensi, & Corturiacensi: & in vno die consecrati sunt ipse & Audoënus à Deodato Mettamẽsi Episcopo, tertio anno Clodouei junioris, die Dominico, ante letaniam. Habebat autem Eligius sequestratum statutum locum; in quo certis quibusque diebus egenos ac debiles intromittens, deuotè illis seruiebat, squalentia capita illis lauans, ac deformem cæsariem manu propria radens, potum singulis ac cibum præbens, nudos vestitos dimittens. Quibus exeuntibus, alios, si adessent, intromittebat: quos similiter refouebat. Quòd si plurima turba confluerent aliquando, cunctis similiter faciebat. Singulis autem diebus duodecim sic reficiebat, ipso cum eis hora congrua conuescente, ita tamen, vt priùs singulis aquam manibus funderet, vinum & panem manu propria præberet. Ædificauit in Noviomo monasteriũ ancillarũ Christi. Corpus sancti Quintini revelauit per eum Dominus. Sed antequam fieret Episcopus, erat in palatio Regis Mauritius quidam, habitu religiosus, & cantor laudatus; & ob hoc mente tumidus, corde protervus, actione dissipatus. Qui cœpit jactare, se inventurum corpus hujus pretiosi Martyris: sed mox vt terram sarculo sarrire cœpit, manubriũ fossorij manui eius inhæsit: qui opus cœptũ relinquens, sequenti die è manibus suis vermib⁹ ebullientibus miserabiliter expiravit. Hujus sancti Martyris corpus cùm inuenisset Eligius, immẽso lumine, & inenarrabili odore percussus, vix subsistere potuit. Nam globus splendoris qui ex tumulo ad ictum ferientis processit, cunctorum astantium obtutibus retusis, partem maximam regionis illius in diei claritatẽ mutauit. Erat autem media nox, obscura valdè & caliginosa. Ex huj⁹ sancti martyris maxilla Eligius dentem pro languentium medela abstulit: & de radice dentis quantitas sanguinis exiuit. Clauos quoque miræ magnitudinis in cerebro ejus & cæteris artubus infixos, pro reliquijs abstraxit, & sibi delegauit. Deinde holoserico pretiosissimo corpus Martyris obuolutum, cum sũma diligentia circa altare transposuit. Tumbam quoque ex auro & argento & gemmis desuper miro opere fabricauit. Ecclesiam quoque, quæ videbatur exigua, amplificè decorauit. Post hæc grandi labore atque instantia invenit in territorio Medenatense in loco salicino sanctum Martyrem Piatonem. Cui similiter clauos prolixos è corpore ablatos populus in argumentum monstrauit. Suessionis quoque invenit sanctos Martyres germanos Crispinum & Crispinianũ: quos ex quadam crypta prolatos mirificè composuit. Sed & in Beluacensi municipio beatum Martyrem Lucianum, quondam collegã Sancti Quintini, inuentum similiter transtulit atque composuit. Apud Parisius cœcum illuminauit in ponte. Rursus apud Parisius custos Sanctæ Columbæ nuntiauit ei, Ecclesiã suam omni ornatu suo nocte à furibus fuisse spoliatam. Tunc Eligius per-

Marginalia: 649. — * Fortè hocas — Inventio corporis S. Quintini.

gens ad oratorium Sanctæ Columbæ, ait. Audi Sancta Columba, quæ dico. Nouit Redemptor meus, nisi citò ornamenta tabernaculi hujus furata reduxeris, spinis allatis faciam januam hanc ita obserari: vt nunquam tibi in hoc loco veneratio præbeatur ab hodie. Quo dicto discessit. Sequenti die custos maturiùs surgens, invenit omnia vela, vsque ad minimam pallã, sicut prius fuerãt, restituta. Prætereà obtinuit apud Regem, vt omnia damnatorum corpora, vbicumque invenire potuisset, siue per villas, siue per civitates, licentiã haberet de bargis & rotis & laqueis deponere & sepelire: delegauitque ex collegis suis vespillones, qui huic curæ insisterent. Igitur cùm esset in comitatu Regis in partibus Austriæ apud vrbem Strato-burgo, inuenit hominẽ ipso die vitam laqueo finisse, & cui dum sepultura à comitibus pararetur, ipse accessit propiùs, & cœpit palpare corpus, à summis vsque ad ima, multendo. Cùmque sensisset adesse animam, vrbanè virtutem facti à se repellens, dixit. O quàm grãde scelus; nisi Dominus adjuvisset, perpetrare poteramus! vt corpus hoc humo tegeremus: cùm anima ejus in ipso sit. Quem resuscitatum iussit vestiri, & repausari. Quo audito, insectatores ejus iterum eum ad mortem petebant: quẽ vix ab eorum manibus eripuit; & se ab ejus collegio subtraxit, propter vitandam gloriã; & chartam securitatis apud Regem impetrauit pro eo. Hæc sũt autem sepulchra, quæ auro & argẽto & gemmis fabricauit: Germani, Seuerini, Piatonis, Antici Luciani, Genouefæ, Columbę, Maxiani & Iuliani, & præcipuè beati Martini Turonis; Dagoberto Rege impensas præbente: necnon & tumbam sancti Brictionis, & aliam vbi corpus beati Martini dudũ iacuerat; & mausoleum sancti Dionisij martyris Parisius ciuitate, & tuguriũ superipsũ marmoreũ miro opere auro & gẽmis, cryptamque, & species de fronte, & axes in circuitu throni altaris auro operuit: & posuit in eis poma aurea rotundilia atque gemmata; lectoriũ etiam & ostia diligenter operuit de metallo argenti. Sed & tectum throni altaris axibus argenteis operuit. Fecit quoque ripam in loco anterioris tumuli, & altare extrinsecus ad pedes sancti martyris fabricauit, quod penè singulare est in Galliis ornamentum, & in magna omnium admiratione vsque in hodiernum diem. In eadem Ecclesia sancti Dionysij sepultus est Rex Dagobertus sub arcu in latere dextro.

Sanctorum sepulchra à S. Eligio ornata.

650. Itta relicta Pipini monitu sancti Amandi se & sua Deo devovens, monasterium Niuellense fũdauit: eique filiam suam Gertrudem Deo dignam Virginem præfecit. Authbertus Cameracensis Episcopus claret. Sigebertus Rex de prosperitate prolis desperãs, duodecim monasteria hinc inde Deo cõstruxit. In quibus Stabulaus & Malmundarium eminebant; cooperante sibi in his Majore domus Grimoaldo, & Traiectensium Episcopo Remaclo; qui non multò post pertæsus fæcularium tumultuum, in ipso Stabulaus monachicæ vitæ assumpsit habitum. Florebat tunc sanctus Landelinus, qui & Morasus, ab Authberto Cameracensi Episcopo ex prædone conuersus ad Christum, & à beato Martino papa ad prædicandum ordinatus, fundator Cœnobiorum Lobiensis Alnei, Vallaris, atq; * Crispiniensis, vbi corpus eius requiescit cũ discipulis suis Adeleno & Domitiano. Florebat etiã tunc Gislenus Cellensis, Madelganus dux, qui & vincẽtius Altimontensis, & Sonogoensis, eiusque cõjunx Vualdetrudis Castrilocẽsis, sororque Vualdetrudis Aldegundis Melbodiensis: Trudo etiam Hasbaniensis in tyronem Christi adolescebat. Præter hos etiam multi de Anglia & Scotia in Galliis peregrinantes, scilicet Erto, Bertuinus, Eloquius. Cœnobiũ Floriacense à Leodeboldo Abbate fundatur; vbi non multò pòst corpus Sancti Benedicti ab Agilulfo monacho à Castro Cassino delatum transportatur. Corpus verò sororis ejus sanctæ Scholasticæ Cenomanis transfertur. Post Rodoaldum Longobardis regnat Aripertus annis nouem.

651. *Espiniẽsis

Corpus S. Benedicti in Galliam delatum.

652. Constantinus Imperator à Paulo Episcopo Constantinopolitano deceptus, nec vnam, nec duas voluntates aut operationes in Christo diffinit esse cõfitendas: quasi nihil velle, aut operari, credendus sit Christus. Ob hoc ipse Paulus Episcopus altare Sedis Apostolicæ, quod erat sacratum in domo Placidiæ subuertit. Martinus ergo congregata Romæ Synodo Episcoporum 105. anathematizat Hæreticos, Cirum Alexãdrinum, Sergium, Pirrhum, & Paulũ Constantinopolitanos.

Vide notas in fine hujus operis.

653. Sigebert⁹ Rex Hildebertum filium Grimoaldi adoptat in filium & in regnum. Constantinus Imperator Olympio Exarcho ad Italiam misso, impugnat Ecclesiam Dei. Iudocus Britonum Regis filius spreto mũdo & regno, peregrinus & eremita in pago Pontiuo requiescit in Christo.

654. Ignis de cælo cecidit, & timor magnus super homines venit: pestilentia grauissima tribus æstivis mensibus; cunctis visibiliter apparentibus bono & malo Angelo noctu civitatem circumeuntibus: & quoties jussu boni Angeli malus Angelus venabulo, quod manu ferre videbatur, ostium cujusque domus percussisset, tot ex eadem domo sequenti die interibant. Hoc tẽpore Sanctus Foillanus Fossensis martyrizatur.

655. Saraceni capta Rhodo famosum eius colossum euerterunt: ex cuius ære nongenti cameli onerati sunt. Hoc est vnum de septem miraculis mũdi. Quomodo enim vel tanta moles ærea fundi potuit, vel fusa leuari?

656. Constantinus Imperator Saracenis navali pugna congressus ignominiosè vincitur. Sigebert⁹ Rex Austrasiorum moritur: Dagoberto filio suo admodum paruulo fidei Grimoaldi comendato; vt in Regnum eius auxilio promoueretur. Post Osvualdum Regem, primus Anglorum miraculis claruit, regnauit apud Bernitios frater eius Vui*, & Osvuinus filius Ostiti apud Deiros: qui tãdem ab Osvuino interfectus est, cùm bello abstinens suburbanum clanculo cõcessisset, vir largus, & in Deum deuotus. Posteà idem Osvius Rex Nordanimbrorũ facto Deo cæli voto Pendæ Merciorum Regi concurrit cũ exercitu non multo, & inter nimiam Merciorum stragẽ ipsum Regem Pendam perimit, gentemque Merciorũ ad Christũ conuerti fecit: Pictos quoq; e regno Anglorum subdidit. Ex quo tempore omnibus penè Anglis imperauit, Christianitatem auxit per Angilbertũ & Vuilfridum Episcopos: postremò per Theodorũ Archiepiscopum. Multa seruis Dei construxit habitacula: quorum præcipuum monasterium tunc feminarũ, nunc monachorum, ab Eboraco triginta milibus in boreali parte situm, antiquo vocabulo Sceneshalh modo Vuitebi nuncupatur. Quod ab insignis religionis femina Hilda cœptum, Edelfreda eiusdem Regis filia multùm prouexit.

657.

Olympius patritius & Exarchus missus à Constantino Imperatore in Italiam, vt Martinum Papam interficeret, vel adduceret Constantinopolim, præcepit spatario suo, vt interficeret eum ad Missam, dum communionem sibi porrigeret. Sed Dominus excæcauit spatarium, & non vidit eum, quando communionē dedit Olympio, vel pacem: quod ipse spatarius postea jurejurādo asseruit. Igitur ex necessitate coactus est Olympius cum Martino concordare. Postea ivit cum exercitu contra Saracenos in Siciliam: & peccato faciente, major interitus Romano exercitui provenit; qui postea totus morbo interijt. Grimoaldus major domus domino suo Dagoberto Sigeberti filio attonso, & per Didonem Pictavensem Episcopum in Scotiā directo, Hildebertum filium suum facit Austrasiorum Regē. Hothmen Ammira Saracenorū perempto, Muhamas ex Ammireo Ammiras factus, regnat annis viginti quinque.

658.

Franci dolentes super infidelitate Grimoaldi contra filium Sigeberti captum eum Parisius miserunt in carcerem. Nam præsentantes eum judicio Clodovei, Clodoveus vinculatum eum in carcere amara morte fecit consumi, filiumque suum juniorem Hildricum Regem fecit Austrasiorum. Obijt Itta mater sanctæ Gertrudis. Theodardo Episcopo martyrizato, sanctus Lambertus filius Apri Comitis Episcopatum Traiectensem illustrat gloria nobilitatis, gratia sanctitatis. Atrebati dum corpus sancti Vedasti transfertur ab Authberto Cameracensi Episcopo, præsentibus Lāberto Tungrēsi, & Audomaro Tarasconensi, alijsque sanctis Episcopis & Abbatibus, Audomarus, qui præ senio cœcus erat, dum precibus præsentium Episcoporum, & meritis sancti Vedasti illuminat⁹ esset, ægrè ferens liberatum esse à cæcitate, quam pro salute sua sibi à Deo immissā esse gaudebat, rursus ad votum suum excæcatus est. In quibusdam chronicis legitur, Clodoveum Regem hoc anno esse mortuum.

659.

Post Olympiū directus est Theodorus Exarchus, cognomento Calliopa, cum Theodoro Imperiali cubiculario: qui tulerunt Martinum Papam de Ecclesia Salvatoris, quæ appellatur Constantiniana, Constātinopolim: qui missus est Chersonam in exilium, vbi vitam finivit decimo quinto Calendas Octobris. Fecit Episcopos triginta tres.

Eugen. pap.

Post quem sedit septuagesimus septimus Eugenius primus huius nominis, natione Romanus, de regione prima Aventinense, Clericus à cunabilis, annis duobus, mensibus novem, diebus viginti quatuor; benignus, mitis, mansuetus, affabilis omnibus, & sanctitate præclarior. Constatinus Imperator Sclaviam sibi subigit.

660.

Muhamas Saracenorum Ammiras cum Constantino Imperatore firmat pactum, vt Saraceni Romanis soluant tributū per singulos dies numismata mille, & seruum & equum. Clodoveus Rex corpus sancti Dionysij Parisiensis discooperiens min⁹ religiosè, licet cupidè, os brachij eius fregit & rapuit, moxque in amentiam perpetuā incidit. Ariperth Longobardorum Rege defuncto, Gobertus & Bertarith filij eius annū agunt non tam in regno componendo, quàm de regno contendendo. Eugenius Papa eleemosynam in die transitus sui pauperibus, & clero, & familiæ Presbyterij in integro erogari præcipit. Fecit Episcopos viginti vnum. Obijt quarto nonas Iunij, & cessauit Episcopatus mense vno, diebus viginti octo.

661.

Vitalianus.

Post quem septuagesimus octav⁹ sedit Vitalianus, natione Signiensis provinciæ à Campania, annis quatuordecim mensibus sex. Hoc Vitaliano nuper ordinato, vt ait Beda, Cōstantinus Imperator misit beato Petro Evangelia aurea gemmis albis miræ magnitudinis in circuitu ornata. Ipse verè post aliquos annos, idest per Indictionē sextam Romam veniens, obtulit super altare sancti Petri pallium auro textile. Obijt sanctus Amandus Elnonensis.

Sic enim legitur in titulo de morte ei⁹

Epitaphiū S. Amandi

Anno Incarnationis Domini nostri Iesu Christi sexcentesimo sexagesimo primo, Indictione quarta, epacta quintadecima, concurrente quarto termino duodecimo Calendas Aprilis, Pascha quinto Calendas Aprilis, Luna vicesima prima, octauo idus februarij die Dominica, luna prima, obijt sanctus Amandus annorum circiter nonaginta, qui natus fuit anno Domini 571. nonis Maij mensis in provincia Agritanorum, in pago præfatæ regionis, vocabulo Herbatilico ex patre Sereno, genitrice Amantia, anno septimo, quo Iustiniani successor Canus minor cum Sophia conjuge in Republica arcem Imperij tenebat. Quo videlicet tempore Ioannes Pontifex Romanæ Ecclesiæ in ordine Pontificum sexagesim⁹ tertius cathedram ejusdem vrbis anno sui præsulatus octavo gubernabat. In ordinatione Beati Gregorij Papę sanctus Amandus vicesimum secundum ætatis agebat annum. In obitu verò ipsius Papæ trigesimum quintum; qui fuit annus à Nativitate Domini sexcentesimus quintus, regni antè Phocæ annus secūdus, sicut Beda refert in chronicis. Fuit autem idem sanctus Amandus Martino Papæ famili arissimus. Defunctus est tertio anno Pontificatus Vitaliani Papæ, octauo idus Februarij. Extat ad hunc S. Amandum Epistola decretalis Martini Papæ, in qua significatur, eundem Amandū voluisse pastorale obsequium deponere, pro eorum inobedientia, qui Presbyteri seu diaconi post suas Ordinationes in lapsum inquinabantur: à qua voluntate illum dehortatur idem beatissimus Papa, persuadens eum ad patientiam; & commonēs, vt nullam eis in delicto compassionem exhibeat; sed lapsos omnes ab officio deponat, & eos in jugē pœnitentiam mittat. Si enim inquit tales quærimus ad sacros Ordines promovendos, quos nulla ruga, nullum vitæ contagium ab ordinibus sacris præpediat, quantomagis si post Ordinationem suam in lapsum ceciderit, & prævaricationis peccato deprehendatur obnoxius, omnimodo probibendus est cum manibus lutulentis atque pollutis mysterium nostræ salutis tractare? Sitque huiusmodi semper iuxta sacrorū Canonum statuta in hac vita depositus; vt ab illo qui mentis interna scrutatur, nullamque de ovibus errare congaudet, dum aspexerit sincerā pœnitentiam eius, in terribili iudicio habeat reconciliatum. Ipse sanctus monasterium, quod dicitur Blandinium in castro Gandauo construxit: & aliud quod vocatur Martianas, & aliud, cui ipse Lochosa nomen imposuit, seu Rotnace, q; est præfato monasterio penè contiguum: cellulam quoque, quæ nuncupatur Barisiacus: quem locum cum adjacentibus sibi appendicijs Childericus Rex & Brunichildis Regina illi visi sunt condonasse: ad postremum Elnonæ cenobio ædificato ipse, ibidem cum suis vsque ad diem obitus sui Christo feliciter militavit. Hic patriam

parentesque relinquens in Ora insula, quæ à littore oceani maris quadraginta distat millibus transacta iam adolescentia receptus est. In qua per orationem immanem serpentē fugavit. Post hæc Turonis ad S. Martinum pertexit: & ibi coma capitis sui abscidens, clericatus honore fultus est. post hæc percepta benedictione ab Abbate loci illius & fratribus, Bituricas perrexit ad Austregisilum: à quo & ab eius Archidiacono Sulpitio receptus est, & cellula ei iuxta Ecclesia in superiori muro ciuitatis constructa est. In qua cilicio tectus & cinere, hordeaceo pane & aqua modica contentus, ferè quindecim annis vixit. Post hæc incidit ei cogitatio, vt limina visitaret Apostolorum; quod & fecit assumpto secum vno tantùm comite. Vbi per diem sancta loca circuibat; nocte ad sancti Petri revertebatur Ecclesiam. Ibi quadam die cunctis egressis substitit ex devotione, tota nocte cupiens vigilare: quē vnus ex custodibus inventū contemptibiliter affectū injurijs ejecit extra Ecclesiam. Sedente autem eo in extasi mentis ante fores Ecclesiæ, sanctus ei Petrus apparuit; monens eum in Gallias ad prædicationem redire. Rediens, coactus est à Rege & Episcopis, Episcopus fieri. Captivos vel pueros transmarinos dato pretio redimebat. Spirituali quoque lauacro eos regenerans, literis affatim imbui præcipiebat; præmissaque libertate per diversas Ecclesias relinquebat. Plures ex eis Episcopos vel Presbyteros, seu honorificos Abbates fuisse, audivimus. Rediens à Roma secundò ascensa naue peruenit ad Centūcellensem locum: vbi dum quadam nocte solus vt solebat, oraret, immundus spiritus vnum è famulis apprehensa manu trahebat ad mare, volens eum ibi demergere. Qui cùm traheretur clamabat dicens, Christe adjuva me, Christe adiuva me. Cui malignus spiritus insultando respondit. Qualis Christus: & dum puer, qui trahebatur taceret, ait sanct' Amandus: dic illi fili, Christus filius Dei viui crucifixus. Statim ad hanc vocem inimicus vt fumus evanuit. Nec multò pòst navigante eo per medium pelagus, & dicente ad nautas verbum Domini, apparuit piscis miræ magnitudinis. Nautæ verò misso rete in Pelagus, eundem piscem ceperunt. Cumque epularentur & exultarent, orta est tempestas valida: concurrerunt nautæ ad servum Dei; qui jussit eos confidere. Cui in puppi residenti sanctus Petrus apparuit, dicens. Noli timere, non peribis, nec qui tecum sunt. Ad quod verbum mox tempestas sedata est. Gaudanenses, qui tunc adhuc idolatræ erant, convertit. Vbi cùm propter inediam & sterilitatem loci comites illius solum ibi reliquissent; alimentum sibi labore manuum acquirebat, instans prædicationis officio Quidā comes ex genere Fracorum, nomine Dortho, in vrbe Tornaco resederat, ad dirimendas lites Et ecce ei præsentatus est reus quidam, quem omnis turba acclamaverat esse dignum morte; fur quidam multis plagis cæsus, & jam corpore semivivus. Qui decrevit eum patibulo debere affigi: sed Amandus superveniens postulavit, vt ei vitā concedere dignaretur. At ille noluit, sed iussit eum suspendi: qui suspensus spiritum exhalavit. Sanct' autem Amandus perrexit ad patibulum, & depositum de ligno ad suum cubiculū deferri jussit; & fratribus è cella egressis super defuncti corpus incubuit, & orando cum lacrymis illum resuscitavit: lotoque ejus corpore & cicatricibus ita carnem carni restituit, vt de plagis, quas antè pertulerat, nullum indicium appareret: & sic eū ad propriam domum remittens, parentibus restituit incolumem Per quod miraculum convertit ad Christū. Post hæc transito Danubio, in Sclaviam prædicare perrexit, spe martyrij: & paucis ibi conversis, ad proprias oves reversus est. Rex Dagobertus amori mulierum plusquam oportebat deditus, omniq; spurcitia libidinis inflāmatus, sobolem minimè videbatur habere: pro qua Dominum sedulò precabatur; & tandem exauditus est. Qua percepta, sanctum perquiri fecit Amandum, quem priùs de regno suo expelli iusserat, quia eum pro capitalib' criminibus arguebat; quod nullus Episcoporum audebat facere. Qui venit ad regem in villa, cui nomē Clepiaco. Rex illius pedibus prostratus, veniā deprecatur; quem ille citi' elevans à terra, clementer indulsit Ad quem rex. Pœnitet me valde, quòd stultè egerim adversum te: sed precor, ne memineris injuriæ meæ. Dedit mihi Dominus filium, nō meis meritis; quē, precor, vt sacro fonte digneris abluere, & in filium tibi spritualē suscipere. Quod ille vehementer abnuens, sciens scriptum, militantem Deo non oportere implicari negotiis secularibus; & quietum atq; remotum palatia nō debere frequentare regia, ex conspectu regis abscessit. Statimq; rex misit ad eum virum illustrē Dadonem, & cum eo venerabilem virum Eligiū, qui tunc in palatio regis sub seculari degebāt habitu: qui persuaserunt ei precibus regis annuere. Moxq; puerum dierum quadraginta catechumenum fecit: cūq; finita oratione nemo ex circumstantibus respōdisset, Amen, aperuit Dominus os pueri, & cunctis audientib' clara voce respondit, Amen: & statim baptizavit eum, dans ei nomen Sigebertus. Post hęc ordinat' est Trajectensium Episcopus: & per triennium vicos & castella circuiens, verbum Domini instanter prædicabat. Sed multi, quod dictu nefas est, sacerdotes & levitæ prædicationem eius respuebant; qui secundum Evangelium pulverem de pedibus super eos excutiens, ad alia properabat loca: parumque reperiens insulam, cui nomen est Canelaus, juxta Scaldum fluviū, aliquantis diebus ibidem cum fratribus habitavit. Sed verbi Dei contemptores per biennium ingens attrivit plaga: ita vt eversæ domus & agri in solitudinem verterentur, & vici & castra destruerentur; nullusque pene in his regionibus remaneret, qui Amādum contempserat prædicantem Post hæc prædicavit in Vasconia. Cuius prædicationem quidam mimilogus spernens, & ei detrahens, arreptus à dæmone, proprijs se cœpit manibus laniare: coactus publicè confiteri, quòd ob iniuriā quam servo Dei intulerat hæc patiebatur: & in ipso tormento spiritum exhalauit. Post hæc susceptus est hospitio in quadam civitate ab Episcopo illius civitatis. Cui dum ipse Episcopus more hospitalitatis aquā in māibus funderet, secretiùs præcepit ministro, vt eandem aquam in sacratio Ecclesiæ custodiret De qua postea cæcus quidam admonitione ipsius Episcopi oculos abluens, visum recepit. In pago Belvacensi, in loco, cui vocabulum est Rossoton, secus Oronnā fluvium, mulierem cæcam sanauit, quæ auguria & idola semper coluerat, & adorabat arborem dæmoni dedicatam. Præpositum monasterij sui inobedientem, & ob hoc paralyticum factum, benedicendo calicem vini, & fragmen panis, & ei

S. Amādus fit Episcopus

Respondet infans Amē dum baptizatur.

mittendo, iubendoque, vt inde partem sumeret, sanitati restituit. Muntinolus quidam Ozidinsis vrbis antistes, molestè ferens, quòd locum acceperat à Rege ad construendum cœnobium, invidiæ facibus accensus, missis agilibus viris, vt eũ injuriis affectum à loco eiicerent, aut eum in eodem loco punirent. Qui venientes ad eum, simulatè dixerunt ei, quòd deberent ei ostendere locũ aptum ad monasterium construendum, & ideo iret cum illis. Quorum fallacia, revelante Deo, illum non latuit. Tandem pervenerunt ad supercilium montis, vbi eum capite truncare disposuerant: & subitò orta est tempestas pluuiæ & grandinis; & ita omnem montis illius locum obtexerunt nubes, vt apparitores illi amisso lumine nil penitus viderent; spemque vitæ iam nullam habentes, prostrati eius pedibus veniã postulabant, vt eos viuos fineret abire. Qui orans, lumen eis reddidit, & exterritos ad propria remisit. Sepultus est iste sanctus in cœnobio, quod ipse ædificavit: cui ex nomine fluvioli ibi decurrentis Elnonis vocabulum est: quem locum Dagobertus rex illi dedit. Eodem anno, quo sanctus Amandus mortuus est, Constantinus Imperator Theodosium fratrem suum occidit: & Grimoaldus dux Taurinatium Godebertum filiũ Regis Aripertb dolo peremit, & eius regnum arripuit: sororéq; Godeberti vxorem duxit, & regnauit annis 9. Sãctus Niuardus Remensis Archiepiscopus, & Reolus successor eius, & Bercharius martyr, qui fuit primus abbas Autvillarnensium; S. etiam Bertha martyr & abbatissa, sãctitate florẽt in Gallia.

An. 662. Constantinus Imperator Italiam petit, multasque Longobardorum vrbes capit, Beneventũ obsidet; ibique Grimoaldus Rex exercitum eius graviter atterit. Clodoveus Rex Francorum furibundus obit. Hic habuit ex Bathilde Regina tres filios, Lotharium, Childericum, Theodericum. Post quem regnavit Lotharius annis quatuor. Hujus Lotharij major domus fuit post Erchanoaldum Ebroinus. *Majorũ palatij origo.* Ab hinc Francorum Regibus à solita fortitudine & scientia degenerantibus, per majores domus disponebatur regni potentia, Regibusq; solo nomine regnantib⁹; quibus moris erat, principari quidẽ secundùm gen⁹, & nihil aliud agere, vel disponere, quàm irrationabiliter edere & bibere, domique morari; & in Calendis Maij præsidere coram tota gente, & salutare & salutari; & obsequia & dona accipere, & rependere, & sic secum vsque ad alium Majum permanere. Eo tempore Bathildis Regina, Lotharij mater, Corbejæ & Calę monasteria Deo construxit. Hæc de transmarinis partibus deprædata in Franciam adducta est, & vili pretio vendita, redempta est à venerabili viro Hircanoaldo, qui tunc palatium gubernabat. Fuit autem de claro sanguine Saxonum, aspectu decora, vultu hilaris, incessu gravis, pudica, sobria, prudens & cauta, humilis & gratiosa: adeoque placuit prędicto Principi, vt loco pincernæ eam constitueret. In qua etiam dignitate omnibus senioribus in domo domini sui ita humiliter obsequebatur, vt eorũ calceamenta detraheret & detergeret, & aquam ad lauandum afferret, & vestimenta eorum festinanter pararet, absque omni murmure & adulatione, bono & pio animo. Mortua verò vxore Hircanoaldi, voluit idem princeps eam ducere. Quo comperto illa latenter & studiosè se subtraxit abeius conspectibus. Nam cùm vocaretur ad principis cubiculum, illa vt sagax puella secretò se abscondit in angulo domatis; & super se jecit pannos vilissimos, ita vt nemo putaret illic, aliquem latere potuisse. Ea igitur non inventa, Princeps duxit alteram. Tũc illa iterum quæsita inventa est, sed à principe non contacta. Postea per Dei gratiam facta est vxor Clodovei Regis filij Dagoberti, & meritò. Erat enim & ipsa de sanguine regio. Faciebat autem eleemosynas multas Ecclesijs & pauperibus, per manum Genesij Abbatis, quem Rex ei in adiutorium dedit, qui tunc erat assiduus in palatio: qui postea factus est Lugdunensis Episcopus. Ex hac Regina genuit Clodovæus Clotharium, qui post eum regnavit. Tunc temporis Parisiensis Episcopus erat Crodebertus, vir venerabilis; & apud Rothomagum sanctus Audoënus. Ex eo tempore Burgundiones & Franci in pace vniti sunt: qui antea dissidebant. Hæc Regina pestem Simoniacam à Francia extirpavit: & impijssimas exactiones publicas cessare fecit; quæ adeo populum gravabant, vt multi filios suos magis optarent mori, quàm vivere. Construxit Cœnobium Sanctimonialium in pago Parisiaco, nomine Kalam, in insula Maternæ fluminis; *Chelle.* & eidem Cœnobio dedit munimentum Regiæ chartæ, sigillo suo, & filiorum Regum signatæ. In qua cartha per invocationem sanctæ Trinitatis interminata est, & per diẽ tremendi iudicij vt nemo per succedentia tempora Rector quilibet ejusdem loci quidquam de his villis, quas in vsus diversos ejusdem Cœnobij habitantium contulerat, subtraheret, aut beneficiario exinde haberet. Quod qui fecisset, pœnis infernalibus cum Iuda nequissimo & cupidissimo traderetur sine fine puniendus. Hujus monasterij primam matrem constituit Bertilam religiosam valde famulam Christi, quam de monasterio Iotrho evocavit. Ædificavit etiam in pago Ambianensi monasterium Corbeiæ; quod villis & prædijs magnificè instruxit. In quo primum patrem instituit Theudofredum virum venerabilem, quem de monasterio Luxouio vocavit; qui postea factus est Episcopus. Philiberto viro sanctissimo, Abbati monasterij Gemmatici, silvam magnam ex fisco Regio concessit, ad monasterium construendum. Laigobertho Abbati Turdignensis monasterij dedit villam vnam cum multis talentis auri & argenti; ipsum quoque regale cingulum, quo cingebatur. Monasterijs Fontenellæ & Logio plurima beneficia dedit. Luxouio & reliquis Burgundiæ monasterijs villas plurimas, & pecuniam innumerabilem contulit. Iotro monasterio, vnde sacras virgines cum Bertila ad Kalam accersiuit, dedit Villam novam in pago Virmandensi, cum multis alijs beneficijs. Monasterio sanctæ Faræ, villam vnam cum multis alijs muneribus. Immunitates concessit Ecclesijs præcipuis, id est sancti Dionysij, sancti Germani, sancti Medardi, sancti Petri Fossatensis, sancti Petri Latiniacensis, sancti *Amani, sancti Martini. **Amandi.* Captivos homines vendere prohibuit; & præcepit per singulas vrbes Francorum, vt nullus in regno Francorum captivum hominem in aliud regnum transmitteret. Multos captivos redemit, multos relaxauit, multos in monasterio transmisit. Viros & puellas de gente sua, quas ipsa nutrierat, regularem vitam ducere instituit. Basilicas SS. Apostolorum Petri & Pauli Romæ multis muneribus honoravit. Romanis reclusis & pauperibus multa dona

dona direxit. Orta tandem contentione inter Francorum proceres pro superbia Sigebranni Episcopi, pro qua & ipse occisus est, desideratū meruit adimplere propositum: deductaque à quibusdam senioribus regni proceribus ad monasterium Kalam, Religionis ibi habitum suscepit. In hebdomada sua ministrabat in officio coquinæ, sicut & ceteræ sorores: & munditias faciebat, etiam plusquam ceteræ sorores, inquinamenta stercorum proprijs manibus mundans. Incidit tandem in iliacam passionem; de qua tamen auxilio Dei & medicorum sanata est. Appropinquante autem obitu suo, visio ei præclara ostensa est. Scala ei videbatur erecta stare ante altare beatæ Dei genitricis Mariæ, cujus cacumen cælos attingebat; & per ejusdem gradus se comitātibus sanctis Angelis secreta cælestia penetrare. Habebat autem quandam filiolam, quā ex fonte sacro susceperat, pro qua Dominum exoravit, vt ante se moreretur; quod & factum est, cujus mortem ipsa statim secuta est. In exitu autem animæ eius à corpore, divinus splendor in ipsius corpusculo clarissimè coruscavit: visus est à circumstantibus Angelorum chorus ei obviam advenisse, & cum eis fidelissimus amicus eius Genesius Episcopus: visique sunt Angeli animam ejus remigio alarum & manibus elevatam in cœlum portasse. Monasterium verò Kalę primò construxit Crotildis Regina vxor Clodovæi magni, quem sanctus Remigius baptizauit: & construxit illud in honore sancti Georgij. Sed quia ambitus Ecclesiæ illius strictior erat; & magno sanctimonialium gregi non sufficiens, eam Bathildis Regina everti fecit, & ampliorem construi. Præfata quoque Crothildis neptis Gondobaldi Regis, non solum virum suum, sed & multos Francorum proceres ad fidem Christi adduxit, & Ecclesiam sancti Petri Fossatensis Cœnobij construxit. Vxor quoque Childeberti Regis Vltrogocles nutrix fuit orphanorum, consolatrix pupillorum, sustentatrix pauperum, & fidelium monachorum adiutrix. Sed & Radegundis Regina vxor antiquioris Clotharij Regis, vt suprà dictum est, relicto marito vivo sacrum velamen suscepit.

Virtutes, visiones, mors S. Bathildis

663. Constantinus Imperator imperium à Constantinopoli in vrbem Romam transferre nititur; sed à Constantinopolitanis ei resistitur.

664. Constantinus Romam venit; & omnia quæ erant in ære ad ornatū civitatis deposuit; & discooperuit Ecclesiam sanctæ Mariæ ad Martyres, quæ erat operta tegulis æreis, quæ omnia misit Constantinopolim. Qui dum reverteretur, tales afflictiones imposuit populo Calabriæ & Siciliæ, Africæ & Sardiniæ, per diagrapha seu capita, atque nauticationes per annos plurimos, quales numquam à sæculo fuerunt, vt alicui spes vitæ non remaneret. Sed & vasa sacrata, & cimilia sanctarum Ecclesiarum auferens, nil dimisit. In Anglia inter Anglos & Scotos magna de observatione Paschæ fit disceptatio, mediante Osvui Rege glorioso, qui etiam assensit Anglis Pascha celebrantibus more Romano. Obijt sancta Gertrudis Nivellensis. Sisevando Rege Visigothorum mortuo, regnat Chintilam annis sexdecim.

Disceptatio de obseruatione Pascha.

665. Erchombertus Rex Anglorum obit, postquem regnat Egebertus filius ejus annis IX. vel VIII. Hic Egbertus filios patrui sui Elbertum & Egelbricum, aut interemit, vt dicitur, aut interimi æquanimiter passus est.

666. Obijt S Eligi⁹ Noviomēsis Episcopus. Lotharius Rex Francorum puer moritur: post quē frater ejus Theodericus in Regem ab Ebroino sublimatur. Frater autem eius Hildericus regnabat in Austrasia.

667. Theodericus Rex propter insolentiam Ebroini à Francis repudiatur; & frater eius Hildericus Rex Austriæ à cunctis ad regnandum evocatur. Porrò Theodericus & Ebroinus tonsurantur: & Theodericus Parisius in cœnobio S. Dionysij, Ebroinus in Luxovio relegatur. Hilderici major domus erat Vulfoaldus. Hic in parochia Virdunensi super Mosam Cœnobium sācti Michaëlis Archangeli fundavit

668. Theodorus Archiepiscopus, & Adrian⁹ in Anglia florent, viri docti, & qui omnem literaturam imis medullis imbiberant: à Vitaliano papa in Angliam directi.

669. Constantinus Imperator, qui & Constans, omnibus suis exosus, Siracusis occiditur à suis in balneo 15. die mensis Iulij, indictione 12. cujus filius Constantinus post eum imperat annis 17.

670. Mizius quidam in Sicilia tyrannidē meditatus, mox extinctus est. Vitalianus papa fecit Episcopos 97 & obiit 6 Calēd. Februarij: & cessavit Episcopatus mensibus 2. diebus 13. Post quem 79. sedit Adeodatus, natione Romanus ex monachis annis 4. mensibus 2. diebus 5 Fuit benignissimus & mitissimus: ita vt omnes homines à majore vsque ad minimum libenter susciperet: & quod vnusquisq; postulabat impetrabat Tūc Mezetius in Sicilia arripuit sibi regnū: cujus caput latum est Constantinopolim Osvui Nordanimbrorum Rege defuncto, Egfridus filius ejus regnat annis 15. Hic erat minor filius ejus legitimè susceptus, Edeltrudæ vxoris sanctissimę meritis, quàm suis cōmendatior; in hoc tamen prædicandus, quòd eidem Reginæ vacare volenti serenus indulsit; quòd beatum Eadbertum in episcopum plorando promeruit. Beatū tamen Vilfridum exulare fecit. Hibernienses genus hominum innocens, & genuina simplicitate nihil vmquam mali moliens, vasta clade protrivit. Imperium autem Merciorum amisit, fugatus in bello ab eorum rege Ethelredo Pendæ filio. Grimoaldus rex Longobardorū, cùm nono die post phlebotomiam, arrepto arcu columbā percutere nisus esset, vena brachij ejus rupta est; & superponentib⁹ ei medicis venenata medicamina defunctus est. Post quem Tharith filius Aripert Regis divinitus à pereregrinatione revocatus, & à Lōgobardis in regnum relocatus, regnavit annis 17. Hoc tempore claruit S. Præiectus Arvernensis episcopus, & civis; martyrizatus à procerib⁹ ejusdem vrbis, in vltionem Hectoris Massiliensium patritij, ab Hilderico Francorū Rege peremptι, propter injustitias Arvernensi Ecclesiæ ab eo illatas. In territorio Cameracensi Virgo Dei Maxelendis pro voto virginitatis servādo Harduinum amatorem suum fugiens, ab eodē martyrizatur; qui mox excæcatus, post triennium ab ea illuminatus est.

Adeodatus Papa 79.

Luxus Hibernorum.

S. Præiecti martyrium.

671. Constantinus Imperator fratres suos habens suspectos; ne sibi conregnarent, nasos eorum abscidit. Hoc tempore quidam in Britannia à morte resurgens, multa quæ vidit de locis pœnarum. & igne purgatorio enarravit, de quo Beda sermonem facit. Erat pater familias in regione Nordanimbrorum, quæ vocatur Incimmemmaum, qui primo noctis tempore defunctus diluculo revixit, & observantes se in fugam convertit. Vxor tamen ejus, quamvis nimis pauida esset, mansit. Cui ille. Noli timere,

M

Surrexi à morte, qua tenebar: & permissum est mihi iterum apud homines viuere: sed multò aliter viuendum est mihi à modo quàm priùs. Statimque surgens abijt ad oratorium villæ, & vsque ad diem orauit; & tunc diuisit substantiam suam in tres partes, è quibus vnam conjugi, alteram filijs tradidit, tertiam statim pauperibus. Non multò post ad monasterium Maltos peruenit, quod Tuido flumine circumcingitur, accepta tonsura secretam mansionem ab Abbate accepit & ibi vsque ad mortem in mirabili conuersatione permansit. Narrabat autem hæc. Quidam lucidus aspectu, & clarus veste, me ducebat. Incedebamus taciti contra solis ortum solstitialem: deuenimus autem ad vallem latissimā, longissimam, profundissimam; quæ erat à læua nostra, & habebat vnum latus flammis feruentibus nimium terribile; aliud autem feruenti grādine & frigore niuium omnia perflante nimis horrendum; vtrumque plenum animabus quæ vicissim hinc inde jactabantur cum impetu. Nā cùm vnum sufferre non possent, in aliud transiliebant: & cogitabam intra me, quòd infernus esset. Ductor autem meus cogitationi meæ respōdens, non, inquit, vt putas, hic est infernus. Et cùm progrederemur, vidi loca tenebris ita densis repleta; vt nihil omnino viderem, præter speciem & vestem ductoris mei: & ecce crebri flammarum globi ascendentes de puteo, & rursus decidentes in eundem. Et statim ductor meus disparuit, & me solum reliquit. Erant autem fastigia flammarum plena spiritibus hominum instar fauillarum cum fumo ascendentium & relabentium, & fœtor intolerabilis cum illis ebulliebat. Interea turba dæmonum cachinnans & insultans, quinque animas hominum educebat in tenebras. E quibus vnus attonsus erat vt clericus, quidam laïcus, quædam fœmina: & descendunt cùm eis in mediū baratri ardentis. Quidam autem spiritus de abysso illa ascendentes, afflantes ignem putidū oculis & naribus, & ore, forcipibus igneis quos portabant, minitabantur comprehendere me; sed tamen me tangere non poterant: & ecce quasi fulgor stellæ micantis inter tenebras, post me apparuit. Hic erat ductor meus, qui mox eos fugauit: qui conuersus ad dexteram cœpit me ducere ad ortum solis brumalem; & mox in lucem serenam eductus, vidi murum permaximum; cujus longitudinis & altitudinis quasi null' terminus videbatur: in quo nulla ianua, vel fenestra, vel ascensus videbatur: & statim nescio quo ordine fuimus in summo: & erat ibi subtus campus latissimus & lætissimus, flosculis vernantibus & odore suauissimo plen', & luce clariore sole meridiano: in quo agmina albatorum plurima; & sedes multæ lætantium. Et cùm me inter illos duceret, cogitabam hoc esse regnum cœlorum: & respondit ille, non est hoc regnum cœlorum, vt putas. Et procedens inde, aspicio multò maiorem luminis gratiam, & vocem cantantium suauissimam audio, & odorem sentio permagnificum. Et cùm me intraturum sperarem, mox ductor meus gressum retorsit via qua veneram; & nobis reuertentibus, ait. Vallis quam aspexisti, est locus in quo examinātur & castigantur animæ differentium cōfiteri & emendare scelera sua vsque ad mortem: & tunc pœnitentes & confitentes de corpore exeunt: qui tamen omnes in die judicij per misericordiam Dei ad regnum cœlorum peruenient.

Purgatoria pœnæ à redivino enarrantur.

Multos autē ante diē iudicij liberant eleemosynę & ieiunia & orationes viuentiū; & præcipuè celebratio Missarum. Puteus autem quem vidisti, est os gehennæ, in quem qui semel ceciderit, nunquam liberabitur. Locus florifer est ipse, in quo recipiuntur animæ exeuntium à corpore, cum bonis operibus; non tamen tantę perfectionis, vt statim mereantur in regnū cœlorū intrare: qui omnes in die judicij illud intrabūt. Quicumque autem & opere & cogitatione perfecti sunt, mox vt exeunt de corpore, ad regnum illud perueniunt. Ad cujus vicinia pertinet ille locus, in quo sonum cantilenæ dulcis, & odorem suauissimum hausisti. Ego autem ad tempus à te abscessi, vt quid de te fieri deberet, agnoscerem. Et cùm detestarer iterum viuere in corpore, subitò me viuere inter vos, nescio quo ordine, vidi. Hæc narrabat ille, non passim omnibus; sed illis tantum, qui vel tormenta æterna timent, vel gaudia æterna concupiscunt. In vicinia cellæ illius habitabat quidam monachus, & presbyter sanctus, nomine Eglis, qui nunc vsque in Hiberniæ insula solitarius est: vltimam ætatē pane cibario & aqua sustentans: per quem cognita facta sunt, quæ ille viderat. Rex etiam Adnilfridus vir vndecumque doctissimus, illum studiosè audiebat: qui & ipse tandem in monasterio supradicto monachus factus est: cujus monasterij tempore illo Abbas erat vir sanctus, & presbyter Hediualdus, qui nunc Episcopus est Lindifarnensis. Dicebatur autem frater, qui hæc viderat, Drictelinus: qui sæpissimè in flumine proximo se immergebat, ad restinguēdum calorem corporis, ita vt etiā crustæ glacierum circa ipsum de veste sua defluerent. Nā vestimenta humida & algida de flumine nunquā deponebat, donec de suo corpore calefierent & siccarentur. Cui cū diceretur, quare tantam asperitatē frigoris pateretur, respondebat: frigidiora ego vidi. Et cū diceretur ei, quare tantam austeritatem continentię teneret, respondebat; austeriora ego vidi.

Redivivi pœnitentia.

672. Saraceni Siciliam inuadunt, & multā stragem faciunt in populo; & omne æs, quod Siracusis erat, allatum de Roma, & prædam nimiam tulerūt Alexandriam. Amatus Episcopus Senonensis à Rege Theodorico graui & irreuocabili exilio diu tribulatur.

673. Egbertus Rex Anglorum expeditionē in Pictos agens, cum omnibus ferè copijs ab illis interemptus est. A qua expeditione futurorū præscius Cuthbertus eum retinere tentauit: qui & in ipsa hora qua mortuus est, interfectum vaticinatus est. Huic successit frater eius Lother, qui & Lotharius, alite mala regnum ingressus. Nam infestante eum per 15. annos filio Egberti Edrico, nouissimò jaculo corpus trajectus, inter medēdum animam efflauit. Hic Lotharius innocentes illos, quos frater suus Egbertus occiderat, martyres propalatos irrisit. Egbertus tamen factum istud ingemuit, & matri Fratruelium partem insulæ Tanatos ad ædificandum monasteriū concessit. Hic Lotharius regnauit annis 12. Iris apparuit in cælo mense martio, & tremuit omnis caro, ita vt omnes dicerent, quòd consummatio esset.

674. Theodorus in Anglia Synodo habita, multa constituit Ecclesiæ vtilia. Hic scripsit pœnitentialem librū, mirabili & cauta discretione distinguens modum pœnitentiæ singularū culparum: de quo libro in hoc loco pauca excerpenda. Gradus non debemus facere ante altare.

In hoc pœnitentiali aliqua videntur absurda: & aliter à Beda & Baronio referuntur.

Incensum incendatur in natali Sanctorum, pro reuerentia diei, quia ipsi sicut lilia dederunt odorem suavitatis. Laicus non debet in Ecclesijs lectionem recitare, Alleluia dicere: sed psalmũ tantum, aut Responsoria, sine Alleluia. Episcopo licet in campo confirmare si necesse sit. Episcop⁹ non debet Abbatem cogere ire ad Synodũ; nisi aliqua rationabilis causa sit. Sacramentũ nõ est accipiendum de manu Sacerdotis, qui oblationes vel lectiones secundùm ritum implere non potest.] De hac sententia ambigi potest, vtrùm semper tenenda sit. Quid enim, si infirmus in extremis laborans alium non invenit, à quo communionem accipiat? Quanti hodieque Sacerdotes idiotæ in Ecclesia tolerantur? [Presbyter fornicans, si postquam compertum fuerit, baptizaverit; iterũ baptizentur illi quos baptizauit.] Et hanc sententiã miror quomodo nõ damnauerit Ecclesia: cùm etiam illi quos baptizant hæretici in forma Ecclesiæ, rebaptizandi non sint. [Siquis presbyter ordinat⁹ deprehendit se non esse baptizatũ, baptizetur & ordinetur iterũ; & omnes, quos pri⁹ baptizavit. Hic quæri potest, vtrũ aliquis rectè possit baptizari à non baptizato; & videtur in necessitate quilibet à quolibet baptizari posse: dummodo in fide & in forma Ecclesiæ baptizet, qui baptizat. Potest enim nondũ baptizatus fidem habere, siue ignorans se adhuc baptizatum, siue scienter adhuc differens baptismũ suũ. [In monachi ordinatione Abbas debet Missam agere, & tres orationes super caput eius cõplere; & septem dies velet caput suum cuculla sua; & septima die Abbas tollat velamen, sicut in baptismo presbyter solet infantium auferre velamina; quia secundum baptismum est, iuxta judicium Patrum; in quo omnia peccata dimittuntur, sicut in baptismo. Presbyter potest Abbatissam consecrare in Missæ celebratione.] Hoc hodie solis Episcopis reservatur. [In Abbatis ordinatione Episcopus debet Missam agere, & eũ benedicere inclinatum cum duobus vel tribus testibus de fratribus suis: & det ei baculum & pedules.] Alibi legitur, dandum ei esse baculum, & Regulam. [Secundùm Græcos, licet presbytero virginem sacro velamine consecrare, pœnitentem reconciliare, facere oleum exorcizatum, & infirmis chrisma, si necesse est. Secundùm Romanos, non licet; nisi Episcopo soli. Item Græci simul benedicunt virginem & viduam, & vtrãque consecrant. Romani non velant viduam. Gregorius Nazianzenus dicit secundum baptisma esse lacrymarum. Non licet baptizatis cum catechumenis manducare, nec osculum eis dare: quantomagis Gentilibus vel Iudæis.] De osculo non eis dando, satis videtur rationi consẽtaneum: sed de convivio communicando, non ita; cùm Petrus à Paulo reprehẽsus sit, quòd Iudæis absentibus cum Gentibus manducabat: illis autem præsentibus, se à convictu Gentium subtrahebat: & beatus Iacobus osculum dedit illi non baptizato, qui cum ipso passus est. Ergo nec in tali casu osculum catechumenis est negandũ. [Secundum Romanam Ecclesiam, mos est, monachos homines religiosos defunctos in Ecclesiam portare, & cum chrismate vngere in pectore, & ibi pro eis Missas celebrare; & cum cantatione portare ad sepulturam; & humo vel petra operire. Prima, & tertia, & nona, & trigesima die pro eis Missa agatur, & exinde post annum: quia Dominus die tertia resurrexit, & hora nona emisit spiritum; & per dies triginta Moysen plãxerũ filij Israël.[De anniversario nõ reddit rationem, sed potest vici, quòd significat diem Iudicij post annum hujus sæculi; in quo omnes sumus resurrecturi. [Propinquos mortui oportet jeiunare septem diebus, & oblationem offerre ad altare; sicut in Iesu filio Sirach legitur & pro Saul filij Israël jeiunaverunt. Dionysius Areopagita dicit, blasphemiam Deo facere, qui Missas offert pro malo homine. Augustinus dicit pro omnibus Christianis esse faciendum: quia vel eis proficit, vel offerentibus, & petentibus. Si peccaverit Abbas, nec Episcopo licet tollere possessionem monasterij: sed mittat eum in aliud monasterium, in potestatem alterius Abbatis. Monacho non licet votũ vovere sine consensu Abbatis; sin minus, frangendum. Secundùm Grçcos, mulier potest oblationem facere ad altare, non secundùm Romanos. In Dominica Græci & Romani navigant & equitant: panem non faciunt, neque in curru pergunt, nisi ad Ecclesiam tantùm: nec balneant se. Græci in Dominica non scribunt publicè, sed pro necessitate in domo seorsum. Græcorũ monachi servos non habent; Romanorum habent. In peste mortalitatis Græci & Romani dicunt, ipsos infirmos visitandos esse, sicut Dominus præcepit. Græci carnes morticinorum non dant porcis; pelles tamen & coria, & calceamẽta, & lanam, & cornua, accipere licet, non in aliquo sanct.. Lavatio capitis potest in Dominica esse; & in lixiva pedes lavari licet. Sed consuetudinis Romanorum non est hæc lauatio pedum. Si homo vexatur à diabolo, & nescit aliquid, nisi vbique discurrere, & occidit seipsum; potest orari pro eo, si antè religiosus erat: pro aliis non licet. Virum licet vxorem dimittere propter fornicationem, & aliã accipere. Illa verò si voluerit pœnitere, post duos annos alium accipiat. Mulierem verò non licet virũ dimittere, licet sit fornicator: nisi fortè pro monasterio intrando. Basili⁹ hoc judicavit. Mulier adultera, si vir ejus non vult habitare cũ ea, & illa vult monasterium intrare; quartam partẽ suæ hereditatis obtineat. Non licet viris feminas habere monachas, nec feminis viros; tamen non destruamus, quòd consuetudo est in hac terra. Si mulier in captiuitatem ducta fuerit, vir ejus 5. annos expectet; similiter & mulier, si viro talia contigerint. Si vir alteram duxerit, primâ de captivitate reuersâ, accipiat eam, posteriorem dimittat. In tertia propinquitate carnis, secundùm Græcos, sicut in lege scriptum est, licet nubere: in quinta secundùm Romanos. In tertia soluunt postquam factum fuit. Ergo in quinta generatione conjungantur. In quarta si inuenti fuerint, nõ separentur: in tertia separentur. Maritus non debet vxorem suam nudã videre. Puella quatuordecim annorum sui corporis potestatem habet: puer vsque ad decimũquintum nõ habet. Si prægnantem mulierem quis comparat liberam, liber est ex ea generatus. Rex si alterius Regis terram habet, potest donare pro anima sua. Inventio in via tollenda est; si inventus fuerit possessor, reddatur. Qui pro homine mortuo ieiunat, seipsum adiuvat. Infirmis licet omni hora cibum & potum sumere, quando desiderãt, vel possunt. Romani reconciliant pœnitentem intra absidem, Græci extra. Reconciliatio ideo in hac prouincia non est: quia publica pœnitentia non est. Et Nicæna Synodus, & Ioannes Pa-

Marginalia: *Falsi quidã articuli.* — *Galat. 2.* — *Deute. ult.* — *Eccli. 14.* — *2. Reg. 1.* — *Locus obscurus & mutilus.* — *Falsa hæc doctrina.* — *Hoc nõ licet* — *Leuit 18.*

pa, & Canones Gallicani continere videntur; quòd Clerici in adulterio deprehensi, aut ipsi confessi, aut ab alijs reuicti, ad honorem redire non possunt. Quæ est ista iustitiæ inimica benignitas, palpare criminosos, & vulnera eorum vsque ad diem iudicij inducta seruare? quæ pietas, omnia vni parcere, & omnes per exemplum malum in discrimen adducere? Non ita suadet beatus Cyprianus dicens Qui peccantem verbis adulantibus palpat; peccandi fomitem subministrat: nec premit delicta, sed fovet. Item. Imperitus est medicus, qui tumentes vulnerum sinus manu parcente contrectat: absconditum in profundis virus dū servat, exaggerat. Item Chrysostomus. Imperitus est medicus, qui ante digestam putredinem, superducit vulnerum cicatricem. Sanctus Faustus in Epistola. Perdit gratiā consecrati, qui ad officium vult exercitari mariti. Qui inuitus ad agendam pœnitentiam in monasteriū mittitur; quid aliud, quā impœnitēs dicendus est?] Huc vsque de pœnitentiali Theodori: nunc ad historiam reuertamur.

An. 675.

Stolus Saracenorum contra Constantinopolim applicuit, qui dum per aliquot annos Christianis inaniter concurrissent, in redeundo ex magna parte dimersi sunt.

676.

Saracenis & Arabib⁹ cū Romanorū exercitu cōgressis, occisa sunt Saracenorum triginta millia. Hilderic⁹ Rex lenitate morum suorum accendit in se odia Francorum: à quo sanctus Leodegarius Augustodunensis Episcopus in Luxouium retruditur. Adeodatus Papa fecit Episcopos 46. Obijt 6. Cal. Iulij; & cessavit Episcopatus mensibus quatuor dieb⁹ quindecim. Post cuius transitū tantę pluvię in Italia, & tanta tonitrua fuerunt, qualia nulla ætas hominum memorat; vt etiam homines & pecora fulminibus interirent; & nisi per Litanias, quæ quotidie fiebant, Dominus propitiatus esset, non potuissent homines triturare, vel in horreis frumenta recondere: intantum, vt ex ipsis pluvijs denuo legumina renascerentur, & ad maturitatem devenirent, quod valdè mirum fuit.

677. Donus

Post hunc octogesimus sedit Donus Papa, natione Romanus, anno vno, mensibus 5. diebus 10. Hic reperit in vrbe Roma in monasterio Bœtiano hæreticos Nestorianos monachos Syros; quos per diversa monasteria monachos Romanos constituit. Atrium quod est ante Ecclesiā beati Petri magnis marmoribus stravit.

Hujus tempore Ecclesia Ravennas sedi Apostolicæ se subjugavit, quæ se ab ea separaverat causa Autocephaliæ, cuius Ecclesiæ præsul Reparatus statim obijt: qui dum electus esset, apparuit stella à parte Orientis, à gallicantu vsque mane per menses tres: cujus radij cælos penetrabant, in cujus visione omnes gentes mirabantur: quæ postquam disparuit in semetipsam reversa, maxima mortalitas à parte Orientis secuta est.

678.

Callinicus architectus ab Heliopoli Syriæ ad Romanos confugit, ignemque marinum adinuenit; quo vsi Romani Saracenorum naves exusserunt; & vna cum animabus eorum protsus incenderunt, & sic victoria potiti sunt.

679.

Donus Papa fecit Episcopos sex, & obijt 30. Idus Aprilis: & cessavit Episcopatus mensibus duobus, diebus, 15. Post quem octogesimus primus sedit Agatho, natione Siculus, annnis duobus, mensibus sex, diebus tribus. Hic fuit benignus, mā-suetus, hilaris, & jucundus. Hic vltra consuetudinem archarius Ecclesiæ Romanæ efficitur, per semetipsum causas archarij disponens, emittens de suscepta per nomenculatorem manu sua, vel oblatas obumbratas.

Locus obscurus, aut corruptus.

Inter Romanos & Saracenos pax in triginta annos confirmata est: ita vt Saraceni Romanis auri libras tria millia, & viros captivos quinquaginta, & equos nobiles quinquaginta, annuatim solverent. Bodilo Frācus, quem Hildericus Rex ad stipitem ligatum cædi præceperat, Hildericum in venatione exceptum, cum Blithilde vxore eius prægnante interficit; & Theodericus regno restituitur: cujus domus maior efficitur Leudesius Hircanoaldi filius, consilio Leodegarij Episcopi, aliorumque Principū, vt ait Eginardus. Gens vel genus Merovingorum in Hildericum defecit; diu tamen jam ante nullius vigoris erat. Nam & opes & potentia regni penes præfectos erat palatij, qui maiores domus dicebantur. Rex villam habebat perpetui redditus, qui, quocumque eundū erat, carpento ibat, quod bobus junctis & bubulco trahente, more rustico trahebatur.

680.

Ebroinus à Luxovio egressus, misit ad S. Andoënum, pro consilio capiendo: qui hoc solùm ei mandavit, De Fredegūde tibi subveniat in memoriam. Tunc Martinus, & Pipinus filius Ansegisili, Duces Austrasiorū venerunt contra Eburnos; quos Ebroinus fugavit. Martin⁹ fugit Laudunum Clavatū: cui Ebroinus jurauit super capsas vacuas, quòd eum non occideret: cui credēs ille occisus est. Igitur Ebroinus insidiatores suos premit, super Theodericum regem irruit, thesauros ejus & Ecclesiæ diripit, Leudesium maiorem domus perimit. Clodovæum quemdam fingens esse filium Lotharij regis, regem sibi constituit: ad eius sacramentum quoscumque potest, minis & blandimentis impellit. Agatho papa suscepit divalem jussionem principum, secundùm suā postulationem. Pro qua relevata est quantitas pecuniæ, quæ solebat dari pro facienda ordinatione Pontificis: sic tamen, vt si contigerit post eius transitum electionem fieri, non debeat ordinari, qui electus fuerit, nisi post decretum generale introducatur in vrbem regiam, secundùm antiquā consuetudinem: vt cum eorum scientia & iussione debeat ordinatio provenire. Chintilam Rege defuncto, Tholgan filius eius regnat adhuc puer apud Visigothos annis quatuor. Gens Bulgarorum à Scithia egrediens debacchatur per Thraciam Barbara duce: quibus occurrens Constātini exercitus, turpiter ab eis fugatus est, & graviter attritus: & adeo per Romanam rempublicam eorum incursus invaluit, vt Constantinus cum eis facta pace, annua pacta eis solvere sit coactus. Ab hinc ergo Bulgarorum regnū cœpit. Agatho papa infirmatus, arcarium, juxta consuetudinē, instituit. Luna ecclypsin pertulit mense Iunio, die octavo; & gravissima mortalitas subsecuta est eodem mense, & Augusto, & Septembri, in vrbe Roma: qualis nec aliorum temporibus Pontificum fuisse memoratur: ita vt parentes cum filiis, & fratres & sorores binata per lecta ad sepulchra deducerentur.

681.

Sexta Synod⁹ vniuersalis apud Constantinopolim congregatur, Episcoporum centum quinquaginta: in qua Georgius Constātinopolitanus ab errore Monothelitarum revocatur. Macharius verò Antiochenus, & cūcti duas voluntates & operationes in Christo negātes, anathematizantur. In ipsa Synodo exurgens Basilius Trecēsis Episcopus, orarium ei abstulit, jubente Synodo & Principe; & anathematizantes

eum foras Synodum projecerunt: & thronum ejus, & Stephanum ejus discipulum Romani clerici cervicibus extruferunt foras Synodū. Eadem hora, & antè, telæ aranearum nigerrimæ in medio populi ceciderunt; vt omnes mirarentur, quòd sordes hæresum expulsæ sunt, & Deo auxiliante vnitæ & mundatæ sunt Ecclesiæ. In locum verò Macharij ordinatus est Theophanius Abbas Boras insulæ Siciliensis. Macharius verò cum suis amatoribus, idest Stephano, & alio Anastasio ex Presbyteris, Leontio exdiacono missi sunt Comam in exilium, & inclusi. Deinde ablata sunt de diptychis Ecclesiarum, & de picturis Ecclesiæ, vbicumque esse poterant, nomina Patriarcharum, Cyri, Sergij, Parvi, Pauli, Petri. Tunc Ioannes Episcopus Portuensis, qui erat ex missis Domini Papæ, die Dominica in octavis Paschæ, in Ecclesia sanctæ Sophiæ, publicè coram Principe & Patriarchis Missas latinè celebravit.

Tela aranearum heresin denotat.

682. Sanctus Leodegarius ab Ebroino capitur, & cum fratre suo Gerino, graviter affligitur. Gerinus non multò pòst lapidibus obruitur. In Italia trib' æstivis mensibus grauissima hominum mortalitas facta est. Illa scilicet de qua in anno tertio ante istum, ex gestis Romanorum Pontificum, post ecclipsin lunæ narratum est. Post Muhaniam, apud Saracenos regnat Greith filius ejus annis tribus.

683. In Anglia claret Edeltrudis Regina, Annæ Regis Anglorū filia; quæ tribus viris nupta, virgo permansit: cujus mortuæ corpus post vndecim annos sepulturæ suæ, (secundum Bedam,) cum veste qua involuta erat, incorruptū inventū est. Agatho fecit Episcopos. XVIII. & obijt die quarto mensis Ianuarij, & cessavit Episcopatus anno vno mensibus septem diebus quinque.

684. Leo 2. Post quem octogesimus secundus sedit Leo iunior secundus huius nominis, natione Siculus, mensibus decē, diebus septemdecim; vir eloquentissimus, in diuinis Scripturis sufficienter instructus, Græcè Latineque eruditus, cantilena & psalmodia præcipuus, lingua scholasticus. Hic suscepit sextam Synodum nuper celebratam, in qua condemnati sunt Monothelitæ: à qua hæresi postea resipuerunt Anastasius Presbyter, & Leontius Diaconus. Hic Leo fecit Constitutum, vt qui ordinatus fuerit Archiepiscopus, nullam consuetudinē pro vsu pallij, aut diversis officijs Ecclesiæ, persoluere debeat. Hujus tempore, mense Aprili, die 16. Indictione 11. luna tota penè nocte sanguineum vultum habuit, & post Gallicantum cœpit paulatim delimpidari. Hic primus in Iunio ordinavit. Ordinatus est à tribus Episcopis, Ostiensi, Portuensi, Belliternensi: quia Albanensis Ecclesia Episcopū non habebat. Fecit Episcopos 23. Ravennas Ecclesia censura Imperatoris sub ordinatione Sedis Apostolicæ restituta est: scilicet, vt qui in ea electus fuerit Episcopus, in vrbem Romam veniat ordinādus. Egfridus Rex innoxiam Hiberniæ gentem graviter depopulatur. Tholgane à Vuisigothis propter levitatem pueritiæ reprobato, & in clericum tonsurato, Chinthasindus regnat annis 20. Leo iunior Papa mortuus est 5. Nonas Iulij, & cessavit Episcopatus mensibus vndecim, diebus viginti duobus.

685. Benedict' 2. Post quem sedit octogesimus secundus Benedictus iunior, secundus hujus nominis, natione Romanus, mensibus decem, diebus duodecim. Hic ab ineunte ætate sua Ecclesiæ militavit; & sic se exhibuit in Presbyterij dignitate, vt decet virum suo nomine dignum. In Ecclesia beati Valentini fecit coopertorium super altare cum clavis in fiscellis, & in circuitu palergium crisenclavum pretiosissimum: & in Ecclesia beatæ Mariæ ad Martyres coopertorium porpureū, cum cruce & gemmulis, & quatuor auro clauos, & in circuitu palergium holosericum pulcherrimum. Hic vnà cum clero & exercitu suscepit mallones capillorū domni Iustiniani & Heraclij filiorum Principis: & iussionem, in qua significabat, eosdem capillos direxisse. Hujus tempore apparuit stella noctu juxta vergilias per dies aliquot, cælo existente sereno, inter Natale Domini & Theophaniam, omnimodo obumbratâ velut lunâ sub nube. Item mense Februario post natale sancti Valentini, ab Occasu exijt stella meridie, & in partes Orientis declinavit; & pòst mense Martio mons Vesuvius in Campania eructauit per dies, & omnia loca circumquaque præ multitudine cineris ipsius exterminata sunt.

Vesuvius cineribus multa loca perdit.

Hic dimisit omni clero post obitum suum, & monasterijs, & diaconiæ, & mansionarijs, auri libras triginta. Fecit Episcopos duodecim. Obijt octauo Idus Maij; & cessauit Episcopatus mensibus duobus, diebus quindecim. Gzith mortuo Maihuan regnat Saracenis anno vno. Theodericus Rex Ebroinum in gratiam recipit, ejusque consilio Synodum Episcoporum cogit; quorū multos ex sententia Ebroini Episcopatu priuat, alios irrevocabili exilio damnat. Sub hac persecutione Sanctus Lambertus à Trajectensi Episcopatu amotus, in cœnobio Stabulaus quietis otium expetijt; vbi per annos septem habitavit secum Sanctus Leodegarius diu cruciatus ab Ebroino, post famem & carceris squalorem, post oculorum evulsionem, post plantarum concisionem, post linguæ & labiorū abscissionē, tandem capitis obtruncatione martyrium consummauit. Ansegisus pater Pipini à Gunduino perimitur: quem ipse inventum & nutritum de sacro fonte susceperat, & ad maximos honores militiæ provexerat. Lother, qui & Lotharius Rex Anglorum, jaculo vulneratus, vt suprà dictum est, inter medendum moritur: post quē regnat Egdric, qui & Edricus, Egbertī filius, annis duobus non plenis; inimicos perpetuos habens Edunallam cum fratre Mollone; qui Mollo compulsus fugere in quoddam tugurium, incenso illo inter flammas animā ructavit. Tunc sex annis Rex non fuit in Cantia. Egfrid' Rex Nordannimbrorū, maritus Edeltrudis Reginæ, à Pictis, vt supradictum est, hoc anno perimitur. Postquem frater ejus Alfridus regnauit annis 19. in summa pace & gaudio provinciæ: excepto quòd magnum Vulfridum persecutus est. Picti & Scoti & Brittones Anglos nimis premunt; & libertatem, quam olim per Anglos perdiderant, recipiunt, & multam Angliæ partem invadunt. Sanctus Amatus Senonensis Episcopus à Theodorico Rege, consilio Ebroini exiliatur. Sanctus Kilianus Scotus Vintiburgensis Episcopus claret,

686. Ioannes 5. Ioannes Papa quintus huius nominis, natione Syrus, ex Antiochiæ Provincia, sedit octogesimus quartus, anno vno, diebus quatuordecim. Hic juxta priscam consuetudinem in Ecclesia Constantini electus est, & exinde in Episcopio introductus. Begga relicta Ansegisi se & sua Deo mancipat, & monasterium Andennense fundat. Constantino Imperatore mortuo, Iustinianus

filius ejus imperat annis decem. Post Maruhan Saracenis regnat Habdalam anno vno. Legitur in gestis Romanorū Pontificum, quòd tempore Ioannis Papæ Iustinianus pacem constituit cum Saracenis decennio, terra marique: & provincia Africæ subjugata est Romano Imperio. Ioannes Papa dimisit omni clero, & monasterijs, & diaconiæ, & mansionarijs mille solidos & nonaginta. Fecit Episcopos 13. Obijt, & cessauit Episcopatus mensibus duobus, diebus quatuordecim. Post hunc octogesimus quintus sedit Conon, oriundus ex patre Thrace, sed educatus apud Siciliam. Deinde Romam veniens, & eidem Ecclesiæ militans, sedit mensibus vndecim. Erat aspectu Angelicus, veneranda canitie, sermone verax, ætate perfectus, animo simplici, quietis moribus, religiosæ vitæ. Numquam se in causas actusque seculares commiserat. Hic absq; consensu cleri, ex immissione malorum hominū, Constantinum Diaconum Ecclesiæ Siracusanæ hominem pravum & terginersutum Rectorem constituit in patrimonio Siciliæ: sed & mantulos .... autem ei dedit. Sanctus Cutbertus Episcopus Anglorum obit. Habdimelech Saracenis imperat annis 22. Inter quem & Iustinianum pax convenit, vt Saraceni solvant Romanis singulis diebus mille numismata, & servum, & equum Vulfredo majore domus mortuo, Pipinus filius Ansegisi principatur in Austria cum duce Martino: quibus congressus Ebroinus, vt suprà dictum est, Martinum peremit, & victoriam obtinuit, Apud Longobardos post Pertharith, Caniperth filius ejus regnat annis duodecim. Egdric Anglorum Rege mortuo, externi Reges gentium regnum Anglię disperdūt & discindunt annis quatuor, vel secundum alios annis sex. Conon Papa longa infirmitate detentus obijt vndecimo Calendas octobris, & cessavit Episcopatus mensibus duobus diebus 23.

687. *Conon.*

Post quem octogesinus sextus Sergius, natione Syrus de Antiochiæ regione ortus, ex patre Tiberio in Panormo Siciliæ. Hic Romam veniens, sub Adeodato Papa, studiosus & capax erat in officio cantilenæ: ex qua gratia vsque ad Episcopatum ascendit per ordinem. Cum hoc electi sunt Theodorus Archipresbyter, & Paschalis Archidiaconus. Theodorus verò se humiliavit & quieuit: Paschalis autem nolebat; donec coact' eum recepit. Qui tamen clanculò non cessabat mittere Ravēnam, & promittere Ioanni exarcho cognomento Platin, centū auri libras. Qui Romam veniens, non potuit Paschalem adjuuare: quia jam Sergius confirmatus erat; sed tamen aurum promissum exegit ab Ecclesia sancti Petri. Pro qua re Sergius cantaros & coronas, que pēdebant ante altare beati Petri, deponi fecit, & pignori tradi. Sed nō propter hoc exarchus flexus est, donec auri centū libras accepit. Paschalis non multò post ab Archidiaconatu depositus est, non solùm pro hac re; sed etiam pro aliqua incantatione, & lucis quos colebat; & sortibus, quas cum alijs respectoribus tractabat; & in monasterio retrusus est, post quinquennium impœnitens defunctus. Zacharias autem protospatarius missus à Iustiniano hæretico, vt Sergium Papam mitteret Constantinopolim, abscondit se sub lecto Pontificis præ timore Romanorum, ne eum occiderent: vbi præ timore perdidit sensum: quem tamen Papa confortabat; qui cum injurijs & contumelijs à Roma expulsus est. Hic Sergius in sacrario beati Petri invenit capsā argenteā in loco obscurissimo multæ annositatis, ita vt argentea non appareret, & Deo revelante; in quo sigillum erat expressum, & in sigillo plumatium holosericum superpositum; quod stauraci dicitur. Quo ablato invenit crucem diversis lapidibus pretiosis exornatam: de qua tractos quatuor petales, in quibus gemmæ clausæ erant miræ magnitudinis, inestabilem portionem ligni Dominici inuenit repositam. Quod lignū die exaltationis sanctæ crucis adoratur, & osculatur ab omni populo. Hic constituit, vt hora confractionis Dominici corporis, *Agnus Dei* à clero & populo decantetur: & vt in die Annūtiationis Domini, & Dormitionis, & Nativitatis sanctæ Dei Genitricis, & sancti Simeonis, qui Hipapanti dicitur, exeant letaniæ à sancto Adriano, & ad sanctam Mariam populus concurrat. Hic corpus primi Leonis Papæ divina revelatione transposuit. Hic ordinavit Bertoaldum Archiepiscopū Otauniæ, & Clementē, id est Villebrordum Frisonum. Fecit Episcopos centum & septem. Sedit annis tredecim, mensibus octo diebus viginti tribus. Innocentia & meritum sancti Leodegarij multis miraculis declaratur.

688. *Sergius.*

Iustinianus pacem cum Saracenis factam solvens, mala eis intulit; sed pejora ab eis pertulit. Ebroinum majorē domus Neustriæ Francos opprimentem Ermenfridus perimit, & ad Pipinum confugit. Vuaratho pro Ebroino major domus constituitur. Iustinianus pacem cum Bulgaribus factam solvit, eisque concurrens primò vincit: pòst ab eis exceptus, vix evasit. Inter Pipinum & Gislemarum Vuarathonis filium apud Naumurū castrum pugna cōmittitur: nec multò pòst Gislemaro divinitus punito, & Vuarathone mortuo, Bertharius gener Vuarathonis fit major domus regiæ. Franci à Berthario aversi, affectant per obsides amicitiam Pipini, eumq; instigant contra Berthariū. S. Audoënus, & Theodorus Anglorum Archiepiscopus, & S. Amatus obierunt. Theodericus rex simul cū Berthario, Pipino congressus vincitur. Berthari' à suis perimitur: Theodericus à Pipino capitur. Pipinus Neustriam sibi subjugat: & sub Theoderico solus toti regno principando statum rerum meliorat: S. Lambertum in Trajectensi præsulatu relocat, Vuicred filius Egberti regis religione & industria confortatus, gentem Anglorum ab oppressione exterorum liberat, & super eos regnat annis 36. cùm apud suos invidiā pressisset industria, & apud hostem pacem locasset pecunia: magna spe civium allectus in Regem. Hic domi civilis, bello invictus, religione Christianissimus, potestatem suā amplissimè porrexit. S. Remaclus obit. Alahis Dux fatigato Cuniperth, regnum Longobardorum arripit: quem Cuniperth in bello peremit. Vuillebrordus cum sociis duodecim veniens ab Anglia, sanctitate claret in Gallia.

689. 690. 691.

Beatus Ansbertus post beatū Audoënum fit Rothomagēsis Episcopus. Hic fuit de pago Vilcassino, & patrimonio, vocabulo Calorgio. Huic desponsata fuit Andtagesina virgo, filia Roberti viri illustris, & geruli annuli Regis Clotarij. Qua orante, vt speciositas eius in deformitatem verteretur, mox leprosa apparuit. Adhibebantur medici: sed quanto plus laborabant, tantò turpior apparebat. Sciscitatur eius pater, si vellet in virginitate permanere: respondet se semper hoc dedesideraſſe. Lætificatus sponsus ejus Ansbertus,

692.

dissociabilem condit libellum, vt jam non sua, sed Christi sponsa vocaretur. Quo facto mittitur sancta Angadersina Rothomagum ad sanctū Audoënum: à quo consecrata & velata, pristinę pulchritudini restituta est. Deinde efficitur gubernatrix cœnobij Oratorij, quod situ est iuxta muros vrbis Belvaci. Post hæc cùm beatus Ansbertus corā Rege Clothario & principibus musica instrumenta audiret, ajebat sibi. O bone cōditor. quale erit diligentibus te, canticum indeficiens Angelorum audire in cœlis: si talia sunt cantica hominum in terris. Post hæc factus est monachus in Fontanellæ monasterio, sito in pago Rothomagensi super Sequanā; vbi tunc præerat beatus Vandregisilus, qui & Vando, Ansegisi majoris domus ex Valchso fratre nepos: qui duo præclara Cenobia, Fescannum & Fontenellam construxit. Hic vidēs Ansbertum acuti ingenij, diversorum voluminum ei copiam tribui fecit. In Conventu orationi prior omnibus se præsentabat. Rogavit etiam beatum Vandregisilum, vt licitum sibi foret, in opere quotidiano cum licentia patris extra solitum fratrum opus insistere. Presbyter consecratus est à beato Audoëno. Predixit Theoderico adolescenti, quòd Rex futurus esset. Ad cuius prophetiæ fidem, ager in quo tunc erat, sub hiemali tempore viridē produxit herbam, cęteris agri partibus perpetuò viridiorem. Post beatum Vandregisilū, qui fuit Abbas annis fere viginti, electus est Lambertus Tavernensis. Thodericus autem Rex largitus est patrimonium suum vltra Rhodanum, in regione Provinciæ, ut monasterio Fontanellæ ministraret in oleo, & cæteris necessarijs. Hic Lambertus postea factus est Episcopus Lugdunensis, post beatum Genesium: & beatus Ansbertus tunc factus est Abbas Fontanellæ post eundem Lambertum. Erat in vestitu vilis, in cibo mediocris. Constituit in suo monasterio xenodochium imbecillium ac decrepitorum pauperum, in quibus duodecim pauperes reciperentur: & alias duas domos infirmorum, in quibus octo reciperentur Sub prędicto autem Lamberto Erembertus Tholosæ Episcopus, & sanctus Presbyter Condredus, & anachorita de Britannia insula, facti sunt monachi in Fontanellæ mōnasterio. Post beatum Audoënum sanctus Ansbertus Episcopus factus est. Morabatur tunc Rex in villa Clepiaco, in pago Parisiaco: cuius confessor erat sanctus Ansbertus, cùm de regni negotijs tractaretur. Factus Episcopus, crevit gratijs, decrevit metallis Quadam die expletis Missarum solemnijs cunctos cives Rothomagenses, tam nobiles, quàm ignobiles, introduci jussit ad pręparata convivia: vbi cunctis dispositis recūbentibus, ipse ad mensam pauperum resedit. Census qui de villis publicis canonico ordine ad partem Pontificis persolui consueverat, in restaurationem Ecclesiarum Presbyteris indulsit. Dedit privilegium monachis Fontanellensibus, vt semper ex sementipsis Abbatem eligerent: in quo tamen privilegio alligavit eos sub vinculo Anathematis; si vel ipsi, vel posteri eorum à Regula sancti Benedicti deviarent: Quod privilegium factū est anno Incarnationis Domini 682. anno Theodorici 16. Episcopat' beati Ansberti quinto, indictione decima, in vrbe Rothomago, in Synodo generali. Corpus beati Audoëni trāstulit in editiorē locū Ecclesię sancti Petri in suburbano Rothomagi: & condidit super ejus sepulcrum repam miræ magnitudinis, auro & argento & gemmis adornatam, in die Ascensionis Domini; completisque Missarum solemnijs plebem innumeram invitari fecit ad cōvivium. In quo convivio ipse servivit pauperibus & egenis. In hoc convivio de dato ipsius refecti sunt omnes cives Rothomagi, & habitatores monasteriorum circumadjacentium, clerici, & sanctimoniales. Incusatus apud Pipinum Principem, jussu ejusdem depositus est in exilium, apud Altum montem, quod situm est in territorio Hagnauvo super Sābertem fluvium, cui tunc præerat Haldulfus Abbas. Quod exilium humiliter subijt nullo extante crimine; memorans, quod alicubi legerat, Magni viri multa patiuntur: & vt alios doceant, nati sunt in exemplum. Recōciliatus apud Regem, petijt ab eo humiliter, vt licitū foret sibi, corporis sui membra post mortem ad monasterium referri. Eo mortuo, cùm sudariū capiti ejus imponeretur, visus est aperuisse oculos. Lampas ante ejus sepulchrum à fidelibus accensa, incessanter non solùm ardebat, sed etiam redundabat: ita vt sub ea poneretur vas, in quo eius redundantia refunderetur. Superiori tempore ponere debuimus, quod hic ponimus. Florebat eo tempore sanctus Hildevertus natus in civitate Meldensi, cui Episcopus præfuit. Quinquennis traditus est sancto Faroni, sacris literis imbuendus. Convitia sodalium patientissimè portabat. Ex quo Presbiter à sancto Farone factus est, semper cilicio ad carnem vsus est Monitu sancti Faronis monasterium petijt: post beatum Faronē Episcopus factus est. Iuxta vrbem Meldensium habebatur Ecclesia sanctæ Crucis, in qua quōdam sepultum fuerat corpus sancti Faronis. In huius Ecclesiæ atrio Meldenses mortuos suos sepeliebant. Accidit autem, vt quidam maligni viri beatum Hildevertum peterent, vt in illo atrio sibi aliam Ecclesiam liceret ædificare, quod & factum est. Sed idem templū avaritiæ studio fabricatū nocte præcedente qua in crastinū dedicari debuerat, funditus corruit. Quo timore perterritus beatus Hildevertus & pœnitentia ductus Romam adijt ad Bonifacium Papam, vt pœnitentiā sibi iniungeret super hoc peccato: qui post satisfactionem ab illo missus est ad prædicandum. Introiens autem per singulas domos, dicebat, pax huic domui, pax ingredientibus & egredientibus: & sic verbum incipiens ad finem vsque complebat. Hoc faciebat vsque Ierosolymam, progrediens & revertens. Septimo anno egressionis suæ retulit Papæ, quæ gesserat. Rediens autem in Galliam cum auctoritate Domini Papæ, in loco qui dicitur Latiniacus, invenit monachum, nomine Furseum, sanctitate præcipuum, cui Angelus Domini per visum astitit dicens. Hildevertus Episcopus mane venturus est ad te; cui à Domino peccata noveris esse dimissa. Vide ergo, vt eū suscipias cum honore. Ad hunc cùm veniret sanctus Hildevertus, proiecit se ad pedes ejus. Quod ille videns, ruit in faciem suam. Deinde pervenit Hildevertus in vicum quemdam septimo ab vrbe Meldēsiū milliario; vbi Ecclesiam in honore beatę Mariæ ipse fundaverat, quam postea dedicavit, & ibi Missam celebravit: cumque ibi de manibus vnātos extraxisset, apposuit eos radio solis, & sustentati sunt ab eo trium horarū spatio. Deinde suscitavit quemdam puerum sine baptismo mortuum, quem baptizans vocavit Aldebertum, &

Adjuratio pro Regula S. Benedicti servanda.

Sentētia memorabilis.

S. Ildeverti pœnitentia

Chirothecas intellige.

nomine patris sui, quem juxta se mandavit sepeliri, septimo anno postea moriturum. Mortuus est autem beatus Hlevertus 7. Cal. Iunij. Horum duorum corpora beatus Maiolus Abbas ex revelatione Angelica postea levauit de terra, ipse & Episcopi plurimi.

693. Theodericus Rex Francorum obit, post quē Clodoveus filius eius regnat annis 4. vel secundum alios annis duobus. Theodericus autem regnavit annis novemdecim, qui Clodoveū istum genuit ex Regina Crothilde. Bertharius autem, de quo suprà dictū est, qui fuit gener Varathonis, fuit statura pusill⁹, & stult⁹, & inutilis. Saraceni Romanos gravissimo bello atterūt. Euvald⁹ Abbas & Euvaldus niger presbyteri, venientes ab Anglia, martyrizantur in Gallia, & iussu Pepini sepeliuntur in Colonia.

694. Pipinus Raboldum ducem Frisonū bello vincit: & Vuillebrordum genti illi ad prædicandum dirigit. Killiani Viotiburgensis Episcopi discipulus Aruval, Adamanus Abbas, Adelmus, & Vuinfridus Episcopi, clarent in Anglia.

695. Iustinianus hæreticus sanctam sextam Synodū infirmare nititur: Sergium Papam sibi resistentem Ecclesia deturbare frustra molitur. Ecclipsis hora diei tertia facta est; stellis in cælo clarè apparentibus.

696. Beda venerabilis Presbyter & monachus claret in Anglia, tricesimū ætatis annū agens.

697. Leo Patricius Iustinianum regno privat; eumque naso & lingua truncatum exiliat, & regnat annis tribus. Hoc tempore dicit Beda sanctum Cutbertum obijsse, hoc modo loquens in libro de temporibus. [Reverendissimus Ecclesiæ Lindisfarnensis in Britania, ex anachoreta Antistes, Cutbertus, totam ab infantia vsque ad senium vitam miraculorum signis inclytam duxit: cuius corpus humatum post annos vndecim incorruptum, velut eadem hora defunctum, simul cum veste qua tegebatur, inventū est: quod in libro de vita & virtutibus eius prosa nuper, & hexametris versibus ante aliquot annos, ipsi signauimus. [Clodoveus Rex puer mortuus est: post quem regnauit Hildebertus, qui & Childebertus, frater eius, annis 18. vel secundū alios 17. Cuius maior domus fuit Grimoaldus Pipini filius, ex vxore nobili Plectrude: ex qua & genuit idem Pipinus Drogum ducē Campaniæ. Vuillebrodus à Sergio Papa Clemens agnominatus, & Episcopus Frisonum consecratus, ex domo Pipini, sedem Episcopalem statuit apud Vltraiectum; idest Vulcarum oppidum, qui de Britannia gentis Anglorum fuit. Sanct⁹ Killianus Episcopus cum dicipulis suis Cholomanno & Tholmano, martyrizatur apud Viziburch castrum Ostro franciæ, à Geilana vxore Gotberti principis Vuiziburgensium: quæ timebat separari per eum à viro suo; quia Killianus eum arguebat, quod vxorem quondam fratris sui haberet. Horum mors cùm diu omnes lateret, ipsa Geilana & percussoribus Martyrum arreptis à dæmonio, eorum confessione divulgata est.

Beda S. Cutbertum prosa & versib. celebrauit.

698. Sanctus Vrsmarus per interuentum Hildulfi principis, Lobiense Cœnobium ad regendum suscepit. Synodus Aquileiæ facta, ob imperitiā fidei, vt ait Beda, quintum vniuersale Conciliū à Iustiniano magno, & Vigilio Papa Constantinopoli celebratum, suscipere diffidit; donec salutaribus Sergij Papæ monitis instructa consensit. Sanctus Lambertus Pipinum Principem increpare ausus, quòd pellicem Alpaidē Plectrudi legitimæ vxori suæ superduxerit, à Dodone fratre ipsius Alpaidis Leodij martyrizatur, & Trajecti tumulatur: eique sanctus Hugbertus Episcopus subrogatur. Beda dicit, Leonem imperasse annis trib⁹; sed in chronicis non computātur in imperio eius, nisi anni duo. Huic Leoni Tiberius, qui & Absimarus, nasum abscidi fecit, & eum in custodia retrudi: & post eū imperavit annis septem.

Synodus Aquileiēsis ex imperitia 5. Concilium suscipere cūctatur.

S. Lambertus necatur.

699. Drogo filius Pipini dux Campaniæ moritur, & Grimoaldus frater eius à Pipino major dom⁹ statuitur in aula Regis Childeberti: eique filia Raboldi Frisonum ducis Theosinda in vxorem datur. Hic Grimoaldus ex concubina genuit Theudoaldum. Mortuo Cuniperth Longobardorum Rege, Luitperth filius eius puer regnat, Ansprandum tutorē habens. Dodo interfector sancti Lamberti pessimo dolore cruciatur, à vermibus consumitur, & ob intolerabilem fœtorem in Mosam fluvium projicitur: omnesque hujus culpæ complices infra annum divinitus puniuntur. Percussor verò sancti Martyris fratri suo cōgressus, alter ab altero perimitur.

S. Lamberti interfectores infra annum pereūt.

700. Romani pervagantes Syriam, perimunt ducenta millia Saracenorū, Regimbertus dux Taurinensium Anspradum tutorem Regis Luitperti bello superat, & anno vno regnat.

701. Terbellis Bulgaribus dominatur. Mortuo Regimberto, Ariperth filius eius, Ansprando in congressu victo, Luitpertū Regem capit & perimit: Ansprandum in Bajoariā fugere compellit: filiumque eius juniorem Luitprandum ad patrem suum fugere permittit, & annis novem regnat. Chintasindus senio confectus regnum Visigothorum dimittit. Post quem regnat filius eius Flavius Resisvindus. Sanctus Benedictus Abbas Anglorum obijt.

702. Sergius Papa obijt 7 Idus Septembris, & cessavit Episcopatus mense vno, dieb⁹ viginti. Post quem octogesimus septimus sedit Ioannes quintus huius nominis, natione Græcus, annis tribus mensibus duobus, diebus duodecim: qui fecit Episcopos sexdecim. Iustinianus de exilio fugiens, ad Cajanum Regē Avarorum se contulit.

Ioannes 5. Papa 87.

703. Cajan⁹ pecunia corruptus à Leone Imperatore, cùm vellet Iustinianū ei ꝓdere, Iustinianus ad Terbellem Regem Bulgarorū fugit. Beda. Gilvifer dux gentis Longobardorū Beneventi Cāpaniam igne & gladio & captivitate vastavit. Ad missis donarij s plurimis cum Sacerdotibus, Ioannes Papa Sergij successor, vniuersos redemit captivos & hostes domum redire fecit; cùm non esset, qui eis resisteret. Qui Ioannes obijt, & cessavit Episcopatus mensibus quinque, dieb⁹ octodecim.

704. Post quem octogesimus octavus sedit alius Ioannes, sextus hujus nominis, natione Græcus, de patre Platone, annis duobus, mensibus sex, diebus septemdecim; vir eruditissimus & facundus. Huius temporibus Aripertus Rex Lōgobardorum donationem patrimonij Alpiū Scotiarum, quod ab eadem gente detinebatur, aureis literis exaratam, beato Petro reformavit. Hic Ioannes inter alia opera illustria, fecit oratoriū sanctæ Dei Genitricis opere pulcherrimo, intra Ecclesiam beati Petri. Alfrido Nordanimbrorū Rege mortuo, Osredus regnat annis duodecim; qui puer annorum octo regnare incepit: & totam vitam suam turpiter Sanctimonialium stupris exegit, & tandem cognatorum insidijs occisus est.

Ioannes 6. Papa 88.

705. Iustinianus exul auxilio Terbelli

Bulgarorum

Bulgarorum Regis regnum recipit: Leonē, qui locum eius occupaverat, & Tiberium successorem eius, qui eum de regno ejectum, toto quo ipse regnabat tempore, in eadem civitate in custodia tenuerat, cepit, & in medio circi coram populo jugulari præcepit. Callinicum verò Patriarcham erutis oculis misit Romam; & dedit Episcopatum Cyro, qui erat Abbas in Panto, eumque alebat exulē. Hic Iustinianus quotiens à naso sibi abscisso defluentem reumatis guttā detergebat, pene totiens aliquem ex his, qui cōtra eum conspiraverant, jugulari iubebat. Imperauit autem secundò cum Tiberio filio annis septem, secundùm Bedam annis sex. Ioannes Papa fecit Episcopos nouem decim, obijt 15. Cal. Novembris, & cessauit Episcopatus mensibus septem. Post quem octogesimus nonus sedit Sisinnius natione Syrus, diebus viginti. Hic adeò podagricus fuit, vt non cibū manibus proprijs sumere valeret: sed cōstās erat animo, & curā habens de habitatoribus vrbis hujus: & calcareas pro restauratione murorum perquiri fecit. Fecit Episcopum vnū in insula Corsica. Morte repentina defunctus est, & sepultus octauo idus Novembris; & cessavit Episcopatus mense vno, diebus 18. Postquem nonagesimus sedit Constantinus, natione Syrus, annis sex, diebus quindecim. Sub hoc facta est Romæ fames valida per annos tres: post quam tanta fuit vbertas; vt præterita inopia oblivioni traderetur. Eodem tempore Felix Archiepiscopus Ravennas lumine privatus està Iustiniano, & missus in exiliū in Pontū: quia fuerat auctor seditionis contra eum. Sclaui Italiam infestant.

Sisinnius Papa 89.

706. *Constantin. Papa 90.*

707 Cohered & Offa Reges Anglorum Romam veniunt; ibique in monachos attonsi, Christo seruiunt. Offa Rex Merciorum fuit tunc temporis potentissimus.

708. Iustinianus pacem cum Bulgaribus pactam soluit: eisque congressus vix evasit. Picti & Scoti Paschalis observantiæ ritū suscipiunt.

709. Post Abdimelich Saracenis imperat Vlid annis septem, Hildeberto monarchiā regni Francorum tenente, Archangelus Michaël apparens Autberto Abrincatensi Episcopo, monuit semel & iterum, vt in loco maris, qui propter eminentiā sui tumba vocatur, fundaret Ecclesiam in memoriam sui; volentis talem venerationem exhiberi sibi in pelago, qualis ex hiberetur in monte Gargano. Interim taurus à latrone furtim raptus in illo loco religatur. Vnde Episcopus tertiò admonitus, vt in illo loco fundamentum jaceret, vbi taurum religatum inveniret: & sicut eum terram pedibus protriuisse videret, sibi Ecclesiæ ambitum duceret, Ecclesiam in honore sancti Michaëlis instituit in loco, qui modo dicitur in periculo maris. Vsitatiùs autem dicitur mons sancti Michaëlis. Et sciendū, quod de veneratione sancti Michaëlis in monte Gargano, cujus memoria recitatur semel in anno in Martyrologio tertio Calendas Octobris, historiam invenire non potui. In qua tamen festivitate memoria huius secundę apparitionis in pluribus Ecclesijs legitur, nescio qua de causa; nisi fortè ideo, quia illius primæ venerationis in monte Gargano historia non invenitur. Credo tamen eam haberi ab aliquibus; sed in manus meas nondum venit.

Ecclesia S. Michaelis in periculo maris.

710. Adrianus Abbas Anglorum, qui cum Theodoro Archiepiscopo à Vitaliano Papa in Angliam missus fuerat, obijt. Eodem anno, secundùm Vuillelmum Malmesburiensem, mortuus est. Adelmus, quatuor annis Episcopatu functus; qui librū de Virginitate scripsit ad Virgines Bertigenses. Iustinianus Imperator fidem orthodoxam amplexus, Constantinum Papam ad se Constantinopolim invitat: eumque venientem & redeuntem gloria Apostolico digna honorat. Vnde legitur in gestis Romanorum Pontificum. Constantinus Papa ad mandatum Iustiniani perrexit Constātinopolim: & ipse cum suis primatibus ingressus est vrbem cum sellis & frenis inauratis, & mappulis, gestans camelaucū, vt solitus est Romæ procedere. Deinde occurrit Imperatori apud Nichomediam: & Imperator prostratus in terram, osculatus est pedes eius. In eundo & redeundo fecit Episcopos quadraginta duos. Sanctus Hugbertus cælitus admonitus corpus sancti Lamberti à Trajecto Leodiū cum magna miraculorum gloria refert, sedemque Episcopalem in eandem vrbem transfert. Ansprandus cum Bajoarijs Italiam repetit; cùm Aripert confligit: eoque fugiente, & in fluvium demerso, regnum Longobardorum recipit. Qui post tres menses mortu' est. Post quem Luitprādus filius ejus regnavit annis triginta duobus.

711. Sancta Oda vxor Hocchi ducis Aquitanorū sanctitate claret in Gallia: quæ sua munificentia ditauit Ecclesias Dei; & moriens in Leodiensi parochia requieuit.

712. Philippicus, qui & Bardonius, Iustinianum Imperatorē jugulat: & post eum imperat annis duobus. Cujus nomen & literas & figuram Constantinus Papa, populusque Romanus, tanquam hæretici, suscipere renuit.

713. Grimoaldus major domus, Leodij ante altare sancti Lamberti orās, à Taingario satellite Rabbodi ducis Frisonum perimitur: & Theobaldus filius Drogonis ab avo suo Pipino major domus statuitur. Hæc Sigebertus. Sciendū tamen, quòd Theodoaldus iste, non filius Drogonis, sed filius ejusdē Grimoaldi, superiùs dictus est, ex concubina genitus.

714. S. Vrsmarus Episcop' & Abbas Lobiensis Cœnobij obijt: eique sanctus Herminus succedit. In gestis Romanorum Pontificū, post tertium mensem, quod Iustinianus tam gloriosè Constantinum papam susceperat, ipse Iustinianus à Philippico occisus est. Pro cuius prauo dogmate, imago, quam Græci botaream vocant, continens sex sanctas & vniversales Synodos, in Ecclesia beati Petri recitata est. Eo tempore Felix Archiepiscopus Ravennas pœnitentia motus, licet lumine privatus, redijt ad propriam sedem. Hoc tempore duo Reges Saxonū cum alijs plurimis venientes ad limina Apostolorum, velociter, vt optabant, mortui sunt. Tunc Benedictus Mediolanēsis Episcopus altercavit pro Ecclesia Ticinensi; sed victus est; quia ad consecrationē Sedis Apostolicæ pertinebat. Constantinus Papa fecit Episcopos quatuordecim, & obijt 6. Idus Ianuarij: & cessavit Episcopatus diebus quadraginta. Post quem nonagesimus primus sedit Gregorius secundus hujus nominis, natione Romanus, annis sexdecim, mensibus novem, diebus vndecim: temporibus Anastasij secundi, Leonis & Constātini.

Gregorius 2 Papa 91.

715 Arthemius enim, qui & Anastasius, Philippicum privans imperio, & oculis, imperavit. Hic Gregorius sub sancto Sergio curam bibliothecæ habuit. Hic in exordio Episcopat' sui calcarias decoquere jussit, & incœpit restaurare muros civitatis: sed multipliciter impeditus est. Hic constituit in quadragesima etiā

quinta fecit jeiunandū, quod antea non fiebat. Petronay civis Brixianus, divino instinctu, & Gregorij Papæ animatus hortatu, Cœnobium sancti Benedicti apud castrum Cassinum nobiliter reædificat: & sub regimine suo multos ad regulariter serviendum Deo aggregat, & expletis plus centum decem annis, ex quo à Longobardis desolatum fuerat. Beda in chronicis suis, dicit Philippicū regnasse anno vno, mensibus sex: & eiecisse Cyrum de Pontificatu, eumque remisisse in Pontum, ad gubernandum monasterium suum vice Abbatis; & Constantino Papæ misisse literas pravi dogmatis, quas ille cum Apostolicæ sedis Concilio respuit: & hujus rei causa fecit picturas in porticu sancti Petri, quæ acta sex sanctorum Synodorum continerent. Nam & hujusmodi picturas, cùm haberentur in vrbe Regia, iusserat Philippicus auferri: statuitque Popul' Romanus, ne Imperatoris hæretici aut nomen, aut chartas, aut figuram solidi susciperent. Vnde nec eius effigies in Ecclesiam introducta est, nec nomen ad Missarum solemnia prolatum. Idem Beda dicit, Anastasium imperasse annis tribus, & literas Cōstantinopolim misisse per scolasticum Paternum, & exarchum Italiæ; quibus se fautorem Catholicæ fidei, & sancti sexti Concilij prædicatorem esse docuit. Pipinus princeps obit, & filium suum ex Alpaide Carolū Tuditem, siue Martellum, principatus sui heredem reliquit. Plectrudis autem relicta Pipini Carolum Pipinum suum captum, in vrbe Colonia custodiæ mancipat; & cum nepote suo Theodoaldo majore domus principatum regni vsurpat. Mortuo autem Childeberto Francorum Rege, qui, vt legitur, vir sanctus fuit, Clodoveus filius eius, qui & Dagobertus, regnat annis quatuor. Childebertus autem sepultus est Canciaco monasterio in basilica sancti Stephani. Franci contra Theodoaldum damnoso bello vtrimque confligunt: eoque victo, Reginfredum majorem domus, & Chilpericum Regem statuunt. Carolus de custodia novercæ divino nutu eripitur, moxque principatum suum de manu Raginfredi extorquere nititur: primoque Rabodum ducem Frisonum Raginfredo solatiantem, aggressus, multum exercitus damnum consequitur.

716. *S. Ægidius claret.*

Sanctus Egidius veniens à Græcia, sanctitate claret in Provincia. Anastasius Imperator classē direxit in Alexandriam contra Saracenos: qui ad aliud versi consilium reversi sunt Constantinopolim; & Theodosium Orthodoxum coëgerunt esse Imperatorē. Anastasius cum illis dimicavit: sed victus, coactus est fieri clericus, & Presbyter consecratus est. Theodosius autem, cùm esset iners & idiota, & publicorū negotiorū exactor, vi compulsus est ab exercitu Imperiū assumere. Vlid Admiras moritur: post quem Zuleimen annis tribus Saracenis principatur. Osred Nordannimbrorum Rege mortuo Coënred regnat annis tribus, vel secundùm alios, annis duobus. Ina Rex Vest-Saxonum nullos fratres habuisse dicitur in Chronica; sed sorores habuit Cutburgam, & Quemburgam: quarū prima Regi Nortannimbrorum Alfrido nupta, & mox relicta, primò apud Burkingum sub Abbatissa Hildelida mox ipsa, magistra regulæ, Vuimburnæ Deo placitam vitam transegit. Vicus est modo ignobilis; tunc temporis insignis, & multas habens Sanctimoniales Virgines. Habuit quoque Ina vxorem Ethelburgam, feminam Regij generis & animi. Quæ dum crebrò instillaret auribus viri, vt mundanis rebus vel in extremis annis valefacerent, & ille de die in diem differret, astu tandem sic eum superavit. Quadam vice apud villam ingenti tumultu regales luxus explicuerant; postridie cùm discessissent, villicus ex pręcepto Reginæ palatium quanta potuit deformitate, tam fimo pecudum, quàm ruderum aggeribus infamavit: & in loco vbi cubuerāt porcam noviter enixam collocauit. Cumque iam milliario processissent, Regina Regem vxorijs delinimentis aggreditur, rogans vt redeant, vnde discesserant: & asserit rem magni discriminis fore, si hoc non facerent. Annuit ille, vidensque locū pridie Sardanapalicis parem, nunc fœda solitudine deformem, miratur. Tunc illa occasionem aucupata, lætūque subridens, Vbi sunt, inquit, Domine, hesterni strepitus, & aulæa Sidonijs succis ebria? Vbi parasitorum discurrens petulātia; vbi dędalea vasa pondere metallorū ipsas mensas ornantia: vbi terrā marique ob lenocinium gulæ quæsita obsonia? Transierunt omnia tamquam fumus & ventus. Væ ijs, qui hæserunt; quia simul transibunt. Cogita, quæso, quàm miserabiliter defluunt carnes, quę in deli ijs nutriuntur. Nos qui ingurgitamur vberiùs, miseriùs putrescemus: Potentes potenter tormenta patientur; & fortioribus fortior instat cruciatio. Nec plura locuta, maritum compulit ire in sententiā, Romamque simul abierunt: & ne suæ conversioni pompam facerent, non publicis vultibus comam deposuerunt; sed plebeio amictu tecti. Iam consenuerant, multisque, vt accepimus, claruere miraculis. Regnavit autē Ina annis 58. post quem consanguineus eius Edelardus annis 14. post quem cognatus ejus Cuthredus annis 16. post quem Sigebertus sævus, & infamis anno vno; qui à subulco in spelunca confossus est. Post queē Kinevulfus annis 14. post hunc Bitricus annis sexdecim; qui duxit filiam Offæ Regis Merciorum tunc potentissimi: post hūc Egbertus. Egbertus veniens ab Hibernia, sanctitate & doctrina claret in Gallia. Egbertus vir sanct' de gente Anglorum, & sacerdotium monachicâ vita etiā pro cælesti patria peregrinus exornans, plurimas Scoticæ gētis prouincias ad canonicā Paschalis temporis observantiam, à qua diutius aberraverant, pia prædicatione convertit, anno ab Incarnatione Domini 71. Sanctus Germanus à Cizico transfertur ad Episcopatum Constantinopolitanum. Theodosius in Imperatorem electus, vt ait Beda, Anastasium Imperatorem apud Nicæam gravi prælio vicit: datoque sibi sacramento, clericum fieri, ac Presbyterum fecit ordinari. Ipse verò mox vt regnum accepit, cùm esset Catholicus, imaginem illam venerandam, in qua sanctę sex Synodi depictæ erant, quæ à Philippico dejecta fuerat; pristino in loco erexit Beda. His tēporibus multi gentis Anglorum, nobiles & ignobiles, viri & feminæ, duces & privati, divini amoris instinctu de Britannia Romam venire consueverant. Inter quos & Reverendissimus Abbas meus Ceolfridus, cùm esset Presbyter annos 46. Abbas verò annos 35. vbi Lingonas pervenit, ibi defunctus est; atque in Ecclesia beatorum geminorum martyrum sepultus. Qui inter alia donaria, quæ afferre disposuerat, misit Ecclesiæ sancti Petri pandecten à beato Hieronymo in latinū ex Hebræo vel Græco famine trālatam. Gregorius Papa Bonifacium à Britannia

Pium & efficax stratagema

717.

venientem, Episcopum consecrat; & per eum in Germania verbum Dei prædicat, & gentem illã convertit ad Christũ. Idem Gregori⁹ nosochomium, q̃ erat situm post absidam sanctæ Dei genitricis ad præsepe, monasterium constituit. Luitprandus Rex Longobardorum Ariperti donationem confirmavit. Luna cruentata apparuit vsque ad mediam noctem. Theudo dux Bajoariorum, primus de illa gente venit orare ad limina Apostolorum. Fluvius Tiberis egressus est alveum suum, & transcendit muros vrbis: ita vt in via lata ad vnam & semis staturam hominis aqua excresceret, & à porta beati Petri vsque ad pontem Milvium. Itaque domos subvertit, agros desertavit, eradicavit arbusta & segetes; pars maxima Romanorum serere non potuit: diebus septem aqua Romam tenuit: sed cùm Lataniæ fierent, octauo die recessit. Theodosius Imperiũ deponit: post quem Leo secundus imperat annis 24. secundum Sigebertum, secundùm Bedã annis novem, quia vsque ad illum annum chronica sua perduxit.

718. Zeulimen Ammiras cum Ammireis suis, & stolo navium penè trium millium, Constantinopolim triennio obsidet. Bulgares Saracenorũ 32. millia perimunt. Carolus in pago Cameracensi apud Vinciacũ Dominico ante Pascha, quod erat 13. Calendas Aprilis, Chilperico & Raginfredo congreditur. Raginfredus victus in fugam convertitur. Carolus eos vsque Parisius persequitur Rabodus dux Frisonũ prædicatione Vulfranni Episcopi ad hoc adductus, vt baptizari deberet, cùm vnum pedem in fonte intinxisset, alterum pedem retrahens, interrogavit, vbinam plures majorum suorum essent, in inferno, an in paradiso: & audiens plures esse in inferno, intinctum pedem retraxit, dicens, satius est, vt plures quàm pauciores sequar: & ita ludificatus à dæmone promittente, quòd ei tertia die ab hinc bona incomparabilia daret, ipsa tertia die subita & æterna morte perijt.

Raboldi dementia.

Hic Vulfrannus Senonensis Episcopus ex territorio Vastenensi fuit. Cujus pater Vulbertus in aula Regis Dagoberti, & filij eius Ludovici militavit. Successit Lamberto Senonensi in Episcopatu Senonensi, tempore Lotharij & Theodorici Regum juniorum. Hic visu admonitus est, vt genti Frisonum verbum Dei prædicaret. Quod vt faceret, ivit tunc ad monasterium Fontanellam; cui tunc pater erat beatus Ansbertus Rothomagensis Episcopus; de quo monasterio cooperatores secum assumpsit ad prædicandum.

S. Vulfran. Frisonum Apostolus.

Qui dũ navigarent Frisiam & essent in medio mari, quod adiacet regioni Norinorum; cùm adfuit hora, vt Missam cantaret sanctus Vulfrannus, navi manente immobili, positis anchoris; dumque ventum esset ad locum, vbi minister offerre debebat patenam præsuli, præsul extensa manu eam expectabat: sed dum minister abluere eam vellet, in mari cecidit: prostratusque præsulis pedibus veniam precabatur: qui mitens eum ad locum vbi ceciderat, orando effecit vt patena ab imo maris revecta manui ministri adhæreret. Post hæc filius Rabodi ducis à beato Vulfranno baptizatus, in albis positus expiravit. Mos autem erat apud Frisones, vt quemcumque sors delegisset, offerretur dæmonibus immolandus. Ad hoc electus est sorte puer quidam Ono nomine: quem cùm sanctus Vulfrannus expetisset, respondit dux. Si tuus Christ⁹ de tormento mortis eripuerit eum, sit tuus. Appẽsus est autem in patibulo. Orante autem sancto Vulfranno, dirupta sunt vincula, quæ guttur illius constringebant; & illæsus corruit in terram. Qui tentus à sancto, surrexit incolumis. Qui baptizatus, & postea à Regislando Rothomagensi Episcopo Presbyter ordinatus, multos codices transcripsit monasterio Fontanellæ.

Ono à morte vi ereptus.

Post hæc Raboldus dux, cùm deberet baptizari, vt supra dictum est, pedem à fonte retraxit: & cùm esset in multa dubitatione misit ad beatum Vuillebrodum illius gentis Episcopum, consulens, si deberet baptizari: qui respondit Quomodo mihi credet; qui sancto fratri nostro Vulfranno non credit? Ego, inquit, hac nocte vidi eum catena ignea ligatũ. Vnde constat, eum jam æternam damnationem subijsse Cumque iret ad domum principis, nuntiatur, eum jam esse mortuum: & statim remeavit ad sua. Quomodo autem Raboldus ille deceptus fuerit à diabolo, prædictus Ono narrabat, dicens; quia apparuisset ei in Angelũ trãsfiguratus, caput opertus diademate aureo cum gemmis, & veste auro texta. In quem cùm Raboldus intenderet, dixit ad eum diabolus Virorum fortissime, quis te ita seduxit, vt à cultura deorum velis recedere? Noli hoc facere, sed mane in his quæ didicisti; & venies ad domos aureas, quas tibi æternaliter in proximo sum daturus. Cras ergo accersi Vulfrannum doctorem Christianorum: & quære ab eo, quænam sit illa mansio æternæ claritatis, quam tibi pollicetur. Quam cùm demonstrare nequiverit, vtriusque partis mittantur legati; & ego ero dux itineris; & demonstrabo illis mansionem auream & pulcherrimã; quam tibi promitto Evigilans Raboldus, narravit cuncta sancto Vulfranno. Qui dicens, illusorem diabolum sibi velle illudere: respondit dux, se futurum Christianum: si illa pulchra mansio nõ demonstraretur sit à Deo suo. Mittitur ergo statim quidam Freso ex parte ducis; & quidam diaconus ex parte sancti Vulfranni Qui cùm paululum ab oppido processissent, obvium habuerunt quemdam itineris comitem, qui dixit eis. Properate citò: nam monstrabo vobis pulcherrimam mansionem Raboldo duci præparatam. Illi autem pergentes viam latissimam, & loca ignota, viderunt quamdam viam diversorũ generibus marmorum polito opere decoratam: videruntque à longè domum quasi auream: & pervenerunt ad plateam, quæ ante domum erat, quasi auro & gemmis strata. Intrãtesque in domum, viderunt domum esse miræ pulchritudinis, & incredibilis splendoris: & in ea thronum miræ magnitudinis. Tunc ductor itineris ait illis. Hæc est mansio præparata Raboldo duci. Ad hæc diaconus obstupescens, ait: Si à Deo facta sunt ista, perpetuò maneant: si à diabolo, citò dispereant Et cùm signaret se signo sanctæ Crucis, ductor ille transijt in diabolum, & domus aurea in lutum: remanseruntque diaconus & Freso in medio locorum palustriũ, quæ plena erant longissimis ranseis virgultis, triduoque immensi itineris conficientes iter, reversi sunt ad oppidum, & ducem mortuum invenerunt: narraveruntque quæ viderant sancto Vulfrãno. Freso autem baptizatus est, qui dicebatur Ingomarus, sive Cuningus: qui secutus est sanctum Vulfrannum ad monasterium Fontanellæ. Mortu⁹ est autem Raboldus dux, vt legitur in vita sancti Vulfrãni anno ab Incarnatione Domini 719, anno 6. principis Caroli. Fuit antè

Præstigia signo crucis assoluta.

apud Fresones beatus Vulfrannus per annos quinque, & postea reuersus, est ad Fontenellam monasterium, vbi monachicum assumpsit habitum, ordinato Episcopo in vrbe Senonica Gerico venerando. Ipse verò sanctus apud Fontenellam pluribus annis sine lecto fuit, cilicio tectus sub cucula. Nusquam diuitibus honoris vel timoris gratia, si qua deliquissent, reticebat: sed aspera invectione illos corripiebat. Mitiùs autem canebat, non elata in altū voce; sed profusis lacrymis ex imo pectore. Obijt apud Fontenellam 13. Cal. Aprilis, anno Domini 720. Sepultus est iuxta beatum Vuandregisilum in Ecclesia beati Pauli: in quo loco jacuit per annos nouem. Beatus autem Vuandregisilus ibi jacuit annis quadraginta, sanctus autem Ansbertus annis vndecim. Hoc tempore in Britannia cuidam Eremitæ monstrata est mirabilis quædam visio per Angelum de sancto Ioseph decurione, qui corpus Domini deposuit de cruce; & de catino illo siue paropside, in quo Dominus cœnavit cū discipulis suis; de quo ab eodem Eremita descripta est historia, quæ dicitur de gradali. Gradalis autem, siue gradale gallicè dicitur scutella lata, & aliquantulū profunda; in qua pretiosæ dapes cum suo jure diuitibus solent apponi gradatim, vnus morsellus post alium in diuersis ordinibus; & dicitur vulgari nomine graalz, quia grata & acceptabilis est in ea comedenti: tum propter continens, quia forte argentea est, vel de alia pretiosa materia: tum propter contentum, id est ordinem multiplicem pretiosarum dapum. Hanc historiam latinè scriptam inuenire non potui: sed tantùm gallicè scripta habetur à quibusdam proceribus, nec facilè, vt aiunt, tota inveniri potest. Hanc autem nondum potui ad legendum sedulò ab aliquo impetrare. Quòd mox vt potuero, verisimiliora & vtiliora succinctè transferam in latinum.

619. Beda. Saraceni Constantinopolim derelinquunt: plurimi eorum fame & frigore & pestilentia perierunt. Regressi verò Bulgarorum gentem, quæ est super Danubium, aggressi, & ab ea victi, refugiunt, ac naves repetunt suas. Quibus, cùm alta peterent, ingruente subita tempestate, plurimis navibus mersis vel confractis per littora à navibus sunt necati. Ceu leimen ammiras moritur, post quem Haumar Saracenis regnat annis duobus: contra quem Constantinopolitani instantia orandi & præliandi, & constantia fortiter resistunt, sub quo Saraceni sine numero pereunt. Fertur autem eos miraculosè hoc modo perisse. Apud Cōstantinopolim in monasterio sanctæ Dei genitricis, juxta palatium, in mari prope sanctam Sophiam erat imago beatæ Mariæ, quæ tenet infantem in brachio, quam depinxit in tabella sanct⁹ Lucas, cùm adhuc viveret sancta Maria. Hæc imago vocatur Odigitra, id est deductrix: quia duobus cæcis apparuit sancta Maria, & deduxit eos ad suam Ecclesiam, & illuminavit eos. Cum ista imagine faciunt processionem omni die martis, per totam civitatem. Cùm ergo, vt suprà dictum est, obsessa esset civitas, & cives jejunarent & orarent, simul & pugnarent; quidam ciuis admonuit, conferri illam imaginem, & ab omnibus orationem ad illam fieri hoc modo. Sancta Dei genitrix, quæ toties nos liberasti, libera nos modo de inimicis filij tui; & si vis, vt imaginem tuam non mergamus in mari, merge illos. Et cùm hoc dixissent, ille secretò imaginē

Constantinopolis imagine B Virginis defẽsa.

tenuit sub vndas; & statim procella surrexit, & omnes naues Saracenorum aut mersit, aut fregit. Mortuo Rege Dagoberto, Lotharius regnat annis duobus. Post Conred regnat Osrich Nordanimbris annis vndecim. Hi duo, idest Conred & Osrich, occiderunt Osred, qui ante eos regnaverat. Constantinus Leonis Imperatoris filius, dum baptizatur à sancto Germano Patriarcha, cacans in sancto lavacro magnum dat præsagium, quòd futurus esset Ecclesiæ Dei in scandalum. Saraceni ab obsidione Constantinopoli confusi discedunt, ipsis cum navibus suis partim dimersis: partim igneæ grandinis tempestate vastatis: & ex tanta copia naviū vix quinque residuis, potentia Dei cunctis innotuit. Infra civitatem verò trecenta millia hominum pestilentia perierunt. Haumar Christianos persequens, multos eorum martyres fecit. Chilpericus & Nigimfredus, Eudonem ducē Aquitaniæ auxilio sibi asciscunt: qui in congressu à Carolo victi, vix fuga evaserunt. Eudo rediens Chilpericum secum abducit. Saraceni ex Africa duce Abditam filio Muhaniæ ammirei, in Hispaniam trasfretant, eamque sibi vendicant: & ita regnum Vuisigothorum & Suevorum destructū est, & redactum sub Saracenis: annis plus minus trecentis quadraginta sex evolutis, ex quo à Scithia expulsi sunt ab Hunis: ex quo verò cedentibus Vuandalis, & devictis Suevis cœperunt regnare in Hispania, annis circiter ducētis quinquaginta sex evolutis. Regnum verò tertiæ partis Hispaniarum, quod dicitur Gallicienfium, nec tunc Vuisigothi, nec postea Saraceni, potuerunt subigere: sed adhuc viget incolume, & Dei fide protegente manet inexpugnabile.

Constantinus stercorarius.

720.

721.

Post Haumar Gizid regnat Saracenis annis tribus. Mortuo Rege Lothario Carolus Chilpericum ab Eudone per legatos recipit: eumque sibi Regem facit. Luithprandus Rex Longobardorum, audiens, quod Saraceni depopulata Sardinia loca illa fœdassent, vbi ossa sancti Augustini doctoris magni, propter vastationē barbarorum olim trāslata fuerant, & honorificè condita, misit, & dato pretio accepit ea, & trāstulit Ticinum; ibique cum debito tanto patri honore condidit. Huc vsque scripsit Beda chronica sua, numerans ab initio mundi vsque adhunc Leonem, secundùm Hebraicam veritatem, annos quatuor millia sexcentos octoginta. Leo Imperator sæpe & multum laboravit, vt Gregorius Papa perimeretur, sed frustra, Italis & Longobardis pro ejus defensione instanter Imperatori resistentibus. Hoc in gestis Romanorum Pontificum sic narratur. Basilius dux, & Iordanis Chartularius, & Ioannes Subdiaconus, cognomento Lurion, cogitaverant, quemodo Pontificem interficerent; assentiente eis Morino Imperiali spatario, secundùm mandatum Imperatoris; qui Morinus contractus effectus à Roma recessit. Romani autem consilio patefacto, Iordanem Chartularium interfecerunt, & Ioannem Lurionem. Basilius autem monachus factus mortuus est. Paulus verò Exarchus scelus volebat perficere per alterum spatarium: sed Longobardi contra Romanos irruentes hoc impedierunt. Pontifex Domini siverat eos censum ponere in provincijs, sicut alibi faciebat. In Campania Italiæ triticum combustum, & hordeum, & legumina, quasi pluvia de cœlo missa sunt. Carolus Raginfredum per-

722.

sequens Andegavum obsidet, eamque captam victo Raginfredo ad habitandum concedit, & totius regni principatum recipit. Luitprandus Rex Ravennam obsidet; classeque Ravennatiũ civitatem captam destruit: atque inde naves multas, & opes innumeras abstulit.

723. Carolus Saxones debellat. Rigobertus Remensis Episcopus à Carolo suo in baptismate filio, ab Episcopatu deponitur: pro eo quod illi contra Raginfredum eunti, vrbem Remensem præ timore Raginfredi aperire noluit. Eucheri' quoque Aurelianensis Episcopus pro simili causa Episcopatu privatus, & apud Saxonum vicum Hasbaniæ exulatus, in cœnobio sancti Trudonis in sanctitate consummatus est.

724. Carolus Bajoarios armis subjugat. Iudæus quidã maleficus promittens Gizid eum quadraginta annis regnaturum, suadet, vt in toto regno suo Dei, sanctorumque imagines deponi edicat. Qui spe diu regnandi seductus, edictum quidem proposuit, sed mox obijt. Post quem regnavit Eluelid annis viginti.

725. Leo Imperator à quodam Beser apostata, & fidei refuga seductus cõtra imagines Christi & sanctorum ejus bellum indicit; easque vbique deponi & incendi edicit. Pro quo errore Gregorius Papa eum scriptis multùm quidem, sed in vanum redarguit. Paulus autem Exarchus cum suo filio interfectus est à Romanis. Romani autem volebãt alium Imperatorem sibi eligere: sed Pontifex prohibuit, sperans ejus conversionem. Stella, quæ antifer vocatur, cùm radijs apparuit in cœlo in occidua; cujus radij partem Aquilonis respiciebant, & vsque ad medium cæli se extendebant. Tiberius ex partibus Thusciæ veniens, Regem se facere volebat: qui interfectus est, & ejus caput Constantinopolim missum. Eutychi' patritius & Luitprãd' Rex, cogitaverunt, vt Pontifex interficeretur, vt Rex haberet ducatum Spoletanum, & patritius Romam. Quibus cùm occurrisset pontifex in campo Neronis, sic flexit animum Regis, vt pronus eum adoraret, & deponeret mantum, armelausiam, baltheũ & spatum deauratos, & coronam auream, & crucem argenteam.

726. Carolus contra Lanfridum Alemannorum ducem dimicat; eoque victo, Alemanniã sibi subjugat.

727. Childerico mortuo Carolus Theodoricũ sibi Regem facit: qui regnat annis 15. Carolus interea Saxones debellat. Apud Constantinopolim depositæ sunt imagines Sanctorũ omnium, & Salvatoris, & sanctæ Dei Genitricis; & igni crematæ sunt; & omnes pictæ Ecclesiæ dealbatæ. Qui Imperatori non consentiebant, alij occisi, alij mutilati sunt. *Hæresis Iconomachorũ.* Sanctus Germanus Episcopatu depositus est. Anastasius Imperatori favens factus est Episcopus. Carolus Suevos debellat, & Bajoarios secundò. Vicred Rex Anglorum obijt: post quem regnat filius ejus Edilbertus. Iste Vuicred, sive Vuifredus Egberti filius, vt suprà dictum est in hujus voluminis quadragesimi quinti capitulo sextodecimo, regnavit annis triginta sex. Ante illum autem proximis sex annis Rex non fuerat in Cantia. Reliquit autem liberos tres. Edbertus viginti tribus annis, Edebertus vndecim, Alricus triginta quatuor, paterna tenentes instituta, haud dedecoro exitu regnum continuavere. Coëmes primus Bulgaribus regnat.

728. Carolus Ligeri transito Eudonem ducem Aquitaniæ bello victũ fugat, & Aquitaniam graviter devastat. Gregorius Papa, quia Leonem Imperatorem incorrigibilem vidit, Romam, & Italiam, & Hesperiam totam ab eius jure desciscere facit, & vectigalia interdicit.

729. Eudo dux Carolo per omnia inferior, cõtra eum invitat Saracenos ab Hispania.

730. Sanctus Egbertus Anglorum presbyter obijt. Saraceni cum omnibus familijs suis, quasi in Gallijs habitaturi, Garumnam transeunt, omnia devastant, Ecclesias Dei cremant. Quibus Carolus auxilio Dei fretus bello occurrit; & ex eis trecẽta septuaginta quinque millia cum Rege suo Abdirama perimit, & mille ducentos tantum ex suis amittit. Eudo quoque Carolo reconciliatus castra Saracenorum irrumpit, & reliquias eorum conterit. Hæc Sigebertus. In gestis autem Romanorum Pontificum hoc bellum sic narratur. Saraceni, qui jam Hispanias per decem annos tenuerant, conabantur Rhodanum transire, & Francias occupare, vbi Eudo præerat. Qui facta contra eos pugna, interemit ex eis 375 millia vno die. Mille verò tantum quingenti ex Francis mortui sunt. *Narratio hæc non est vera.* Hic Eudo anno præmisso, pro benedictione tres spongias acceperat, quæ ad vsum mensæ Romani Pontificis apponuntur. Hora verò qua bellũ cõmitti debebat, idẽ Eudo princeps Aquitaniæ populo suo per modicas partes tribuit ad sumendum: & ex eis qui participati sunt, nec vnus quidem vulneratus est, aut mortuus. Mortuo Osric Rege Nordanimbrorũ, Cedoulphus regnat. Gregorius Papa dimisit monasterijs, diaconiæ, & mansionarijs, & omni clero, solidos duo millia centũ sexaginta; & ad luminaria S. Petri solidos mille. Fecit Episcopos centũ quinquaginta. Obijt & sepultus est quarto Calendas Februarij Leone & Constantino imperantibus; & cessavit Episcopatus diebus triginta quinque.

731. *Gregorius 3 Papa 92.* Post quem sedit nonagesimus secundus Gregorius alter, tertius hujus nominis, natione Syrus, annis 10. mensibus 8. diebus 25. vir mitis & sapiens, græcè & latinè instructus, psalmos omnes memoriter retinens. Hic misit ad Imperatores Leonem & Constantinũ, Georgium presbyterum: qui timens, scripta non porrexit. Qui rediens penè depositus est à sacerdotio: sed rogantibus pro eo Episcopis totius Concilij, pepercit ei: & injuncta pœnitentia, iterum misit eum Cõstantinopolim. Sed Imperatores in Sicilia fecerunt retineri scripta, & portitorem exilio per annum relegaverunt. Igitur Gregorius Papa populum Romanum & vectigalia totius Hesperiæ à Leone avertit. Raginfredus moritur, & Beda venerabilis presbyter, secundùm Sigebertũ. Secundùm verò Vuillelmum, duobus annis post, quod verius videtur, vt postea demonstrabimus. Carolus Lugduno, alijsq; civitatibus captis, Burgundiã sibi subjugat. Constantinus Leonis filius Hirenen filiam Cajani Avarorum ducis vxorẽ ducit: quæ baptizata, viro suo apostatante, fidẽ rectam tenuit.

732. Carolus in Vasconia cum Eudone pugnat: eumq; principatu & vita privat. Luitprandus de jure Rom. Pontificis multas vrbes & castella tulit. Cedulfus Rex Nordanimbrorũ capitur, & in clericum tondetur: & post hoc in regnum remittitur. Hæc Sigebertus. Guillelmus autem Malmesburiensis ait. Post Osricũ regnavit septim' ab Ida Cedulfus, literarum peritus: cui Beda obtulit Anglorum historiam, ab eo elimandam. Et addit, Hujus anno quarto obijt Beda

da, anno Incarnationis 73 . ætatis suæ 59. qui in extremo natus orbis angulo, doctrinæ corusco splẽdore omnes terras perstrinxit. Anno vitæ suę decimonono diaconꝰ factus, & trigesimo presbyter: ex quo vsque ad 59. aut docere, aut scribere non destitit. Triginta sex volumina edidit; quæ in septuaginta & octo libros divisit. Ferunt, eum Romã ivisse, vt libros suos vel Ecclesiasticæ doctrinæ convenire, præsens assereret: vel si resultarent, Apostolico monitu corrigeret. Eũ tamẽ Romæ fuisse, solidè non affirmo; sed tamen ipsum invitatũ illuc, haud dubiè pronuntio, à Papa Sergio. Extat enim ejus epistola ad Abbatem Bedæ Celfridum: in qua inter cetera scriptum est sic. *Hortamur Deo dilectam religiositatis tuæ bonitatem: vt, quia exortis quibusdam Ecclesiasticarũ causarum, non sine examinatione longiùs innotescendis, opus nobis sunt ad conferendum arte literaturæ imbuti: sicut decet Deo devotum auxiliatorem matris Ecclesiæ vniversalis, obedientem devotionẽ huic nostræ adhortationi non desistas accommodare: sed absque aliqua remoratione, religiosum Dei famulum Bedam, venerabilis monasterij tui Presbyterum, ad limina Apostolorum Principum, Dominorum meorum Petri & Pauli, amatorum tuorum ac protectorũ, ad nostræ mediocritatis conspectum non morreris dirigere: quem, fauẽte Domino sanctis tuis precibus, non diffidas prospere ad te redire, peracta præmissorum capitulorum cum auxilio Dei desiderata solemnitate. Erit enim, vt credimus, cunctis credentibus profuturum, quidquid Ecclesiæ generali claruerit per ejus præstantiam impertitum.* Ita tam celebris erat famâ, vt vel quæstionibus enodandis indigeret eo sublimitas Romana. Incuriosæ fuit, sed dulcis eloquentiæ. Cõtinuis septẽ hebdomadibꝰ ante mortem stomachi indignatione cibos nauseans, & angusto suspirio halitum producens, literalium tamen studiorum operam nõ remisit; sed totis his diebus præter debitum psalmodiæ pensum in his intendebat: Evangeliumque Ioannis his diebus Anglica lingua interpretatus est. Dicebat discipulis, Discite filioli, dum vobiscum sum. Feria tertia ante Ascensionem modicus tumor in pedibus apparuit: tunc accita congregatione inunctus & communicatus est, osculoque cunctis libato futuram sui memoriã à singulis imploravit. Nonnullis etiam ob familiariorem amicitiam xeniola, quæ in secretis habebat, largitus est. Die Ascensionis contra Oratoriũ quo orare consueuerat, subjecto cilicio decumbens, illibato sensu, & hilari vultu dicebat. *O Rex gloriæ! Domine virtutum*: &c. vsque in finem antiphonæ; qua finita spiritum efflauit, subsequente tam suavi odore, vt omnes qui astabant, in paradiso esse se dicerent. Humatus est in eodem monasterio; sed modò cũ beato Cuthberto Dunelmi situs dicitur. Epitaphium ejus est hoc.

Epistola Sergij Papæ, Bedam accersentis.

Presbyter hic Beda requiescit carne sepultus:
Dona Christe, animã in cælis gaudere per ævum;
Daque Sophiæ illum debriari fonte, cui jam
Suspiravit ovans, intento semper amore.

Hæc Guillelmus. Igitur obijt Beda venerabilis Presbyter anno quarto Cedoulphi Regis, anno Dominicæ Incarnationis, vt dictum est, septingentesimo trigesimo tertio. Eodem anno Gregorius Papa tertius huius nominis synodum nongentorum & trium Episcoporum Romæ congregat, & venerationem sanctarum imaginum confirmat: earumque violatores generali sententia anathematizat. Eodem quoque anno Carolus Tudites Vuailfero & Huualdo filijs Eodonis dimicando victis, Aquitaniam sibi subjugat. Carolus Frisiam aggessus, Poponem ducem Frisonum cum multis perimit, & Frisiam sibi subijcit. Carolus Avenionem Galliæ Vrbẽ, à Saracenis dolo & consensu Maruntij Provinciæ ducis captam, obsidet: eaque fortiter recepta, Saracenos vsque ad internecionem delet. Obijt sanctus Hugbertus. Regnum Anglorum ab hinc non annotatur. Hæc Sigebertus; Guillelmus autem sic. Cednulfus Rex, cujus anno quarto obijt Beda, post octo annos regni sui, in Lindisfarnensi Ecclesia monachus factus est, substituto in regnum Egberto patris sui filio, qui viginti annis regnavit; & habuit fratrem æquiuocum Eboraci Archiepiscopum. Huius vrbis Paulinus primus Antistes, vt hostilitatis loco pulsus apud Rofecestram diem obiens, ibidem illud insigne pallij, quod ab Honorio Papa acceperat, reliquit. Plures post eum tantæ vrbis Præsules simplici Episcopatus nomine contenti, ad nihil altius anhelaverant. Sed pallium insigne Archiepiscopi multa Apostolici throni appellatione recuperavit. Hic Egbertꝰ Episcopus, omnium liberalium artium, vt ita dicam, armarium, imò sacrarium: & nobilissimam Eboraci Bibliothecam instituit. Hic Egbertus Archiepiscopus magister fuit Alcuini. Egbertus Rex fratris in Religione æmulus, comã tonsus, Moloni locum cessit, qui vndecim annis strenuè regnans, insidijs Alredi occisus est: qui Alredus decimo anno regni à provincialibus pulsus est. Postquem Rex Alfunoldus vndecimo anno regni sui perfidè ab eisdem occisus est. Ante hunc verò Ethelbertus, qui & Adeldredus, filius Mollonis Rex leuatus, quinto anno ab eisdem expulsus est. Post hunc nullus ad regnum ascendere ausus est. Saracenorũ rege Athima obsesso intra Galliæ vrbem Narbonam à Carolo, Saraceni ex Hispania cum alio rege Amor, ei occurrunt subsidio. Qui congressi Carolo, ambobꝰ regibus peremptis, civitate recepta, vltimo penè attriti sunt exterminio: eumque insequentẽ fugientes residui dimersi sunt in profundo,

733. Synodus Romana pro imaginibus.

Charles Martel.

734.

735.

736.

Carolus Nemausum, Agathen, aliasq; Gothicæ regionis vrbes à Saracenis invasas capit, & solotenus destruit. S. Erminus Episcopus & Abbas cœnobij Lobiensis obit. Arelate vrbe capta à Saracenis, & omnibus circumquaque destructis, Carolus accito sibi ad auxilium Luitprãdo Longobardorum rege eis occurrit, eosq; terrore nominis sui in fugam vertit; & eis omnem spem de cætero invadendi Gallias abstulit. Trasamundus dux Spoleti contra Luitprandum rebellans, ad Romanos confugit, Carolum Maruntium Provinciæ ducem, qui Saracenos invitaverat, superat, & Provinciã sibi subjugat. Luithprãdus Rex pro refugio Trasamundi Romam graviter vexat. Carolus Saxones tributarios facit. Signa in sole & luna & stellis apparent. Post Theodoricum Regem Francorum regnat Hildericus annis novem. Pacato & dilatato regno Francorum, Carolus Princeps bellicosus obit, relinquẽs heredes principatus sui filios suos Carlomanum & Pipinum. Huic Carolo Gregorius papa bis à Roma legitur misisse claves venerandi sepulcri, cum vinculis sancti Petri, & muneribꝰ multis: quam libenter legationem suscepit; & misit Romam cum muneribus multis Grimoal-

737.

738. *Terror nominis Caroli fugat hostes.*

739.

740.

741.

dum Abbatem Corbeiæ, & Sigebertum reclusum Basilicæ sancti Dionysij. Obijt autem Carolus Carisiaco villa super Isaram fluvium, anno principatus sui vicesimo quinto, decimo Calendas Novembris: sepultus est in Basilica sancti Dionysij. Post Leonem Constantinus filius ejus imperat annis 35. Constātinopolis per annum integrum terremotu nimis gravatur. Ante mortem Leonis Petrus defensor missus est Constantinopolim ad Anastasium Episcopum. Hic datas sibi columnas sexonidas volubiles adduxit Romam, & posuit in Ecclesia beati Petri ante confessionem erga Presbyterium, tres à dextris, & tres à finistris: super quas posuit trabes, quas vestivit argento mundissimo: in quo expressæ sunt ab vno latere effigies Salvatoris & Apostolorum: & ab alio Dei Genitricis, & sanctarū Virginum. Gregorius Papa faciens pergulā, contulit dona diversarum specierum, id est gabatas aureas duas, & alias saxiscas quinque, imaginem sanctæ Dei Genitricis, diadema aureum in gēmis, colare aureum in gemmis; & cætera, quæ in ornamento pergulæ suo ordinata sunt. Hic fecit imaginem sanctæ Dei Genitricis amplectētem Salvatorem, in gemmis diversis, totam auream, pensantem libras quinque. Eo tēpore Luithprandus Rex veniens Romam, in campo Neronis tetendit tentoria; & deprędata Campania multos nobiles de Romanis more Longobardorum totondit & vestivit. Vnde Pontifex dolore constrictus, sacras claves ex confessione beati Petri accipiens, misit Carolo Francorum principi per Anastasium Episcopum, & Sergium Presbyterum: vt Romanos à Longobardis liberaret. Vulgarium de partibus Franciæ fecit Episcopum Viennensem: instituit festum Sanctorum Omnium; fecit Episcopos octoginta. Sepultus est quarto Calendas decembris, & cessavit Episcodatus dies octo. Post quem sedit nonagesimus tertius Zacharias, natione Græcus, annos decem menses tres, dies quatuordecim: vir per omnia laudabilis, persecutores suos honoribus provehens. Huic Luithprandus Rex quatuor civitates reddidit, quas Romanis abstulerat; & multa alia, quæ beato Petro abstulerat, & pacē firmavit cum ducatu Romano per annos viginti; & captivos omnes, quos de provincijs Romanorum abduxerat, reddidit Papæ. Hic Zacharias fecit à fundamentis ante scrinium Lateranēse porticum & turrem, & portas æreas, & cancellos: & super eandem turrem triclinium & cancellos æreos, vbi orbis terrarum descriptionem depinxit, & diversis versiculis ornavit: libros dialogorum translatavit in Græcum. Invenit caput vel corpus sancti Georgij martyris, cum literis græcis ipsum esse significantibus: quod deduci fecit in regionem secundam ad Velum aureum, congregato omni populo. Fecit Episcopos octoginta quinque. Luithprandus Rex Lōgobardorum moritur. Hildebrando autem, quē ipse Regem designaverat, à Longobardis reprobato, Racis regnat annis septem. Pipinus princeps Hunaldo Duci Aquitaniæ sibi rebellanti obviat, & Carlomannus Alemaniā devastat. Artabaldus contra Constantinum Imperiū arripit. Sanctus Bonefacius Archiepiscopus Maguntinus Cœnobiūm Fuldense in Baconia silva fundat.

Cressi sur Oise.

742. Zacharias Papa 93.

743.

Carlomannus Saxoniam petit, Castrū Ostoburch capit, Theodoricum Saxonem pacis obsidem accipit. Egdilo dux Bajoariæ rapta sorore Pipini contra eum rebellat: quem Pipinus pugna quamvis damnosa superat.

744. Constantinus Artabaldum capit, & oculos ei & filijs ejus eruit; & sic eos in exilium mittit. Sed & multis amicorum ejus oculi eruti sunt. Elvelid amiras moritur: postquem Gizid regnat anno vno. 745. Cinis de cœlo cecidit. Pipinus Theodoaldum filium Godefridi ducis debellat. Petrus Damascenus Episcopus, & Petrus Mavimenus in Syria à Saracenis martyrizātur. Aquē si vrbe à Saracenis capta & desolata, corpus beatæ Mariæ Magdalenæ à Girardo Comite Burgundiæ ad Cœnobium Vizeliacum à se constructum transfertur: quanquā aliqui scribant, eam apud Ephesum quiescere: & nullum super se tegimen habere. 746. Carlomannus frater Pipini Romam profectus, regno relicto, à Zacharia Papa in monachum attonsus est; primò in monte Sirapti, in Cœnobio, quod ipse fundavit: postea propter frequentiam visitantium se, & domum illam gravantium, transijt in Montē Cassinum, & ibi laudabili vita enituit. In gestis Romanorum Pontificum legitur, quòd à sancto Pontifice clericatus jugum accepit. Pòst ad sanctum Benedictum in Aquinensium partibus sitū profectus est; & ibidem jurejurando definivit vitā finire. Athalongus Presbyter pro illata sibi cæcitate admonitus quærere corpora sanctorum Killiani, sociorumque ejus; inventis illis visum recepit. Qua de re sanctus Bonefacius Castrum Vuizibur th ad honorem Killiani Martyris, qui ibi à Conone Papa ad prædicandum fuerat ordinatus, ibique mortis & quietis à Deo locum acceperat, Episcopalis loci privilegio insigniri decrevit; primumque ibi Episcopum sanctum Burchardum ordinavit. Gizid perempto, Histes regnat anno vno. 747. Post quem Muruham regnavit annis sex. 748. Pipinus Grifonem fratrem suum contra se rebellantem in Saxoniam persequitur. Saraceni intestino bello inter se colliduntur. Pipinus Grifonem in Saxonia, & ejus complices Tassilonem, Lanfridium, & Suidiger bello victos capit. Tassilonem Bajoariæ ducem facit. Grifoni in Neustria duodecim comitatus concedit: quod illi non sufficit. sed ad Vualferiū in Aquitaniam fugit. In Calabria & Sicilia fit pestilentia, & mortalitas hominum nimia. In vestibus hominum, & in velis Ecclesiarum apparent cruciculæ, quasi oleo designatæ.

Corpus B. Magdalenæ vbi quiescit.

749. Rachis Longobardorum Rex rupto fœdere Romam inquietat, & vrbem Perusinam obsidet. Ad quem perrexit Zacharias papa, assūptis ex suo clero abomatibus, & dedit ei plura munera, deprecans eum, vt desistat ab obsidione: & intantum prædicavit ei verbū Dei, quòd ille Clericus effectus, indutus est monachi habitu, cum vxore, & filijs Romæ. Cui Haistulphus succedit annis septem. 750. Hildericus Rex Frācorum in monachum tonsuratur: Pipinus verò princeps authoritate Apostolica, & Francorum electione à sancto Bonefacio Maguntino Episcopo in Regem vngitur & consecratur, & regnat annis octodecim: post annos circiter octoginta octo, postquam Majores domus cœperāt principari super Reges Francorum.

Pipinus ex Majore domus Rex creatur.

751. Pipinus Rex contra Saxones pugnat: Ecclesias Galliarum cantibus Romanæ auctoritatis suo studio meliorat: Griso frater ejus perimitur. Remigius alter ejus frater Rothomagensis Episcopus claret. 752. Zacharias Papa obijt Idi-

bus Martij; & cessavit Episcopatus dies duodecim. Post quem nonagesimus quartus sedit Stephanus secundus, annis 5. diebus 29. Cum hoc electus est alter Stephanus Presbyter, qui tertio die surgens à somno, & sedens, familiares causas disponens, subitò alienatus obmutuit; & sequenti die defunctus est: post quem iste vnanimiter ab omni populo electus est. Qui mox Romæ restauravit 4. xenodochia, & alia 5. fundavit. Hunaldus dux Aquitaniæ, venit ad limina Apostolorum, vbi se perseveraturum promisit: postea votum frangens, & ad Longobardos exiens, maligna eis adhortans, lapidatus est. Haistulphus Rex Longobardorum cœpit Romanos affligere: cui Stephanus Papa tertio mense ordinationis suę multa munera misit pro pace. Qui percussit cum eis fœdus in quadraginta annos, quod quarto mense rupit: & per vnumquemque solidum auri imponere cupiuit, & sibi Romam subdere. Pontifex verò misit Constantinopolim pro auxilio. Interim ille opprimebat eos valde. Papa verò proprijs humeris imaginem Domini nostri Iesu Christi, & ejus Genitricis, & crucem sanctam, pedibus nudis incedens, portabat ad processionem; posito in omnium capitibus cinere. Hic omni sabbato postposito omni neglectu, letaniam fieri statuit. Hic fecit rugas ante altare beatæ Mariæ semper Virginis ad pręsepe: quas argento vestiuit. Maruha perempto Muhammad regnat annis 5. Stephanus Papa misit ad Pipinum Regem Franciæ pro auxilio contra Haistulphum. Qui Pipinus misit Rodgangum, priùs Abbatem, postea Episcopum, & Aucharium ducem, vt Papã adducerent in Franciam. Qui dum iret, apparuit in cœlo globus igneus à parte Australi, declinans à Galliæ finibus in partes Longobardorum. Pontifex autem venit ad monasterium sancti Mauritij: vbi ad eum properavit occurrere Pipinus cum vxore & filijs, præmittens filium suum Carolum. Ipse verò in suo palatio Ponticone descẽdit de equo suo, & terræ prostratus cum vxore, & filijs, & & optimatibus, eum suscepit: qui & ipse vice stratoris vsque in aliquantum locum juxta ejus sellarem ... præparavit. In die sancto Epiphaniæ suscepit eum: & mox exercitum suum direxit Ravennam. Et quoniam hiems erat, duxit secum Pontificem Parisius, & apud sanctum Dionysium eum hiemare fecit: in quo monasterio idem Pipinus aliquantis diebus cum Papa moram faciens, in Regem inunctus est, ipse & filij eius. Ibi Papa valde infirmatus est, & dum mane mortuus putaretur, subitò alia die sanatus est. Tunc Aistulphus misit Carlomannum de Monte Cassino in Franciam, ad fratrem suum Pipinum: qui nihil profecit, sed ibidem factus est monachus. Pòst movit exercitum contra Aistulfum Pipinus. Qui victus, pepigit fœdus, quod remeante Pipino dirupit, & Romam tribus mensibus obsedit: & multa Sanctorum corpora extra cœmeteria proiecit. Iterum Papa misit ad Pipinum; qui festinus obsedit Papiã. Mox Aistulphus omnia reddidit beato Petro, quæ abstulerat, & scripto confirmavit: qui postea in venatione diuino ictu percussus est. Hic fuit frater Ragis Regis, qui monachus factus est. Sigebertus. Igitur Pipinus à Stephano Papa cum filijs suis Carolomanno & Carolo in Regẽ vnctus est; & per eos generatio eorum in hereditatem Regalis successionis in perpetuum benedicetur: & omnis alienigena ab ei9 regni invasione Apostolico anathemate interdicitur. Pipinus iterum Italiam ingreditur, Haistulfum vincit, & ad nutum suum eum facere compellit. Carolomannus monachus ossa sancti Benedicti Abbatis ab Ecclesia Floriacensi tollere nititur, & ad castrum Cassinum referre: sed miraculis à Deo ostensis, & Frãcis obsistentibus, ab incœpto prohibetur. Terræ motus terribilis factus est, quo aliæ vrbes ex parte, aliæ ex toto subversæ sunt: aliæ à montanis ad subjecta campestria cum muris & habitatoribus suis integræ & salvæ, plusquàm vltra sex millia transmigrauerunt. In Mesopotamia terra dirupta est vsque ad duo milliaria: aliaque terra nimis alba & arenosa de profundo ascendit, & ex eo animal mutinum ascendit incontaminatum humana voce loquens, pronuncians incursionem gentis ab eremo adversus Arabes. Carlomanus monachus Viennæ moritur. Sanctus Bonefacius Magontinus Episcopus cum socijs suis in Frisia martyrizatur: & in fulda Cœnobio, quod ipse in Thoringia construxerat & fundaverat, honorificè tumulatur. Hic Bonefacius, natione Anglus, scripsit Epistolam Ethebaldo Anglorum Regi: cuius genealogiã Vuillelmus Malmesburiensis hoc modo scribit. Anno Domini 626. Penda quidam filius Pibbæ à Vuodemo decimus, apud Mercios Regis nomen præsumpsit; cùm jam quinquagenarius contra finitimos frequentibus excursionibus nutrisset audaciam; aut nesciens, aut dissimulans, quantum scelus esset, sociali vincere bello. Edvuinum & Osvualdum Reges Nordanimbrorum; Sigebertum, & Egricum, & Anã, Reges Orientalium Anglorum extinxit: Cenvualnum Vuest-Saxonum Regem in exilium compulit, & meritò: qui primùm Christianus, postea fidem abnegans, sororem Pendę repudiaverat. Tandẽ ab Osvuino fratre sancti Osvualdi, magis per Dei virtutem, quàm per manũ militarem, occisus est. Habuit ex Regina Konelsvuita filios quinq;, Vuedam, Vuelphenum, Ethelredum, Menvualdum, Metcelinum: filias duas Kineburgam, & Kivevuitam, ambas Christianas, & sanctæ continentiæ. Post hunc regnavit filius ejus Vueda: apud Australes Mercios Osvui gener; cujus filiam tali conditione, etiam viuente patre gentili acceperat, vt Christianus fieret. Hic per vxoris insidias occisus est: cujus regnũ Osvi9 suscepit, & tres annos tenuit. Sed ducibus eius expulsis à provincialibus, Vuaiferus Pẽdæ filius regnauit: Christianus mox factus, primus Regũ Anglorum Simoniacus fuit. Nam Episcopatum Lundoniæ cuidam Vuinę ambitioso venditavit. Vxorem duxit filiam Ercomberti Regis Cantionum Ermenhisdam: ex qua genuit Reuredum, & Vuaremburgam virginem sanctissimam, quæ Cestræ jacet. Frater eius Meteunaldus vxorem duxit Ernemburgam filiam Ermenredi, fratris ejusdem Ercomberti: ex qua genuit filias, Milburgam, quæ Vueneloth, & Mildritam, quæ Cantiæ in monasterio S. Augustini jacet; & filium Metesinum. Kineburgam Pendæ filiã duxit Alfridus Rex Northanimbrorum: quæ postmodũ sanctimonialem habitũ suscepit in monasterio, q fratres sui Vulferus & Ethelredus construxerant. Vulferus regnavit annis decem & novem: post quem Ethelredus religiosior, quàm pugnacior: qui anno regni tricesimo in Bardonia regulariter tonsus, primò in monachum, mox in Abbatem alteratus

Margin notes: *Anno* 2. 94. — 753. — *Terribilis terræmotus.* — 754.

alterat° est. Contéporaneus fuit Inæ Regi Vuest-Saxonum. Regis Northanimbrorũ Egfregi Ostgidam sororem duxit; ex qua filium Celredum suscepit. Post eum regnauit Keuredus filius fratris sui Vulferi; qui fuit optimis moribus. Quinto anno regni sui Romam perrexit, reliquũ temporis illic religiosè vivens: cōpunctus & territus miserando exitu militis sui; qui, vt Beda refert, cùm cōfiteri scelera sua sanus superbisset, in mortis ianua constitutus, apertè vidit dæmones, se ad supplicia trahentes. Post hunc regnavit Celred°, patrui sui Ethelredi filius, annis octo; qui Licestræ iacet. Reliquit heredem Ethelbaldum, pronepotem Pendæ ex Alvuio fratre: qui regnavit in pace annis quadraginta & vno; quem postea occidit Brenredus, qui mox ab Offa necatus est.

Huic Ethelbaldo scripsit Bonifacius præfatus, Maguntinus Episcopus, & Martyr, Epistolam; de qua quædam hic excerpsi.

Epistola S. Bonifacij præclara.

Domino carissimo, & in Christi amore ceteris Anglorum Regibus preferendo Ethelbaldo, Bonifacius Archiepiscopus, Legatus Germanicus Romanæ Ecclesiæ, perpetuam in Christo caritatis salutem.

Audiuimus, quòd eleemosynis intentus, furta & rapinas prohibes, & pacem diligis, & defensor pauperum & viduarum es: & inde Deo gratias agimus. Quòd verò legitimum matrimonium spernis, si pro castitate faceres, esset laudabile. Sed quia in luxuria & adulterio, & cum Sanctimonialibus voluptaris, est vituperabile & damnabile. Nam & famam gloriæ nostræ coram Deo & hominibus confundit & inter idolatras constituit: quia templum Dei violasti. Quapropter fili carissime, pœnitere: & memorare, quam turpe sit, vt tu, qui multis gentibus dono Dei dominaris, ad injuriam ejus sis libidinis seruus. Audiuimus prætereà, quòd optimates penè omnes gentis Merciorum tuo exemplo legitimas vxores deserãt, & adulteras & Sanctimoniales constuprent. Quod quàm sit ab honestate peregrinum, docet vos aliena gentis instituta. Nam in antiqua Saxonia, vbi nulla est Christi cognitio, si virgo in paterna domo, vel maritata sub conjuge fuerit adulterata, manu propria strangulatam cremant, & super fossam sepultæ corruptorem suspendunt: aut cingulo tenus vestibus abscissis flagellant eã castæ matronæ & cultellis pungunt: & de villa in villam missæ occurrunt nouæ flagellantes, donec interimant. Vuinidi quoque, quod est fœdissimum genus hominum, hunc habet morem: vt mulier, viro mortuo, se in rogum cremati, pariter arsura, præcipitet. Si ergo gentes Deum ignorantes Zelum castimoniæ habent: quid tibi conuenit fili carissime, qui Christianus es, & Rex? Parce ergo animæ tuæ, parce multitudini populi, tuo pereuntis exemplo: de quorum animabus rationem redditurus es. Attende & illud, quòd si gens Anglorum, sicut in Francia & in Italia & ab ipsis paganis nobis improperatur, spretis legitimis matrimonijs per adulteria defluit: nascitura sit ex tali commixtione gens ignaua, & Dei contemptrix, quæ perditis moribus patriã pessundet: sicut Burgundionibus & Prouincialibus, & Hispanis contigit: quos Saraceni multis annis infestarunt, propter peccata præterita. Prætereà nuntiatum est nobis, quòd multa priuilegia Ecclesiarum & Monasteriorum auferens, ad hoc audendum duces tuos exemplo provocas. Sed recogita, quæso, quã terribilem vindictam Deus in anteriores Reges exercuit, ejus culpæ, quam in te arguimus, conscios. Nã Celredum prædecessorem tuum stupratorem Sanctimonialium, & ecclesiasticorum priuilegiorũ fractorem, splendidè cum suis comitibus epulantem spiritus malignus arripuit: & sine confessione & viatico, cũ diabolo sermocinanti, & legem Dei detestanti animam extorsit. Osredum quoque Regem Deirorum & Bernitiorum, earumdem culparum reum ita effrenem egit, vt regnum & juuenilem ætatem contẽptibili morte amitteret. Carolus quoque princeps Francorum, monasteriorum multorum euersor, & ecclesiasticarum pecuniarum in vsus proprios cōmutator, longa torsione & verenda morte consumptus est. Fili carissime, nil bono Regi salubrius, quàm si libenter emendet commissa, cùm arguitur. Obtestamur & obsecramus te, per viuentem Deum Patrẽ, & per Filium ejus Iesum Christum, & per Spiritum Sanctum: vt recorderis, quàm fugitiua sit præsens vita & quã breuis & momentanea sit delectatio spurcæ carnis, per quam æterni cruciatus emuntur: & quam ignominiosum sit, vt breuis vitæ homo mala exempla in perpetuum posteris relinquat.

Carolum Martellum intelligit.

Idem Bonifacius misit Cuthberto Archiepiscopo ejusdem tenoris epistolã: hoc adjiciẽs, vt clericos & sanctimoniales de tenuitate & pōpa vestiũ argueret: prætereà ne miraretur, quòd alienum negotium ageret, cùm sua nihil interesset, quomodo, & quibus moribus Anglorum gens viueret. Sciret, se à Gregorio Papa tertio sacramento constrictum, ne conterminarum gentiũ mores Apostolicæ notitiæ subtraheret. Blandis admonitionibus nō succedentibus, acturum se, ne hujusmodi vitia Papam laterent. Ex his potest perpendi hujus beati viri prudentia & libertas spiritus in peccata Regum & Principum publicè arguendo: per quam cum præcedentis vitæ sanctimonia, ad coronã & gloriam martyrij feliciter pervenit. Huic Bonefacio successit Lullus: de quo loquitur vita sancti Goaris, & hi versus.

Antistes Lullus, quo non est sanctior vllus
Pollens diuina, tribuente Deo, medicina.
Occurrit morbis, vt totus prædicat orbis.

Ethebaldo Regi successit Offa, quinto gradu Pẽdæ abnepos, vir ingentis animi: qui omnia quæ mẽte concepisset, agere proponeret. Hinc Vulfum Regem Vuest-saxonum bellatorem fortissimum aperto marte vicit: Regem Ethelbertum magnis promissionibus ad se accitum, intra palatium inopinatè capite truncari fecit: regnumque Orientalium Anglorum dolo obtinuit. Reliquias beati Albani vsque ad illud tẽpus obscurè reconditas, gemmis & auro in scrinio reponi fecit: basilica pulcherrimi operis ibi ædificata, & monachis adunatis. Edelburgam filiã Berthico Regi Vuestsaxonum dedit. Anselmus vir illustris, cujus soror erat vxor Haistulfi Regis, corpus sãcti Siluestri trãsfert ad cœnobiũ Monantulã, à se fundatum.

755.

Synodus Hæreticorum contra Imagines.

Constantinus Imperator Synodum Episcoporum trecentorum triginta Constantinopoli congregat: in qua edicto promulgato de imaginibus Dei & sanctorum eius deponendis, Ecclesiam Dei nimis scandalizat, & contra Orthodoxos tyrannizat. Haistulphus Rex rupto pacis fœdere Romam obsidet. Pipinus Italiam repetens, cum Papia inclusum obsidet & inuitum ad fœdus pacis repetendum compellit: & sancto Petro quæcumque sui juris erant, restitui fecit. Fulcadus Abbas sancti Dionysij martyris corpus sancti Viti Martyris à Roma Parisius transtulit.

756.

Tassilo dux auunculo suo Pipino reconciliatur. Haistulfus Rex judicio Dei percussus moritur. Post quem Desiderius, qui erat dux in partibus Thusciæ regnat annis octo decim: sed non re-

gnasset, nisi eum Papa Stephanus advocasset sub hac conditione, vt quæ abstulerat, beato Petro redderet. Hic Stephanus fecit Episcopos quindecim: & dum esset in Francia fecit Rotgangũ Archiepiscopum, & ei pallium tribuit. Obiit 5. Calendas Maij, & cessavit Episcopatus mensem vnum, dies quinque. Huc vsque invenitur liber de gestis Romanorum Pontificũ continuè scriptus; sed à quo post Damasũ, nescitur. Sũt insimul à beato Petro vsque huc anni septingenti & octo, menses ccc. xliiij. dies mille septuaginta, in quibus sederunt Pontifices nonaginta quatuor, exceptis annis & mensibus & diebus, quibus vacavit Episcopatus Romanus. Vacavit autem à beato Petro vsque ad hunc Stephanum per intervalla annis novem, mensibus diebus mille quadringentis sexaginta quatuor. Fecerũt autem Pontifices Romani Episcopos per diuersa loca à beato Petro vsque ad hunc Stephanum ij. Mcclj. Porrò Innocentius qui fuit quadragesimus secundus, & Bonefacius quinquagesimus septimus; & Conon, qui fuit octogesimus quintus, non leguntur fecisse Episcopos. Inter Silverium autem & Vigilium, & inter Martinum & Eugenium, non dicitur cessasse Episcopatus. Ab hoc loco de Romanis Pontificibus sparsim & variè tractant diversi auctores. Post Stephanum sedit Romæ Paulus Papa nonagesimus quintus annis decẽ, mense vno; sed non dicitur, quis fuerit natione, vel quid fecerit ipse. Habdallas Saracenis præest annis xix. Pipinus Saxonum munitiones fortiter irrumpit, & post multam stragem eos sub tributo redigit.

Paulus Papa 95. 757.

758. Vuaiferus filius Eudonis dux Aquitaniæ res Francorum injustè vexando, iram Pipini incurrit. Eoque Aquitaniam ingresso, fœdus fictæ pacis initur. Vualpert⁹ Abbas in Italia, & Crodogangus Metensium Episcopus, Pipini Regis ex Landeata sorore nepos, clarent in Gallia: qui Gorziam Cœnobium fundavit in Metensi parochia. Corpus sanctæ Petronillę Virginis Petri Apostoli filiæ Romæ à Paulo Papa transponitur: in cuius marmoreo sarcophago, ipsius Apostoli Petri manu scriptum legebatur *Aureæ Petronillæ, dilectissimæ filiæ.* 759. Habdalla persequitur Ecclesiam Dei. Vuailfero à pacis fœdere averso, Pipinus Rex Arumnicum pagum depopulatur: & multa castella, ipsamque vrbem Arumnis capit, & Blandinum vrbis Comitem cum multis abducit. Sanctus Gengulfus in Burgundia claret.

760. Pipinus Bituricas vrbem capit, & captã munit. Thelezis Bulgaribus regnat. Chilping⁹ Arũnensis, & Amingus Pictaviẽsis Comites congressi militibus Pipini, perimuntur cum multis.

761. Caput Ioannis baptistæ Memissa civitate trãsfertur. 762. A Constantino hæretico multi martyrizãtur. Thelexis Constantino Imperatori cõgressus, cum multo Bulgarorum dãno & opprobrio vincitur, & ob hoc à Bulgaribus reprobatus cum principibus gentis, ab eis perimitur. Post quem regnat Sabinus. Tassilo dux à Rege Pipino omnino auertitur. Turci à portis Caspiis erumpentes Armeniam infestant. In quorũ patria cum antiquo tempore pistilentia orta fuisset, suasu Christianorum in modum crucis se totonderũt: & quia per hoc signum salus patriæ reddita est, hunc tondendi ritum postea tenuerunt Vuailferus suis rebus diffidens, muros vrbium Aquitaniæ solotenus subvertit: quos Pipinus restaurans, ad suorum tutelam fidis commisit principibus. 763. Pipinus Lemovicinam regionem cæde & incendio depopulatur. Sabinus Bulgarius cum Romanis fœdus iniit, pro quo à suis repudiatus ad Constantinum fugit. Post quem regnat Paganus. Gelu magnum à Calendis Octobris vsque ad Februarium. Stellæ subitò visæ sunt cecidisse de cælo; quæ ita omnes exterruerunt, vt putarent finem mundi imminere.

764. Crodogangus Episcopus corpora martyrũ Gorgonij, Naboris & Nazarij à Roma transtulit ad Gallias: Gorgonium in Gorzia, Naborẽ in Hilliriaco, Nazarium reponens in cœnobio Lorisham, quod Canthur Comes illustris à se fũdatum Metensi Ecclesiæ priori anno tradiderat. 765. Pipinus Rex Agennum, Petragoricam, & Engolismam, Aquitaniæ vrbes devastat, multamque Aquitaniæ partem subjugat sibi. Crodogangus Metensis Episcopus obit. Hoc tempore in Syria, civitate Beritho, quæ subjacet Antiochiæ, Iudæi imaginem Salvatoris Iesu Christi invenientes in domo cuiusdam Iudæi relictam à quodam Christiano, qui ibi manserat, eam injuriosè deposuerunt: & omnia opprobria, quæ secundùm Evangelium, Christo illata sunt, ei intulerunt; illudentes ei, conspuentes eam, colaphizantes, alapantes, criminosè convitiantes, manus & pedes clavis configentes, acetum & fel ei porrigẽtes: ex quo vulnere exivit sanguis & aqua; quæ illi, supposita ampulla suscipientes, ad experimentum, vtrum vera fuerint miracula, quæ Iesum fecisse audierant, omnes infirmos in synagoga sua collectos hoc sanguine aspergebant, & sanabantur omnes, à quocumque langoore detinebantur. Vnde tandem Iudæi compuncti, ad civitatis Episcopum Adeodatum omnes cucurrerunt, eique rem narrantes, imaginem cum sanguine reddiderunt. Quibus baptizatis, Episcopus sanguinem per ampullas divisum longè lateque dirigens, prædicabat magnalia Dei, obtestãs omnes, vt singulis annis celebraretur passio Dominicæ imaginis quinto Id⁹ Novembris.

Imago salvatoris à Iudæis crucifixa.

766. Constantinus & Habdallas pari vesania in Orthodoxos desæviunt, & multos eorũ pro Christo occidunt. Constantinus insuper ægrè ferens gloriam sanctorum miraculis coruscantem: etiã lipsana eorum vbique jubet effodi, & jactari in profundum. In præsentia Pipini Regis celebratur Synodus de Sancta Trinitate, & sanctorum imaginibus venerandis. Pipinus Temistanum fratrem Eudonis, Vuaiferi patruum, qui à Vuaifero ad se, & à se ad Vuaiferũ trnsfugerat, captũ à suis in bello, suspendit in patibulo. Rex Saracenorum Arminintes ab Hispania missis Legatis, & muneribus datis & acceptis, affectat amicitiam Pipini Regis.

767. Pipinus extremo exterminio Aquitaniã atterit, Sanctonas capit; ibiq; Vuaiferi matrem, sorores, & neptes captas abducit. Paulo papa mortuo, Constantinus quidam subitò ordinatus Sacerdos ex laico, tyrannica ambitione papatu invaso, ecclesiæ Dei magno fuit scandalo. Contra hũc à quibusdã Romanorũ Philipp⁹ papa constituitur, & nõ multò pòst deponitur. S. Gengulfus fontem quẽdam emit in Gallia: & eum oriri fecit in Burgundia. Cuius venditor dum emptorẽ irrideret, repente fontem suum vidit siccatum. Cũ ergo quadam die iuxta fontem illum in horto suo mirabiliter orientem sederet idem Gengulfus cum vxore sua adultera; cœpit illã argueguere de adulterij sui infamia. Quod crimẽ cũ

Imperatorem, nepotem illius Caroli, de quo Bonefacius locutus est, visitaret: non adduceret clericos vel monachos versicoloribus, & Pompaticis vestibus indutos: quia non solerent Francorum clerici, nisi religiosis vestibus amiciri.

774. Saxones fines Francorum igne & cæde premunt; sed Ecclesiam in Fritislar non queunt incendere: quam sanctus Bonefacius benedixit, eamque numquam cremendam prædixit. Igitur Carolus Saxoniam repetens, tripertito exercitu concurrit Saxonibus, eique victoria provenit in omnibus. Carolus ostensus dissonantia cantus Ecclesiæ inter Romanos & Gallos, duos clericos Romam misit: vt authenticum cantum à Romanis discerent, & Gallos docerent: per quos primò Metensis Ecclesia, & per illam omnis Gallia ad authoritatem Romani cantus reuocatur. Inter obsidendum diuiso exercitu, Carolus multas vrbes vltra Padum comprehendit, inter quas Veronam. In qua Autharius Francus cum vxore Carlomanni & filio ejus latens, se cũ eis Regi dedidit. Adelgisus verò desiderij Regis filius, qui illuc fugerat, inde elapsus, Constantinopolim fugit. Obsidionem Papiensium pestilentia mortalitatis aggrauante, civitas Regi Carolo aperitur. Desiderius cum vxore & filia, & cunctis principibus capitur: & perpetuo exilio ad Gallias à Gilcredo Leodiensi Episcopo dirigitur. Quidquid per multa tempora Longobardi Romanis abstulerant, Carolus eis restituit. Regno verò Longobardorum destructo, totam Italiam sub iure regni Francorum redegit, post annos ducentos & quatuor, ex quo Longobardi in Italia regnare cœperant. Italia verò, vt ait Eginardus, ab Augusta prætoria vsque in Calabriam inferiorem, in qua Græcorum & Beneventanorum confinia sunt: decies centum, & eo amplius, passuum millibus longitudine porrigitur. Filiam Desiderij Longobardorum Regis duxerat Carolus, quam, incertum qua de causa, post annum repudiavit.

775. Constantinus contra Bulgares vadit; sed pax inter eos conuenit. Non multò pòst rupto à Bulgaribus pacto, Constantinus eos ex improuiso aggressus, nobiliter de eis triumphauit. Carolus Sigidrach castrum Saxonum capit: tunc cũ eis confligit, & à victis obsides pacis accipit.

776. Constantinus Imperator plaga pessimi incendij diuinitus percussus; & clamans adhuc vivus, igni sum inextinguibili traditus, miserabiliter moritur. Post quem eodem anno Habdallas Ammiras moritur: post quem Madai regnat annis novem. In Italia quibusdam rebellionem contra Francos meditantibus, Carolus contra eos vadit; vrbem ForumIulij capit: ducem eius Rotgangum rebellionis incentorem decollari facit: captaque Tarvisio vrbe, ceteris majestate nominis sui terrorem incutit. Saxonibus Heresburch castrum obsidentibus, gloria Dei super Ecclesiam apparuit omnibus, duobus scutis sanguineo colore flammantibus, & quosdam motus vt in bello per aëra dantibus. Carolus Saxoniam velut tempestas proterit, munitiones irrumpit, & ad hoc eos impetit, vt se & patriam ei dedant, & datis obsidibus se Christianos futuros spondeant.

777. Post Constantinum Leo filius eius imperat annis quinque. Vuitichindus dux Saxonũ in Normaniam fugit. Saxones baptizati paciscuntur, vt ingenuitatem suam, & omnia sua perdant; si vmquam à fidelitate Christi & Regis desistant. Carolus in Hispania Cæsar augustam vastando delet, Papiloniam obsidet, ejusque captæ muris destructis, Vuasco nes, duosque Saracenorũ regulos sibi subigit; aliquasque vrbes in deditionem accipit. Saxones suasu Vuitichindi Franciam atterunt; sed à Carolo victi, fuga sibi consulunt. Thelicus Bulgar ad Leonem Imperatorem fugit: quem baptizatum Leo Patritium facit.

778. Leo Imperator Syriam incursat. Carolus in Saxonia Vuestphalos sibi sibi subjugat.

779. Chardamus Bulgaribus dominatur. Hiltebrandus Dux Spoleti Carolo se subdit, eiusque gratiam multis muneribus redimit. Obijt sanctus Sturmi' primus Abbas Fuldensis.

780. Carolus Albiam fluuium transgreditur; ibique in ejus gratiâ Bardogavenses & Nordanæ baptizantur. Thassilo dux Bajoariæ contra Carolum rebellat hortatu vxoris suæ, quæ erat filia Desiderij Regis, & exilium patris sui per maritum suum vindicare tentabat.

781. Leo Imperator, cùm insauit cupiditate circa lapides pretiosos, adamavit magnam Ecclesiæ coronam, & accipiens portauit eam, & exierunt carbunculi in capite eius; & raptus à febre mortuus est. Mady Ammiras multos vtriusque sexus pro Christo martyrizat. Carolus orationis causa vadit Romam, ibique filij eius inunguntur in Reges. Pipinus filius Caroli ex concubina baptizatus ab Adriano Papa inungitur in Regem Italię, Ludovicus in regem Aquitaniæ, annos quatuor natus ex matre Hildegarde, cum fratre suo gemello, anno Domini 778. cujus frater penè prius mortuus est, quàm natus. Hic adhuc quadrimus armis sibi congruis indutus est. Eodem anno filia Caroli Gisla baptizata est Mediolani à Thoma Archiepiscopo. Thassilo Dux Baioariæ per Adrianum Papam Carolo reconciliatur.

782. Post Leonem vxor Hirene cum filio suo Constantino imperat annis decem. Constantinopoli quidam laminam auream invenit; & in ea virum iacentem cum hac scriptura *Christus nascetur ex virgine Maria, & credo in eum: sub Constantino & Hirene, ô sol, iterum me videbis.* Saxones rebellant, & à Carolo victi, seditiosos ei, vsque ad quatuor millia ducentos, tradunt; & obsides ei tribuunt.

783. Iterum Saxones rebellant, & à Carolo penè vsque ad internecionem delentur. Obijt Hildegardis Regina pridie Calendas Maij in vigilia Ascensionis Domini, & in eodem anno beata Regina.

784. Item Saxones & Frisones rebellant, & vincũtur. Vuesphali à Carolo filio Caroli debellantur. Carolus Saxoniam depopulatur.

785. Madi Ammiras moritur: post quem Moyses regnat annis duobus. Vuitigindus & Albion duces Saxonum Carolo reconciliati baptizantur; & motus Saxonum reprimuntur.

786. Carolus Adolphum Seneschallum suum contra Brittones mittit: & per eum multa Brittonum castra, & principes eorum capit. Offa Rex Merciorum regnavit annis quadraginta, vno minùs. Egferdum filium, antequam moreretur, Regem constituit: qui quatuor tantùm menses regnavit. Post quẽ Kenulphus. Ludovicus puer filius Caroli octẽnis bene equitat. Signum crucis in vestibus hominum apparet.

787. Post Moysen Aaron frater eius Saracenis regnat annis viginti & vno. Carolus Romam venit; & contra Heregisũ Beneventi Ducem vadit. Heregisus muneribus & obsidibus datis, gratiam eius redimit. Bellum

inter Avares & Francos oritur. Sanguis de cælo & terra profluxit. Thassilo Dux Bajoariæ contra Carolum reus majestatis adjudicatur. Vnde à Carolo attonsus, cum filio ejus Theodone in monasterio relegatur. In Italia inter Græcos & Romanos pugnatur; item inter Francos & Auares; tertiò inter Avares & Bajoarios; quarto inter Auares & Francos: & in omnibus his bellis Carolus suis victoriam prouenisse lætatur. Instantiâ Tharasij Patriarchæ, & Adriani Papæ secundò apud Nicæam vniversalis Synodus Episcoporum trecentorũ quinquaginta celebratur: in qua fides Catholica in præsentia Hirenes & filij ejus Constantini, cunctorum subscriptione roboratur: & hæresis execrantium imagines Dei & sanctorum ejus in perpetuũ abdicatur. Conjuratio valida facta est ab Austrasijs contra Carolum, auctore Harderico. Hic est Hardericus comes, de quo legitur in historia Amelij & Amici: quæ historia hujus temporis fuisse creditur. Qua detecta, multi aut truncantur membris, aut exiliantur. Carolus Coloniæ super Rhenum pontes duos construit, & munit: & Sclaviam ingressus, eam sibi subigit. Adelgisus filius Desiderij animatus consilio Græcorum & auxilio, Italiam venit. Qui inito bello cum Francis, tentus ab eis amara morte peremptus est. Carolus in Saxonia super Albiam fluvium duos pontes construxit: & in vno eorum ex vtroque capite castellum ligneum.

788.

Nicæna Synodus secũda, generalium septima.

789.

790.

Carolus legendi & psallendi disciplinam diligenter correxit. Alcuinus de Britãnia oriundus, Saxonici tamen generis, deliciosus ejus magister fuit, scientia literarum præpollens: cuius præcipuè magisterio ipse Rex omnes artes liberales didicit. In discenda tamen Grãmatica doctorem habuit Petrum Pisanum Diaconum: in ceteris disciplinis Albinum, cognomento Alcuinũ: apud quem Dialecticæ & Rhetoricæ, præcipuè tamen Astronomiæ discendæ plurimũ temporis impertivit. Tentabat & scribere; & ad hoc tabellas & codicillos sub cervicali circumferebat: sed parũ successit labor præposterus, & serò inchoatus. Ecclesiam frequentabat semper mane & vespere, & nocturnis horis, & sacrificij tempore, quantũ ei valetudo permittebat. Æditruos monebat, ne in ea indecens aliquid aut sordidum remaneret: tãtamq; copiam tribuit vasorum ex auro & argento, & sacrarum vestiũ; vt ne janitoribus quidem, qui extremi ordinis sunt, in priuato habitu ministrare necesse esset. Legendi & psallendi disciplinam diligentissimè emendavit. Non legebat vel cantabat solus: sed submissè, & in commune. Inter cœnandũ aut aliquod acroama, aut lectorem audiebat. Delectabatur libris S. Augustini; maximè de Civitate Dei. Pauperes sustentabat, non solùm in suo regno, sed & trãs maria, in Syria, in Ægypto, in Africa, in Ierusalem, in Alexandria, in Carthagine: & ideo exterorum Regum amicitias exoptabat, vt pauperibus Christianis, qui sub ipsis erant, aliquod inde refrigerium fieret. Omnium nationum quæ sub eo erant jura, quæ scripta non erant, describi fecit, & literis mãdari. Barbara & antiquissima carmina, quibus veterũ Regum actus & bella canebantur, scripsit. Inchoavit & Grammaticam patrij sermonis. Mensibus juxta propriam linguam nomina imposuit. Ventos duodecim propriis appellationibus insignivit. Filios & filias liberalibus studiis faciebat erudiri: filios equitare & venari; filias lanificio

Caroli studia & mores.

assuescere, & colo & fuso. Numquam domi positus sine liberis cœnavit; numquam iter sine illis fecit. Adequitabant ei filij; filiæ ponè sequebantur: quarum nullã, cùm pulcherrimæ essent, nuptum dare voluit, sed omnes vsque ad obitum suum in domo sua retinuit: dicens, se earum cõtubernio carere non posse. Et aliàs felix, in filiabus infelix fuit: quarũ tamen probra sic dissimulavit, ac si de iis nihil mali dispersum esset. Amplo corpore fuit, & robusto: statura eminenti; quæ tamen justam non excederet septem suorum pedum proceritatem. Apice capitis rotundo, oculis prægrandib⁹, ac vegetis, naso paululùm lõgiore, canitie pulchra, facie læta & hilari, voce clara, sed quæ minùs formæ corporis cõveniret. Nandi peritissimus fuit. Induebatur tunica, quæ limbo serico ambiebatur: thorace confecto ex pellibus lutrinis & murinis hieme pectus muniebat. Sago veneto amiciebatur. Gladio semper accingebatur: cujus capulus ac baltheus aut aureus, aut argenteus erat, interdum etiam gemmatus: tunc præcipuè, quando legati gentium exterarum aderant. In festivitatibus vestem habebat auro textam, & calceamenta gemmata, & fibulâ aureâ sagum astrictũ: & diadema ex auro & gẽmis portabat. Aliis diebus habitus ejus parum à plebeio differebat. Cibi temperans, sed potus tẽperantior. Cœna quotidiana quaternis ferculis erat: præter assam, quam venatores verubus inferebant. Super cœnam rarò plusquam ter bibebat. In æstate post meridiẽ tribus horis sicut nocte nudus quiescebat. Nocte quater aut quinquies somnum interrumpebat Litigãtes admittebat, etiam cùm calcearetur, & amiciretur. Eloquens erat; linguam Græcam meliùs intelligebat, quàm pronũtiabat. Hucusque Eginardus describit mores & formam Caroli. Turpinus tamen Archiepiscopus de illo dicit. Carolus Rex erat capillis brunus, facie rubeus, corpore decorus; sed visu ferus. Statura ejus septem pedũ in longitudine: suorum dico, qui erant longissimi. Renibus erat amplissimus, ventre congruus, brachiis & cruribus grossus, omnibus artubus fortissimus, certamine doctissimus, miles acerrimus. Facies ejus in longitudine habebat vnum palmum & dimidiũ, barba vnum, nasus circiter dimidium. Frons ejus erat vnius pedis: oculi leonini scintillabant vt carbunculi. Supercilia oculorum ejus dimidium palmũ habebant. Quęcumq; iratus apertis oculis aspexisset, statim perterritus erat. Cingulũ, quo cingebatur, octo palmis extendebatur, præter illud quod dependebat. Parum panis comedebat: sed quartam partẽ arietis, aut gallinas duas, aut anserem vnum, aut spatulam porcinã, aut pavonem, aut gruem, aut leporem integrum edeat. Modicum vinum & lympham sobriè bibebat. Tantæ fortitudinis erat, quòd militem armatum super equum sedentem, à vertice capitis vsq; ad bases simul cũ equo vno ictu propria spata secabat: quatuor ferraturas equorum simul manibus facilè extendebat: militẽ armatum super palmam suam à terra vsq; ad caput suum sola manu velociter elevabat. Erat donis largissimus, in judiciis rectissimus, in locutione luculẽtus. In 4. solemnitatibus per circulum anni prẽcipuè curiam suam in Hispania tenens, coronam regiam & sceptrum gestabat: die scilicet Natalis Domini, die Paschæ, & Pentecostes, & S. Iacobi. Ante tribunal ejus spata nuda ferebatur. Circa lectum ejus per singulas noctes assiduè 120. viri

Hæc historia in dubiũ reuocatur.

fortes vigilabant: quorum 40. primā noctis vigiliam agebant; decem ad caput,& 10.ad pedes, 10. ad dexterā,& 10. ad lævam: tenentes in dextera nudam spatam, in sinistra candelam ardentē. Ita singulas vigilias agebant reliqui; vicissim dormientes. Galafer Admirandus Toleti illum in pueritia exulantem ornavit habitu militari in palatio Toleti. Idem Carolus postea occidit in bello Braimantum, magnum & superbum Regē Saracenorum, inimicum Galafri. Multa Sanctorū corpora in . . . collocavit. Hucusq: Turpinus. Caroli magister Albin⁹ multa scripsit: inter quæ eminent libri *De S. Trinitate*, scripti ad ipsum. Hic ergo iussu ipsius Regis diuinā historiam correxit. Quando enim Attila persecutor Ecclesiæ regnabat, ferè omnia volumina Christianæ Religionis ab eo destructa sunt. Ideo, vt ait Ioannes Beleth, Alcuinus fecit historiam de S. Trinitate,& de B. Stephano,& eas obtulit Adriano Papæ: qui respuit illam de Trinitate, dicens, sicut non est officium Vnitatis, ita nec Trinitatis. Sed cùm Deus Trinus & Vnus sit, & Vnitas& Trinitas; cur non fiat officiū de S. Trinitate, quæ Deus est: sicut de ipso Deo, qui & primus, & vnus est?

791. Carolus regnum Avarorum, idest Hunorum terra marique impetit, & eos fugat. Constantinus matrem suam Irenem Imperio priuat, solusque imperat annis septem.

792. Constantinus congressus Chardamo Bulgari turpiter vincitur. Chardamus sublato omni regio apparatu ditatur. Hæresis Feliciana in Regnanesburth corā Adriano papa, dānatur ab ipso auctore Felice. Hic asserebat FiliūDei in divina natura verum esse, in humana adoptivum: vnā personam Dei & hominis dividens in duas personas veri filij & adoptivi. Pipinus Caroli ex cōcubina filius, pulcher facie, sed gibbosus, à quibusdam regni Francorum proceribus promissione regni illectus, in Bajoaria contra patrē conjurat: qui post fraudem detectam, & conjuratorum damnationem, in monasterio Prumia & volens & coactus religiosè vixit, & vsque ad finem vitæ Deo ibi militavit. Complices coniurationis quidam exiliantur, pauci perimuntur.

Fallitur Authorcū alijs Vide notas.

793. Saxones in fide Dei & fidelitate Regis vacillant. Pons de navigijs ita factus est de anchoris & funibus, vt jungi & dissolui posset.

794. Iterum tertiò condemnata est Feliciana hæresis in Franconefurth. Ibi mortua est Fustrada Regina, & in sancto Albano tumulata. Pseudosynodus Græcorum, quam falsò septimam vocant; pro adorandis imaginibus, rejecta est à Pontificibus. Constantinus Imperator multos Principum sibi subiectos oculis privat. Carolus multis linguis eruditus, barbara & antiquissima carmina, quibus veterum Regum bella & actus canebātur, scripsit: ventos duodecim proprijs nominibus appellavit: cùm antea quatuor tantùm cardinales nominarentur.

Hic sensus est falsus

795. Saxones virtute Caroli conterriti, reddunt se Christi fidei,& Regis fidelitati. Carolus Ecclesias ornavit sacris vasis ac vestib⁹. Extruxit Aquisgrani basilicam plurimæ pulchritudinis: ad cuius structuram columnas & marmora à Roma & Ravenna deuehi fecit. Hanc extruxit in honorē beatæ Virginis. Fecit etiam ibi balnea calida & frigida aqua temperata;& palatium juxta Ecclesiam. Ecclesiam verò illam depingi fecit veteris & novæ legis historijs: palatium bellis Hispanicis, & septem liberalibus artibus. Adrianus Papa moritur: cujus mors cùm nuntiata esset Carolo, sic flevit, ac si filium amisisset. Carolus cū aliquando obsessus esset in vrbe de Vuarmatia à tribus Regibus, Vuandalorum, Frisiorum, & Saxonum, & eorum exercitibus in turre quadā; tunc temporis Rothlandus nepos eius obsidebat vrbem Gratianopolim, quam septem annis obsedit. Subitò venit ad eum nuntius ex patre Caroli, vt sibi succurreret. Tunc Rothlandus valde anxius, quid ageret: tribus diebus non manducavit nec bibit, sed in precibus mansit cum suis exercitibus. Tertia die illo orante corruerūt muri Gratianopolis, & expugnatis Paganis profectus est ad auunculum liberandum: quem & Dei auxilio liberavit. Traditur, quòd Iulius Cęsar ad expugnandos Hispanos, qui sibi tributū nolebant reddere, tres gentes misit; Nubianos, Scotos, Cornubianos caudatos; præcipiens eis, vt omnes mares interficerent, feminas reservarent. Qui per mare terram ingressi, confractis navibus suis, ab vrbe Barcinona vsque ad Cæsar-augustam,& ab vrbe Baiona vsque ad montem æquè cuncta gladio & igne vastarunt: vltra autem transire nequiuerunt; quia Castellani adunati eos ejecerunt. Qui fugientes ad montes marinos, qui sunt inter Nagream & Pampiloniā, & Baionam, versus maritimam in terra Biscogiæ & Alaniæ, ibi habitantes, multa castra ædificaverunt: interfeceruntque omnes masculos; quorū vxores vi sibi rapuerūt; ex quib⁹ filios genuerunt, qui dicuntur Navarri, quasi nonveri, idest non legitimi, nec de vera progenie generati. Navarri etiā prius dicti sunt, ab vrbe Nadauer, quā beatus Matthæus convertit ad Dominum. Hanc terram Navarrorum simul & terram Bascorum dedit Carolus Britannis ad habitandum, postquam Hispaniam acquisivit: terram Castellanorum Francis: terram Nagreæ & Cæsar-augustæ Græcis & Apulis: terrā Arragonis Pictanis: terram Alandalosiæ iuxta maritima Teutonicis: terram Portugallorum Dacis & Flandris: Terrā verò Galetiæ Franci inhabitare noluerūt, quoniam aspera illis videbatur. Hanc autem totam terram Hispaniæ quomodo Carolus acquisierit, postea narrabimus in loco competēti.

Divinitus corruit murus Gratianopolitanus

796. Post Adrianum sedit Leo Papa nonagesimus-octavus annis viginti, mensibus quinque, diebus sexdecim; qui mox claves confessionis sancti Petri cum vexillo Romanæ vrbis Carolo misit. Vuithan Rex Abroditorum à Saxonibus perimitur.

Leo papa 98

797. Henricus dux Forojulij expoliato in Pannonia Avarorum principe Yringo, inæstimabilem thesaurū eius misit Regi Carolo. Thudin princeps Avarorum se & patriam suam Carolo dedit, & gratiam baptismi recepit.

798. Haldefonsus Rex Gallicìæ & Asturiæ misit Carolo papilionem miræ pulchritudinis. Irene Imperatrix facta est, Constantino filio suo à suis excæcato. Hæc legatos misit ad Carolum Aquis de pace, Michaëlem Patricium Frigiæ,& Theophilum Presbyterum. Hoc anno sidus, quod dicitur Martis, à superioris anni Iulio mense vsque ad hujus anni Iulium, nusquam in toto cœlo videri potuit. Aldefonsus Rex Galliciæ & Asturiæ deprædata Olysipona vltima civitate Hispaniæ, insignia victoriæ suæ loricas, mulos,& Mauros captivos Carolo misit per legatos Frojam & Basiliscum. Hirene imperat annis quatuor. Thatin Hispanus Barcinonæ præfectus se

Carolo dedit; & Barcinonam, quæ ab illo desciuerat, reddit. Carol' Saxones graui prælio vincit. Sol obtenebratus est per dies 17.

799. Constantinus Imperator & cæcus moritur. Barcinona Saracenis reddita à Caroli militibus est obsessa. Henricus dux Forojulij à suis perimitur. Leonem Papam celebritatê letaniæ majoris agentem Romani capiunt, linguã ei & oculos evellunt. Hi erãt consanguinei Adriani Papę, Voce autem & visu divinitus Apostolico reddito, iterum oculos & linguã eruunt ei radicitus. Qui de manibus eorum erutus ad Carolum fugit. Baleares insulæ Carolo se dediderunt: quia priori anno à Saracenis deprædatæ fuerant. Claves vrbis Oscæ ei allatæ sunt. Tota Britãniæ Insula Carolo subjugatur. Pluvia sanguinis in Eboraca civitate fuit in quadragesima. Egbertus Rex Cantuaritarũ cognomine Pren, à Kenulfo Rege Vuestsaxonum vinctus abductus est: sed apud Vuincelcomban, vbi Ecclesiam, quæ adhuc superest, Deo ædificaverat, ipsa die dedicationis Regem captivum manumisit, in conuentu tredecim Episcoporum, & decem ducum: ex quibus nullus largitatis regiæ passus est repulsam. Præter illa quoque xenia, quæ magnates acceperant, inestimabilis pretij & numeri vtensilia, vestes, equos. omnibus qui agros non habebant dedit. Kenulfus Rex libram argenti Presbyteris, marcam auri, monachis solidum vnum, postremo toti populo multa erogavit. Multa monasteria amplissimis redditibus ampliavit. Misit Leoni Papæ centum viginti manculas pro benedictione: & impetravit ab eo, vt Ethelardo Episcopo successori Lambrithi pristina dignitas, quã ei Offa Rex abstulerat, redderetur. Egbertus autem Rex Cantuaritarum in Franciam venit ad Carolum, vt disciplinam regnandiã Francis acciperet. Est enim gens illa & exercitatione virium, & comitate morum, omnium Occidentalium facilè princeps. Defuncto Brithico Rege Vuestsaxonum Britanniã rediit, & regnavit anno Domini 800. regnãte Carolo in Francia anno regni sui 34.

800. Gens Avarorum à fide deficit. Carolus Romam vadit, & ibi tota hieme residet; & Leonem Papam in sede sua relocat, reos legaliter damnat, & omnes motus Romanorum sedat. Baleares insulę auxilio Francorum à Saracenis defensatur: per Vuidonem Caroli ducẽ Brittones vincuntur, & in deditionem recipiuntur. Girardus dux Bajoariæ in Pannonia Avaris congressus perimitur. De quo in visione Vuethini legitur, quòd inter martyres annumeratus sit. In mense Iulio aspera pruina gelu concreta bis fuit contra naturã: sed nil fructibus nocuit.

801. Romani qui ab Imperatore Cõstantinopolitano jamdudum animo desciverãt, occasione accepta, quòd eis imperaret mulier, quæ filium suum excæcaverat, vno omnium consensu Carolo Regi Imperatorias laudes acclamant: eumque per manum Leonis papæ tertij huius nominis coronãt, Cæsarem & Augustum appellant. Nam in die Natalis Domini cùm Rex ad Missam ante cõfessionem beati Petri surgeret ab oratione, Leo Papa coronam capiti eius imposuit: & à cuncto populo Romanorum acclamatum est, Karolo Augusto à Deo coronato, magno & pacifico Imperatori Romanorum, vita & victoria; & post laudes acclamatas ab Apostolico more antiquorum principum adoratus est: & ablato Patricij nomine Imperator & Augustus est appellatus.

Carolus magnus Imperator coronatur.

Pipinus filius Caroli Rex Italiæ ordinatus est. Post paucos dies jussit Imperator, eos qui Pontificem superiori anno deposuerant, exhiberi, & habita de eis quæstione, secundùm legẽ Romanam, tanquam rei majestatis, capite damnati sũt. Pro quibus tamen Papa piè intercessit, vt nec vitam, nec mẽbrũ perderent: & ideo exilio deportati sunt. Cuius factionis principes fuerunt Paschalis nomenclator, & Campulus Sacellarius, & multi alij Romani nobiles. Cùm autem Imperator vellet audire crimina Papæ imposita, & eorum nullus probator existeret, ipse papa corã omni populo in basilica sancti Petri Evangelium portans conscendit ambonem: invocatoque sanctæ Trinitatis nomine, jurejurando ab objectis criminibus se purgavit.

802. Carolus primus Francorum Romanis imperat annis 13. diuiso à Cõstantinopoli imperio Romano, evolutis annis circiter quadringentis & sexaginta octo, ex quo Bizantium Thraciæ civitas à primo Constantino in novam ampliata, & in regiam vrbem est exaltata; & translata est in illã omnis Romanæ dignitatis gloria, & in sedẽ Romani Imperij dedicata fuit, & noua Roma appellata. Carolus per omne imperium suum legatos ad faciendum judicium & justitiam dirigit; & legis capitula viginti tria instituit. Ammimuelma qui & Aaron, Rex Persarum elephantem, quem solum habebat, Carolo misit: cuius elephantis nomen erat Abulabat; & præter eum munera. Imperatore apud Spoletum existente, pridie Calendas maij, hora noctis secunda, terræmotus maximus factus est, qui totam concussit Italiam: quo motu tectum Basilicæ beati Pauli Apostoli magna ex parte cum suis trabibus decidit: & in quibusdam locis vrbes & montes corruerunt. Eodem anno loca quædam circa Rhenũ in Germania & in Gallia tremuerunt. Pestilentia propter mollitiem hiberni temporis facta est. Barcinona capta, biennio jam antè obsessa. Zatus præfectus eius, & alij plures Saraceni comprehensi. Rheate civitas Italiæ capta & succensa. Rozelinus præfectus eius cum Zato missus est in exilium. Sanctus Salvius Episcopus veniens ab Aquitania ad fiscum Valẽtianas, martirizatur à Vuinigardo filio Genardi procuratoris ipsius loci: qui sacras vestes, quibus ille vtebatur in celebratione Missæ concupierat, quia pretiosæ erant. Super cujus martyris corpore requirendo Carolus tertiò divinitus admonitus, corpus quidem inuentum honorificè sepelivit: interfectores eius graui pœna mulctavit: nec tamen propter hoc vltio divina in eos cessavit. Legati Caroli ab Aaron Ammira venientes, inter cetera munera, etiam corpora sanctorũ Cypriani martyris Carthaginensis Episcopi, & Sperati primi Scillitanorum, & caput Pantaleonis martyris, in Franciam afferunt. Sed non dicitur, vbi posita fuerunt. Et notandum, quòd hæc omnia, & primus annus Imperij Caroli in quibusdam Chronicis anno priori annotantur, idest anno Domini 801. Nicephorus Irenem imperio depositam exilio relegat, & octo annis imperat. Patriarcha Ierosolymitanus pro benedictione claves Dominici sepulchri, & loci Calvariæ, & claues civitatis & montis cum vexillo Carolo misit. Legitur, quòd eo tempore, quo Carolo datũ est imperium Romanũ, Patriarcha Ierosolymitan' de civitate expulsus à paganis, venit Constantinopolim ad Imperatorem Constantinum, & fi-

S. Salvius martyr.

lium eius Leonem: & cum eo Ioannes Neapolis Sacerdos, & David Ierosolymitanus Archipresbyter; quos ille ad Carolum misit cum Epistola Ioannis Patriarchæ manu ipsius scripta, & cum sua Epistola manu ipsius Constantini scripta; & cum duobus præfatis, fuerunt duo alij legati Hebræi, Isaac & Samuel. In cuius epistolæ vltima parte scriptum erat. Quadam nocte in extasi factus, vidi ante lectum meum quemdam juvenem stantem; qui me blandè vocans, paxillū tetigit, & ait. Constantine, rogasti Dominum auxilium ad hanc rem Ecce, accipe Carolum magnum Regem Galliæ, Ecclesiæ in Domino propugnatorem. Et ostendit mihi quemdam militē armatum, & ocreatum, & loricatum, scutum rubeum habentem, ense præcinctum: cujus manubrium erat purpureum, hasta altissima, cujus cuspis sæpe flammas emittebat: & in manu tenebat cassidem aureā: & ipse senex prolixa barba, vultu decorus, statura procerus: cujus oculi fulgebant tamquam stellæ, & canis caput albescebat. Age jam Auguste, qui visionibus Dei refugit obedire, minimè culpā poterit evadere. Emmanuel . . . . Iesu, In Domnino gaude, memor eius fūgere laude, justitiæ zona lumbos, caput atque corona perpete subiungat te Christ*, honoreque stringat. Nil opus est ficto, Domini quo jussio dicto. Ergo tene fundum Domini præcepta secundum. Hic ipse Constantinus sexies expoleat paganos ab Ierosolymis; sed tamen prævaluerant. Hi legati Regem Parisius invenerunt, & epistolas tradiderunt. Quib* perlectis Rex lacrymari cœpit pro sepulchro Domini. Has epistolas jussit Rex exponere Turpinum Archiepiscopum coram omni populo. Quibus auditis, omnes proficisci Regem precabantur. Quo audito mox Rex edictum proposuit, vt omnes, qui possent arma ferre, irent secum contra paganos: & qui non iret, ipse & filius ejus servus quatuor annorum esset. Itaque maiorem exercitum, quàm vnquam antea habuisset, congregavit, & profecti sunt. Cùm venissent autem cis Ierusalem in nemore quodam, quod vix duarum dierum spatio solet transiri, in quo erant grifones, vrsi, leones, & tygres, & aliæ feræ diuersæ, Carolus putans illud posse se transire vno die, ingressus est cum exercitu. Adveniente nocte & exercitu errante, Carolus præcepit castra metari. Transacto autem noctis silentio, Rex in lecto suo accubans inchoauit psalmos, & cùm diceret hunc versum. *Deduc me in semitam mandatorum tuorum, quia ipsam volui*, ecce ad aures eius evidentius vox cujusdam alitis prope lectū eius clamantis audita est: quam qui aderant audientes, expergefacti sunt. Rex autem Psalmos cōtinuavit vsque ad illū locum, *Educ de custodia animam meam*, &c. Quem cùm diceret, ales iterū clamavit, *Francè, quid dicis, Francè, quid dicis?* Hanc alitem prosecutus est Rex parvula semita, donec recognoverunt callem, quem die præterita amiserant. Peregrini dicunt, quòd ab illo tēpore cœperunt audiri alites sic loquentes in illa terra. Fugatis Paganis, & recuperata terra, petiuit Rex licentiam repatriandi, ab Imperatore Constantionpolitano, & Patriarcha Ierosolymitano. Quem per vnū diem retinuit Imperator apud Constātinopolim: & interim parari fecit ante portas civitatis animalia diversi generis & coloris, & aurum, & gemmas. Carolus autem, ne inurbanus videretur, si nihil acciperet, quæsivit consilium à proceribus suis, quid facere deberet Qui responderunt, à nullo eū debere munus aliquod accipere pro labore, quem pro solius Dei amore susceperat. Qui laudans consilium, jussit omnibus suis, vt omnes res appositas nec respicere dignarentur. Tandem adjuratus & coactus, aliquod munus pro amore Dei suscipere, petivit de reliquiis passionis Dominicæ. Inito ergo consilio, indictum triduanum jejunium omnibus nostris, & duodecim personis Græcis, quæ electæ sunt ad hoc sanctuarium dividendum: tertia die Carolus peccata sua cōfessus est Ebroino Archiepiscopo, deinde vtrique clerici psalmos cum letania inchoant. Cùm autem Daniel Neapolitan* Antistes aperuisset thecam, in qua spinea corona erat, tantus odor inde exiit, vt omnes putarent se in paradiso esse. Tunc Karolus prostratus in pavimento, plenus fide oravit Dominū, vt propter gloriam nominis sui, miracula suæ passionis & resurrectionis renovaret. Et cùm orasset, statim ros cælitus veniens lignum infudit & inebriavit, & flores emittere fecit: tantaq; lux cum odore adfuit, vt omnes sua vestimenta cælestia esse putarent. Cumque Daniel adunca forcipe robur ipsius ligni secare inciperet, tunc magis & magis florere cœpit. Tunc Carolus in arboreo pallio, q̄ ad hoc præparaverat, suscepit de floribus, & implevit vuantum suum dextrum, dehinc aliū vuātum ad suscipiendas spinas præparans, tradidit illum cum floribus Ebroino Archiepiscopo: cūque vtrisque oculi præ lacrymis impediti essent, ille putans se accepisse, & iste dedisse, vterq; vuātum dereliquit: qui ferè vnius horæ spatio pepēdit in aëre: cumq; alterum vuantum Rex spinis implesset, & illum Episcopo tradere voluisset, vidit illum primum pendere in aëre. Post hæc cùm flores de vuanto eiicere cuperet, conversi sunt in manna; & hoc manna modò est apud S. Dionysium: quod multi putant esse de illo manna antiquo, quod pluit Domin* in deserto. Omnes qui ibi aderant, ad odorem florum sani facti sunt. His ita gestis, ecce turba infinita Ecclesiam violenter intrans, clamare cœpit. Verè hodie est resurrectionis dies. Nam odor de floribus exiens totam civitatem impleuerat, & trecentos & vnum ægros curaverat. Quidam æger ibi erat, viginti tres annos & menses tres habens in infirmitate sua: cæcus, surdus, & mutus. Hic in extractione spineæ coronæ visum recepit, in sectione auditū, in florum emissione loquelam. Post hæc præfatus Daniel dominicum clavum manibus elatis Regi tribuit. Qui cùm de alabastro, in quo reconditus erat, extraheretur, sanatus est puer quidam, sinistram manum, & totum latus sinistrum ab vtero habens aridum: & cucurrit ad Ecclesiam, dicens, quòd circa horam nonam lecto jacens, quasi in extasi positus, videre sibi visus est quēdam canutum fabrum adunca forcipe extrahere ex sinistra manu sua, & sinistro pede similiter arido. clavū, & à latere lanceam. Data sunt præterea Regi Carolo frustum crucis Dominicæ, & sudarium Domini, & camisia beatæ Mariæ, & fascia, qua puerum Iesum in cunabulis cinxit, & brachiū sancti senis Simeonis. Quæ omnia Rex recondidit in sacco de bulbanio tergore facto, & ad collū suum suspendit ad instar peræ. Veniens autem ad castrum, nomine Lignedo, puerum mortuū per tactum reliquiarum suscitauit; & quinquaginta ægri promiscui sexus ibi curati sunt. Ibi sedit Carolus sex mensibus, & vno die. Veniente autem

Narratiò hæc ficta videtur.

Edictum Caroli & peregrinatio ad loca sancta.

Psal. 118.

Psal. 141.

Miracula spinia coronæ Domini.

eo Aquisgranum, sanati sunt cæci innumeri, febricitantes innumeri, dæmoniaci duodecim, leprosi octo, paralytici 15. Claudi 14. manci 30. gibbosi 52. caduci 65. gutturuosi plures, & ex vicinis locis quamplures. Denique indixit per totum orbem, vt Idibus Iunij venirent Aquis granum, videre reliquias, quas de Ierusalem & de Constantinopoli adduxerat, priùs peccata sua confitentes: & statutum est ibi, vt semper quarta feria jejuniorum quatuor temporum in mense Iunio fieret indictio ista reliquiarum. In hoc Concilio fuit Leo Papa, & Turpinus Archiepiscopus, & Achilleus Alexandrinus Episcopus, & Theophilus Anthiochenus, & alij plurimi Episcopi & Abbates. Ibi etiam suscitatus est mortuus. Mirum valde est, quòd de toto hoc itinere Caroli Ierosolymitano, in quo tam præclarum opus factum est, vt est acquisitio terræ Ierosolymitanæ, & tanta miracula quæ per has reliquias facta sunt, nihil omnino apud Latinorũ chronographos annotatum reperitur. In hoc autem præsens narratio resultare videtur historicæ veritatis, quod dicit Patriarcham Ierosolymitanum venisse Constantinopolim ad Constantinũ Imperatorem, & filium ejus Leonem, eo tempore, quo datum est Imperium Romanũ Carolo: cùm vterque istorum; id est Constantinus, & Leo filius, eo tempore quo Imperium Romanum Carolo datum est, jam mortuus fuerit. Potest tamen intelligi, Imperium Romanum illorum tempore datum Carolo, id est oblatum: quia legitur Carolus plusquã 30. annis simplici nomine Regis contentus fuisse, ab Imperatoria appellatione se temperans: quamvis sæpe ab Adriano Papa inuitaretur. 803. Irene Imperatrix in exilio moritur. Sigebertus. Carolus omnes Saxones trans Albiam morantes in Franciam transtulit; pagosque eorum Abroditis dedit. Eginardus. Carolus confecto bello Saxonico decem millia hominum, ex his qui vtrasque ripas Albij fluminis incolebant, cum vxoribus & parvulis transtulit in Galliam, & per loca divisit. Item Sigebertus. In Italia ciuitates Ostana & Luceria contra Carolum sentientes, in deditionem accipiuntur. Carolus per omne Imperium suum iustitias facit, & legis capitula 29. instituit. Aaron Admiras cum trecentis millibus contra Nicephorum ascendit: quod non ferens Nicephorus, turpe fœdus inijt, pactus se ei daturum annuatim triginta millia numismatum, & tria millia in tributum capitis sui, & tria pro capite filij sui. In alijs chronicis, de hoc anno legitur sic. Irene à Græcis deposita Nicephorus imperat. Qui misit Legatos ad Carolum. In hieme factus est terræmotus circa Palatium, & mortalitas subsecuta est. In Mantua ciuitate dicitur sanguis Christi fuisse repertus. 804. Leo Papa in Franciam ad Carolum venit. Nicephorus fœdere cum Saracenis soluto multa incommoda intulit Imperio suo. Godefridus Rex Danorum multa contra vicinas gentes abutens insolentia, pacem à Carolo petit. Auares, qui & Huni, longo contra Francos bello perdomiti, in hoc vltimo bello omnẽ gloriam & nobilitatem perdiderunt. Franci nullo prælio tantum ditati sunt. Tantum auri & argenti, & tot spolia pretiosa in Regia Cagani reperta sunt, vt meritò credatur, Francos justè eripuisse Hunnis, quæ illi alijs injustè eripuerant. 805. Romanis & Græcis semper fuit suspecta Francorum potentia. Vnde illud grecum est proverbium. Francorum Philon Kexisgiton Ioy Kexis. Indignantibus igitur contra Carolum Constantinopolitanis Imperatoribus, & suspectam habentibus ejus potentiam, crebris legationibus fœdere firmissimo Carolus eos conciliabat. Avares non sufferentes infestationem Sclavorum, impetrant à Carolo locum habitandi inter Saluriam & Charantanum; ibique fine regni nomine resederunt sub ditione Francorum. Carolus filius Caroli Boëmianos rebellantes deuicit, & Lethonem eorum ducem peremit. Turpinus Archiepiscopus in historia de acquisitione Hispaniæ. *Historia de bia.* Carolus postquam multa regna acquisierat, proposuit quiescere à prælijs: statimque intuitus est cœlo viam quamdam stellarum incipientem à mari Frisiæ, & tendentem inter Teuthonicam & Italiam, inter Galliam & Aquitaniam, & rectè transeuntem per Gasconiam & Basclam, & Navarram, & Hispaniam, vsque ad Galeciam, in qua beati Iacobi corpus tunc latebat incognitum. Hanc viam per singulas noctes aspiciebat Carolus, & cogitabat quid significaret. Cui hoc cogitanti vir quidam optimæ & pulcherrimæ formæ, vltra quam dici fas est, nocte in extasi apparuit dicens. Quid agis fili mi? Cui Carolus. Quis es, domine? Ego sum ait, Apostolus Iacobus, alumnus Christi, Filius Zebedæi, frater Ioannis Evangelistæ, quem Dominus supra mare Galilææ, ad prædicandum populis, sua ineffabili gratia eligere dignatus est: quem Herodes Rex gladio peremit: cuius corpus in Galæcia, quæ à Saracenis turpiter adhuc opprimitur, incognitum requiescit. Vnde miror, cur terram meam nondum liberasti: qui tot & tantas vrbes acquisisti. Quapropter tibi notifico, quia sicut Dominus potentiorem omnium Regum terrenorum te fecit: sic ad præparandũ iter meum, & liberandam terram de manibus Moabitarum, te inter omnes, vt tibi coronam æternæ retributionis exinde præparet, elegit. Via stellarum, quam in cœlo vidisti, significat, quòd tu cum magno exercitu ad expugnandam gentem paganorum perfidam, & liberandum iter meum, & ad visitandum sarcophagum meum, ab his oris vsque ad Galæciam iturus es: & post te omnes populi à tempore præsenti vsque ad finem sæculi. Taliter apparuit Apostolus Carolo tribus vicibus. Post hæc perrexit Carolus illuc cum magno exercitu; cumque obsideret Pampiloniam tribus mensibus, & eam capere non posset propter muros inexpugnabiles: oravit sãctum Iacobum, vt propter honorem nominis sui daret ei capere civitatem. Tunc muri funditus corruerunt. Qui de Saracenis baptizari voluerunt, reseruati sunt ad vitam: qui noluerunt, occisi sunt. His auditis mirabilibus omnes vrbes se dediderunt; & facta est tota terra sub tributo. Denique visitato sarcophago, venit ad Petroniũ, & infixit ibi in mari lanceam suam, agens Deo gratias, & sancto Iacobo, qui eum illuc vsque perduxit. Postea ivit per totam Hispaniam à mari vsque ad mare. In Gallecia tunc acquisivit 14. vrbes; inter quas Compostella tunc erat parua. In Hispania vrbes sunt nonaginta sex. Inter quas Osca, de qua fuit beatus Vincentius, in qua solebant esse turres nonaginta. In Petronissa fit argentum optimum. In civitate Acciuctina jacet beatus Torquatus, qui fuit beati Iacobi cliens; ad cuius sepulchrũ arbor oliuæ divinitus florẽs maturis fructibus onustatur per vnumquemque annum

annum in ejus solemnitate, primo Idus Maij. Cuncta terra Hispanorum tunc Carolo subiecta est: terra scilicet Alandalus, terra Pardorum, terra Castellanorum, terra Maurorum, tellus Navarrorum, tellus Portugallorum, tellus Saracenorum, tellus Alavarum, tellus Biscajorum, tellus Basclorum, tellus Palargorum. Harum vrbium quasdam sine pugna cepit Carol⁹: quasdam cum bello magno & arte maxima Lucernam vrbem munitissimam, quæ est in Valle viridi, nequiuit capere, vsque ad vltimum. Novissimè verò obsedit eam quatuor mensibus, & facta prece Deo & sancto Iacobo, ceciderunt muri ejus: & est deserta vsque in hodiernum diem. Quidam enim gurges Atri amnis in medio ejus surrexit, in quo nigri pisces habentur. Hæ sunt vrbes, quas Carolus maledixit, propter hoc, quod graui labore eas acquisivit: & ideo sine habitatore permanét vsque in hodiernum diem, Lucerna, Ventosa, Caparra, Adonia. Omnia idola & simulacra, quæ tunc in Hispania invenit, penitus destruxit: præter idolum, quod est in terra Andalus, quod vocatur Salam Cadis, idest Deus Cadis. Cadis enim propriè dicitur locus ille. Salam Arabicè interpretatur Deus. Tradunt autem Saraceni, quòd idolum istud Mahometh dum adhuc viueret, in suo nomine fabricavit, & quamdam legionem dæmonum arte magica in eo sigillauit, dum adhuc viueret. Quæ legio tam fortiter illud idolum obtinet, quòd à nullo vmquam frági potuit. Cùm aliquis Christianus ad illud appropinquat, statim periclitatur: sed cùm aliquis Saracenus causa adorandi vel deprecandi Mahometh accedit, recedit incolumis. Si fortè super illud avis quælibet se deposuerit, illico moritur. Est autem lapis antiqu⁹ in margine maris opere Saracenico optimè sculptus, supra terram situs, deorsum latus & quadratus, desursū strictus, & tantæ altitudinis, quantum solet volare in sublime coruus. Super quem elevata est imago illa de aurichalco optimo in effigie hominis fusa, super pedes suas erecta, faciem habens versus meridiem, & clavem quamdam ingentē in manu dextera tenens. Quæ scilicet clavis, vt Saraceni aiunt, de manu eius cadet, anno quo Rex futurus in Gallia natus fuerit, qui totā Hispaniam Christianis legibus in novissimis temporibus subjugabit. Mox vt Saraceni viderint clavem lapsam, gazis suis in terra repositis omnes fugient. Ex auro quod Reges & Principes tunc dedere Carolo, Ecclesiam beati Iacobi tūc per tres annos in illis oris commorans, augmentavit. Antistitem & Canonicos secundùm Regulam beati Isidori ibi instituit: eamque tintinnabulis, & palleis, & libris, decenter ornavit. De residuo auro & argento immenso, quod de Hispania attulit, fecit has Ecclesias, beatæ Mariæ Virginis Aquisgrani; beati Iacobi in eadem villa; item beati Iacobi apud vrbem Bituricensē: item beati Iacobi apud Tolosam; item beati Iacobi in Guasconia, inter vrbem Axam & sanctum Ioannem Sordue via Iacobita. Itē beati Iacobi apud Parisius inter Sequanam & Montem martyrum; & præter has, Abbatias innumeras per mundū.

Fabula.

806. Carolus reversus in Franciam, partitionem regni inter filios suos fecit, & inde testamentum factum sua & Leonis Papæ auctoritate firmavit. Bethemani Sclauis sibi auxiliaribus vbique grassantur: sed à Carolo Caroli filio fortiter debellantur. Quarto Nonas Septembris facta est ecclipsis Lunæ, sole existente in decimasexta parte Virginis, luna in decimasexta parte piscium.

807. Chumeid Amireus missus ab Aaron ad excidendam Lyciam, cùm venisset Mirream, nisus arcam sancti Nicolai conterere, pro ea contrivit aliam: & pro temeritate præsumpta totam amisit classem, tempestate inevitabili persequēte. Pridie Calendas Februarij luna 17. facta est ecclipsis solis in medio die, stante vtroque siderum in 25. parte Aquarij. Item quarto Calendas fuit ecclipsis lunæ, & apparuerunt acies in eadē nocte miræ magnitudinis: & sol stetit in vndecima parte Virginis. Nam & stella Mercurij decimosexto Calendas Aprilis visa est in sole quasi parua macula nigra, tamen paululum superiùs medio centro ejusdem sideris, quæ à nobis octo dies conspicitur: sed quando primùm intravit vel exijt nubibus impedientibus, annotari non potuit. Item vndecimo Calendas Septembris, lunæ fuit ecclipsis hora noctis tertia, sole in quinta parte virginis existente luna in quinta parte piscium: sicque ab anni superioris Septembri vsque ad Septembrem præsentis luna ter obscurata est, & sol semel. Legatus Regis Persarum, nomine Abdella, detulit Imperatori Carolo munera, papilionem, & tentoria vario colore, miræ magnitudinis & pulchritudinis. Erāt enim omnia byssina, tam tentoria, quàm funes, diversis tincta coloribus & præterea pallia multa sericæ pretiosa; & odores aromatum, & vnguenta, & balsamum: & insuper horologium ex aurichalco arte mechanica mirificè cōpositū, in quo duodecim horarum cursus ad clepsidrā vertebantur, cum totidem aureis pilulis, quæ ad cōpletionem horarum decidebant; & casu suo subiectum sibi cymbalum tinnire faciebant; additis in eodem ejusdē numeri equitibus, qui per 12. fenestras completis horis exibant; & impulsu egressionis suæ totidem fenestras, quæ priùs erāt apertæ, claudebant: & alia multa erant in horologio illo. Fuerunt etiam inter munera & duo candelabra ex aurichalco miræ magnitudinis & proceritatis. Turpinus in historia Caroli. Reverso Carolo in Galliam, quidam Rex paganus Africanus collectis exercitibus Hispaniam conquisivit; ejectis & interfectis custodibus oppidorū & vrbium, quos Carolus reliquerat. Quibus auditis Carolus collectis magnis exercitibus reversus est in Hispaniam: & erat dux exercitūū Milo de Anglieris, pater Rollandi. Cùm autem apud Bajonam vrbem Basclorum exercitus Caroli hospitatus esset, quidam miles, Romaricus nomine, ægrotus, & morti proximus, accepta pœnitentia & Eucharistia, cuidam consanguineo suo præcepit, vt equū, quem habebat, venderet, & pretium clericis & egenis daret. Quo mortuo, ille equum centum solidis vendidit; & pretiū cibis & potibus & vestibus velociter expendit. Transactis autem triginta diebus apparuit ei mortuus in extasi, dicens. Quoniam res meas pro redemptione animæ meæ in elemosyna tibi ad dandum commendaui; scias Deum omnia crimina mea mihi dimisisse. Sed quia injustè elemosynam meam retinuisti; scias me per triginta dies in pœnis tartareis fuisse: te autem in eodem loco infernali vnde egressus sum, die crastina scias ponendum; & me in paradiso futurum. Quibus dictis disparuit. Tremefactus ille evigilavit: & cùm eadem die narraret socijs somnium suū, subitò factus est clamor in aëre, velut leonum

luporum, & vrsorum. Et ecce ille subitò raptus est à dæmonibus in locum iam diuino judicio sibi destinatũ. Quæsitus à socijs, vix duodecimo die supra quẽdam montem altissimum mortu' jacens toto corpore colliso inventus est: qui mõs quatuor dietis distabat à loco, in quo raptus fuerat. Ibi demones eum projecerãt tribus lengis in altum supra mare. Post hæc Aigolandus mãdavit Carolo bellum secundùm velle suum, scilicet viginti contra viginti, vel quadraginta cõtra quadraginta, vel centum contra centum, vel mille contra mille, vel duos contra duos, vel cõtra vnum. Missi sunt ergo centum milites à Carolo contra centum, & interfecti sunt Saraceni. Deinde mittuntur alij centum ab Aigolando contra centum; qui omnes interfecti sunt. Deinde misit Aigolandus ducentos contra ducentos, qui statim occisi sunt. Deinde misit duo millia contra duo millia: quorum quidam occisi sunt, reliqui fugati. Tertia die jecit Aigolandus sortes suas, & cognovit detrimentum Caroli; & mandavit ei, vt sequenti die plenarium, si vellet, bellũ faceret. Quod ab vtroque cõmissum est. Tunc astiterunt quidam Christiani, qui serò ante diẽ belli arma sua bellica studiosissimè præparantes, hastas suas erectas infixerunt in terra, ante castra in pratis juxta fluvium, qui dicitur, Cera, in quo loco postea bearorum martyrũ Famudi & Primitiui basilica ingens & optima jussu & auxilio Caroli constructa est, & magna villa & pinguissima. Istas hastas summo mane corticibus & frõdibus decoratas invenerunt: hi scilicet qui in acie proxima martyrij palmam adepturi erant in Dei fide: & vltra quàm dici fas est, admirantes, tantumque miraculum divinæ gratiæ ascribentes, absciderũt eas prope terram, & radices quę remanserant in terra in modum perticarum, ex se postea magna generarunt arbusta, quæ adhuc in illo loco apparent. Erant enim illorum multæ hastæ de lignis fraxinis. Mira res, magnũque animabus gaudium, & ingens corporibus detrimentũ. Quid plura? die crastina occisa sunt quadraginta millia Christianorum, & dux Milo Rothlandi pater, & equus Carolo peremptus. Tunc Carolus stans pedes cum duobus millibus peditum Christianorum, evaginavit spatam suã, nomine gaudiosam, & trucidauit multos Saracenos per mediũ. Advesperascente die conversi sunt Saraceni & Christani in castris. Altera die venerunt Carolo in auxilium quatuor Marquisij de locis Italię, cum quatuor millibus virorum bellatorum. Quod vt Aigolandus agnovit, in fugam versus est: tunc Carolus cum suis exercitibus remeavit in Galliam. Hiems mollissima & pestilens fuit.

Dubia historia.

808. In Britannia post Kenulfum, qui 24. annis regnavit, cujus filius Kenelmus puer à sorore innócuè cæsus martyr effectus est: regnavit Kednulfus frater ejus anno vno. Altero à Bertulfo expulsus, venit ad Carolum: per quem, vt ait Sigebertus, regno & patriæ restitutus est. Leo Papa tertius legatos misit in Britanniam, Adulfum Diaconum, natione Saxonem: cum quo ab Imperatore Carolo missi sunt Abbates duo, Linotfridus notarius, & Nantarius de S. Omaro. Crũnis Bulgaribus regnat. Aaron Admiras moritur: post quem regnat Muhammad annis quinque.

809. Pipinus Rex Italiæ Venetiam sibi subigit, & non multò pòst Mediolani obit: & Carolus Venetiam Nicephoro reddit. Qui Nicephorus novis & injustis legibus omnes suos exacerbat: & iram Dei in se exaggerat. Godefrido Danorum Rege mortuo, Hemingus filius ejus pacem petit à Carolo. Vualchandus Episcopatũ Leodiensem suscipit: qui in Ardenna Andagium Cœnobium construxit. In Thuscia Populonium civitas maritima à Græcis, qui Crabiotæ vocantur, deprædata est. Mense Novembri habuit Imperator Aquis Concilium de processione Spiritus sancti: quam quæstionem Ioannes quidã monachus Ierosolymis primò commendavit. Cujus diffiniẽdæ causa Bernardus Episcopus Vormatiensis, & Adalardus Abbas Corbeiæ Romam ad Leonem Papam missi sunt.

Annotatio.

Quæ sequebantur de bello Aigolandi, de Ferracuto gigante, de nece Francorum in Runciavalle, &c. ex Turpino, seu vero, seu ficto, omisimus, vtpote fabulosa, & à doctis reprobata. Quamquam & quædã jam antè allata sunt fabulis respersa. Sed illa permisimus, vt specimen aliquod, ne nobis vitio verteretur omissio reliquarum fabularum.

810. Ruoltona filia Imperatoris major natu obiit octauo Idus Iunij: & Pipinus Rex Italiæ filius ejus octavo Idus Iulij. Magna fuit boum mortalitas per omnes ꝓvincias Imperatori subditas. Sol septimo Idus Iunij, & secundo Calẽdas Decembris; luna vndecimo Calendas Iulij, & decimo octavo Calendas Ianuarij, defecerunt. Carolus in tres partes regni sui tres exercitus misit: vnum trans Albiam, qui Hillones debellavit; alterum in Pannoniam, qui reliquias Hunorum, & Sclavos compressit; tertium contra Britones, qui eorum perfidiam contudit.

811. Carolus filius Imperatoris major natu obiit secundo nonas decembris. Hemingus Rex Danorum moritur: Post quem duo inter se de regno contendentes, colliduntur penè vsque ad vndecim millia Danorũ. Moguntiæ pons qningentorum passuum longitudinis trans Rhenum, quem Carolus per decẽ annos ingenti labore & mirabili opere de lignis construxerat, ita vt perpetuò durare posse videretur, ita fortuito incendio tribus horis conflagrauit, vt ne vna quidem hastula super aquam remaneret. Carolus rerum suarum haeredẽ Christum testamento facit; diviso in tres partes quidquid in re mancipij habebat: tertiam partem eorum pauperibus & famulantibus palatio delegavit, duas partes reliquas in partes viginti vnã subdivisit: & metropolitanis Episcopis, qui totidem sibi suberant, distribuit; ita vt Metropolis Ecclesia tertiam assignatæ sibi partis haberet, & duas inter suffraganeos Episcopos divideret: quarum hæc sunt nomina. Roma, Ravenna, Mediolanum, Forum julij, idest Aquileia, Gradus, Colonia, Maguntia, Iuvavũ, quæ & Salisburch, Treviris, Senonis, Bisontio, Lugdunũ, Vienna, Rothomagus, Remis, Arelas, Tarentasia, Obredunum, Burdegala, Turonis, Bituricæ. Vnamquamque partem sub proprio conditorio sigillatam reposuit: addens nomen civitatis Metropolitanæ, cui mittenda erat. Carolus per quatuor annos vitæ suæ extremos crebris febribus correptus est; ad extremum etiã vno pede claudicavit; & tunc plura suo arbitratu, quàm medicorum consilio faciebat: quos exosos habebat, quia ei assa interdicebant, quibus assuetus erat: delectabatur vaporibus aquarum naturaliter ca-

Christus Caroli heres fit testamento.

lentium. Nicephorus Bulgariam ingreditur; & quia victoriæ tēperare nescivit, à Bulgaribus cū multo senatorij ordinis numero peremptus est. Postquē Stauratius filius eius anno vno imperat.

812.

Carolus Ludovico filio suo coronam Imperialem imponit, & Bernardum filium Pipini Regem Italiæ facit. Apud Cœnobium Elnonēse S. Amandus à Lanthario custode eleuatur, anno ab ejus depositione circiter centesimo quinquagesimo secundo, vicesimo die mensis Septembris. In legenda tamen ejus ponitur hæc elevatio corporis eius anno Domini 809. anno ab ejus transitu centesimo quinquagesimo. In quo die visus est idem sanctus in tumulo suo, vir cano capite reverendus, abstinentia & jejuniis pallidus, incorruptione membrorum suaue fragrantium quasi aromaticus, ac toto corpore incontaminatus, dormienti simillimus, vestimentis Pontificalibus honesta pulchritudine adornatus: cui' vngues manuum ita excreverant, vt etiam manicas vestimentorū cremento suo penetrarēt. Has pro reliquiis secuit idem Lautharius, vel Lotharius; & incrementorum similiter barbæ ejus totōdit, & fabrili instrumento duos dentes de gingivis ejus extraxit: quos aliter non poterat. Post quos stillæ cruoris fluxerunt, quæ adhuc acerra servantur eburnea. Stauratio deposito Michaël gener Nicephori imperat annis duobus. Cuius legati Michaël Episcopus, & Arsafi', & Theonost' protospatarij, venientes Aquis, dixerunt laudes Imperatori Græca lingua. Idibus Maij post meridiē facta est solis ecclipsis. Corpus sancti Salvij inventum est. Hic sanctus venerat primùm in partes fisci Nonensis, qui vocatur Valentianas. Inde egressus celebravit Missā in Ecclesia sancti Martini die Resurrectionis Dominicæ, vbi & populum instruxit: & post Missam invitauit eum ad prandium Genardus quidam, qui fiscum providebat sub Domino suo Abbone. Habebat autem sanctus Saluius ministerium Ecclesiasticum aureū, vestimenta ex auro & gemmis ordata, cingulum aureum, gemmis & margaritis intextum. Quæ omnia vbique ferebat secum coram omnibus scienter, vt ita perveniret ad palmam martyrij. Hæc autem concupivit Vuinegardus filius Genardi, homo levis & protervus: omniaque fecit ei auferri: & de calice & patena jussit sibi fabricari sellam; & virum Dei misit in carcerem: & misit seruum, vt interficeret eum in carcere, & discipulum ejus: & factum est ita. Seruus tamen hoc non est ausus facere, donec ei sanctus præcepit. Fuerunt autem hi duo sancti de territorio Arumnorum. Corpora eorum jussit Vuinegardus latenter apportari ad armentum gregis sui, & ibi fossa humo in medio abscondi. Erat autem in eodem armento taurus maximus, qui semper prohibebat cætera animalia, ne locum illum attingerent, in quo sanctorum corpora posita erant; sed abigebat illa cornibus suis. Erat autē corpus sancti Salvij primò positum in fossa, & corpus discipuli ejus super illud jactatum in modum crucis. Si autem fortè contigisset, vt aliquæ sordes ibi cecidissent, non cessabat taurus per totam noctem, donec pedibus suis locū mūdasset. Quædam autem femina nocte custodiens & gyrans domum suam in villa Breuitico, vidit immensum fulgorē in loco illo, vbi armētum erat, & cucurrit ad ostium, & vidit duas lāpades accensas totum locum illuminantes, velut in meridie: & convocavit vicinos, vt miraculum hoc viderent. Factum est hoc vna nocte & altera, & relata est res ad Sacerdotes. Eodem tempore revelatum est per Angelum Regi Carolo, vt mitteret Valencianas, & diligentissimè requireret, vbi sanct' Salvius cum discipulo suo requiesceret. Quod ei dictum est per tres noctes continuas. Inventiq; sunt, prodente eos Genardo, & adductus est Genardus, & Vuinegardus filius ejus, & Vuinegarius seruus, qui illos interfecerat. Et jussit Rex Genardo & Vuinegardo amputari virilia, & oculos erui, Vuinegario autem seruo oculos tantum erui. Et imposita sunt corpora sanctorum super plaustra, vt adducerentur ad Ecclesiam sancti Vedasti, & non potuerunt moveri adducta multitudine boum. Et relinquētes in plaustro duos boves tantùm, permiserunt illos ire quò vellent: & cum summa festinatione perduxerunt illa duo boves ad Ecclesiam sancti Martini, in qua sanctus Salvius orare consueverat, juxta Valentianas, & ibi posita sunt. Et dedit Carolus Sancto Salvio tertiā partem illius fisci. Eo tēpore venerunt duæ sorores cujusdam ducis Francorum ad Regem Carolum, conquerentes de fratre suo, quòd hereditatem suam eius auferret. Cōventus super hoc à Rege, respondit, se nihil eis auferre. Rex autē fecit eum jurare super corpus sancti Salvij, quòd nihil deberet sororibus suis, ex his quę petebāt. Qui cùm jurasset lætus, statim medius crepuit, & per secretum alui stercora proruperunt: & exivit sanguis ex oculis eius & auribus, & ore, & naribus; & post duas horas vitam finivit. Genardus quoque cæcatus dedit quidquid habebat sancto Silvio. Vuinegardus autem filius eius cùm venisset ad Ecclesiam, in qua sanctus quiescebat, & oraret sibi dari veniam, commota est tota Ecclesia. Qui tremefactus & conversus in fugam, venit ad monasterium sancti Amandi: & ibi permansit lugens & pœnitens omnibus diebus vitæ suæ. Genardus quoque pater eius amissis corporalibus oculis, spirituales recepit, residens in domo sua, & pœnitentiam agens. Vuinegarius autem seruus venit ad sanctum Salviū, prostratus ante corpus eius cum multo imbre lacrymarum, recepit lumen in vno oculo; & vsque ad diem mortis suæ pavit greges in servitio sancti Salvij.

Vocatur nunc Cœnobium S. Amandi.

S. Salvius Valencianis occiditur.

813.

Concilia Galliæ tempore Caroli.

Per totam Galliam jussu Caroli celebrata sunt Concilia pro statu Ecclesiarum ab Episcopis. Primum Maguntiæ, secundū Remis, tertium Turonis, quartum Cabilone, quintum Arelati. Mauri Centumcellas Thusciæ civitatem, & Niceam Narbonensis provinciæ vastaverunt. Michaël Imperator cum Bulgaribus pugnans, victus, domum reversus, deposito diademate monachus efficitur. In cuius locū succedit Leo Bardæ Patricij filius. Grumas Rex Bulgarorum, qui ante duos annos Nicephorum interfecerat, & Michaëlem de Mosia fugaverat, elatus Constantinopolim obsedit; quem mœnibus vrbis obequitantē Leo eruptione facta graviter vulneratum fugere coēgit. Muhāmad Ammiras fratri suo Abdallæ congreditur: à quo superatus, eum sibi conregnare invitus patitur; & hoc bello regnū Saracenorū per aliquot annos discinditur. Leo post Michaēlē īperat annis octo

814.

Carolus moritur, & sepelitur Aquisgrani, anno ætatis suæ 72. Imperij Romani 13. In quibusdam chronicis legitur, quòd mortuus est 5. Idus Februarij, anno ætatis 71. regni 47. Italiæ subactæ 43. Imperij Romani anno 14. Post quem

815. imperavit Ludovicus filius ejus annos 16.

Inter Ludovicum & Leonem pax firmatur. Harioldus Rex Danorum regno & patria pulsus à filiis Godefridi, ad Ludovicum veniens, implorat ejus opem. Chrunus Bulgar successu insolens;

816. Constantinopolitanos incursat, vsque ad portas vrbis crebris incursibus euagãdo. Constãtinopoli factus est terræ motus magnus per continuos 5 dies, quo multa vrbis ædificia, & aliarum ciuitatum corruerunt: & in Aquitania apud Santonas in mense Septembri factus est terræmotus. Rheus fluvius Alpinis nivibus auctus vltra solitum exundavit.

817. Stephanus 3. Papa 99. Leo Papa moritur, annó Episcopatus 21. 5 Calendas Iunij: post quem sedit nonagesimus nonus Stephanus papa, tertius huj^9 nominis, mensibus 7. Hic statim venit Remis ad Imperatorem, & eum coronavit. Ludovicus exercitum contra Danos mittit, & per eum obsides accipit. Stephanus Papa tertio postquã redierat mense moritur, octauo Calendas Februarij.

Paschalis 1. Papa 100. Post quem centesimus sedit Paschalis 1. hujus nominis annis 7. diebus 17. Luna defecit Nonis Februarij, hora noctis 2. Cometes in signo Agitatoris apparuit. Porticus per quem Imperator incedebat corruit cum eo, & plusquam 29. hominib^9. Facta est conjuratio contra Imperatorem, à Bernardo nepote suo: cuius principes fuerunt Ægidius, inter amicos Regis primus, & Reginardus camerarius ejus, & Reginarius Meginarij comitis filius, & Anselmus Mediolanẽsis Episcopus, & Volfoldus Cremonensis, & Theodulfus Aurelianẽsis. Vuascones à Ludovico desciscunt.

818. Scloamir Rex Abroditarum à Ludovico deficit, & ad Danos fugit. Ludovicus Brittones sibi subigit: Murmanus verò Dux eorum, qui nomẽ Regis sibi vsurpaverat, ab eis perimitur.

819. Bernardus Rex Italiæ, conspirationis contra Imperatorem factæ accusatus, & reus majestatis adjudicatus, primò oculis & regno, dehinc vita privatur. Episcopi in conjuratione deprehẽsi Synodali decreto depositi sunt, & monasteriis mancipati. Alij nobiliores cũ Bernardo Rege jussi sunt oculis privari. Ermegardis Regina Andegavis obiit 5. Nonas Octobris. Arioldus in regnũ Danorum à Ludovico remittitur.

820. Scloamir Rex Abroditarum, & Lupus Dux Vuasconum damnati capitis, à Ludovico exiliãtur. Generali Cõcilio Aquisgrani habito per dispositionem Ludovici, Episcoporum quoque, & Abbatum, aliqua Capitula ad vsus Regularium Monachorum addita sunt: & multa sanctarum Scripturarum compilatione facta, Clericorũ, & Clericalium Sanctimonialium Regulæ constitutæ sunt. Idem Ludovicus, cùm adhuc esset annorum 34. Clerum Aquitanicum, qui antea sub Tyrannis degens, equitationi, & bellicæ exercitationi, & missilium librationi, magis quàm divino cultui operã dabat, adductis hincinde magistris, legere & psallere instituit. In hoc autem Concilio fecit componi librum perfectionẽ vitę Canonicæ continentem: in quo etiam inseri jussit cibi & potus, & omnium necessariorum summam. Quem librum per omnes civitates & monasteria regni sui fecit describi. Tunc cœperunt deponi ab Episcopis & clericis baltheis aureis, & gemmis, & cultris ornatæ, exquisitæque vestes, & talaria talos onerantia. Nam simile monstro ducebat, virum Ecclesiasticum aspirare ad secularis gloriæ ornamentum. Monachos præcipuè dilexit. Qui etiã monachus fieret, nisi pater prohibuisset. Multa monasteria sub eo constructa sunt, vel reparata: & præcipuè hæc. Monasteriũ S. Philiberti. S. Florãtij, Carofi, Conchas, S. Maxentij, Menatæ, Magniloci, Nearciacum, S. Savinij, Masciatũ. Nonthacum, S. Theofildi, S. Pascentij, de Sora, Solemniacum, puellare S. Mariæ, puellare S. Radegũdis, Devera, Deotera in pago Tolosano, Vadala in Septimania, Amane, Galune, sancti Laurentij, sanctæ Mariæ, quæ dicitur in Rubine, Cannas, & cetera plurima.

821. Ab hinc deficit narratio regni Bulgarorum, & Saracenorum. Paschalis Papa corpus sanctę Ceciliæ Virginis, ipsa revelante invenit, aureis indumentis velatum, sanguine ipsius adhuc infusis, & ipsam, & corpora sanctorum martyrum Valeriani sponsi eius, & Tiburtij, & Maximi, & Vrbani Papæ in Ecclesiã à se illis ædificatã transposuit. Ludovicus partitionem regni inter filios suos factam confirmat sacramento optimatum suorum. Leo Imperator perimitur in palatio suo conspiratione optimatum suorũ, & pręcipuè Michaëlis domesticorũ comitis, qui post eum imperavit annis 9. Secundùm quædã chronica anno præcedente facta est pestilentia boũ & hominum per totam Franciam, propter juges pluvias, & aërem nimio humore solutum: frumenta & legumina corupta sunt, quæ aut colligi non poterant, aut collecta putrescebant. Vinũ defecit propter caloris inopiam, & illud quod remansit, acerbũ & insuaue fuit. Autũnalis satio ita impedita fuit, vt penitus nihil frugum ante vernã temperiem seminaretur. Luna defecit 8 Calendas decembris hora noctis sexta. Item secundùm quædam Chronica anno præsente Bernardus nepos Ludovico reconciliatus est, & in regnum restitutus, & Adelardus Abbas Corbeiæ recepit Abbatiam suam; qui in Aquitania exulabat. Autumnalis satio in quibusdam locis ingitate pluviarum impedita est; cui successit hiems tã plixa & aspera, vt & famosissima, Renus & Danubius, & Albis, & Sequana, & cetera per Galliam & Germaniam flumina adeò solidã glacie stringerentur, vt triginta vel eo amplius diebus plaustra velut pontibus iuncta sustinerent, cuius resolutio multis juxta Renum constitutis magnum damnum intulit.

822. In regione Turingorum in quodam loco iuxta fluviũ cespes longus pedes 50. latus 14. altus 6. de terra sine manib^9 pręcisus. & sublat^9 est, & ad pedes 25. translatus. Itẽ in parte orientali Saxoniæ, quæ Sorabtorum finibus contigua est, in quodam deserto loco iuxta lacum, qui dicitur Tusco, in modum aggeris terra intumuit, & ad limitẽ vnius leugę longitudine porrect sub vni^9 noctis spatio absque humani operis molimine ad instar calli surrexit. Cõcilio habito Attiniaci Imperator publicè confessus est se peccasse cõtra omnes Episcopos, quos invitos fecerat attondere.

823. Drogo frater Ludouici fit Metẽsis Episcopus, Lotarius Imperatoris filius à patre in Italiam dirigitur; qui à Paschali Papa consecratus, coronam regni, & Imperatoris & Augusti nomen accepit. Theodorus Romanæ Ecclesiæ primicerius, & Leo nomenclator gener eius, in patriarchio Lateranensi primò excæcati sunt, deinde decollati. Quod ideo quidam dicebant factum, quia tardiores iusto videbantur iam ad fidelitatem Lotharij iuvenis. Quidã etiam dicebant hoc factum esse iussu Paschalis Papæ, vel consilio. Sed ille se apud Imperatores

sufficienter excusauit, & de hoc crimine coram papa & legatis Ludouici Romæ in magno Episcoporum numero se jurejurando purgavit, & interfectores defendit; quia de familia sancti Petri erant; & interfectos dixit fuisse reos maiestatis. Tunc missi sunt Romam Adalungus Abbas sancti Vedasti, & Hunfridus comes Curiēsis. Ebbo Remensis Archiepiscopus consilio Imperatoris, & authoritate Romani Pontificis prædicandi gratia ad Danos profectus est, & multos ex eis baptizavit. Terræmotus factus est in palatio Aquis. In Saxonia, in pago qui vocatur Frizai, viginti tres villæ igne cælesti crematę sunt, homines & animalia ictu fulminis examinati, fruges grandine vastatæ cum ipsa grandine lapides immensi ponderis ceciderūt Et hęc ꝓdigia grandis hominū mortalitas secuta est; propter ꝙ Imperator pręcepit ieiunia In quo anno nat' est ei fili' Carolus ex Regina Iudith. Fulgura de cælo sereno interdiu ceciderunt. In territorio Cremerensi civitatis Italiæ in vico Grabadona in Ecclesia sancti Ioannis Baptistę, imago sanctæ Dei genitricis puerūlesum gremio cōtinentis, ac magorum munera afferentium in apsida eiusdem Ecclesiæ depicta, & ob nimiam vetustatem obscurata & penè abolita, tanta claritate per duorū dierum spatium effulsit, vt omnem splendorem nouæ picturæ suæ venustatis pulchritudine vincere videretur. Magorū tamē imagines, pręter illa munera, quæ offerebant, minimè claritas illa irradiavit. In territorio Tullense, juxta villā Commerciacum, puella quædam annorum duodecim post sacram cōmunionem in Pascha à sacerdote susceptam, primū per decem menses pane, deinde omni cibo & potu per trienniū abstinuit, & post ad communem vitam rediit.

824. Hiems aspera facta est, & ꝓlixa, quę non solū cętera animalia, sed & quosdā hommines immanitate frigoris extinxit. Luna defecit 2. nonas martij hora noctis secunda. Paschalis Papa obiit post quem 101. sedit Eugenius 1. huius nominis annis tribus, mensibus duobus, qui erat archipresbyter tituli sanctæ Sabinæ, vincente nobilium parte. Paucis ante solstitium æstivū dieb' in territorio Eduēsi aëre subita mutatione intempestatē converso, ingens fragmen cū grandine dicitur cecidisse, longum pedes 15. latum 7. altum 2. Corpora sanctorum Severi Rauennatis Episcopi, & vxoris eius Vincentię, & filiæ Innocentiæ ab Otgario Archiepiscopo Maguntiā translata sunt. Legati Michaëlis Imperatoris inter cętera munera detulerunt Ludouico Imperatori libros Dionysij Areopagitæ, ab ipso conscriptos de Hierarchia, petente ipso Ludovico de Gręco in Latinum translatos. Qui libri Parisius, in ipso sancti Martyris festo cum gaudio suscepti sūnt: quod gaudium virtus sancti martyris auxit, 19. ægrotis in ipsa nocte ibi sanatis. Valchādus Leodiensis Episcopus corpus sancti Lāberti trāstulit à Leodio ad Andaginum monasterium. Rabanus fit Abbas Fuldensis, qui multa de scripturis sanctis disseruit.

Eugenius 1. Papa 101.

825. Herioldus Rex Danorum cum vxore & filiis, & sua parte Danorum Maguntiæ baptizatur: & ab Imperatore Ludovico muneribus & parte Frisiæ in beneficium sibi data honoratur. Baptizatus est autem apud sanctum Albanum

826. Secundùm quædā chronica in anno sequenti contigit hoc: Hilduinus Abbas S. Dionysij Romam mittens, annuente precibus ejus Eugenio Papa, ossa beatissimi Sebastiani accepit, & apud Suessionem in basilica sancti Medardi collocavit: vbi dum adhuc inhumata, in loculo in quo allata fuerant, jacerent, innumera, & penè incredibilia miracula perpetrarunt. Corpora Marcellini & Petri martyrum Romā in Franciam translata multis signis claruere. Corpus etiam S. Gregorij Papæ ad vrbem Suessionem translatum esse dicitur. Visæ sunt in cælo acies, & terribiles coruscationes nocturnæ in aëre discurrentes.

827. Eugenius Papa obiit: cui successit Valentinus Diaconus, vix vno superstes mense, centesimus secundus. Quo post 40. dies, secundùm quosdā, pontificij defuncto, Gregorius Presbyter tituli sancti Marci 103, successit, Constantino papa 96. de numero Paparum abraso. Hic autem Gregorius quartus huius nominis, qui & Leo 4. dictus est, sedit annis 16. qui continuo fluxu sanguinis è naribus valde molestabatur. In hoc anno, secūdùm quædam chronica, Heutardus sui temporis prudentissimus Romam misit, propter corpora sanctorum Marcellini & Petri: quæ in suo territorio propriis sumptibus condidit; sed non dicitur, in cujus ciuitatis territorio.

Valentinus Papa 102. Gregor. 4. papa 103.

828. Facta est conjuratio contra Imperatorē à filiis. In Vasconia trās fluvium Garonnam ferunt annonam de cælo pluisse similem frumento; sed paululum breviora & rotundiora grana habentē. Rabanus Abbas tractatus in librum Sapientiæ, & in Ecclesiasticum, ad Otgarium Archiepiscopum edidit. Amalarius librū *De Ecclesiasticis Officiis*, & Angelomus tractatus in libros Regum ad Imperatorē scribunt. Ansegisus Abbas Lobiensis Edicta Caroli Magni & Ludovici filij ejus, ad Ecclesiasticā legem pertinentia, in duobus libellis digessit. Italicus Ludovici exercit' classe in Africam transvectus, magnam Afrorum stragem dedit. Corpora sanctorum Valentini & Genesij Resquingiam monasterium translata sunt.

829. Aquis terræmotus factus est, & ventus tā vehemens, vt non solùm domos humiles, sed & ipsius Ecclesię templum plumbeum magna ex parte denudaret. Apparuit cōmotio & simultas filiorum contra Imperatorem. Hoc anno, qui est annus ab initio quadrimillesimus septingentesimus tricesimus octavus, finitur nonus magnus annus quingentorum & viginti quatuor annorum. Hucvsque inveni chronicon cuiusdam sine titulo, ab anno Domini 746. vsq; ad hunc annum.

830. Gregorius Papa dolens crebris Saracenorum incursibus vexari & vastari suburbia Romanæ vrbis circa Ecclesiam B. Petri Apostolorum Principis, intendit illic novam vrbem ædificare: ad quod consilio & auxilio Imperatorum animatus, novam fabricam cœpit.

831. Apud Constantinopolim Theophilus imperat annis 15. Saraceni Siciliam incursantes, Lipparem insulā devastant, vbi corpus Bartholomęi Apostoli quiescebat, ꝙ olim plūbi loculo insertū & in mare demersum à paganis non ferentibus illud propter signorum nimiam claritatem ab omnib' venerari, ab India vsque ad hanc Insulā vltro delatum fuerat: cuius ossa modò à Saracenis huc illuc que dispersa, pòst à quodam monacho ipso revelante collecta, Beneventum trāsferuntur. Ludovicus Imperator quosdam sibi adversantes exauthoravit, alios exiliauit, alios bonis privauit, ac per hoc filios & optimates suos magis contra se exacerbavit.

832. Gregorius Papa in Galliā veniens, contra Imperatorem cum filiis agebat. Imperator vxorem

suam Iudith, quasi causam malorum abdicavit.

833. Ludovicus Imperator à suis desertus ac proditus, & in potestatem filiorum redactus, Episcoporum iudicio arma deposuit, & ad agendã pœnitentiam inclusus est. Sol & Luna per eclipsin deficiunt

834. Ludovicus Imperator relaxatus, antiquum imperiũ & vxorem recipit, ac filiũ Lotharium in Italiam redire cogit.

835. *Omniũ SS. festi in Gallia institutio* Monente Grego Papa, & Episcopis omnibus assentientibus, Ludovic⁹ Imperator statuit, vt in Gallia & Germania festivitas Omnium sanctorũ in Calendis Novembris celebretur, quam Romani ex instituto Bonifacij Papæ celebrabant. Hoc tẽpore reliquiæ Viti martyris à Parisius ad Corbeiam Saxoniæ transferuntur. Vnde ipsi Franci testati sunt, quòd ab illo tempore gloria Francorum ad Saxones transierit. Ebbo Remorũ Archiepiscopus deponitur: alij quoq; multi, qui cum eo in dejectionẽ Ludovici conspiraverant, damnantur & exiliantur.

836. Gregorius Papa consummatam nouę vrbis fabricam solemniter dedicavit, Leoninam vrbem Romanam appellavit: vel à Leone tertio, qui huius operis fundamenta olim jecerat, vel à seipso, qui Leo quartus dictus est.

837. Northmanni Gallias graviter infestant, Dorestotũ vastant, Andoverpum oppidũ, & Vuilclant emporium situm iuxta ostium Mosæ incẽdunt, à Frisonib⁹ tributum accipiunt. Gregori⁹ Papa plures vrbes Italiæ, aut vetustate aut hostilitate dirutas nouis fabricis aut muris restaurat. Saracenis ad deprædandũ vsque ad portum Romanum venientibus Romani instantia Gregorij Papæ, auxiliantibus sibi Neapolitanis, eos bello excipiunt, & cooperante sibi diuinitus graui ventorum turbine, victos penè vsq; ad internecionem delent. Cometes in signo libræ apparet.

838. Nortmanni Valachiam insulam vastant, & tributum exigunt.

839. Ludovicus Imperator filio suo Lothario sub fide ad se venienti reconciliatur, eique dignitatẽ Imperij tribuit, & coronã regni.

840. Cometes in signo Arietis apparet: & post aliquor dies plurimi instar stellarũ igniculi per cælum discurrere videtur. Ludovicus moritur. Cometæ sidus apparuit in signo Virginis, in ea parte signi, quæ penulam eius subtus, caudam verò serpentis similiter coriumq; stringunt. Quod cùm non more 7. siderum errantium Orientẽ versùs pergeret, quod dictu mirum est, dein sidus Leonis, & Cancri, & Geminorum transiens signa, in capite Tauri, tandem sub Aurigæ pedes igneum globum iubaris prolixitatem, quam vsquequaq; porrexerat, terminavit. Et post pauca infirmato Imperatore, cibus ejus fuit per 40. dies solũmodo die Dominica Dominicum corpus. Cùm vidisset dæmonem astare, dixit, huis, huis: quod significat, foras, foras. Aquitaniæ præfuerat per annos 37. Obiit anno vitæ suæ 44. Imperij 27. duodecimo Calendas Iulij. Georgium Presbyterum, qui se promittebat more Grẹcorum facturũ organum, summo suscepit gaudio. Post hunc Autharius Imperium vsurpans, imperat annis 15. secundùm alios, annis 9. Guillelmus Malmesbur. Hic Ludovic⁹ Caroli magni fili⁹ 4. filios habuit: Lotharium, Pipinũ, Ludovicũ, Carolum calvũ. Quorũ Loharius vivẽte patre nomen Imperatoris vsurpãs, regnauit annis 15. in parte Germaniẹ, quẹ nunc Lotharingia, quasi Lotharij regnũ dicitur, & in tota Italia cum Roma, vir omnium ante se immanissim⁹, qui proprium patrem crebrò captiuatũ in ergrastulis vinxit: quia mortua Ermegarde, de qua priores liberos tulerat, Carolum ex Iudith vxore natum crebriùs exosculabatur. Pipinus autem fili⁹ Ludovici regnavit in Aquitania & Vasconia, Ludovicus tertius filius Ludovici, præter Noricam quam habebat, tenuit regna, quẹ pater illi dederat, ídest, Alemaniam, Thoringiam, Austrasiam, & Avarorũ regnum. Carolus verò medietatem Franciæ ab Occidente, & totam Neustriam, Britanniam minorẽ, & maximã partem Burgundiæ, Gothiã, Vasconiam, submoto inde Pipino filio Pipini, & in monasterio sancti Medardi attonso. Qui postea inde per fugam elapsus, Aquitaniam regressus multo tempore fugiendo ibi latuit, iterumque à Ranulfo præfecto perfidè deceptus, & comprehensus, & ad Carolum adductus Silvanecti perpetuo exilio est detrusus. Lothari⁹ verò ante obitum patri sui 18. annis in Imperatorem vnctus est: qui post mortem patris, contra fratres suos, Ludovicum Regem Baioariorum, & Carolum, exercitum duxit, adiũcto sibi Pipino cum Aquitanorum populo.

841. Carolus igitur & Ludovicus dolentes, se à fratre suo Lothario debita parte privari, contra eũ insurgere parant.

842. Cometes in signo Aquarij apparet. Tribus ergo fratribus de regni partitione discordantibus, conseritur inter eos pugna in pago Antisiodorensi, apud villam Fontanedum; & tanta cædes vtrinque facta est, vt nulla ætas meminerit tantam stragem hominũ fuisse factam in gẽte Francorum: & ita eorum vires ibi attenuatæ sũt, vt iã nec suos terminos ab exteris tueri possent. Victoria tamẽ Carolo & Ludovico provenit, fugato Lothario. Ibi Franci cum omnibus nationibus sibi subiectis mutua se cæde prostraverunt.

843. Fratribus nondum à bello desistentibus, consilio optimatum tandem de partibus singulorum 40. primores eliguntur, qui in vnum convenientes, regnum æqualiter dividerent: & ita pax in annum sequentem induciatur. Ludovicus interim pergens in Saxoniam, validissimam libertorum conspirationem, dominos suos opprimere volentium fortiter compescuit, authoribus seditionis capitali sententia dãnatis. Vuillel. Malmesbur. Ethevulfus filius Egorith Rex, quẽ quidam Atamachum vocant, Rex Vest Saxonum regnavit anno Domini 838. Hic avito regno Vestsaxonum contentus, regna appendicia, quæ pater acquisierat, filio Estatio contradidit. Hic Ethevulfus decimam omnium prẹdiorũ infra regnum suum Christi famulis concessit, liberam ab omnibus functionibus, absolutam ab omnibus inquietudinibus: compositoque regno Romam abiit, ibique tributum, quod hodieque Anglia pensitat, sancto Petro obtulit corã Leone 4. Papa: qui etiam antè Eifredum filium eius ad se missum honorificè susceperat, & regẽ inunxerat. *Regnũ Angliæ Romæ tributariũ* Ibique anno integro moratus, scholã Anglorum, quæ ab Offa rege primùm dicitur instituta, & proximo anno conflagraverat, reparavit egregiè. Inde domum per Galliam repatrians, Iudith filiam Caroli in conjugium duxit. Ex his apparet, quòd Carolus calvus matrẽ habuit Iudith, & filiam Iudith. In quibusdã chronicis post Ludouicum pium statim ponitur Carolus calvus, & pretermittitur Lotharius maior eius fili⁹, ibique dicitur Carolus calvus regnasse annis 45.

Sergius 2. Papa 104. Mauri Beneventum occupant. Gregorius Papa obiit: post quē sedit centesimus quartus Sergius secundus annis tribus: ad cujus electionem confirmandam Ludovicus Lotharij Imperatoris filius à patre missus, ab eodem Papa in Regem Longobardorum vnctus est. Descripto in tres partes regno, fratres ad vrbem Galliæ Virdunum conveniunt, & inter se pacificantur, datis & acceptis invicem sacramentis. Carolus accepit Occidentalia regna, ab Oceano Britannico vsq; ad Mosam fluvium: in qua parte ex tunc & modò nomen Franciæ remansit. Ludovico Orientalia regna cesserunt, id est omnia Germania vsque ad Rheni fluenta: & aliquas trans Rhenum civitates cum adjacētibus pagis, propter vini copiam. Lotharius major natu omnia Italię regna tenuit, cum ipsa Roma; necnon & Provinciam, & mediam partem Franciæ inter Scaldim & Rhenum, quæ mutato nomine ab eo denominata est Lotaringia. Igitur post factam divisionem Carolus regnat in Francia annis 34. Ludovicus frater ejus in Germania annis 33. *845.* Ludovicus Rex Germaniæ Abrodites à se deficere molientes bello perdomuit, occiso Rege eorum: ejusque populum & terram sibi divinitus subjugatam per Duces ordinauit. *846.* Apud Constantinopolim Michaël & Theodora imperant annis 11. Normanni regnum Caroli graviter infestant: & vsq; Parisius navigio veniunt: cum Frisonibus tribus prœliis confligunt: in primo vincuntur, in duobus vincunt. Ludovicus 14. Duces Bohemorū cum suis baptizari fecit. Carolus cum Brittonibus infeliciter pugnat. *847.* Sergius Papa obiit: & cessavit Episcopatus mensibus 2. diebus 15. *Leo 5. Papa 105.* Post quē sedit Leo 5. 105. annis 8 mensibus tribus, diebus 6. Hic decrevit, vt dum Missarū sacra solēnia celebrantur, nullus laic⁹ in presbyterio stare, vel sedere, vel ingredi pręsumat; nisi tantū sacra plebs quæ ad ministrationem sacri officij cōstituta est: & vt Octavæ Assumptionis sanctæ Mariæ in Ecclesia celebrarentur, quod antè non fiebat.

848. Rabanus ex Abbate Fuldensi ordinatur Archiepiscopus Magūtiæ. Celebrata Synodo jussu Ludovici Regis apud Maguntiam, multa Ecclesiæ vtilia decrevit. Quædam pseudoprophetissa dicens instare diem Iudicij, Maguntiam sollicitabat; ita vt etiam aliquos sacri ordinis ad se inclinaret. Quæ à Rabano arrepta, cōfessa est, se per suggestionem cujusdam Presbyteri quæstus causa hoc fecisse. *849.* Godescalcus hæreticus, sed non dicitur in quo hæreticus fuerit, rationabiliter, vt multis visum est, convincitur: sed tamen in suo perseveravit errore. S. Helena Constantini mater, quæ à filio suo Constantino Romæ in Ecclesia sanctorum Marcellini & Petri martyrum sepulta fuerat, à Theogiso monacho transfertur in Franciam: & in diœcesi Remensi magna Frācorum veneratione excolitur. *850.* Franci à Bohemis gravi prælio vincūtur: cui bello spiritus malignus se præfuisse, per os cujusdam arreptitij publicè testatus est: & per se, & per socios suos, scilicet spiritus superbiæ & discordiæ egisse, vt Frāci terga verterent. *851.* Reliquiæ S. Hermetis martyris per Lotharium Imperatorem in Galliā mittuntur: & apud Indam monasterium honorificè conduntur. Fames valida Germaniam atterit, ita vt pater filium suum devorare voluerit: quo tempore Rabanus multam pauperibus benevolentiam exhibuit. *852.* Carolus Rex Francorum filios fratris sui Pipini regis Pipinum & Carolum regnum suum inquietātes capit, & in monachos attonsos in monasterium trudit. *853.* Normanni per mare Brittanicum ostia Ligeris ingressi, vrbē Nannetem invadunt, Episcopum Sabbato sancto Paschæ baptismum celebrantem trucidant, clerum & populum perimunt: Andegavum, & Turonos occupant, templum S. Martini incendunt, & vt tempestas omnia dirimunt.

854. Hincmarus Remorum Episcopus floret: qui vitam S. Remigij scripsit. Leo Papa obiit: & cessavit Episcopatus mensibus duobus, diebus 15. Hujus papæ anno 4. vt in quibusdam chronicis legitur, imperavit Lotharius cum Ludovico filio annis 5. qui certè jam cum eodem filio legitur annis 11. imperasse ab anno 1. Sergij Papæ secundi. Post hunc Leonem sedit Benedictus 2. centesim⁹ sextus. *Benedictus 2. Pap. 106* Quo per conspirationem quorumdā malignorū deposito, Anastasius invasit prælaturam. Sed Anastasio à legatis Lotharij dejecto, & in carcerem truso, Benedictus honorificè relocatur: & sedit annis 2. mensibus 6. dieb. 10. Normanni, qui per 20. annos Franciam nimis attriverant, in patriam reversi, intestino inter se bello vsque ad internecionem delentur: vt de regia eorū stirpe nullus, nisi puer vnus, remaneret. *855.* Terræ mot⁹ aëris insolita commotio, turbines, tempestates, grandines, fulmina, multa multis modis incommoda hominibus inferunt. Quidam homo igne cælesti consumptus est, veste illæsa. Lotharius partito inter filios regno, abrenuntiat seculo: & in Prumia monasterio habitu monachi suscepto, non multò pòst quievit in Domino. Post quem Ludovicus filius eius olim à Sergio Papa in Regem inunctus, imperat annis 21. Lotharius verò frater ejus Lotharingiam tenuit. Obiit Lotharius iste ex Malmesberiē. anno Domini 855 regni sui 31. Hic ex Ermēgarde filia Hugonis tres filios habuit: Ludovicum, cui regnum Romanorum & Italiam tradidit; & Lotharium, cui sedem Imperialem reliquit; & Carolum, cui Provinciā gubernandam dimisit. *856.* Maginradus eremita martyrizatur. Rabanus obit. Constantinopoli Michaël solus imperat annis 13. Benedictus Papa obit: & cessavit Episcopatus diebus 15.

857. Post quem sedit Nicolaus 1. huius nominis, papa 107. annis 9. mensibus 2, diebus 20. *Nicolaus 1. Papa 107.* qui in quibusdam chronicis ponitur anno 4. huius Ludovici filij Lotharij. Huius Nicolai ordinationem Ludovicus Imperator sua præsentia roboravit. Coloniæ orta tempestate, populo ad basilicā S. Petri cōfugiente, subitò fulmen instar ignei draconis basilicam scidit, ac penetrauit, & tres homines diversis in locis vno ictu in mortem dejecit: & alios sex eodē impetu semivivos reliquit. Ethelvulfus Rex Westsaxonum post longam peregrinationem, qua Romæ moratus fuerat, rediit in Angliam, accepta in matrimonium Iudith filia Caroli calvi. Ab hoc in quodam chronico texitur linea generationis regum Anglorum sursum versùs vsque ad Adam. *Fabulosa hæc genealogia hic est omissa.* Anno Domini 857. duo filij Ethevulfi regnum patris partientes, Ethelbaldius in Westsaxonia, Ethelbert⁹ in Cantia regnaverunt.

858. Franci super crudelitatem Caroli Regis sui apud Ludovicum fratrem suum expostulant, & eum ad regnandum super se contra Carolum invitant. Quod ille inconsultè aggressus, turpiter alienis excessit finibus. In parrochia Maguntina spiritus malignus euidens nequitiæ suæ dedit indicium. Nam primò lapides jaciendo, & parietes

Demonis innsitata vexatio. domorum quasi malleis pulsando, deinde manifestè loquendo, furta prodendo, discordias inter vicinos seminãdo, homines inquietabat. Denique animos omnium contra vnum hominem commouit, quasi propter ei⁹ peccata ceteri talia paterentur: cuius fruges in vnum coacervatas incendit; qui vbicumque intraret, statim domus illa exurebatur; vt iam non esset ei locus manendi, nisi in agris. Propter hoc Presbyteris letanias agentibus, & benedictam aquam spargentibus, inimicus lapides jaciendo, multis cruentatis tandem aliquandiu quievit. Presbyteris autẽ recedentibus inimicus flebiliter vlulans, tandẽ Presbyterum quendam nominatim exprimens, se quando aqua benedicta spargebatur, sub cappa illius, quasi familiaris sui, latuisse ꝓfessus est, accusans eum cum filia procuratoris concubuisse. Sic per triennium institit, donec ibidem cuncta ædificia incendio consumeret.

859. Ludovicus Rex Germaniæ multa prælia contra sclavos strenuè gessit, quorum Princeps dicebatur Rastrix; cui propter violatam fidẽ oculos erui jussit. Principibus Caroli Regis inter se discordantibus, Britones destitutam auxilio terram inuadentes, vsque Pictauis omnia vastando veniunt, quos redeuntes Carolus prosecutus Britanniã intrat, & pugna conserta Franci vincũtur, in quorum cæde Britones grassantur.

860. Numenius rex Britonum dum instaret regnũ Francorum depopulari, visum est ei, assistere sibi S. Maurilionem Andegavensem olim Episcopum, à quo in capite baculo percussus, iram Dei morte persensit. Hoc tempore Lentulfus dux Saxonum pater Ottonis ducis, auus Henrici Regis, corpus sancti Innocentij Papæ à Roma in Saxoniam transtulit.

861. Herispous filius Numenei Rex Britonũ Carolo Regi confœderatur; & muneratus ab eo, ei⁹ se dominationi subdit.

862. Lotharius Ludovici frater Rex Lotharingiæ Vualdradam pellicem superducens coniugi suæ Thebergæ, consentientib⁹ Archiepiscopis Guntario Coloniensi, & Thiethgaudo Treverensi, magnam sibi calamitatem paravit. Ethelbertus Rex Cantiæ moritur, & Sciteburnæ conditur; cuius totum regnum Ethelbaldus adeptus est frater eius. Huius tempore manus piratarũ appulsa Hamptunam, Vuintoniam vrbem populosam depopulata est.

863. Hubertus Abbas & dux frater Thiebergę Reginæ pro repudio sororis suæ contra Lotharium insurgit. Guntharius & Tietgaudus Archiepiscopi Romæ à Papa Nicolao examinati, cùm & suis synodalibus gestis, quæ perferebant, & suo etiam ore convicti fuissent, Episcopatu & sacris gradibus exordinati, anathematizati sunt; eisque laica tantum communio concessa est.

864. Excommunicata pellice Vualdrada, videns Lotharius Rex etiam sibi excommunicationem intentari, Thiebergam vxorẽ suam recepit. Sed non multò pòst eadem repudiata, pellicem recepit; nec vltrà vllo correptionis modo ab ea separari potuit.

865. Corpora sanctorum Martyrũ Eusebij & Putiani dono Nicolai Papæ ad Gallias translata, in monasteriis verò Religiosorum sancto Petro collatis honorificè tumulãtur. Rex Bulgarorum cum sua gente ad Christianismum conversus, missis ad eum à sede Apostolica sacris Ordinis ministris, acceptis etiã à Regę Ludovico subsidiis, adeo in fide solidatur, vt non multò pòst majore filio in Regem ordinato, ipse abrenuntiãs sæculo monachus factus sit. Sed cùm filius eius juveniliter agens ad gentilitatis cultũ vellet redire, militiæ cingulo & cultu regio resumpto, filium persecutus cepit, & oculis eius effossis eum in carcerem trusit, & filio juniore in regnum locato sacrum habitum recepit, & in eo vsque ad finẽ vitæ perseveravit. Ludovicus Rex Noricorum, idest Bajoariorum, filius Ludovici pij post festivitatem Paschalem regnum suum inter filios suos divisit, & Carolo dedit Noricam, idest Bajoariam, & Martas contra Sclavos & Lõgobardos: Ludovico verò Thoringiam, & Austrasios Francos, & Saxoniam: Carolo alteri Alemaniam & Curavalam, idest comitatum Cornugalliæ.

866. Herelpem à suis perempto, Salomon filius ejus super Britones regnat, qui Carolo contra se venienti confœderatur. Normanni Galliam repetentes, Nannetis, Andegavis, Pictavis, & Turonis terminos depopulantur. Quibus accurrentes dux Aquitaniæ Ranulphus, & Robertus fortis Malchio, dum ipsi incautè pręliantes perimuntur, cæteri à Normannis vt oves à lupis acervatim sternuntur.

867. Saracenis Beneventanam regionem incursantibus Ludovicus Imperator viriliter occurrit: ad cuius auxiliũ Lotharius frater properans, multa quidem prælia cum eo strenuè gessit: sed exercitu suo propter intẽperiem aëris morbis & morsibus aranearum nimis gravato cum multo suorum dispendio rediit. Hoc anno regnavit Ethelredus filius Ethenulfi: qui cum Danis multa bella gessit Vno anno novies collatis & infestis signis conflixit. Interfecti sunt à parte Danorũ comites 9. Rex vn⁹, populus sine numero. Obiit Nicolaus Papa: post quem 108. sedit Adrianus 2. annis 5. Sed secundùm quædam chronica ponitur duobus annis tardiùs. *Adrianus 2 Papa 108.*

868. Cometes manifestè apparuit. Michaël imperator Gręcorum sensu diminutus familiares suos jubebat occidi, quos ad se rediens sibi præsentari exigebat. Basilius, quem Michaël Imperator pauperem ex familia vnius Abbatis sibi asciuerat, & cubicularium factum ad tantos honores prouexerat, vt alter ab Imperatore appellaretur, sæpe jussus ab Imperatore per insaniã occidi, timens, ne tali occasione occideretur, elegit magis ipse Imperatorem interficere, quàm ab eo interfici, & imperauit annis 17.

869. Corpus sancti Mauri discipuli sancti Benedicti à Glana folio in Burgundiam propter timorẽ Normanorũ transfertur, ad Cœnobiũ Fossatense, ꝙ construxit S. Balbertę⁹ discipul⁹ S. Colũbani.

870. Lotharius Rex ad Adrianum Papam se excõmunicatem vadit; à quo dum pro cõprobatione innocentiæ suæ ad examinationem corporis & sanguinis Domini tam ipse quàm optimates invitati fuissent; & ipse, & omnes qui cum eo corpus Domini temere accipere præsumpserunt, intra ipsum annum perierunt, ipso statim in reditu Placentiæ defuncto.

871. Coloniæ celebrata Synodo ad dedicationẽ Ecclesiæ à tribus metropolitis Luithperto Maguntino, Bertulfo Trevirensi, Vuillcberto Coloniensi, cum ab eis maior Ecclesia sancti Petri deberet dedicari, præcedente nocte auditæ sunt voces malignorum spirituum inter se dolentiũ & conquerentium, se à possessis diu sedibus debere expelli. Corolus Rex Francorũ defuncto fratre suo Lothario, dum Lotharingiam solus vsurpare

vsurpare nititur, per moderantiam & industriã fratris sui Ludovici Regis Germaniæ ad hoc attractus est, vt æqualiter inter se regnum fratruelis dividerent. Cujus Ludovici exercitus contra Sclavos varia bella vario eventu gessit. Carolũ Regem Francorum domestica in filiis calamitas afflixit. Siquidem Carlomannum in clericatu vsque ad Diaconatus officium provectum pater cepit & excæcavit: pro eo quòd ad apostasiam conversus, & omni genere nocendi regnum perturbans, alter quidam Iulianus effectus erat. Alter filius eius Carolus dum inconsultè voluisset experiri cujusdam Albuini militis fortitudinem, ab eodem Albuino ignorante quis esset, interfectus est. Basilius Imperator Græcorum inter cetera munera mittit Ludovico Regi Germanorum christallum miræ magnitudinis gemmis & auro ornatum, cum parte non modica sanctæ Crucis. Obiit Ethelredus Rex Etheuulfi filius. Post quẽ regnavit Ofredus filius Etheuf junior: qui olim à Papa Leone 5. vnctionem regiam, & coronam susceperat. Hic regnavit annis 28, & mensibus sex. Novem continuis annis cum hostibus pugnavit: qui cùm quadam die in insula inclusus, solus domi esset, sociis per oram fluminis ad piscandum dispersis, corpus curis ægrum sopori dedit: & ecce sanctus Cuthbertus Lindisfarnensis quondam Episcopus sic dormientem alloquitur. Ego sum Cutbertus, si audisti, misit me Dominus, vt tibi prospera nuntiem. Anglia jãdudũ peccatorum suorum pœnas luit. Modò tandem indigenarum sanctorum meritis à Domino respecta est. Tu miserabiliter regno extorris post paucum tempus in solio gloriosè reponeris. Et hoc tibi signũ. Venient hodie piscatores tui magnam pisciũ multitudinẽ corbibus evehentes, quod mirum est; cum gelante aqua fluminis nihil tale speretur, sed & tempus frigidum omnẽ artem piscantiũ eludit. Tu fortunæ secundę cõpos, memento liberatoris tui, & eius nuntij. Hoc idem visum est per somnium matri suæ. Experrecti ambo somnia sua referebant; & ecce piscatores adveniunt cum magna pisciũ copia Nõ multò pòst ergastulum exire ausus, in quo à Danis tenebatur, magna astutia periculũ fecit. Regis enim Danorum subiit tentoria sub specie nũtij, vnius tãtum sibi fidelissimi fruens conscientia. Ibi tamquã artis oculatoriæ professor, etiã in secretiora triclinij omnia arcana oculis & auribus percepit, pluresque dies ibi moratus ad Ebungiam rediit, exponẽsque sociis omnia, irruit repente super barbaros otiosos, quorum plurimis occisis, reliqui cum rege suo dederunt obsides, ꝙ Christiani fierent, & ab Anglia discederẽt, ꝙ & fecerunt. Rex eorũ Gedrum, quẽ nostri Gurmindum vocãt, cum 30. proceribus & omni penè populo baptizatus, & in filium ab Elfredo Rege suscept' est. Ceteri ex Danis, qui Christiani esse noluerunt, cum Hastingo mare transfretataverunt. Secundum quædam chronica 8. synodus sub Adriano Papa facta est: Post hunc ad annum sedit 109. Ioannes 8. annis 10. diebus 2.

872. Regis Francorum infilijs calamitas.

Ioannes 8. Papa 109. 873.

Ad hunc Ioannem Ioannes Romanæ Ecclesię diaconus scripsit vitam primi Gregorij Papæ in 4. libellis laudabiliter editam. Adalgisus dux Beneventanorum à Græcis seductus, cõtra Ludovicum Imperatorem rebellat, & multas Italiæ vrbes ab eo desciscere facit. Cui Imperator viriliter repugnãs, Beneventum & Capuam capit: sed dolis Adalgisi persuasus exercitum dimittere, ita ab eo est circũventus, vt non posset evadere, nisi turpi fœdere facto compulsus iurasse Adalgiso se nunquam in vita sua in Beneventi fines intraturum. Ob hoc Adalgisus à Senatu Romano re' maiestatis & hostis publicus adjudicat', & bello contra se decreto in Corsicam fugit. Carolus iunior Ludovici Regis Germanorum filius à dæmonio graviter in præsentia patris & optimatũ eius vexatus, in ipsa vexatione cõfitetur hoc ideo sibi contigisse, quia contra patrem suum conspirationem facere moliebatur.

In Italiæ Brixiæ tribus diebus ac noctibus sanguis de cælo pluisse narratur. Normani à regno Germaniæ tributum exigentes, ab exercitu Ludovici graviter cæsi vincuntur. Innumerabiles locustæ Galliam depopulantur, cæteris locustis maiores, habentes senas alas, sex pedes, duos dẽtes lapide duriores; vt castrorum acies turmatim volantes, duces cũ paucis itinere vnius diei mittentes ad metãda loca venturæ multitudini, circa horam nonam ad locum prævisum venientes, ibique solis ortum expectantes per spatium vni' dietę aërẽ velabãt, ipsum solis splendorẽ obnubilãtes; ore lato, extenso intestino omnia viridia in herbis & arboribus vastabant, spatium diurni itineris 4. aut 5. millibus extendentes. Hæ miserabili spectaculo vsque ad mare Britãnicum pervenientes, tandem flatu ventorum in profundũ maris demersæ sunt; sed æstu oceani ad littus reiectæ, putredine sua aëre corrupto multos perire fecerunt. Secuta fames valida multos contũpsit inedia, vt penè tertia pars hominum contũpta sit in Gallia.

874.

Hiems solito asperior & prolixior: nix & gelu à Calendis Novembris vsque ad æquinoctiũ vernale. Ludovico Regi Germanorum apparuit in somnis genitor suus Ludovicus pius, admonens eum per nomen sanctæ Trinitatis, vt eum eriperet à tormentis, quibus detinebatur, vt tandem æternam requiem habere mereretur. Ob hoc ad diversa monasteria eleemosynis destinatis obnixè filius succurrebat patri. Vnde datur intelligi, ꝙ licet idem Imperator multa Deo & hominibus placita fecisset, plura tamẽ Deo cõtraria in regno suo fieri consensit. In quibus graviora videbantur, quod hæresi Nicolaitarum non restitit, & monita Gabrielis Archangeli duodecim capitulis comprehensa, quæ Emarch'ei legenda & servanda obtulit, servare non studuit. Normani vrbem Andegauis quasi in ea habitaturi cum suis omnibus occupãt. Ad quã oppugnandam Carolus Rex ascito Salomone Rege Britonum multis diebus eam obsedit. Sed cùm Normani ad desperationẽ adducti fuissent, Rex multo exercitu pecunia ab eis accepta egressum eis annuit, eisq; hoc pacto pejora faciendi locum dedit.

875. Ludovici pij post mortẽ appar.

Cometes solito rutilantior apparet. Subita & nimia aquarum inũdatio facta est in Iunio, ita vt in Saxonia villa quædam longè à torrentibus & fluminibus remota in momẽto cum hominibus & bestiis, cum arboribus & ædificiis, cum Ecclesia & altari penitus absorpta sit, vt nullum habitationis remanserit vestigium. Ludovicus Imperator in Italia moritur: cuius patruus Carolus calvus Rex Francorum Romam pergit: vbi Ioanne Papa & Romanis per munera sibi conciliatis Imperator creatur, & imperat annis 2. Brittones Rege suo Salomone mortuo pro contentione regnandi intestinò inter se bello colliduntur, sicque inviti cessant ab exterminio Galliæ.

876.

877. Carolus calvus post adeptum Imperium vltra se elatus consuetudines Fracorum parvipédeos, Græcas glorias, & habitus insolitos affe-ctabat; & talari dalmatica indutus, desuper accinctus balthco pendente vsque ad pedes, capite involuto velamine serico, & diademate imposito pendebat: & cùm esset lepore timidior, & paratior hostes fugere, quàm fugare: fratrem suum Ludovicum Regem Germaniæ lacessebat: minatus ei tantas copias se conducturum, vt ab equis flumine exhausto, ipse per aridũ alueũ Germaniæ regnum intraret. Henricus monach⁹ vitam sancti Germani Autissiodorẽsis heroico metro in sex libellis luculenter exaratã Carolo Imperatori obtulit. Ludovicus Rex Germaniç moritur, relinquẽs tres filios suos heredes: quibus regnum suum, vt suprà diximus, divisit: qui regnavit super filios suos in omni pietate sua annis decem, obiit anno regni sui 54. Filij eius fuerunt Ludovicus junior, & Carolus, qui nõ multò post imperavit, & Carlomanus pater Arnulfi Imperatoris. Carolus autem calvus Imperator de morte fratris sui gavisus, injustitiam, quam contra fratrem conceperat, contra filios fratris perficere paratus, cum 50. & eo amplius hominũ millibus regnum eorum aggressus, Coloniam vsque venit; filiis Ludovici aliàs occupatis. Ludovicus autem junior legatione ad patruũm missa, rogat ea quæ pacis sunt. Quod cùm impetrare non posset, viriliter eum bello excepit; eumque victum cum nimio exercitus damno fugere cõpulit, & cum multo dedecore. Ingruente in Germania pecorum pestilentia, dum canes vndique collecti cadaveribus incumberent, ita disparuerunt, vt nec vivi, nec mortui reperirentur. Carolus Calvus Romam secundò pro-878. fectus, Bosoni germano vxoris suæ neptem, filiam Ludovici Imperatoris vxorem dedit, & data ei Provincia in Regem coronavit, vt etiã Regibus imperare videretur. Qui audiens fratrueles suos Carlomanum & Carolũ contra se exercitum adducere, pavore solutus reditum parat; & in reditu à quodam Sedechia Iudæo malè potionatus Mantuæ moritur, anno Imperij tertio inchoante, regni autem 38. tertio Nonas Octobris: qui coronatus fuerat Romæ in Imperatorẽ octavo Calendas Ianuarij.

LIBER XLVI.

Carolus iste calvus monasteriũ S. Cornelij apud Compendiũ fundavit & perfecit. Hic castrũ cogitaverat ipse facere ad instar Cõstãtinopolis, quẽ Carolus magnus apud Villam suam Aquisgrani instituerat, instituit apud villam S. Dionysij. Et quoniã Ecclesiæ S. Dionysij multa rapuerat, quę alij dederant, spineam coronãDomini, & vnum de clavis, & de ligno crucis, & alia quædam ei obtulit. Sudarium verò apud Compendium reliquit. Hæc instituit ipse tempore Nicolai Papę. Antequam autẽ reliquiæ istæ ostenderentur populo, tanta fames solebat esse in Gallia, vt asinos & caballos comederent: quod per Domini misericordiã postea cessauit. Sigebertus dicit, hũc Carolum in reditu à Roma mortuum fuisse Mãtuæ. Alibi legi ego, quòd Romã pergens, in itinere obiit, & sepultus est apud Lugdunũ in monasterio Mantonay. Post multum tempus apparuit ipse in visu noctis cuidam Monacho sancti Dionysij, nomine Erthongario, & in eadem nocte cuidam clerico sancti Quintini Viromãduensis, nomine Alphoni, dicens vtrique, se esse Carolum Calvum. & ex Dei jussu eis apparuisse, vt diceret eis, quòd Deo, & sancto Dionysio displicebat, quòd corpus eius non esset sepultum in Ecclesia S. Dionysij, cui tanta munera pro Dei honore contulerat. Irent ergo, & dicerent Ludovico filio suo, & proceribus regni, vt eum referrent Sic ergo relatus est tempore Valteri Abbatis sancti Dionysij, & sepultus in Ecclesia, S. Dionysij ante altare sanctæ Trinitatis. Hoc tẽpore claruit Ioannes Scotus, vir perspicacis ingenij, & mellitæ facundiæ; qui dudum concrepantibus vndique bellorum fragoribus per Frãciã, ad Carolum calvum transierat: cuius rogatu Hierarchiam Dionysij Areopagitæ è Græco in Latinum verbum è verbo transtulit. Composuit etiam librum, quem *De natura divisione* titulavit, ad quæstiones soluendas bene vtilem; sitamen ei in aliquibus ignoscatur; in quibus à Latinorum tramite deviauit, dum in Græcos acriter oculos intendit. Hic succedentibus annis munificentia Elfredi allectus, venit in Angliã, & apud monasterium Malmesberiense à pueris quos docebat graphiis, vt fertur, perforatus, etiam martyr æstimatus est. Hujus hoc Epitaphium fuit.

Clauditur hoc tumulo sanctus sophista Ioannes,
Qui ditatus erat jam viuens dogmate miro,
Martyrio tandem Christi conscendere regnum,
Quo meruit sancti regnant per secula cuncti.

Scabri sunt hi versus, & moderni temporis lima carentes. Eodem tempore claruit Milo monachus sancti Amandi; qui vitam sancti Amandi metricè composuit, & librũ *de sobrietate* ad Carolum calvum scripsit. Sub hoc Milone adolescebat nepos eius Hubaldus, qui in septem artium Liberalium peritia clarus, egregiè præter cetera in musica claruit: & de multis sanctis cãtus dulci & & regulari modulatione composuit.

879. Post Carolum calvum regnat in Francia Ludovicus filius eius, cognomento Balb⁹, annis 2. Iunior verò Carolus filius Ludovici Germanorum Regis Imperium adeptus est; annitentibus sibi quibusdam nobilium Romanorum: quamvis Ioannes Papa satageret Imperium transferre ad Ludovicum Balbum. Qui Ioannes propter hoc injuriatus à Romanis, quia Carolo non favebat, venit in Franciam, & cum Rege Ludovico Balbo anno penè vno moratus est. Normannorum plusquam 5. millia à Francis in Gallia cæsa sunt. Hytingus fugatus ab Anglia ab Elfredo Rege, vt suprà dictum est, cum suis transfretauit; & Parisius, & Turonis, & multas alias vrbes, quæ supra Sequanam & ligerim sitæ sunt, civibus evacuans, vsque ad Tyrrhenum mare grassatus est. 880. Odo Cluniacensis Abbas. Hic Hastingus vastatis superioribus Galliç partibus, obsedit Turonum, cuius cùm murus crebro pulsaretur ariete, curritur ad corpus sancti

Martini,& deferunt illud ad locum debiliorem, mortuum pro viuis defensorem facientes. Mox fugerunt Dani, quos Turonici persecuti sunt vsque ad sextum lapidem. Ibidem ædificata est sancti Martini Ecclesia, in loco illo, vbi sanctum corpus substiterat. Ibidem erant antiquarum maceriarum ruinæ, vbi dicebatur aulafuisse Valentiniani; in qua sedens, non dignatus est assurgere Martino, donec afflante incendio territus assurrexit. Post tria lustra fugæ Hastingi, venit ab eisdem finibus Rollo. Qui victis Britonibus & Flandrēsibus, & vrbibus eorum & oppidis succensis, venit Cenomanum, & obsedit eam: misit præsides exercitus sui ad Turonum. Sed tūc Dei pvidentia Car' & Ligeris adeo inundaverāt, vt ad Turonū accedere non possent. Porrò sexdecim monachi gladio percussi, Abbas & alij 24. in cavernis latitantes euaserant. Qui ad hoc reseruati sunt, vt patroni sui corpus prosequerentur. Abbas tamen Herbernus de latebris abstractus nullis tormentis cogi potuit, vel thesauros Ecclesiæ prodere, vel monachos latitātes. Horū nullus residuus fuit, quem non Martinus Ecclesiæ regimini præficeret. Tunc Abbas & illi 24. recedentibus Danis, à Canonicis sancti Martini cum reverentia suscepti sunt, & adducti ad vrbem, & ibi aliti. Transactis sex mensibus Rollo Cenomanum cepit. Tunc transmissum est corp' sancti Martini Aurelianis; cuius custodes fuerūt Herbernus Abbas cum 24. monachis, & 12. Canonicis, & 12. burgensibus Nouicastri; qui illis in omnibus necessariis providebant. Postea pervenerunt ad sanctum Benedictum. Deinde audientes, quòd Rollo jam Aurelianis venisset, perrexerunt Cableiam, postea Autissiodorū, vbi innumera miracula facta sunt in Ecclesia beati Germani. Guillelmus. Cùm adventātes pro remediorum gratia plurima conferrent, orta est lis pro partitione pecuniæ inter Turonicos & Autissiodorenses. Ad hanc litem soluendam ponitur leprosus inter duorum sanctorum corpora. Arcetur tota nocte humana custodia. Lucescēte aurora apparuit pars illa leprosi, quæ proxima fuerat Martino, tota curata, altera adhuc remanente leprosa. Regyratur corpus, & obuertunt Martino latus morbidum. Altero mane repertus est totus curatus, cedente Germano honori hospitis sui. Eo tēpore Dani per annos tredecim Gallias infestaverunt, donec tandē ab Arnulfo Imperatore multis præliis victi in Angliā refugerunt. In quo spatio Elfredus totam insulā, præter id quod Dani habebāt, suis subdidit. Qui Ciuidoniam caput regni Merciorum dedit cuidam primario cum filia sua Egelfreda; ex qua idē primari' nomine Etelred' tulit liberos Ethelendā & Edvardū, qui postea regnavit. Hic Elfredus jā duodēnis expers ōnis literaturę erat. Sed tamen à matre benigno ludo inuitatur, vt pro munere, q in manibus tenebat susciperet, si citò addisceret, joco literas ingressus, aviditate siticulosa cōbibit. Hos libros in Anglicam linguā convertit: Orosium, Pastorale sancti Gregorij, Gesta Anglorum, Boëtij librum De consolat. Tempus diurnum ita dividebat. Octo horas impendebat in scribendo, orando, & legendo; octo in cura corporis, octo in expediendis regni negotiis. Eratque propter hoc in Capella ejus candela 24. partium, Æditousq;, qui per combustionem candelæ Regem de singulis officiis admoneret. Dimidiam portionem omnium censuum suorū justè dumtaxat acquisitorum monasteriis delegavit. Cunctos præterea redditus in duas divisit partes, & deinde primam in tres: quarum vnam dedit ministris suis curialibus, secundam operatoribus, quos jugiter in novarū ædium constructione mirabili, & ignoto Anglis modo construebat: tertiam advenis. Secunda pars redditu ita divisa est, vt prima daretur pauperibus regionis suæ, secunda monasteriis, tertia . . . . quarta transmarinis Ecclesiis.

Semper in sinu gestabat libellum, in quo continebatur diurnus cursus Psalmorum, vt quando vacabat, arriperet, & precaretur. Filiā Ethelfeldā dedit vxorem Balduino comiti Flandriæ; ex qua ille habuit Arnulfum, de quo sunt Comites Flādriæ: & Adulphum, qui suscepit à Patre Bononiæ comitatum. Sepultus est Vuintoniæ in monasterio suo. Rollo autem iste, de quo suprà dictum est, nobili quidem, sed per vetustatem obsoleta prosapia Noricorum, Regis præcepto patria pulsus, multos, quos vel æs alienum, vel conscientia scelerum exagitabat, magnis spebus solicitatos secum abduxit, pyraticam aggressus, cui non hæsit: cujus ciues nec armis nec muris confisi, beatæ Mariæ simperatum adorant, id est camisiam; quam Carolus Calvus à Constātinopoli cum aliis reliquiis advehi fecerat. Hanc camisiam in modum vexilli super propugnacula custodum exponunt; hostes visam ridere, & in eam sagittas dirigere. Quorum oculis mox obtenebratis, nec antè tendere, nec retrocedere valebant. Quod videntes oppidani, mira eorum cæde se satiarunt. Evasit tamen Rollo, quem suæ fidei Deus reservabat. Nec multò pòst Rothomagum, & confines ejus vrbis obtinuit, anno Domini 876. anno scilicet vno ante mortem Caroli Calvi: cujus filius Ludovicus Nortanimbros quidem vicit, sed non expulit. Hæc Guillelmus, qui semper ponit mortem Caroli vno anno citiùs, quàm Sigebertus: qui Sigebertus numquam ponit cognomen hujus Caroli, quia numquam nominat eum Calvum, sed simpliciter Carolum. Alij cum historia Calvum eum appellant. Sol hora diei nona ita obscuratus est, vt stellæ in eo apparerēt. Ludovicus Balbus moritur apud Compendium in palatio, sexto Idus Aprilis, vxorem suam gravidam relinquens: secundum Vuillelmum anno Domini 879. secundùm Sigebertum, duobus minùs, tardiusq;. De Imperio Francis variè sentientibus; aliis illud filio Ludovici Balbi ex concubina deberi judicantibus; alijs Bosoni Provinciæ Regulo ad illud injustè invadendum assentientibus, qui habebat vxorem neptem Caroli Calvi; alijs illud regno Germaniæ resociare volentibus. Nascitur interim Ludovici Balbi filius posthumus. Is ex nomine avi Carolus nominatus est. Filij tamen Ludovici Balbi ex concubina Ludovicus & Carlomanus interim regnum Francorum inter se dividentes regnant annis 5. qui semper Bosonē persecuti sunt. In silua Franciæ carbonaria pluſquā novem millia Romanorum cæsa sunt. Guillelmus. Ludovicus frater Carlomani cum Normannis bellum gerens, in pago Merminiaco victoriam adeptus est, & non multò pòst obiit, pridie Nonas Augusti anno Domini 882. Regnavit autem annos duos, menses tres, dies viginti quatuor. Cui successit frater ejus Carlomannus, qui regnavit annos tres, & dies sex.

881.

882.

Carolus Rex Germanorum, fratre suo Carlo-

lomano defuncto, & non multò pòst Ludovico altero fratre suo immatura morte prævento, post claras de inimicis victorias regnum Germaniæ totum obtinuit simul cum Imperio Romanorũ. Carolus Romæ à Papa Ioanne benedicitur. Nortmanni adjunctis sibi Danis Franciam & Lotharingiam peruagantes, Ambianum, Atrebatũ, Corbeiam, Cameracum, Tarvennam, fines Noricorum, Menapiorum, Bredatensium, omnemque terram circa Schaldum flumen, monasteria Sanctorum Vualterici & Richarij ferro & igne devastant, Vualfluvium ingressi, totam Butinam, palatium etiam Neomagi incenderunt. Eodem anno Godefridus & Ligefridus Reges Normanorum cum inęstimabili multitudine juxta Mosam in loco Haslan consedentes, Leodium, Trajectum, Tungriam, Coloniam, Bunnã cum adjacentibus castellis comburunt. Aquis in palatio equos stabulantes, oppidum ipsum & palatium incendunt. Monasteria Stabolaus, Malmudariũ, Indam, Prumiam incendunt. Sacri ordinis in vtroque sexu ministri vbi poterant opportuniùs, latebant; & sanctorum corpora & pignora locis tutioribus abscondebant. Ad hæc mala Hug filius Lotharij ex concubina Vualdrada in Lotharingia, & Boso suprà scriptus in Burgundia tyrannizabant.

883. Normanni Treverim incendunt, & Metas vsque perveniunt; ibique cõserto prælio Christianos vincunt: in quo prælio Gualo Met[illegible]nsium Episcopus cæsus est. Carolus imperator à Gallis & Germanis in auxilium evocatus, Nortmãnos obsidet: cum quo Godefridus Rex facto fœdere, vt sibi Frisia provincia, & Gisla filia Lotharij Regis daretur, baptizatus est; & ab Imperatore de sacro fonte susceptus. Sigefrido quoque Rege nimis imminuto, eos à suo regno recedere fecit. Qui mox Frãciam repetentes, post multas incursiones, à Carlomãno Francorũ Rege duodecim millia marcarum argenti probati pro tributo exigunt: & sic in duodecim annos pacem promittentes, mare repetunt. Hoc tempore Rodulphus quidam corpus sancti Calixti Papæ & martyris, qui jejunia quatuor temporum instituit, à Roma in Frãciam transtulit.

884. Guillelmus. Hoc anno mortuus est Carlomanus Rex Francorum, octauo Idus Decembris, à singulari fero percussus in saltu Ennelino, in monte aërio. Deinde Carolus Rex Suevorum filius Ludovici Regis Bajoariorum monarchiam totius Imperij Romanorum & Francorum assumpsit anno Domini 885.

885. Igitur mortuis duobus fratribus Francorum Regibus. Normanni Franciam repetunt, dicentes, se cum Rege Francorum tantùm, non cum Francis pactum pacis percussisse. Vnde Franci compulsi Carolum Imperatorem ad auxilium suum invitant, & Franciam ei subjiciunt, secundùm Sigebertum. Qui contra Normannos apud Lovanium castra metatos semel & bis exercitũ misit, sed nil dignum fecit. Regnavit tamen in Francia ab hoc anno annis quinque. Hincmarus fit Remorum Episcopus.

886. *Marinus Papa 10.* Sigebertus hoc anno ponit Marinum papam, qui in aliis chronicis tribus annis anteponitur, id est anno 883. Hic fuit Papa 110. & sedit anno vno mensib. 5. Hug filius Lotharij Regis ex Valdrada pellice, paternum Lotharingiæ regnũ rebellando assequi sperans, Godefrido Normannorum Regi, cui soror sua Gisla nupserat, medietate affectati regni promissa persuadet, vt ab Imperatore imperiales fiscos ad libitum suũ sibi addi peteret: per hoc vtrinque Imperatorem circumvenire putans; si annueret, Dani & Normãni hostes regni in viscera regni immitterentur: si negaret, justã rebellandi causam habere videretur. Ad hoc tractandum, jussu Imperatoris Henrico Duce, & Godefrido in Batuam convenientibus, inter agendum Godefridus cum suis perimitur; nec multò pòst etiam Hug ab Hẽrico excæcatur, & novissimè in monachum Prumiæ attondetur. Apud Constantinopolim Basilio Imperatore mortuo, Leo filius ejus imperat an. 18.

887. Nortmanni à Lovanio exeuntes, Parisius obsident: contra quos Henricus Dux exercitũ ducens, dum incautè equitat, in foveã, quam Normanni fecerant, & quisquiliis operuerant, lapsus trucidatur. Huo Dux & Abbas miræ pietatis & prudẽtiæ moritur. *Agapitus Papa 111.* Agapitus fit Papa post Marinum. Hic tamen in aliquibus libris non annotatur. Fuit autem Papa 111. vix anno vno.

888. Carolus Imperator cùm Nortmannos nequiret expellere, tandem facto cum eis fœdere, concessit eis regiones, quæ erant vltra Sequanã, quarum incolæ contra se rebellabant: quæ pars Frãciæ à Normannis Normannia appellata est.

Visio Caroli Calui forsã ficta. Guillelmus. Hujus Caroli fertur hæc visio. In nomine Dei summi, Regis Regum, ego Carolus Imperator, gratuito Dei dono Rex Germanorum, & Patritius Romanorum, atq; Imperator Frãcorum, sacra nocte diei Dominicæ, post celebratum nocturnarum horarum divinũ Officium, dum irem repausare, & vellem somnum capere, venit vox ad me terribiliter dicens. Carole, exiet à te modo spiritus tuus in hora non modica. Statimque fui raptus in spiritu; & qui me sustulit, erat candidissimus, tenens in manu sua glomerem lineum, clarissimum jubar luminis emittentem; sicut solent cometæ facere, quando apparent, cœpitque illum dissolvere, & dixit ad me. Arripe filium glomeris micantis, & liga & noda firmiter in pollice tuę manus dexteræ; quia per illum duceris in labyrintheas infernorum pœnas. Hoc dicto præcessit me velociter, distorquens filum lucis sui glomeris, duxitque in profundissimas valles igneas, quæ erant plenæ puteis ardentibus pice & sulphure, plumbo, & cera, & adipe. Ibi inueni Pontifices patris mei. & avunculorum meorum. Quos cùm pauens interrogarem, cur tam gravia paterentur tormenta, responderunt. Fuimus Episcopi patris tui, & avunculorum tuorum, & dum debuimus illos & populum eorum de pace & concordia cõmonere, seminavimus discordias, & fuimus incentores malorum. Ideo nunc incendimur in istis tartareis suppliciis, & nos, & alij homicidiorum & rapinarum amatores. Huc etiam tui Episcopi & satellites venient, qui similiter amant nunc facere. Et dum tremebundus auscultarem, ecce nigerrimi dæmones auolantes cũ vncis igneis, volebant apprehendere filum glomeris, quem in manu tenebam, & ad se attrahere. Sed reverberantibus radiis illius glomeris non valebant illum attingere. Deinde post tergum meum currentes, voluerunt me aduncare, & in ipsos puteos sulphureos præcipitare. Sed ductor meus qui portabat glomerem, jactavit super scapulas meas filum glomeris, & duplicavit illum, traxitque me post se fortiter, sicque ascendimus super montes igneos altissimos, de quibus oriebantur paludes & flumina ferventia,

& omnia metallorũ genera bullientia. Vbi reperi innumeras animas hominũ, & principum patris mei, & fratrum meorũ, & præcipitatas, alias vsq; ad capillos, alias vsque ad mentũ, alias vsque ad vmbilicũ; & clamaverunt ad me ejulando. Dum viximus, amauimus tecũ, & cum patre tuo, & cũ fratribus tuis, & cum avunculis tuis facere prælia, & holadias, & rapinas, pro cupiditate terrena. Ideo in ista bullientia flumina, & metallorũ diuersa genera torquemur. Et cùm ad hæc timidus accederem, audiui retro me animas clamantes: potentes potenter tormenta patiĕtur. Et respexi, & vidi super ripas fluminis bullientis fornaces piceas & sulphureas, plenas magnis draconibus, & scorpionibus, & serpentibus diversi generis: vbi etiã vidi aliquos patris mei principes, & fratrum meorum, & avunculorum meorum, dicentes mihi. Heu nobis, Carole! vides, quàm gravia habemus tormenta, propter nostram malitiam & superbiam, & mala consilia, quæ Regibus nostris & tibi dedimus, propter cupiditatẽ. Cumque dolendo contremiscerem, accurrerunt ad me dracones apertis faucibus plenis igne & sulphure & pice, volentes me inglutire. At ductor meus triplicavit super me filum; à cujus radiis claritatis superata sunt ora eorum ignea: & pertraxit me validiùs: & descendimus in vallem quæ erat ex ima parte tenebrosa, & ardens, velut clibanus ignis: ex altera verò parte tam amœnissima & splendidissima, vt nulla ratione dicere valeam. Vertiq; me contra tenebrosã & flammivomam partem, vidiq; ibi aliquos Reges de genere meo in magnis suppliciis: & inde nimis angustiatus, putavi me statim in ipsis suppliciis demergendum à gigantibus nigerrimis, qui ipsam vallem conflãmabant generibus ignium: & valde tremens, glomeris filo illuminante oculos meos, vidi è latere vallis paulisper albescere lumen, ibique duos fontes fluere. Vnus erat nimiùm calidus, alter verò clarus & tepidus; & erãt ibi duo dolia: cumque illuc irem, filo glomeris regente gressus meos, intentus super vnũ, vbi erat fluens aqua, vidi ibi patrem meum Ludovicum stare vsque ad femora: & dum essem nimis dolore aggravatus, & angore percitus, dixit ad me. Domine meus, Carole, noli timere. Scio, quia rursus revertetur spiritus tuus ad corpus tuum; & permisit te Deus huc venire, vt videres, propter quæ peccata ego, & omnes quos vidisti, talia toleramus supplicia. Vno enim die sum in isto ferventis dolij balneo; & altero die transmittor in altero isto suavissimo aquę dolio: & hoc fit precibus S. Petri, & S. Remigij; cujus patrociniis hactenus genus nostrum regendo regnavit. Sed si mihi subveneris citò, tu & mei Episcopi, & Abbates, & omnis ordo Ecclesiasticus, Missis & oblationibus, & orationibus, & psalmodiis, vigiliis, & eleemosynis: velocier liberabor de isto aquæ bullientis dolio. Nam frater meus Lotharius, & ejus filius Ludovicus, sancti Petri, sanctiq; Remigij precibus jam exẽpti sunt de istis pœnis, & jam ducti in paradisi gaudium. Dixitq; ad me. Respice sinistrorsum. Respexi, & vidi duo dolia altissima bullientia. Ista, inquit, tibi sunt præparata, nisi te emendaveris, & pœnitentiam egeris de tuis nefandis delictis. Tũc cœpi graviter horrere, Cernens autẽ ductor meus me in tanto pavore, dixit ad me. Sequere me ad dexteram luculentissimæ vallis paradisi. Et contemplatus sum in ingenti claritate sedere cum gloriosis Regib⁹ avunculum meum Lotharium super lapidem topazium miræ magnitudinis, coronatũ diademate pretioso, & juxta eum filium ejus Ludovicum similiter coronatum: vidensque me, comiter accersivit, blanda voce dicẽs. Carole successor meus nunc tertius in imperio Romano, veni ad me. Scio, quòd per pœnalem locũ venisti, vbi est pater tuus frater meus positus in thermis sibi destinatis: sed per misericordiã Dei citissimè de pœnis illis liberabitur, sicut & nos liberati sumus, meritis S. Petri, & precibus S. Remigij; cui Deus magnum Apostolatum dedit super Reges, & super genus Francorum; qui nisi quisquiliis nostrę propaginis suffragatus fuerit, jam desinet genealogia nostra regnare & imperare. Vnde scio, ꝙ tolletur citiùs potestas de manu tua, & postea parvissimo vives tẽpore. Tunc conversus contra me Ludovicus filius ejus, dixit mihi. Imperiũ, quod hactenus tenuisti, jure hereditario debet suscipere Ludovicus filius filiæ meæ. Et hoc dicto, visum est mihi afferre in præsentia Ludovicum infantulum: tunc intuens eum Lotharius, dixit mihi. Talis videtur esse infans, qualis ille puer fuit, quem statuit Dominus in medio discipulorum, & dixit. *Dico vobis, quia Angeli eorum semper vident faciem patris mei, qui in cælis est.* Tu verò redde illi potestatem Imperij per filum glomeris, quem manu tenes. Disnodans ergo filũ de pollice dexteræ meæ, donabam illi monarchiam omnem Imperij per ipsum filum. Statimq; ipsũ glomum fulgidum sicut jubar solis coadunatum est totum in manu ejus. Sicq; post hoc factum notabile reversus est spiritus meus in corpus meum, valde fessus & conterritus. Post hanc visionem, vix duobus annis supervixit hic Carolus.

Matth. 18.

Adrianus 3, sedit, Papa 112. vel 111. quia Agapitus in quibusdam libris non numeratur. Sedit autem anno 1. & mensibus 4. Carolus Imperator zelat vxorem suã, eoquod plus justo ageret cum Luithardo Vercellensi Episcopo, cùm protestatur in concione, se numquam cum ea concubuisse carnaliter, illa se virginem gloriata, accepto repudio monasterium petiit.

889. Adrianus 3 Papa 112.

Carolus Imperator corpore & animo deficiens, ab optimatibus regni repudiatur, & Arnulfus filius Carlomani Regis, fratruelis ejus in regnum sublimatus regnat annis 12. Hic Arnulfus patruo suo Carolo Eximperatori etiam necessariis egenti fiscos in Alemania delegavit: qui Carolus anno sequenti obiit. Guillelmus. Cui successit in regno Francorum Carolus puer, filius Ludovici illius, qui apud Compendium obiit: in Imperio verò successit ei Arnulfus, de genere Imperatorio; tutor illi⁹ Ludovici pueri, de quo superior visio egerat: qui Arnulfus 11. an. regnavit. Iste Carolus duxit vxorem filiam Edvuardi Regis Anglorum. Sigebertus. Romanum Imperium, & Regnum Franciæ miserè discerpitur. In Italia namque Berengarius & Vuido de regno contendũt. Franci verò neglecto Carolo puero vix decenni, filio Ludovici Balbi, Regẽ sibi præficiunt Odonem filium Roberti ducis, quem superiùs diximus à Normannis occisum. Radulfus autem corona sibi imposita Rex Burgundidionũ statuitur; ꝙ regnũ multo tẽpore duravit.

890.

891.

Sigebertus. Ab hoc tempore Luitprandus diaconus Ticinensis Ecclesiæ historiam suam orditur. Basilius fit Papa 112. Hic in aliquibus libris non invenitur. Normanni Parisius expugnaverunt, Burgundiam aggrediuntur; & Se-

nonis vrbem oppugnát, sed non expugnant. In Italia Saraceni castrum quoddam Fraxinetum occupantes, magno exitio Italiæ illud ceperunt. Guillelmus. Elfredus, de quo suprà dictum est, fuit literatissim⁹, & semper valetudinis adversę, & semper aut fico aut aliquo interraneorũ morbo agitatus: quod eum à Domino precibus exegisse aiunt, vt minùs illecebras amplecteretur mundanas. Centurias & decimas instituit, & tãtam pacem patriæ infudit, vt etiam per publicos aggeres, vbi semitæ per quadrivium finduntur, armillas aureas jubeiet suspendi, quæ viatorum auiditatem riderent, dum non essent, qui raperent. Romam, & ad S. Thomam in India multa munera misit; legatus in hoc missus est Sigelmus Sciteburnensis Episcopus, qui penetrans Indiã, multas gemmas & plurima aromata inde retulit; & partem ligni Dominici missam Regi à Papa Marino. Monasteriũ vnum construxit in Adelingia, vbi olim captiu⁹ fuerat, ibique Ioannẽ Abbatem instituit ex antiqua Saxonia oriundum: alterum in Vuintonia, quod dicitur Novũ monasterium, vbi Grimbaldum Abbatem constituit: qui se vocante & Archiepiscopo mittente, cognitus, quod se puerum olim, vt ferunt, transeuntem benigno confoverat hospitio. Causa evocationis fuit, vt literaturæ studium penè jam tunc in Anglia sepultum sua suscitaret industria. Item Sustoniense monasterium, quod sanctimonialibus implevit: vbi, & Abbatissam constituit filiam suam Effiginam. Habebat autem ex Scondevui Asserionem quemdam nobiliter eruditum, quem Sciburnæ fecit Episcopum. Hic sensa librorũ Boetij de Cõsolatione planioribus verbis enodavit, quos Rex ipse in Anglicã linguã vertit. Evocavit ex Mercia Vuictrorum Episcopum Vuerefritum, qui jussu Regis dialogorum libros in Anglicum sermonem convertit. Post hunc regnauit Eduardus, cuj⁹ mater Ethelfloda Ethelredi Regis Merciorum relicta, experta difficultatem primi part⁹ perpetuò à viro abstinuit: protestans non conuenire regis filiæ, vt tanto periculo se committeret. Edvuardus regnavit annis 24. & dedit filiam suam Edithame Carolo Regi Francorum filio Ludovici Balbi. Filias suas instituit primo literis erudiri, & mox colo & fuso & acu exerceri: filios quoque suos primo literis fecit imbui, deinde regni gubernacula addiscere.

892. Sigebertus. Normanni à Senonis Parisius repetunt, & inde per Matronam fluviũ repulsi Trecas vrbem incendunt, & vsque Virdunũ & Tullum vrbes cuncta depopulantur. Vuido Berengarium bis victum ex prælio fugat. Odo Rex Francorum Danos super Axonam fluvium bello vincit.

893. Arnulphus Rex Zuendebaldo duci Marnensium ducatum Boëmanorum addens, & Boemanos per hoc sibi infestos fecit, & Zuendebaldo per adjectionem potentiæ materiam contra se rebellandi dedit. Ad quem debellandum cùm non sufficeret, gentem Hungarorum Deo inimicam regno immisit, eorumque auxilio Zuendebaldum devicit, & tributarium fecit.

894. Sanctus Vualdricus, vel Vldaricus in Bajoaria nascitur. Normanni iterum à Parisius repulsi, fines Britonum incessunt & primo victores, postea à Britonibus vincuntur, in duobus prælijs duodecim millibus suorum peremptis. Odone Rege per consilium Francorum in Aquitania demorante, ipsi Franci puerum Carolum Ludovici Balbi filium in regnum paternum revocant, & Remis à Fulcone Archiepiscopo in Regẽ inungi faciunt; & oritur longa concertatio inter eum & Odonem. Sunderoldus Maguntiæ Archiepiscopus à Normannis Vuormatiæ martyrizatur. Stephanus fit Papa 112.

895. Stephanus 4 Papa 112. Si hoc anno Stephanus iste quartus huius nominis primùm sedit, ergo aut Basilius quatuor annis sedit; aut si nullus sedit inter Adrianum & Stephanum, sicut quidam libri loquuntur, ergo tot annis vacavit Episcopatus; aut Stephanus iste prius sedit, quàm scribatur hic, & pluribus annis, Secundũ magnũ Hugonem sedit statim post Adrianum anno Domini 886. Sedit autem annis 6. diebus 13. Normanni Lotharingiam repetentes, circa Leodium cum Christianis pugnant & vincunt. Arnulphus Imperator audita cæde suorum in Bajoaria contra Normannos properat cum valido exercitu, quos super fluvium, qui Tilia dicitur, pedestri prælio adorsus, tantam ex eis stragem fecit, vt ex innumerabili multitudine vix superesset, qui ad classẽ aduersum nuntium ferret. Normanorum residui transvadata Mosa Ribuariam & Arduennam vastando pervagantes, trans mare recedunt. Hoc tempore claruit Remigius Antissiodorensis, in exponendis scripturis divinis & humanis studiosus. Hoc etiã tempore claruit in Burgundia Berno, ex comite Abbas Gigniacensis cœnobij à se fundati: qui etiam ex dono Auræ Comitissę construxit Cluniacum Cænobium in cellam Gigniacensem.

896. Imperator Zuendebaldum filium suũ ex concubina facit Regem Lotharienfiũ. Carolus Rex opem Arnulfi Imperatoris contra Odonem implorat: ad cuius auxilium Arnulfus exercitum misit, sed parum profuit. Carolus Rex Hundeũ Regem Normanorum de sacro fonte suscepit.

Guillelmus. Carolus gener Eduardi Regis Angliæ Rollonem accersivit, & Christianum fieri fecit, & Normaniam dedit ei cum filia sua Gislan, quæ esset vas pacis, ita vt ipse Rollo teneret Normanniam de dono Francorũ, sicut de Domino suo. Tunc astantibus consulentibus, vt pedem largitoris oscularetur, dedignatus genibus Regis aduolvi, apprehensum pedem eius ad os suum stans attraxit: quo resupinato secutus est risus Normanorũ, Francis reprehendentibus excusat Rollo factum, allegans talem provinciæ suæ morem. Dedit etiam idem Carolus eidem Rollo Cenomanorum comitatum, & Britanniã, quæ sunt appendices Normaniæ.

Odo Abbas Cluniacensis. Rollone ad fidem converso relatum est corpus Sancti Martini ab Antissiodoro Turonum. In cujus reditu quicumque qualicunque incommodo detenti esset, etiã non apportati, etiã non rogantes, etiam non volentes, sanati sunt. Nam duo paralytici de morbo suo victum quærentes, audientes quæ fiebant, communicato consilio aptatis baculis sub ascellas repere, magis quàm fugere tentabant, fugiẽtesque inviti sanati sunt. Quod ipsi postea confessi sunt, non audentes celare. Ingresso autem Martino fines parochiæ suæ tempore brumali, omnia fructeta vestita sunt folijs & floribus, & tam cerei quàm lampades accendebantur igne divinitus misso, & maximè in duabus basilicis in ejus nomine consecratis, in Majore monasterio, & in Ecclesia Castrinovi, in qua nunc vsque seruatur, & dextra lævaque in omnibus Ecclesijs campanæ divinitus pulsabantur, nemine tãgente. Factum est hoc anno à transvectione ej,

13. Idibus Decēbris, & Synodali authoritate decretum est, vt hoc festum celebre ageretur ab Adelardo Archiepiscopo Turonēsi, & à provincialibus suis Rannone Aurelianensi fratre Adalardi, Mainaldo Cenomanensi, Lupo Andegavensi; & à suffraganeis totius provinciæ Episcopis. Secundùm Sigebertū videtur, quòd duos principes Normannorum baptizari fecerit Carolus iste: Hundeum Regem Normannorum, quem ipse nominat, & Rollonem istum; quem nusquā nominat, & qui numquam rex dictus est.

897. Arnulfus Imperator à Berengario interpellatus ad auxilium sui contra Vuidonem, Zuendebaldum filium suum cum exercitu misit in Italiā. Sed Vuido viribus agens, & primores exercitus donis corrumpens, inefficaces redire fecit

898. Arnulfus Imperator Longobardiam potenter ingressus, Pergamum vrbem armis cepit: cujus Comitem Ambrosium ante portā vrbis laqueo suspendens, ceteris vrbibus terrore incusso, ad obsequelam suam omnes adduxit. Odo musicus ex clerico Turonensi monachum profitetur sub Bernone Abbate.

899. Odo Rex Francorum moritur, obtestans primates, vt Carolum in regnum susciperent. Carolus regno Francorum toto recepto, regnavit annis 27. Apud Triburias celebrata Synodo contra laicos, qui authoritatem Episcopalem imminuere tentabant; plura super statu sanctæ Ecclesiæ decreta sunt.

900. Formosus Portuensis Episcopus fit papa Romanus 114. contra voluntatem quorumdam Romanorum, qui Sergium Diaconum Romanæ Ecclesiæ facere Papam voluerant, sed non prævaluerant. Hic Formosus cùm aliquādo in sinistrā suspicionem Ioanni papę venisset, timore ejus fugiens, Episcopatū Portuensem reliquit: & quia revocatus à Papa redire noluit, anathematizatus est: & tandem ad satisfaciendum Papæ in Galliā veniens, vsque ad laicalem habitum degradatus est: jurans se non ampliùs Romam intraturū, nec Episcopatum suæ vrbis repetiturum: confirmans etiam propriæ manus scripto, se in laicali cōmunione perseveraturum. Post à Martino successore Ioannis in Episcopatu contra datum sacramētum restitutus, non solum Romam intrauit, sed etiam Romanæ Ecclesiæ papatum suscepit. Propter ꝙ cum multo scandalo per multos annos quæstio & controversia agitata est in Ecclesia: aliis ordinationē ej⁹, & ab eo ordinatorū irritā esse debere præjudicantibus: aliis econtra qualiscūq; fuerit Formosus, tamen propter sacerdotalis officij dignitatem, & fidem eorum, qui ordinati ab eo fuerant, omnes consecrationes ejus ratas esse debere, saniori consilio judicantibus: prǽsertim cùm ipse Formosus à Martino papa absolutus fuerit à sacramento & perjurio. Ab hoc Formoso Arnulfus Imperator Romam venit, sed non admissus Romam Leoninā obsedit. Lepusculo fortè versùs Romam fugiente, & exercitu cum clamore nimio sequente, Romani timētes se de muro proiiciunt, & hostibus per factos acervos locum ascendendi murum faciunt. Sicque capta Roma, illos, qui Papam injuriauerant, decollari fecit, & à Papa in Imperatorem Romanorū benedictus est. Guillelmus. Tempore Eduardi regis Anglorum, erat Romæ Formosus papa: qui misit epistolas in Angliam, excōmunicans Eduardum, & omnes subditos eius: quia per septē annos plenos destituta fuerat omnis regio Geinsiorum, id est Vestsaxonia, Episcopis. Tunc congregato Concilio constituti sunt singulis provinciis singuli Episcopi, & quod olim duo habuerant, in quinque diviserunt.

Sigebertus. Fulco Remorum Archiepiscopus perimitur à Vuingmaro satellite Balduini Flandrensium Comitis, pro eo quod Abbatiam sancti Vedasti Atrebatis à Carolo in beneficium acceperat, quam Balduinus jam per aliquot annos nullo concedente invaserat.

901. Vuido Rex Arnulfum Imperatorem se vsquequaque persequentē non ferens, quippe cui nec vrbes, nec castra natura munita resistere poterant, dum se fugiendo tutaretur, Imperator vxorem ejus obsedit; quæ jam rebus suis diffidens, per vnum Imperatoris familiarem multa pecunia corruptum ei poculum mortiferū dedit. Quo hausto per triduum excitari non potuit, apertis oculis nihil loqui aut sentire valuit, quæ res eum repedare coēgit. Quem recedentem Vuido persecutus à Deo percussus obiit.

902. Guillelmus. Hoc anno incepit regnare Eduvardus filiæ Elfredi filius, de quo supra dictum est. Bonefacius fit Papa 115. *Bonifacius Papa 115.* Arnulphus Imperator longa ægritudine dissolutus, vel vt quidā ferunt afflictus, à minutis vermibus, quos pedūculos vocant, adeò in corpore ejus scaturientibus, vt à nullo medicorum minui possent, moritur, post quem filius ejus Ludovicus regnat annis 10. Guillelmus. Hic est Ludovicus ille puer, de quo superior visio Caroli narrat. Iste Ludovicus, secundum Guillelmum filius fuit illius Caroli, qui dedit Normanniam Rolloni, & filiam suas Gillam: secundum Sigebertum filius fuit Arnulfi. Fortè non de naturali filio dicit, sed de adoptato. Stephanus fit Papa 116. *Stephanus Papa 116.* mensibus quatuor. Hic primùm à Formoso Papa Episcopus Anagniæ ordinatus, ipsum Formosū persequitur, & omnes ordinationes ejus irritas esse debere decrevit, & alia horribilia dictu in eum facit. Legitur enim, quia ipse, non Sergius, corpus Formosi à sepulchro in Concilio protractū, & papali veste exutum, laicali induerit, & abscissis duobus digitis dextræ manus, in Tiberim præcipitari fecit. Romanus fit Papa 117. *Romanus Papa 117.* In Italia pro Vuidone filius ejus Lambertus contra Berengarium regnat parvissimo tempore; quo mortuo, Berengarius regno Italiæ potitur. Theodorus fit Papa 118. *Theodorus Papa 118.* Hic contra Stephanum Papam sentiens, reconciliauit ordinatos à Formoso, quos Stephanus per vim intus Romæ & non foris exordinaverat; nec tamen præsumpserat eos iterum consecrare. His reconciliatis Theodorus Papa libros abrenuntiationis reddidit, & igni cremari præcepit. Ioannes fit Papa 119. *Ioannes Papa 119.* Hic etiā ad confirmandam Formosi ordinationem, quam Stephanus deposuerat, Synodum 74. Episcoporum præsentibus Francorum Archiepiscopis & Rege apud Ravennam statuit, & coram eis cūbusta est synodus, quam Stephanus in damnationem Formosi fecerat. Hungarorum gens Barbara, quæ quibusdā clusis remorata nec ad Meridianam plagam, nec ad Occidentalem exeundi antea habuerat facultatem; per Arnulphum ruptis clusis emissa, quæ Arnulfo vivente aliquantulum temperaverat rabiem suam, modò eo mortuo per totam Galliam, Germaniam, Italiā, vt tempestas diffunditur. Zuendebaldus Rex à Lotharienfibus in bello perimitur. In qua conspiratione & bello quicumque vulneratus est, aut mortem non evasit, aut numquam postea

sanari potuit. Francone Leodiensium Episcopo mortuo, Stephanus Episcopus subrogatur, vir sanctitate & scientia clarus; qui vitam & passionem sancti Lamberti martyris ad Hermendum Episcopum vrbanius edidit: cantum quoq; nocturnum de eodem martyre, & de sancta Trinitate, & de Inventione protomartyris Stephani, dulci & regulari modulatione composuit. Conradus pater illius Conradi qui post Ludovicum regnavit perimitur in bello à comite Alberto. Ludovicus Rex conserto cum Hungaris prælio miserabiliter vincitur. Benedictus fit Papa 120. Apud Constantinopolim Leone Imperatore mortuo, Constantinus filius ejus, & Alexander frater Vincfkonis imperat anno vno.

905. *Benedictus Papa 120.*

906. *Leo Papa 121.*

Leo fit Papa 121. Hunc post 30. dies ordinationis suæ Christophorus presbiter suus capiens, & in carcerem trudens per invasionem fit Papa 122. Hungari superioris anni victoria elati regnum Ludovici sub tributo redigunt. Apud Græcos Romanus humilis genere, sed quia Leonem ferocē occiderat, expertæ fortitudinis habitus, & per hoc à Leone Imperatore dux navalis exercitus constitutus, volens fieri tutor Constantini Imperatoris, qui admodum puer erat; tutorem illi à patre deputatum, & omnes principes palatij ad se extra vrbem evocatos capit, & palatio eliminat, & servientes sibi officijs curialibus honorat. Phocas autem qui terrestrem exercitum contra Simonem Bulgarorum Regem duxerat, hoc nuntio perterritus fugit à bello, & omnes fugere fecit; sicque animos & vires Bulgaribus addidit Græcos acriùs debellandi. Ipse verò Phocas à Romano captus oculis privatur.

Christophorus Papa 122.

Hungari Bulgaros victos tributarios faciunt. Sergi⁹ fit Papa 123. Iste est Sergius ꝑpter Formosū à Papatu reprobatus, qui ab eodem Formoso Episcopus ex diacono factus, ad Francos tamen se contulit, & eorum auxilio Christophorum invasorem capiens, & in carcerem trudens, latenter Romam ingressus Papatum invasit, & Romanos minis & terroribus perpulit, vt omnes ordinationes Formosi irritas haberent, & in vltionem suę repulsæ, quod dictu quoque nefas est, Formosum sepulchro abstractum in sedem Pontificatus sacerdotaliter indutum decollari præcepit: & insuper tribus digitis dexterę manus abscissis, in Tiberim jactari fecit; & omnes quos ille ordinaverat, injustè exordinavit, & injustiùs reordinavit: quem Formosum à piscatoribus inventum, & in basilica principis Apostolorum loculo deportatum quædam sanctorum imagines adorasse, & venerabiliter salutasse, palam omnibus visæ sunt. Apud Græcos Romanus Pater Basileos factus, vt securiùs ageret, matrem Constantini Imperatoris vxorem duxit, suam verò filiam ipsi Constantino despondit.

907. *Sergius Papa 123.*

908. Romanus impetrato à principibus, vt etiam induméta Imperialia & diadema Imperij acciperet, non jam tutor Imperatoris, sed super Imperatorem Imperator esse videbatur: qui etiam Christophorum filium suum imperio ascitum Constantino Imperatori in procedendo præferebat. Sed Christophorus non multò pòst obiit.

909. Hungaris Italiā devastantibus, Rex Berengarius eos bello aggressus miserabiliter vincitur. Romanus Græcorum Imperator Bulgares Græcos fortiter debellantes facto fœdere mitigavit.

910. Saraceni ex Africa à rege suo missi in Italiam, vt Apuliam & Calabriam contra Romanū Imperatorem rebellantes sub ditione illius redigerent pugnando, Apulis & Calabris fortiter debellatis Romam versus gyrantes, Galerium montem occupant, ibique munitione sibi facta multas vrbes Italiæ debellauerunt. Regino Abbas Prumiensis Chronicam suam à nativitate Domini inchoatam vsque ad hunc annum perduxit. Adelbertus quidam ex primoribus Austrasiorum per septennium Ludovico Regi rebellis, dolo Hatonis Episcopi Maguntini ad Regem deductus decollatur.

911. Hungari Germaniā vastant, Ludovicum filiū Bosonis ex filia Ludovici Imperatoris, ab Italiensibus à Burgundia invitatum ad regnum, Berengarius excipiens bello, jurare illum compulit, vt si redire permitteretur, numquam vltra in Italiam veniret.

912. Ludovicus Rex Germaniæ moritur, qui propter insolentiam tyrannorum in Italia, & multam malorum ingruentiam, Imperia & benedictionem non meruit; post quem regnavit Conradus (filius supradicti Conradi, qui ab Alberto Comite occisus est;) annis 7. qui & ipse Conradus caruit Imperiali benedictione. Berno Abbas moriturus Odonem olim musicū Conradi constituit Abbatem Cluniacensis Cœnobij, ea conditione, vt Ecclesia Cluniacensis solveret annuatim Ecclesiæ Gigniacensi censum duodecim denariorum.

913. Ludovicus Bosonis fili⁹ ad Italiensibus ad regnandum reinvitatus, tam citò oblitus juramenti sui, in Italiam contra Berengarium vadit: & eo expulso, regnum Italiæ vsurpat.

914. Contra Conradum Regem potentiores regni Principes rebellionem meditati, Arnaudus scilicet de Bajoaria, Bucardus de Suevia, Everardus de Francia, Gislebertus de Lotharingia, & horum omniū præcellentior Henricus dux de Saxonia, & Turingia; tam sapientia quā fortitudine Regis ad eius gratiam reducuntur. Solus Arnaudus Hungaros cum vxore & filiis fugiens, vsque ad mortem Regis ibi māsit.

915. Ludovicus verò recaptus à Berēgario à custodibus auro corruptis in vrbem immisso, oculis priuatur. Hungari Berengario confœderati Alemaniam vastant, & à Bajoariis & Alemanis graviter cæduntur. Carolus Rex Francorum regnum Lotharingiæ recipit.

916. Hic est Carolus gener Eduvardi Regis Anglorum, qui Normanniam Rolloni dedit, & filiam aliam Gislam. Saraceni à Fraxineto & Galtero monte exeuntes, Calabriam, Apuliā, & Beneventum, Romanorum quoque vrbes ita occupant, vt vnam mediam Romani, mediam Saraceni tenerent; & gravissimè Italiam premebāt. Anastasius Papa 124. sedet. Post quē Lando 125.

Anastasius Papa 124. & Lando 125.

Hungari Alemaniam totam devastantes, vsque Fuldam pervenerunt.

918. Romanus Imperator Græcorū filios suos Stephanum & Constantinum pro Domino suo Cōstātino Imperatore imperare cōstituit: ipso Cōstantino Imperatore opere manuum suarum, picturā scilicet pulchrè exercendo, victū sibi quęrente. Hattonē Maguntinum Episcopum, cuius dolo olim Adelbertus perierat, Rex Conradus sollicitat etiam contra Henricum Saxonum ducem, propter potentiam ipsius sibi suspectā. Ad quod cùm iam torquem auream Episcopus fabricasset, quæ collo ducis secum conviuātis injiceretur, dolo prodito frustratus est: & post triduū morbo & angore, vel vt alij dicunt, fulminis ictu interiit. Complices etiam consilij à Duce

patria

patria eliminati sunt. Misso autē exercitu à Rege contra Henricum, tanta cæde Saxones in eos debacchati sunt: vt à mimis declamaretur, vbinam esset infernus ille, qui tantam cæsorū multitudinem capere posset. Hungari per Alemaniā in Alsatiam, & vsque ad Lotharingiam perveniūt.

919 Conradus Rex moriens, coram principibus regni Regem designat Henricum filium Ottonis Saxonum ducis, qui regnavit annos 18. Ioannes Episcopus Ravennatis fit Papa 126.

Ioannes Papa 126.

920. Henricus Rex contra Arnauldū ab Hungaris regressum cum exercitu in Bajoariam profectus, cū virtute & sapientia sua ad gratiam suam inflexit: addens ei ordinationem Episcoporum Bajoariæ. Burcardum etiam Ducem Alemaniæ bello territum ad se inflexit. Robertus Dux frater Odonis Regis, appetens regnum Francorum contra Carolum, inquietabat Franciam; ejusque instinctu omnes penè primores Franciæ adversabātur Carolo.

921. Stephano Leodiensium Episcopo defuncto, Richarius vir Catholicus à Carolo per authoritatē Papæ Romæ ordinatur Episcopus, repudiato Hilduino, qui pecunia data Duci Gisleberto ambiebat Episcopatum. Hoc tempore clarebat inter nobiles Lotharingiæ S. Vuibertus, qui Gemmelacense cœnobium fundavit: qui divitiis, nobilitate, ac potentia clarus, cingulum mundanę militiæ deponens, monachus fact⁹ est. Ziptandus Dux Bohemiæ ad fidem Christi conversus, justè & religiosè in Bohemia principatur: & post eum Vuatislaus filius ejus justitia & sanctitate præclarus, cui frater suus Boleslaus nimis adversabatur.

922. Hungaris Franciam, Alsatiā, Alemaniam, Saxoniamq; depopulantibus, Henricus Rex juxta vrbem Meresburch congressus, vovēs Deo pro adipiscenda victoria se hęresin Simoniacam de regno suo eradicaturum, eos penè vsq; ad internecionem delevit. Idem Rex Henricus quoscumque fures, aut latrones, aut sicarios manu fortes, & bellis aptos videbat, indulta eis venia, agros & arma dabat: & legionem ex eis faciens, ad debellandos barbaros exponebat: adjiciēs omnino, vt civibus tantummodò parcerent. Carolus Rex Francorum cum auxilio Lothariensium iuxta vrbem Suessionem pugnās contra Robertum fratrem Odonis Regis, qui contra se regnum Francorum invadebat, eum cum multis peremit, & se & Frāciā Henrico Regi submittit, eique in pignus perpetui fœderis & amoris mittit manū pretiosi martyris Dionysij Parisiensis auro gemmisque inclusam.

923. Reges Henricus & Carolus apud Bunnā confœderātur, & Carolus reddit Henrico Regi Regnum Lotharingiæ, Episcopis & Comitibus vtrinque jurando rem confirmantibus. Africani qui per munitionem Galeriani montis totā Italiam laniabant, per auxilium Romani Græcorū Imperatoris consertā cum eis pugnā ita attriti sunt, vt ne vnus quidem superfuerit, qui non aut trucidaretur aut caperetur: multis testantibus Apostolos Petrum & Paulum in illo visos in auxilium Christianorum.

924. Henricus Rex pacem cum Hungaris in novē annos firmat. Carolus Rex Francorum à comite Heriberto capitur, Partone truditur in custodiā ob necem Roberti Ducis ab eo perempti. Rodulphus Rex Burgondionum ab Italiensibus ad regnandum invitatus contra Berengarium, cōsertā cum Berengario pugnā, eoque victo & expulso regnum Italiæ tribus annis tenuit. Guillelmus hoc anno post Edvardum qui regnauit annis 23, regnavit filius eius Ethelsinnus annis 16. Hic, vt ferunt, ex concubina natus est. Vix in tota Anglia fuit vllum vetustum Monasterium, quod non vel ędificiis, vel ornamentis, vel libris, vel prędiis decoraverit: recentia monasteria faciebat quasi ex professo: vetusta quasi aliud agens, artifici benignitate insigniebat. Sitrico Regi Nortannimbrotæ dedit in vxorem vnam ex suis sororibus; quo post annum mortuo provinciam illā sibi subegit. Vuidnalium Regem Vualnensium, & , , , , , à suis regnis expulit; quos tamen postea miseratione commotus in antiquum sub se regnare permisit. Postremum illi fuit cum Adelano filio Sitrici, qui timens regem sibi occurrentem cum exercitu, mimum se simulavit, & assumpta in manu cithara ad tentoriū Regis Ethelstimi venit, cantitans pro foribus, vnde facilè admissus est, cantandoque inter psallendum omnia oculis scrutabatur. Post convivium abire jussus, pretium cantus accepit, quod asportare dedignans sub se in terra defodit. Notatum est hoc à quodam, qui olim illi militauerat, & confestim Ethelstano dictum: qui hominem incusans, quod hostem præ oculis positum non prodidisset: hoc responsum accepit. Idem Sacramentum quod tibi nuper ô Rex feci, quondam Adalano fecerā. Sed amove hinc tentoriū, vsque dum partes relictæ veniant mane, vt inimicum petulanter exultantem modesta cunctatione frangas. Adalanus ergo nocte adveniens, Episcopum quemdam qui vespere ad exercitum venerat cum omni familia occidit: vltraq; progrediens Regem imparatum offendit; qui hostes nihil tale ausuros putaverat. Rex ergo stratis excussus, cùm suos ad bellum acueret, gladius ejus fortuito è vagina excidit: inclamatoque Deo & sancto Adelmo, qui erat eius ex antiqua stirpe consanguineus, reducta ad vaginam manu inuenit ensem, qui hodièque pro miraculo servatur in thesauro regū, & est vna parte sectilis, nec vnquam auri vel argenti receptibilis. Hoc Dei dono fretus tota die vsque ad vesperam indefessus fugauit Adalanum cum exercitu. Cecidit ibi rex Scotorum Constantinus perfidæ animositatis & vivacis senectæ homo; aliique reges 5. & Comites 12. & omnis penè turba Barbarorum. Pauci qui remanserant, pro fide Christi suscipienda cōservati sunt. Noruualensium idest Aquilonaliū Britonum reguli vectigalis nomine annuatim ei soluebant auri libras 20. argenti 300. boves 25. & quot liberet canes venaticos, & aves venaticas. Vrbem Excestram Orthonnvalensibus abstalit: quam turribus & muro muniuit ex quadratis lapidibus. Aroldus Rex quidam Nauricorū misit ei navem aurea rostra habentem, & velū purpureum, densa testudine inauratorum clypeorū intrinsecùs coagitatam. Hunc Etelstanum patre defuncto voluerunt ęmuli in vrbe Vuintonia secare: quorum princeps erat Helfredus quidā, qui deprehensus missus est Romam, vt ibi se coram Apostolico Ioannne jureiurando defenderet: qui cū jurasset ante altare sancti Petri, cecidit, & manibus famulorum ad Anglorum Scholam portatus, tertia nocte mortu⁹ est. Misit ad eūdem Ethelstanum Rabaudus præpositus Samsonis Archiepiscopi ossa sancti Senatoris, & S. Paterni, & S. Stabilionis, qui fuit magister ejusdem sācti Paterni, & vno die, ac eadem hora cum eodem Paterno migravit ad Christum. Isti sancti tunc

Peierans ad altare S Petri moritur.

R

de Britannia minori, & de Normannia translati ad tutiora loca fuerant. Sed & aliæ tunc multæ Reliquiæ, Normanis Gallias infestantibus similiter translatæ, facilè venum patebant. Hic Etestanus de cōcubina dicitur fuisse natus hoc modo. Erat in quadam villa opilionis filia pulcherrima: hæc per nocturnam visionem vidit lunam de suo ventre splendere, & totam Angliam suo lumine illustrare. Quod cùm illa sodalibus retulisset, & ille hoc idē villicæ, quæ filios Regis nutriebat, enarrassent; illa eam assumpsit, & loco filiæ habuit. Quam postea in domo ejus adamavit Edvuardus Regis Elfredi filius, ex qua genuit Ethelstanum. Ad hunc Ethelstanum misit Henricus Conradi filius rex Theutonicorum, & Imperator Romanorū, sororem ejus Othoni filio expostulans. Alteram ejus sororem habuit Ludovic' Aquitanorū princeps, de genere Caroli magni superstes.

925. Rex Henricus vrbem Sclavorū Brennabarch capit: & victis Sclavis tributū imponit. Post hæc agrarios milites recensens, edixit, vt octo eorum in agris, nonus in vrbe moraretur: quatenus octo in agris & sibi & nono laborarent; nonus verò in vrbe tertiam partē omnium frugum illorum reservaret in ædib' à se ad hoc extructis, vt in bello nihil alicui eorum deesset; vrbesque rebus & viris plenæ essent. Berengarius rex ab Italiensibus impiè perimitur. Hungari Salardo duce Italiam pervagantes, Papiam obsident, & incendunt. Carolus rex Francorū sub custodia Herberti exul & martyr moritur:

926. *Carol' Rex Francorum exul & martyr moritur.* post quem Rodulphus Rex Burgundionum regnat in Francia annis 2. Simeon Bulgar ex philosopho monachus, ex monacho miles, dominatur Bulgaribus, & Græcos graviter atterit: sed Romanus Imperator Græcorum ejus insaniā facto fœdere mitigat.

927. Post mortem Caroli Regis nolentibus Lotharingis Henrico subesse, quidam Lotharingus, nomine Christianus, simulata infirmitate, Gislebertum Ducem ad se dolo evocatum cepit, Regique misit; vt per eum Lotharingiam sibi subjugeret. At Rex inspecta industria & potentia Gisleberti, filiam suam Terbergam ei despondit, & eum iterum Lotharingiæ præfecit. Ludovicus filius Caroli regis insidiantes sibi fugiens, per mare transiit in Angliā: mater enim ejus filia fuerat regis Anglorum. Rodulphus rex ab Italis repudiatur, & Hugo comes Arelatensiū in regnum Italiæ subrogatur.

928. Hugo rex Italiæ quosdam Italos sibi suspectos, consilio & virtute Samsonis comitis circumventos, sibi substravit. Ratherius Lobiensis monach', vir nimiæ simplicitatis, sed experientia liberalium artium nominatus, cum Hilduino, qui olim Episcopatū Leodiensem ambierat, in Italiam ad Hugonem Regē profectus, ab eodem Hugone Veronensis Episcopus constituitur, Hilduino Mediolani ordinato. Rex Henricus Ranna vrbem Dalmatiæ capit, & Dalmatis tributū imponit. Ludovicus in Fraciam reversus, licet ærumnosè, tamen in regno restitutus, regnat annis 17.

929. Lanceam mirandi operis, & clavis Iesu Christi sanctificatam, quæ dicitur magni Constantini fuisse, donatam Rodulpho Regi Burgundionum & Italiæ à Samsone Comite, Rex Henric' precibus, minis, & muneribus, addita etiam parte provinciæ Suevorū, à Rodulpho Comite extorquet: & hanc ad insigne & tutamen Imperij posteris reliquit.

930. Ioannes Papa à militibus Vuidonis Marchionis captus, & incustodiam trusus, cervicali super os ejus posito pessimè strangulatus est: post quem alter Ioannes fit Papa 127. frater Alberici Romani expulso Hugone regentis. Alibi legitur hoc in loco Leo. Hic sextus hujus nominis sedit Papa 127. mensibus 7. *Ioannes Papa 127. alijs Leo.* Venceslaus princeps Bohemiæ à rege Henrico in Praga vrbe obsessus, se & vrbem regi dedidit, & impositā Bohemiæ mulctam tributi soluit.

931. Henricus Rex reges Normannorum & Abtādarum Christianos facit. Redocrij vsque ad ducenta millia hominum conspirantes contra Henricum regem rebellant, & regnum ejus graviter infestant, & vicinas gentes ad rebellandum animāt: sed à Ducib' regis Bernardo & Thiætmaro gravi bello victi omnes penè moriuntur, aut fugientes in mare vicinum demerguntur: & hoc facto vicinæ gentes à rebellione deterrentur.

932. Arnauldus Dux Baioariorum in Italiam contra Hugonem regem veniens à Veronensibus suscipitur, & cum Hugone confligens vincitur. Raherius Episcopus ab Hugone Episcopatu pulsus, quia Bajoarijs faverat, Papię exiliatur: vbi & librum de suis ærumnis luculenter edidit. Scripsit & alia multa legentibus vtilia.

933. Beneventani contra Græcos bellum agentes, quotquot Græcorum capiebant eunuchisabant. Stephanus septimus fit Papa 128. annis duobus, & mense vno. *Stephanus 7 Papa 128.*

934. Hungari tributum à Saxonibus repetentes, ab exercitu Henrici Regis aut occiduntur, aut capiuntur, vsque ad internecionem. Tributum quod repetebatur, Deo pro gratiarum actione in Ecclesiis & pauperibus distribuitur. Otho filius Henrici regis vxorem ducit filiam Eadmundi Regis Anglorum. Hæc est illa soror Ethelstani Regis, de qua superius locutus est Guillelmus: nō Eadmūdi, sed Edvuardi regis filia: sed Sigebertus alia nomina ponit regum Angliæ, quàm Guillelmus aliquādo. Ioannes vndecim' fit Papa 129. annis 4. mensibus 10 cui' anno 1. legitur regnasse Berengarius 3. annis 8. *Ioannes 11. Papa 129.*

935. Rex Henricus Danos, qui per piraticā Frisones incursabāt, vincit, & tributarios facit, & Chuppam Regem eorum baptizari facit. In vrbe Genuēsi fons sanguinis largiter fluxit: portendens fortassis ipsius vrbis imminentem ruinam: quę eodem anno ab Africanis cum classe illuc venientibus capta, cunctis civibus, exceptis parvulis & mulieribus, captis aut occisis, etiam thesauris suis est vacuata.

936. Rodulphus Rex Burgundiæ moritur. Leo 7. fit Papa 130 annis 3. mensibus 6. diebus 10. *Leo 7. Papa 130.* Hinc apparet Sigebertum non bene annotasse annos paparum: cùm Ioannes ille, qui proximus sedit ante hunc Leonem, sederit annis 4. mens. 10. secundum magistrum Hugonem, & secundum Sigebertum non nisi anno vno. Ille tamen Sigebertus in chronicis suis numquam ponit certos eorum annos, sed tantum dicit eos sedisse tunc, & non tot annis vel tot. Ego autem numeros eorū de chronicis Magistri Hugonis vbique pono. Inger rex Russorum sciens exercitus Græcorum ductos esse contra Saracenos, & ad insularum custodias dispersos, ad expugnandam Constantinopolim cum mille navibus & eo amplius venit: adeo de victoria jam securus, vt Græcos occidi, non capi juberet: quibus Imperator Romanus cum paucis viriliter occurrens, Græco igne circumcirca injecto, penè omnes cum-

navibus exussit, paucis evadentibus, omnes captivos decollari jussit.

937. Sol sereno cælo obscuratus est, per fenestras verò domorũ radios sanguineos emittebat. Hominis cujusdam sinistra manus ferro amputata, post annum penè ad integrum ei dormienti restituta est: cui pro signo miraculi quasi sanguinea linea loco conjunctionis relicta est. Henricus rex moritur: qui licet in vincendis inimicis gloriosus fuerit, quia tamen pacificus erat, nullam operam dedit, vt effugatis ab Italia tyrannis, qui quasi conductivi mercenarij alter alteri succedẽtes Imperium dilaniabant, benedictionem Imperialem susciperet. Guillelmus tamen, vt supra dictum est, dicit eum Imperatorem Romanorum fuisse; sed fallitur. Post quem Otho filius ejus ex Mathilde filia Theodorici ducis Saxonũ Imperavit annis 36. Mons verò vbi rex Henricus sepultus est, postea flammas multis in locis evomebat. Obiit Odo primus abbas Cluniacensis, cui successit Ademarus.

938. Primus contra Othonem rebellavit Everardus comes Palatini, & cum eo Gillebertus dux Lotharingiæ: qui Gerbergam sororem ipsius Imperatoris vxorem habebat. Hungari per Austrasiam & Alemaniam, multis civitatibus igne & gladio consumptis, Vuormatiæ Rheno transito vsque ad Oceanum Gallias vastant, & per Italiam redeunt. Princeps Bohemiæ Vanceslaus vir sanctus à fratre suo Boislao occiditur, ambitione percipiendi principatus seducto. In cujus vltionem rex Otho bellum ei indixit, & longa inter eos concertatio per annos quatuordecim protracta est.

939. Everardus & Gislebertus Henricum fratrem Othonis obsessum capiunt, eumque fallacia sua ab Imperatoris fidelitate sejunctum factioni suæ conjungunt: suggerentes ei regnum magis competere nato in patris regno, quam Othoni ante regnum nato. *Stephanus 8. Pap. 131.* Stephanus 8. fit Papa 131. & sedit annis 3. mensibus 4. diebus 15. Hungari à Saxonibus graviter cæduntur. Otho à Bajoariis sibi resistentibus interim rediens Everardum exiliat: iterum Bajoarios aggressus omnes sibi subdidit, præter vnum filium Arnaudi. Idem Otho construit vrbem Machathaburch, quæ & Parthenopolis dicta est, idest virginum civitas. Hæresis Antropomorphitarum Italiam vexat: contra quam Raherius Veronensis Episcopus & verbis & scriptis reclamat.

940. Otho in Lotharingiam vsque ad Capremontẽ venit Berengarius junior Berengarij senioris ex filia nepos, timens regẽ Hugonem se persequentem, pro eo quod contra eum regnũ Italiæ affectaret, ad Hermannũ Suevorum ducem, & per eum ad Othonem regem fugit. Rex Otho Boislaum bello superat, at Boislaus pro victoria securos circumveniens, principem militiæ regis cum multis trucidat: Rex verò Bohemiam devastat. Guillelmus. Hoc annoo regnavit Edmũdus Adelstani frater annorum octodecim: annis sex & dimidio regnavit. Hic Glastoniensem Ecclesiam magnis prædiis & honoribus ditavit, & confirmavit donationem suam per privilegiũ literis aureis scriptum in libro Evangeliorum eleganter composito, quem eidem Ecclesiæ dedit. Hic Edmundus latronem quemdam nomine Leo eliminaverat, qui post 6. annos regressus, die sancti Augustini Cantuariensis Archiepiscopi inopinus apud Prouchelecíæ inter convivas regis assedit: quia scilicet tunc solebant Angli festivè convivari, ob memoriam prædicationis sancti Augustini. Hic latro tunc fortè juxta ducem recumbebat. Quem rex ipse partibus de cœna dedignatus fuerat, qui cùm à rege solo recognitus fuisset, ceteris in vina spumantibus rex ira accensus prædoni in capillos involat, & ad terram elidit; qui latenter sican de vagina eductam in pectus Regis infixit, qui mox exanimatus est. Latro verò concurrentibus satellitibus membratim discerptus est, nonnullos priùs sancians. Præviderat hunc regis finem beatus Dunstanus tunc Glastoniensis Abbas, dæmonis ante se saltantis gesticulationibus, & plausibus edoctus scurrilibus. Qui mox conscendens, & ad curiam properans, in medio itinere rei gestæ nuntium accepit. Sepultus est in Glastoniensi Ecclesia, data in inferias vil â in qua occubuit. Ludovicus Rex Francorum Lotharingiam invadens, vsque ad Alsatiam venit ductu Everardi & Gisleberti. 941. Rex Hugo misso sibi græco igne ab Imperatore Græcorum Fraxinetum oppugnat, & navibus Saracenorum exustis illud expugnat, & eos inde fugat. Tagmarus frater Othonis regis ab eo ad hostes ipsius transit, & inter cetera mala Herhesburch castrum capit, ibique à rege conclusus reus intra Ecclesiam cõfessus interiit. Marinus fit Papa 132. & sedit annis 3. mens. 6. diebus 14. qui tamen anno sequenti, non isto, à Magistro Hugone ponitur. *Marinus Papa 132.* Ad hunc sanctus Vualdericus Romam veniens, ab eo cognovit se futurum Episcopum Augustæ Vindelicorum, quod post annos 15. factum est. Ex hoc conjicitur Marinum Papam prophetiæ spiritũ habuisse. Sigebertus. Gislebertus & Everardus cũ Henrico fratre Imperatoris juxta Rhenũ contra Othonẽ bellũ parantes, milites Othonis offendunt. Et multi cum paucis congressione factâ, Othone interim in alio Rheni litore ante clauos Dñi lanceæ infixos in oratione prostrato, victi terga dederunt. Henrico in brachio insanabiliter vulnerato Orta dissẽsione inter principes de varietate legis, vtrũ deberent avis superstitib⁹ filij filiorum post patres defunctos hæreditare, an exhæredatis fratruelibus, deberet hæreditas ad Patruos redire, ex Regis Othonis omniúque principum sententia, cognitio veritatis gladiatorio Iudicio commissa est, cessitque victoria iis, qui censenbant fratrum filios debere cum patribus hereditare.

Rex Otho obsedit Brissagam oppidum Alsatiæ, quod Ludovicus Rex per milites Gisleberti & Everardi tenebat: in qua obsidione suasu Frederici Maguntini Episcopi, qui iam animo ab Othone defecerat, multi ab eodem Othone defecerunt, eaque re aliis territis solus Rex interritus mansit. Interim fideles Regis, Vdo scilicet & Cõradus frater Hermanni Suevorum ducis, Everardum & Gislebertum prædando regno securè intentos juxta Rhenum inopinatè aggressi acerrimè debellant: Everardo gladiis perempto, Gisleberto autem Rheni vndis submerso. Cæterorũ vix aliquis fuit, qui non aut trucidaretur, aut caperetur. Hoc nuntio infideles regis corde frãguntur, & Ludovicus ab Alsatia discedit, & rex & fideles ejus cum ipso gratulantur. Ludovicus Rex vxorem ducit Gerbergam, quæ vxor fuerat Gisleberti, sororque erat Othonis regis. Filiam verò Gislebeti neptem suam dedit Otho Bertollo Duci Bajoariæ & ducatus ejus Othoni da-

tur. Ademarus Cluniacensis Abbas substituit sibi Abbatem Majolum. Guillelmus. Hoc anno Guillelmus Rollonis filius Dux Normanniæ dolo in Francia occisus est ab Alsone, cognomento Curto. Clavis ad ejus cingulum inventa est ferè familiaris scrinij, in quo inventa sunt indumenta monachilia, quæ semper inter bella meditabatur se gestaturum apud Gimegium: quem locum à tempore Hastingi desertum ipse fruticosis sentibus purgaverat, & ad hunc statum qui modo est evexerat. Huius filius fuit Richardus.

944. Sigebertus. Otho dux Lothariensiū obit, cui succedit Conradus gener Regis Othonis. Stephanus & Constantinus Imperatores filij Romani Imperatoris, ægrè ferentes justa se patris sui severitate à iuvenili levitate coërceri, dispositis in palatio insidiis, ignorante altero Constantino Leonis Imperatoris filio, patrem de palatij solio deponunt, & tonso ei, ut moris est, capite, ad vicinam insulam, in qua Cœnobitæ præliabantur, transmittunt. Sol horribilem Ecclipsim passus est feria sexta, hora diei 3. quo die in Hispania Abdaram Rex Saracenorum à Radamiro Christianissimo rege Galliciæ in bello superatus est. In Italia Cometa miræ magnitudinis apparuit, portendens famem quæ secuta est.

945. Rex Otho corpus Innocentij martyris in urbe Magataburch transfert: qui totam Lotharingiā sibi subjugavit, resistente sibi solo Metensium Episcopo Adeberone. Stephanus & Constantinus videntes post patris sui depulsionem Constantinum filium Leonis Imperatoris ab omnibus sibi præferri, & se iam vix in secundis haberi, cum deliberarēt hoc quod de patre fecerant etiā de Constātino facere, publicato eorum consilio per Diabolinum incentorem huius cōsilij, cùm ad convivium ex condicto consedissent & de prioratu sedendi inter se consultò decertarent, dato signo à viris Constantini ambo fratres solio deturbātur, & tonsis capitibus ad idem monasteriū ad quod patrem transmiserant, & ipsi transmittūtur: & ita evacuato palatio ab Imperatoribus abusivis, ipse Constantinus & Romanus filius eius ex filia Romani Imperatoris imperant annis 19. Rex Otho Burgundiam sibi subiugat: barbaros occasione intestini belli undique irruentes Gero Comes fortiter ac frequēter debellat. Regi Francorum Ludovico Hugo Comes Parisiensis nimis adversatur: qui filius fuit Roberti tyrāni in bello Suessionico à Carolo rege perempti.

946. *Agapitus 2. Papa 133.* Agapitus secundus fit Papa 133. qui sedit annis 10 mens. 6. diebus 10. Henricus frater Imperatoris in urbe Metelburch à fratre obsessus, projectis armis ad pedes ejus procidens, & misericordiam implorans, in custodiā includitur. Fredericus Archiepiscopus Maguntiæ à civibus excluditur. Rex Otho contra se rebellare molientes multos cepit, & multos occidit. Mortuo Bertaldo duce Rex Otho fratri suo Henrico dat ducatum Bajoariæ, & sic eum reprimit à rebellione. Guillelm⁹. Hoc anno regnavit Edredus 3. ex filiis Edvardi annis 9 & dimidio. Dunstanus nuncio huius ægrotantis audito, cùm illuc equū acceleraret, vocem desuper sonantem audivit, modo Rex Edredus obdormivit in Domino. Sepultus est Vintoniæ in Episcopatu.

947. Berengarium à Suevia in Italiam reversum videns rex Hugo ab Italiensibus se deserto recipi, Lotharium filium suum, ut saltē Berengario conregnet, Italiensium fidei commendat: ipse Arelatem unde venerat repetit: qui Hugo post annū mortuus est, quo mortuo Lotharius filius eius in Italia solo nomine regnat annis 2.

948. Berengarius actu & potestate Rex, & cunctis acceptus, per Italiam tyrannizat. Dux Baioariæ Henricus Aquileiam in Italia capit, Rundaros bis superat, Ticinum transit, & cum multis manubiis redit. Ludovicus Rex Francorum à suis ducibus circumventus à Normannis capitur, & consilio Hugonis Laudunum missus publicè custodiæ traditur. Carlomanus verò major filius eius à Normannis abductus Rothomagi moritur.

949. Taxis Rex Hūgarorum in Italiam veniens 10. modios nūmorum à Berengario, ut rediret accepit. Rex Otho cum 32. legionibus Franciam ad liberandum Ludovicum aggreditur. Ludovicus eius metu à custodia relaxatur. Rex Otho Laudunum capit, Hugonē intra Parisius concludit, Rhemis capit, Hugonis nepote, qui Episcopatū Rhemensem usurpaverat expulso, legitimū Episcopum restituit. Usque Rothomagum potēter accedit: & Castellis ac urbibus quas ceperat Ludovico redditis, in Saxoniam redit. Rex Otho in Bohemiam cōtra Boislaum proficiscitur.

950. Boislaus regi reconciliatur, eique tandem fideliter subjicitur: & pacto pacis secundum nutum regis facto manus ei dedit. Rege Othone secundam expeditionem in Franciam parante Hugo virtutem eius non ferens, ei iuxta fluvium Carum occurrit: & pacto pacis secundum nutum regis facto manus ei dedit.

951. Maguntia ab Othone rege obsessa est. Fredericus Archiepiscopus captus, & in custodiam trusus, non multo post per indulgentiam Regis relaxatus. Rex Otho filium suum Lidulfum ex filia regis Anglorum testamento post se regem designat.

952. Lidulphus filius Otonis regis, instinctu Conradi ducis cum eo rebellat contra patrem: Rhemesburch capit, & multas alias urbes, & principes à patre ad se avertit: Rex illum intra Maguntiam conclusum obsedit.

953. Bellum fuit super Mosam inter Conradum & Rhaginerium Comitem Aginensium. Mortuo Vuichfrido Coloniensium Archiepiscopo successit ei Bruno frater Othonis regis: cuius vitam Rogerus scripsit. Hujus Brunonis studio translata sunt à Roma Coloniam corpora Sanctorū Elisij, Patrochi, Privati, Gregorij, cum baculo sancti Petri.

954. Rex Otho uxorem secundam ducit, relictam Ludovici Italorum regis: & per eam Papiam accipit. Rhaerius bis Episcopatu Veronensi depulsus ordinatur Leodiensium Episcopus, post Fabertum, agente Brunone Archiepiscopo.

955. Lidulpho ad gratiam sui patris reducto, Conradus dux Dei & regis transfuga, ad Hungaros se transferens, eos in Lotharingiam usque ad carbonariū Sylvam perduxit: & virtute Dei apud Lobias contra eos ostensā, ultrà prodire prohibiti inanes redierunt. Berengarius Rex Italiæ in Germania ad Regem Othonē venit: eique suis suique filij manibus dans se illi committit. Ludovico Francorum rege mortuo Lotharius filius ex Gerberga sorore Othonis regnavit annis 31. Guillelmus. Hoc anno regnare incepit Edvius filius Edmundi superioris regis; adolescens petulans & libidinosus, qui cognatam suam duxit uxorem. Ipso quoque die quo in Regem sacratus fuerat, in frequentissimo concessu procerum de rebus seriis agentium, è medio quasi ludibū-

dùs prorupit in triclinium, & in complexum Ganeæ devolutus. Dunstanus autem lasciviente iuvenem violenter è cubiculo abstraxit: & pellicē repudiare coactum perpetuum sibi inimicum fecit. Mox enim miserrimis satellitibus subnixus omnes monachos in tota Anglia prius facultatū auxilio destitutos, mox exilio deportatos calamitatibus indignis affecit. Ipsum Dunstanum in Flandriam expulit. Malmesberiense cœnobium jam plusquam ducentis septuaginta annis inhabitatum à monachis, stabulum clericorum fecit. Tunc corpus beati Adelmi tot annis abditum à clericis de terra levatum, & in scrinio locatum est: cui dedit rex prædium amplissimum: in cetera verò cœnobia nimis inhumanus fuit, tum propter ætatis lubricum, tum propter pellicis consiliū. Regnavit annis 4. Sigebertus. A Bajoariis cōtra Sclavos prosperè pugnatur. Ioannes 12. fit Papa 134. & sedit. annis 7.

Ioannes 12. Papa 134. 956. *Lapis è cœlo & fulgur horrens.*

In Italia lapis miræ magnitudinis tonitru & tēpestate turbulenta de cælo jactus ingens miraculum videntibus præbuit; templa plerisque in locis valida tempestate concussa sunt; vtriusq; ordinis Sacerdotes ictu fulminis interierūt: & plura horrenda dictu portenta monstrata sunt. Frederico Maguntino Episcopo mortuo successit Guillelmus Regis Othonis filius. Rhaterio ab Episcopatu Leodiensium ejecto substituitur Baldricus, annitēte avūculo suo Raginerio Comite Montensi. 957. Lidulfus Othonis Regis fili⁹ in Italia moritur. Hungaris interim regnum Othonis ductu Conradi Ducis depopulantibus, Otho eos bello excepit. Conrado ab Hungaris ad eum pœnitendo refugiente, & orante Deum, vt pro pœna perfidiæ suæ ab Hungaris perimeretur: quo bello Hungari in tantum sunt victi & attenuati, vt vltra jam nec mutire ausi fuerint: aut nullus, aut rarus eorum evasit. Conradus tamen secundùm votum suum ibi occubuit: tres Reguli Hūgarorum in bello capti, suspendio perierūt. Bruno Archiepiscopus ducatum Lothariensium post Conradum adeptus, cœnobium S. Pantaleonis Coloniæ construxit. Henricus dux Bajoariæ frater Regis Othonis moritur: cui successit Henricus filius ejus.

958. Bruno Archiepiscopus plures Normannorū cum principibus eorum baptizari fecit. Viemānus à facie Regis Othonis trans Albiam fugiens, Sclavos in regnum ejus conduxit: quos Rex fortiter debellavit, occiso regulo eorum cum multis, & septingentis captivis capite cæsis.

959. Obiit sanctus Gerardus fundator Broniensis Cœnobij, Bruno Archiepiscopus & Archidux Lotharingiæ secundas partes in regno fratris sui potenter & industriè agens, Raghinerium Comitem Montensem, qui Longicollus cognominabatur, apud Valentianas evocatum cepit, & irrevocabili exilio damnavit, pro eo quod regnū bellis inquietabat, vel quod verius fuisse dicitur, pro eoquod mortuo Gisleberto duce consanguineo suo, ea quę Gislebertus vxori suæ Gerbergæ sorori imperatoris in dotem contulerat, violenter ei auferre præsumebat. Bonis Ragineri j confiscatis, filij ejus Ragineros & Lambertus ad Lotharium regem Francorum confugerunt. Prodigiosa res multos terret, & à vitiis coërcet, notis crucis in veste plurimorum apparentibus: quorumdam autem vestibus quasi lepra sordentib⁹.

Cruces in vestibus apparent.

Guillelmus. Hoc anno regnare incepit Edgarus filius Eadmundi, frater Edvuij, iuvenculus annorum 16. quo nascente Dunstanus audisse fertur vocē Anglicam dicentē, Pax Angliæ, quamdiu puer ille regnaverit; & Dunstanus noster vixerit. 16. annis regnavit, nullum ferè annum regnavit, quo non novum monasterium fundaverit. Regem Scotorum Kynadium Komptorum Malcholinum archipyratam Malcesium; omnesque reges Valnensium numero 5. ad curiam coactos perpetuo sacramento sibi obligavit: quos apud vrbem Legionem sibi occurrentes in pompam triumphi per fluvium deduxit vna navi impositos; in cujus prora sedebat ipse, & illi remigabant. Fama ejus exciti venerunt eum videre Saxones & Flandrenses & Dani: à quibus didicerunt tunc temporis Angli inconditam animi ferocitatem à Saxonibus, à Flandrensibus enervem corporum molliciem, à Danis potationem. Florebat tunc in Anglia Dunstanus, pri⁹ abbas Glastoniæ, post Episcopus Vintoniæ, mox Archiepiscopus Cantuariæ, multæ in sæculo potentiæ, magnæque apud deum gratiæ: post regem Elfredum excitator mirificus artium liberalium, & locorum regalium reparator magnificus: quivt potationē compatrio tarum refrenaret, clavos aureos vel argenteos jussit vasis affigi, vt dum metam suam quisque cognosceret, non plus subserviente verecundia vel ipse appeteret, vel alium appetere cogeret. Hujus discipulus fuit Athelvoldus, ex monacho Glastoniensi abbas Aliendoniensis, & post Episcopus vintoniensis, qui talia & tāta fecit caput vrbis vnius, quot & quanta vix posse facere videretur rex Angliæ totius. Hic clericos expulit de Vuintonia, & pro eis monachos introduxit. Floruit etiā tunc Osvaldus nepos Odonis Archiepiscopi, qui ante Dunstanum fuerat ex monacho Floriacensi Vigorniæ Episcopus, & post Eboraci Archiepiscopus: qui monasterium Ramesiæ in quodā palustri loco ædificavit, clericos à Vigornia expulit, & posuit pro eis monachos regulares.

S. Dunstanus in Anglia floret.

960. Sigebertus. Hoc tempore per industriam Othonis regis meliorato Imperij & Ecclesiæ statu, multa monasteria & cœnobia ad laudem Dei aut restaurantur, aut ampliantur, aut ædificantur.

961. Gallia & Germania jam bene pacatis intendens rex Otho etiam Italiam pacare, præsertim ad hoc eum anxiè evocantibus Ioanne Papa cæterisque Episcopis, vt eos liberaret de manibus tyrannorum Berengarij & Adelberti filij ejus, filium suum Othonem puerū septennem Aquisgrani die sancto Pentecostes in regem fecit inungi: eoque commendato Archiepiscopis, fratri Brunoni, & filio Guillelmo, ad Italiam tendit. Apud Constantinopolim Romano Imperatore defuncto Nicephorus Imperat annis 10.

962. Sanctus Vuibertus fundator Gemmelacensis Cœnobij apud Gorsiam, vbi Deo militabat propter amorem ferventis ibi religionis, dormivit in Christo. Corpus ejus relatum est ad Cœnobiū Gemmelacense.

963. Otho Italia pervagata & tyrannis metu ejus perterritis, ita vt in locis natura munitis laterent, aut Saracenorum auxilia quærerent, Romæ à Ioanne Papa in Imperatorē benedicitur: tyranni à Ioanne Papa & à Romanis abjurantur. Eo repatriante Adelbertus à Papa Ioanne à Fraxineto Romam revocatur, sed Imperatore redeunte refugiunt. Collecto autem à tota Italia Episcoporum Concilio Ioannes Papa de nefariis causis infamatur: qui tertiò evocatus, dum se

excusatum venire cunctatur, post multa tandem eo à cunctis præjudicato, Leo adhuc laïcus electione omnium, & consensu Imperatoris Papa substituitur. Sicque Leo præsidens apostolicæ sedi fecit ordinationes,& ea quæ erant Apostolica. Nec longũ,Romani alterata fide apud Imperatoré,Ioannem Papam recipiunt. Ille synodo collecta Leonem deposuit, & ejus gesta cassavit. Statutumque est publico omnium judicio synodũ à Leone habitam nec nominandam synodũ: sed prostibulum, favens adulteris. Quicumque ergo ab eo ordinati erant, damnati jussi sunt suã ipsorũ proscriptioné prętẽtare in charta hæc verba continente. Pater meus nihil mihi dedit. Et sic depositi remanserunt in gradibus, quos priùs habuerunt. Si qui autem digni judicantur,iterũ ordinantur, non accepta priori consecratione: indicto illis eodem decreto, quod & damnatis à Constantino neophyto. Romani igitur à Papa Ioanne pecunia illecti, Imperatorem cum paucis Romæ morantem subitò aggressi, ita ab Imperatoris exercitu sunt attriti, vt nisi ab Imperatore & Papa Leone Milites Imperatoris à cæde revocarentur, vsque ad internecionem Romani delerentur. Quibus per Leonem Imperatori reconciliatis,post abscessum ImperatorisLeo Papa sibi insidias parari sentiens, ad Imperatorem fugit. Ioannes autem Expapa se cum vxore cujusdam oblectans, à diabolo in tempore percutitur,ac sine viatico moritur. Romani verò contra juramentum quod Imperatori fecerant, se numquam electuros Papam sine ejus & filij sui Othonis consensu, Benedictum sibi Papam statuunt. Imperator autem Roma obsessa Romanos cæde & fame adeo afflixit,vt Leonem Papam se recepturos promitterent. Sic Benedictus rejectus est à Papatu & Sacerdotio, & à Leone exordinatus est Guill. Hoc anno Domini 963. sedit Benedictus 5. Papa 136. mensibus 2. postquẽ Leo 8. Papa 136. anno vno mens. 4.

Leo pseudo Papa habitus.

964. Benedictus 5 Papa 136.

Adelberone Metensi Episcopo mortuo, qui frater fuerat Frederici ducis, succedit Deodoricus consobrinus Imperatoris. Hic, vt legitur, inspiciens literas nominum omnium Episcoporum Metensiũ, quas Angelus Domini dicitur dedisse sancto Clementi primo Metensium Episcopo,& notatas alias auro,alias argento,alias viliore metallo,pro meritorum qualitate: cùm videret etiã primam literam sui nominis argento prenotatã, dixisse fertur, se in Episcopatu tanta bona facturum, vt ipsa nominis sui litera auro deberet annotari. Cuius bonæ intentionis initium ostensum est in Cœnobio S. martyris & leuitæ Vincentij fundato in ipsius vrbis insula. Arnulpho sene Flandrensium comite mortuo, Lotharius Rex Francorum Flandriam graviter infestat & vastat.

965. Ioannes 13. Papa 136.

Ioannes 13. fit Papa 137. vel 36. Benedicto priore non computato:& sedit annis 7 mensibus 11. Otho Imperator Pentecosten Aquisgranis celebrauit:concurrentib9 ibi à Francia sororibus suis Gerberga regina Francorum, matre Lotharij Regis & Caroli ducis,& Hauvide vxore Hugonis pariensium Comitis: quorum filius fuit Hugo, qui postea regnavit in Francia. Vbi omnis illa regalis prosapia multo cogratulationis gaudio est affecta. Bruno Archiepiscopus & dux in Frãciam pergens, ad pacificandos nepotes suos, Lotharium regem, & filios Hugonis; febre correptus apud Compendium, Remos redit: ibique quidquid in re mancipi habebat, per testamentum Ecclesiis sanctorum delegatis, mortuus est. Cuius corpus à Deoderico Metensium Episcopo Coloniam relatũ est. Otho Italiam repetit. Guillelmus dicit, Ioannem Papam hoc anno generalem Synodum congregasse.

966.

Guillelmus Archiepiscopus Imperatoris filius Maguntiæ moritur. Hoc tempore Danis, qui Christum simul & idola colebant, cum Popone Clerico in conuiuio altercantibus super cultura Dei & deorum; Danis asserentibus, Iesum Christum esse quidem Deum, Deos vero majores & antiquiores esse illo; Popone contrà affirmante Iesum Christum solum esse verum Deum, qui Deus vnus est in substantia,& trinus in personis; Rex Danorum Alradus condixit clerico, vt fidẽ propositam à se probaret testimonio veritatis. Quo annuente, ingentis ponderis ferrum valde ignitum manibus illi9 ferendũ imponitur. Quod cùm clericus vsque ad placitum omnium tulisset absque vlla læsione, rex abiecta penitus idolatria se suosque ad colendum solum verum Deum cõvertit: clericus vero Episcopus factus est. Vicemanus diu contra Imperatorem rebellis à Misaca Sclavorum regulo, Imperatoris amico & milite perimitur. Guillelmus. Etgarus Rex Angliæ, dum quadam die in venatione esset, fessus, somnoque resolutus jacebat sub malo syluatica, cum ecce canis femina venatica prægnans, & juxta pedes illius accubitans, dormitanté exterruit. Nã ipsa tacente catuli aluo inclusi multiformes & sonoros latratus edidere. Attonitus rex oculos ad cacumẽ arboris intendit, & videt poma vnum & alterum delapsa in fluvium, quorũ collisione bullis æqualibus inter se crispantibus voce articulata sic insonuit. Vuel his te: idest bene est tibi. Non multò post vndarum voluminibus agentibus, vrceolus super aquã apparuit,& post vrceolũ vrceus exundans aqua: nam alter prior vacuus erat, & quamuis crebro gurgitis impulsu maior minorem vrgeret, vt scilicet aquas suas in illum infunderet: nunquam id obtinere potuit, quin vrceolus vacuus recederet, iterũque quasi superbo gestu victor vrceum impeteret. Regressus rex post hanc visionem domum anxius; patefecit omnia matri suæ: cui tanquam sanctæ fœminæ De9 multa solebat reuelare. Hæc dicebatur Elfiga: quæ tam pia & dulcis erat, vt etiam reos quos Iudicium palam damnauerat, occultè redimeret; quamlibet pretiosam vestem conspecto pauperi statim dabat, corpor speciosissima,& artificio manuum prudentissima, & omnibus operibus bonis intẽta. Postero igitur mane dixit filio suo. Latratus catulorũ quem matre quiescẽte dedere, significat quod post obitum tuũ quiescentibus illis qui modo valent & vivunt, nondum nati nebulones contra Dei Ecclesiam latrabunt. Quod autem vnum pomum secutũ est alterum, ita vt ex collisione secundi in primum videretur vox sonuisse, vuel his te, hoc innuit, q. ex te qui ad instar arboris magnæ totam inumbras Angliam, duo procedent filij: fautores secundi extinguent primum: tunc diversæ partis incentores dicẽt pueris vtrisque, vel his te: quia mortu9 regnabit in cælo, vivus in seculo. Quod autem vrceus major minorem implere non poterat, signat quod Gentes Aquilonares, que numerosiores sunt quam Angli, Angliam post mortem tuam impetent: & quamuis crebro compatriotarũ ad ventu rumas suas impleant, nũquam

Cõuersio Danorum ob miraculum exhibitum.

tamen hunc angulum mundi poterunt implere: sed Angli nostri cùm maximè victi videbuntur eas expellent. Hic Etgarus rex adeo in sanctitate sua severus fuit, vt temporibus ejus nullus fuerit privatus latro, nullus popularis prędo, nisi qui mallet propriç vitç dispendio infortunas alienas grassari. Quin etiam omnis generis feras sanguinis avidas ex regno exterminare cogitauit. Vuidialo regi Vallensiũ indixit, vt sibi quotãnis tributum trecentorum Luporum solueret. Quod cùm ille tribus annis fecisset, quarto destitit, nullum se vlteriùs posse invenire professus. Gracillimi corporis fuit, & virtutis immensę, ita vt vltro ad congrediendum lacesseret quemcũq; audacem: hoc maximè timens, ne in tali colludio timeretur. Omni æstate post Pascha naves per omnia littora coadunari præcipiebat ad Occidentalem insulæ partem, cum Orientali classe: & rursus cum Occidentali ad Borealem; inde cum Boreali ad Orientalẽ remigrare consuetus, vt exploraret, ne quid piratæ turbarent. Hieme & vere per omnes provincias equitabat, judicia potentiorum exquirens, ne jus violarent. Venit aliquando, cùm esset adolescens, in monasteriũ, quod situm est Vultomniæ; vbi quædam puella de nobilibus Anglorum orta, inter sanctimoniales in communi habitu nutriebatur: quã videns & concupiscens, misit pro illa. Quæ timens pudori suo, raptum velum à quadam sanctimoniali capiti suo imposuit, & sic ad regem ivit. Quam vidẽs ille, quàm subitò, inquit, sanctimonialis effecta es! Et ablato velo renitẽti vim intulit. Hoc sciens Dunstanus, contristatus valde venit ad regem. Cui venienti cùm rex occurreret, & eum, vt solebat, per manũ ducere vellet, Dunstanus manum suam turbato vultu retraxit, nec eam contingi à rege passus est. Quem de adulterio increpans, ait. Lava priùs manus tuas per pœnitentiam, vt possis tenere manum Pontificis. Ad hoc rex territus cecidit ad pedes ejus, veniam petens. Cui Dunstanus septennem pœnitentiam injunxit; quam ille devotè compleuit. Ex illa virgine, quæ dicebatur Vulfrida, genuit rex Etgarus sanctam Edigtam. Aliam cujusdã Ducis filiam pulcherrimam adamavit; & eam ad se nocte adduci præcepit. Mater autem indignata etiam regis cõcubinatum in filiam, ancillam suam pro filia subornauit, quæ & ipsa pulchra erat. Quodã tẽpore rex venatũ perrexerat, & Dunstanum, qui tunc fortè secum erat, Missam rogauit differre, donec rediret. Appropinquãte hora tertia vir Dei sacris induitur vestibus, regemque expectat, stans cubitis innixus altari, & lachrymis deditus. Tunc subito sopore leniter pressus rapitur in cœlum, immixtus angelis, audit eos sanctæ Trinitati modulatis vocibus canere. *Kyrie eleison. Christe eleis. Kyrie eleis.* quorum cantum retinens, ad se reuersus est, & interrogat, si rex aduenisset: respondetur, Non. Iterum ergo orat, & iterum in cælũ raptus audit ibi altisona voce dici, *Ite Missa est*; cumque responderetur *Deo gratias*, accurrerunt clerici Regis, Regem adesse dicentes. Quibus ille respõdit, quòd iam Missam audierat, nec aliam eo die vel auditurus esset, vel celebraturus. Interrogatus quare; visionem aperit, & sumpto ex hoc sermone, prohibuit Regi ne vlteriùs in die Dominica venatũ pergeret. *Kyrie eleison* quod in cœlo audierat, suos clericos docuit, & in multis locis hodie per Angliã cantatur. Hoc Edgaro nato mandauit pater eius Edmundus Dũstano,

Septennis pœnitentia ob stuprum.

quòd volebat cum eo loqui. Ad quem dum iret, obuium habuit diabolũ mimo similem, ludentẽ & subsilientem. Agnoscens per spiritum quid significare vellet, jussit eum coram omnibus apparere visibiliter, sicut apparebat sibi; quod & factum est. Requisitus Dunstanus quid significaret gaudium dęmonis, dixit regem in proximo moriturũ, & regnũ multas tribulationes passurum. Igitur antequam transirent septem dies, occis' est rex à latrone in conuiuio, sicut supra diximus: cui successit Edredus frater eius. Qui diligens Dunstanum facere voluit eum Episcopum Vuentanum, defuncto jam Elfego Episcopo, cognomento caluo, qui fuerat cognatus Dunstani; ille autẽ noluit. Rex ergo rogauit reginã, vt eum rogaret Episcopatum suscipere. Qui respondit se viuente rege non futurum Episcopũ. Tunc substitutus est Elfin' quidã. Septimo die vidit Dunstanus in somnis, se Romam pervenisse, & beatũ Petrum in sua Ecclesia, & B. Paulum in sua adorasse, & mox vrbe relicta in patriam redisse. Cũque Montemgaudij attigisset, apparuerunt ei Petrus & Paulus, & Andreas, singuli in manibus suis singulos gladios auro inscriptos præferentes, & ei pro munere benedictionis Apostolicæ conferentes. In gladio Petri scriptum erat, *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* In gladio Pauli scriptum erat nomen Pauli; in gladio Andreæ, nomẽ Andreæ. Cui Andreas, blandè illum intuens, modulata voce canebat. *Tollite jugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum, & humilis corde: & invenietis requiem animabus vestris.* Petrus autem jubens illum manum extendere, percutiebat eũ virga leni ictu in palma, dicens. Iugum Domini vlteriùs ne abiicias. Expergefactus retulit Regi Edredo visionem: qui exposuit eam, dicens eum futurum Cantuariæ Episcopum; quia ibi Ecclesia constructa est in honorem Filij Dei, qui est Verbum in principio. Post hęc idem rex infirmatus mandavit Dunstano, vt veniret ad se. Qui pergens, dum medium viæ peregisset, audivit vocem de cœlo dicentem: Rex Elredus in pace quiescit. Ad quam vocem equus viri Dei sine omni læsione ad terram corruens, extinctus est. Veniens ergo Dunstanus ad regem, invenit eum defunctum, & ab omnibus solum relictum, omnibus subtrahentibus se ab exequiis defuncti: & ipse eum sepelivit. Post quem regnavit Edmundi filius Eduvius, quem Dunstanus reliquit, videns eum incorrigibilem. Erat tunc quedam mulier nobilis formosa, filiam habens formosam: vtraque impudica regis erat concubina; & laborabant, vt alterutra illarum regina fieret. Per illam mulierem ejectus est Dunstanus de monasterio suo: quam etiam adjuverunt quidam fratres ejusdem monasterij, invidia moti, & eo carere cupientes. Cumque res Ecclesiæ diriperentur, dæmon in atrio templi risum excussum edidit. Quod cognoscens Dunstanus ait. Tu gaudes, vnde doleo: sed certè scias, quod nihil est gaudium, quod nunc habes me recedente, respectu tristitiæ, quam habiturus es me revertente. His auditis dæmon aufugit. Deinde Dunstanus fugit in Flandriam: post quem misit præfata mulier, qui ei oculos eruerent: sed non potuerunt eum consequi. Qui mansit apud Gandavum; in quo loco sæpe visitavit eum, & confortavit sanctus Andreas Apostolus: cujus Apostoli dentẽ circumferebat in baculo. Nam quo-

Ioan. 1.

Math. 11.

dam die cùm dæmon illi esset infest⁹ in specie vrsi, Dunstanus illum baculo quem tenebat verberavit, ita vt baculus ipse in tres partes frangeretur. Et dicebat verberando, *Exurgat Deus & dissipentur inimici ejus, & fugiant qui oderunt eum à facie ejus*, & addidit. Si vivat Dunstanus, scias inimice, quod faciet talem baculum, qui pro gracilitate non frangetur, vt iste. Fecit ergo aliũ baculum fortem & grossum, cujus summitatem argento circumposito decoravit, in modum sphæræ concavæ formato; in qua reposuit dentẽ sancti Andreæ Apostoli, cujus sæpè familiari fovebatur alloquio. Quadam igitur die dum oraret apud Gandavum, obdormivit, & vidit se esse apud Glastoniam cum fratribus vespertinam horam psallentibus, & post *Magnificat* cantabatur Antiphona *Quare detraxistis sermonibus veritatis*: quam cùm cantassent vsque ad illum locũ *Verumtamen quæ cogitastis explete*, subitò omnes conticuerunt. Quibus tacentibus dum vultu & voce & signis instaret Dunstanus, vt totam percantarent, & è contrariò illi muti & confusi persisterent, audita est vox de transverso in sublimibus dicens, Nequaquam, nequaquam fiet hoc, vt quod cogitaverint, opere expleant. Numquã enim se à tua potestate, ô Dunstane, evellent. Nũquam te ab illius Cœnobij prælatione deponent. Post hæc fugatus est Eduvius vltra Tamisiam, & nefanda meretrix ejus occisa. Tunc Edgarus frater ejus factus est Rex à fluvio Humbre vsq; ad fluvium Tamisiæ, & divisum est regnum in duo. Hic Dunstanum à Flandria revocauit: tunc electus est Dunstanus in Episcopum Vuiciorum. Quem dum consecraret Odo Cantuariensis Archiepiscopus, omisso Ecclesiæ Vuiciorum titulo, titulavit eũ ad Archiepiscopatũ Cantuariensem. Interea rex Eduvius mortuus est, cujus anima Dunstano oranti à quibusdam teterrimis hominibus præsentata est: qui pro eo tantum plorauit & laboravit, injuriarum ejus immemor; donec se exauditum cognovit. Vnde facto non grãdi intervallo Mauri illi ad Dunstanum redierunt sua præda vacui, dicentes se vindicaturos de illo: quorum minas Dunstanus nihili pendens gratias egit Deo. Post hæc factus est Episcopus Londoniensis, & gubernabat duas simul Ecclesias, Vuigorniensem & Londoniensem, sed coactus. Sic impleta est prior ejus visio. Nam Ecclesia Vuigorniensis in nomine Petri Apostoli, Londoniensis in nomine Pauli consecrata est. Postea mortuo Odone Archiepiscopo, ad Cantuarię sedem translatus est. Hanc sedem obtinuerat priùs à rege Elsinus Vuenentanus Episcopus per regni principes, quos muneribus demulserat & promissionibus. Qui cùm Romam pro palleo pergeret, in Alpib⁹ præ nimio frigore mortuus est. Post hunc substitut⁹ est Birtelmus Dorsetensis Episcopus, modestus & humilis: sed quia non erat constans ad corrigenda vitia, jussus est redire ad Ecclesiam suam. Eo tempore quidam comes duxerat cognatam suã: correptus à Dunstano, parere noluit, vt eam relinqueret; excommunicatur. Ille adiit Regẽ, conquerens de Dunstano. Rex mandavit Archiepiscopo, vt eum absolveret; qui noluit, sed eum graviùs excommunicavit. Ille Romam cum multis muneribus misit; Apostolicus mandavit Dunstano, vt eum absolveret. Absit hoc, inquit Dunstanus, vt causa alicujus mortalis hominis contemnẽ legem Dei mei. Quod videns Comes pœnituit, & vxorem suam repudiavit, nudisque pedibus & laneis indutus, virgam in manu gerens, cecidit ad pedes Dunstani generale Concilium celebrãtis, & tunc primò absolutus est. Quodam tempore capti sunt tres fabricatores falsæ monetæ: qui mox adjudicati sunt ad sustinendam pœnam tali crimini promulgatam per Angliam, idest ad manuum abscissionem. Quod Dunstanum non latuit. Die ergo Pentecostes celebraturus Missam percunctatus est, vtrum lex impleta esset; & responsum est, propter reverentiã diei festi dilatam esse pœnam vsque in diem alterum. Nequaquã, inquit; ego ad altare hodie non accedam, donec debitã sustinuerint pœnã: nam negotiũ ad me respicit, ipsi enim viri in potestate ej⁹ erant. Dixit, & pro eis qui man⁹ perdituri erant multũ plorans, ostẽdit, de qua affectione hoc dixerit. Quibus punitis, ascendit ad altare lota facie, dicens. Nunc cõfido, quòd sacrificiũ de manu mea suscipiet Omnipotens. In qua Missa dum diceret *Ecclesiam tuam, quam pacificare, custodire, adunare, & regere digneris*; nivea columba multis videntibus super eum descendit, & alis expansis super caput eius sic mansit in silentio, vsque dum sacrificium perficeretur. Quo completo, divertit super tumbam Odonis præfati Archiepiscopi, alis suis eam cõplexans, & rostro deosculans. Vnde Dunstanus quoties postea ante sepulchrum ejus transivit, sẽper genua flexit; & eum postea appellavit Odonem sododem, id est Odonem bonum. Dum autem digrederetur ab altari, ministris pro signo quod acciderat in diversa euntibus, non fuit qui casulam illius susciperet: quæ pependit in aëre, nec terram tetigit, ne servum Dei à sua intentione turbaret. Is dedicabat aliquando Ecclesiã cujusdam nobilis: vbi dum aqua deficeret ad ministerium, & ille nobilis turbaretur, vir Domini percussit baculo terram præmissa prece, & fons erupit. Aliam quandam Ecclesiã dedicabat, quã inspiciẽs non esse conversam versus Orientem, humero suo parũ suppressit eam; & mox eam ad Orientem conuertisse fertur. Quadam nocte cũ dormiret, per visum raptus est in superna, & videre sibi visus est matrem suam cuidam potentissimo Regi conjugio copulatam, sub immensa cõfluentium magnatorum lætitia, resonantibus vndique hymnis & laudibus in gloriam illi⁹ Regis, diversis organis concrepantibus: quibus dũ ipse magnificè delectatus intenderet, accessit ad eum juvenis quidam candidissimo tectus amictu, dicens. Quare aliis omnibus gaudentibus, & cãtantibus tu solus taces in nuptiis matris tuæ? Cui respondit se nescire, quid in laudem Regis cantaret; cui ille. Vis inquit instrui, quid cantare debeas? Respondit, cupio. Et ille. Canta. *O Rex gentium, Dominator omnium, propter sedem majestatis tuæ da nobis indulgentiam Rex Christe peccatorum, alleluia.* Quam sæpius ille cantãs & repetens, miro modo delectabatur. Expergefact⁹ statim illã antiphonã iussit scribi. Hic Dũstanus natus fuit de nobili Anglorũ genere. Pater eius Herstan⁹, Mater Kynedeta dicta est. Hæc eo pregnans, in die Purificationis B. Mariæ cum marito suo ibat ad Ecclesiam Glastoniensem, portantes cereos in manibus, quos offerrent. Incepta missa sereno cælo, subitò luminaria omnium extincta sunt: & ecce omnibus stupentibus & attonitis, & se invicem respicientibus, subitò ignis de cælo lapsus cereum Kynedertæ accendit: à quo omnes alij lumen mutuati sunt. Baptizatus puer vocatus

Psal. 67. *Iob 6.* *S. Dunstani constantia.* *In Canone Missæ.* *Antiphona.*

vocatus est Dunstanus, quod interpretatur Mōtanus lapis. Quadam die parentes ejus duxerunt eum ad præfatam Ecclesiā: vbi dum pro eo pernoctarent, apparuit eis quidam vultus angelici, puerum per manum accipiens, & hincinde modesto discursu per atrium ducens, dixit illis. Sic ædificabitur locus ad conversationem illorū, qui in servitio Dei nutriendi sunt, vel à pueritia, vel à morum pravitate in novitatem gratię per hunc puerum convertendi. Igitur in ipsa Ecclesia magistro commendatus est Quodam die infirmatus est valde: cumque videretur spiritum exhalare, media nocte subitò lecto desiliit; & pro reddita sibi sanitate gratias acturus ad Ecclesiam currit. Inuidens autem illius devotioni diabolus, simulavit magnum globum canum latrantium. Qui dæmonum sciens esse figmenta, signavit se, & invocato nomine Christi, virgam, quam in via jacentē invenit, vibravit contra eos, & fugere cōpulit. Veniens autem ad Ecclesiam, invenit eam clausam, & scalam parieti affixam: quam ascendens, nullumq; aditum reperiens, cœpit descendere ex altera tecti parte. Deus delectatus in ejus devotione & innocētia, disponebat gressus ejus: & subitò per Angelum sublatus, ante altare depositus est, Ecclesia vndique clausa, & ipso ignorante, quid circa se ageretur: & ibi mane inventus est dormiens. Inquisitus, quomodo illuc advenisset, simpliciter respondit, se nescire. Erat tunc Athelmus Cantuariensis Archiepiscopus, patruus eius, qui eum Regi Ethelstano commendavit. Erat autem idem Dunstanus peritus scribendi, pingendi, sculpendi, in cera, ligno, osse, auro, argento, ære, & præter hęc in instrumentis musici generis. Dum ergo veniret ad domum cuiusdam matronæ, vt orarium ei inauraret in opus Ecclesiæ, & haberet iam opus in manibus, cythara quā suspenderat ad parietem cœpit per se ipsam nullo tangente psallere vocibus modulatis, *Gaudent in cælis animæ Sanctorū*, Antiphonam totam. Inviderunt ei curiales, & eum de magica apud Regem infamaverunt. Quod videns ipse, ivit tunc ad cognatum suum Elfegum Vuētenum Episcopum. Ad quem cùm iret, ab insidiatoribus invidis præventus est, & equo dejectus, & egregiè verberatus: sed ne perimeretur, gratiā Dei multitudo canum obstitit, quæ ex insperato in eos irruens, illum defendit. Veniens igitur ad Episcopum, factus est ab eo monachus, quamvis proposuisset vxorem ducere. Deinde factus Presbyter venit in Glastoniam: & fecit sibi cellulam, in eo loco, vbi cereus matris ejus divinitus accēsus fuerat; quatuor tantùm pedum in longitudine, duorū & semis in latitudine; altitudo staturam hominis capiebat. In medio ostij fenestra erat: ibi orabat, & manibus, mirabile dictu! operabatur. Vbi quadam die dum fabrili intenderet operi, venit ad eū dęmon in humana effigie, rogitans nescio quid sibi fieri. Qui cùm se pararet ex caritate ad faciendum, quod ille rogabat, dæmon cœpit mutare formam & verba: vt nunc senex, nunc puer, nunc puella lasciva videretur. Quod videns Dunstanus, intellexit præstigias, & dissimulans cœpit patienter ferre motus ejus: sūptisque tenaculis fortiter ignitis, dæmonem per nasum fortiter arripuit, & stringendo tenuit: cūque ille conaretur evadere, traxit illum intus, & tandem diu vexatū cum dedecore projecit. Qui per plateam currens, clamitabat ejulans. Vt quid fecit diabolus ille calvus? Me misericordiæ opus

S. Dunstan. nasū dæmonis forcipe candēte strinxit.

ab eo petentem miserè afflixit, & longo igne cōbussit. Post hoc in eo loco non est ausus inimicus vlteriùs eum aggredi. Audiens hoc rusticus quidam, qui sedebat ad focum, æmulus beati Dunstani, & libenter audiens detractionem dæmonis, quasi miserationis obtentu suscepit dæmonem hospitio: qui paulò pòst arripiens filium ej' projecit in ignē, & exiit. Circuire solebat idem sanctus post vigilias loca sancta, vno tantùm comite comitatus. Quod dum faceret, audivit in Ecclesia beatæ Mariæ, quæ est juxta Ecclesiam, in qua sanctus Augustinus quiescit, alta voce cātari, *Gaudent in cælis animæ Sanctorum*, Antiphonam totam. Appropinquans autem ostio, & introspiciens per rimas, vidit totam Ecclesiam immenso lumine plenam; & cuneum candidatorū ipsam Antiphonā lætis canentē vocibus. Alio tēpore pręfatam Virginis ecclesiam simili causa petebat: & ęcce beata Virgo Maria numeroso virginum choro comitata illi occurrit: quem cū summo honore exceptum ad ecclesiam suam ducere cœpit, præcinentibus duabus de choro puellis,

Cantemus Domino sociæ, Cantemus honorem,
Dulcis amor Christi personet ore pio.

Quos versus Chorus Virginum resumendo cantabat. Postea prædictæ puellæ binos versus, qui sequuntur, cantabant.

Primus ad ima ruit magna de luce superbus.
Sic homo cùm tumuit, primus ad ima ruit.

Sedulius.

Sicque donec vir Dei in oratorium perduct' est, virginum chorus primos, & virgines binæ binos, sicut se habent in præfato Sedulij carmine, cantaverunt. Eo tempore idem Dunstanus, impetravit à Ioanne Papa, vt clerici qui nollent castè vivere, à suis Ecclesiis pellerentur; & monachi pro eis introducerentur. Quod audiens Atheuvoldus Vuentanus Episcopus, sæpe monuit clericos suos, vt feminas relinquerent. Qui promittebant se facturos, sed numquam faciebant. Quod ille cernens, paravit plurimas monachorum cucullas, & die quo canitur postcōmunio, *Seruite Domino in timore*, &c. vestes quas paraverat fecit deferri in chorum: quibus projectis in medium, ait. Animadvertistis, quid modò cantaveritis? Animadvertimus, inquiunt. Ergo, inquit, servite Domino in timore, & apprehendite disciplinam, vestem scilicet monachilem: ne, sicut cantastis, pereatis de via justa. Illi inducias petunt, ille autem ampliùs dare noluit: sed omnes qui monachi fieri noluerunt, ejecit. Aliqui ex illis statim facti sunt monachi: ad quos instruendos vocati ab eodem Pontifice monachi de Abendonia; reliqui ad Regem abierunt, sibi fieri iustitiam postulantes. Cogitur concilium apud Vuinthoniam: Dunstanus allegat, ea quæ Ecclesiis data sunt, ideo data, vt sanctè & rectè viventes clerici exaudiri possint pro dantibus, à donis fidelium sustentati. Orat rex, vt hac sola vice clericis parcat, & si se non correxerint, tunc eos expellat. Tunc Dunstanus siluit, demisso capite in terram de negotio pertractans: siluerunt omnes responsum ejus expectantes. Tunc imago crucifixi in altum affixa cunctis audientibus dixit. Non fiet: inde facta bene mutaretis non bene. Tremefactis omnibus, ait Dunstanus. Quid ampliùs vultis, fratres mei? Divina sententia negotium diffinivit. Aiunt. Audivimus verè. Igitur resederunt monachi Vuinthoniæ in pace, quamdiu clerici illi vixerunt. Quibus mortuis, filij

Crucifixi imago sententiā profert.

ipsorum cupientes recuperare, quæ in parentibus perdiderant, conduxerant quemdam virum, qui erat in Scotia, prægrandis, vt ferebatur, eloquentiæ, Bernelmum nomine, contra Dunstanum. Conventum est igitur apud Kalnam. Vbi cùm veterem querimoniam deposuissent, respõdit Dunstanus. Calumnia jam Dominico ore definita est: ego jam senex & laboris impatiens, causam ecclesię suę Domino Deo committo. Quod cùm dixisset, cecidit solarium cum omnib' qui aderant, excepta illa sola parte in qua Dunstanus & sui sedebant. Sic calumnia illa sopita est. Igitur 48. monasteria monachorum vel sanctimonialium per Dunstanum in Anglia constituta sunt: cooperantibus Osvaldo Episcopo Vuigorniensi, qui fuit pòst Episcopus Eboracensis, & Athicuvaldo Episcopo Vuinthoniensi. Post hæc coronavit Dunstanus Ergarum regem, qui à 16. anno ætatis suæ vsque ad annum 30. sine insigni regio vixit: anno 30. magnificè Bathoniæ coronatus est in Pentecoste, nec nisi triennio supervixit. Quadã autem die cum à Cantuaria discederet Dunstanus, comitatus duobus Episcopis, Athenvoldo supradicto, & Episcopo Roffensi: illi discedentes ab eo singuli in viam suam, & postulantes ab eo benedici, eum in lachrymas cõmoverunt; qui sciscitantes cur ploraret; quia inquit citò morituri estis, & me amplius non videbitis, nec ego vos: quod & ita contigit. Roffẽsis enim Episcop', mox vt civitatẽ suã intravit infirmatus est, & non multo post obiit. Vuinthoniensis antequàm ad vrbem suam perveniret infirmatus, est & non multò pòst mortuus. Postquem constitutus est Episcopus Elfegus abbas Bathoniensis: mandante hoc Domino servo suo Dunstano per sanctum Andream Apostolum.

967. Eo tempore Bulgaribus dominabantur filij Symeonis Petrus & Bajanus, quorum Bajanus in arte magica adeo valebat, vt quoties vellet, lupus, vel quęlibet fera fieri videretur.

968. Otho junior à patre evocatus Romam, à Papa Ioanne in Imperatorem benedicitur. Otho pater Beneventanos duces potentia sua ad subjectionem sui inflexit: qui etiam in terra Saxonica venas auri & argenti industria sua primus aperuit.

969. Quidam comes Othonis imperatoris ei familiaris, Romæ ante oculos omnium à diabolo arreptus, ita vt seipsum dentibus discerperet, jussu Imperatoris ad Papam Ioannem adductus, vt catena sancti Petri collo ejus circumdaretur, dũ à fallacibus clericis semel & bis alia catena furenti adhiberetur, nec quicquam remedij proveniret, vbi nihil virtutis inerat; tandem vera sancti Petri catena allata, & collo furentis circumdata, diabolus clamans, & multum spumãs abscessit. Qua catena Deoderic' Metensis Episcopus arrepta, cùm diceret se eam, nisi manu abscissa, non dimissurum, tandem Imperator sedato litigio à Papa Ioanne obtinuit, vt annulum hujus catenæ exsectum Episcopus mereretur. Otho imperator dum partem exerci tus ad Græcos misisset, vt vxorem filio suo Othoni acciperent: Græci super eos irruunt, castra diripiunt; plures occidunt, plures capiunt, & Constantinopolim mittunt.

Ad hoc dedecus vindicandum, Otho eminentiores ex suis in Calabriam mittit, qui Græcos aggressi, plures occidunt; plures truncatis naribus dehonestant, & per Apuliam & Calabriam à Græcis tributum exigunt. Constãtinopolitani audientes hoc, contra Imperatorem suum Nicephorum insurgunt.

970. Deodericus Metensium Episcopus dum per triennium Italica expeditione sub Othone Imperatore militaret, de diversis Italiæ locis quocumque modo potuit corpora sanctorum collegit: à Marsia sanctũ Elpidium confessorem, cujus socium Euthychium Episcopum ipse Imperator jam sustulerat: ab Amitermis Eutychetẽ martyrẽ, cum reliquiis Maronis & Victorini sociorum ejus: à Fulginis Fælicianum Episcopum & martyrẽ: à Parisio Asclepiodotũ martyrẽ: à Spoleta Scenã marty. cũ Gregorio marty. Spoletano: à Corduno pignora Vincentij Levitæ & martyris, ab Hispania olim à duobus monachis Capuam, à Capua verò illuc deportata: à Mevania alterum Vincentium Episcopum & martyrẽ: à Vinoritia Leontiũ Episcopum & martyrẽ: à Florentia Mineatem martyrẽ: ab vrbe Tudertina Fortunatum Episcopum & confessorem: à Corsinio Luciam Siracusanam virg. & martyrẽ, à Faraoldo duce Spoletanorum olim illuc translatam à Siracusis: à Sabinis partes corporum Prothi & Hyacinthi. Hæc omnia cũ parte catenæ sancti Petri Apostoli, cum capillis ejusdem, & sanguine sancti Stephani prothomartyris & cũ parte craticulæ sancti Laurentij martyris à Papa Ioanne sibi data, cum alijs multis SS. pignoribus, præsul Deodericus in Galliam hoc anno transtulit; & in Ecclesia sancti Vincentij martyris à se in insula vrbis constructa locavit.

971. Apud Constantinopolim Nicephorus Imperator timens à filiis suis Imperio expelli, quia senex erat, volebat eos eunuchisare: quod ũ mater regina, quia nullo modo aliter poterat eos liberare, suasit Ioanni Nicephorum occidere, & imperare. Ioannes itaque occultè cùm funibus intravit palatium, & occiso Nicephoro imperavit annos 6.

972. Otho Imperator Othoni filio & Imperatori neptem Ioannis Imperatoris Constantinopolitani, Theophaniam nomine, à Ioanne Papa coronatã in legitimo matrimonio sociavit. Nauger' fit Episcopus Leodiensis. Hic vrbem muro circumcinxit, ædificiis honestavit, majorem Ecclesiam corpore sancti Lamberti insignitam à fundamentis renovavit. Cœnobium sancti Ioannis Evangelistę in Insula fundavit.

973. *Benedictus 6. Papa 137.* Benedictus 6. fit Papa 137. anno 1. & mensibus 6. Otho senior Imperator obit: cujus vitam Vuidinchindus monachus descripsit: qui etiam historiam Saxonum vsque ad hunc annum conscripsit. Post quẽ Otho filius ejus imperat an. 10. Raghinerius & Lambertus filij Raghinerij Longicolli, paulatim resumptis viribus à Francia redeunt: & cum Garno & Ranneldo, qui Comitatum patris ejus occupaverant, bello apud Parronam confligunt: eosque cum multis perimunt: & super Hagnam fluvium castello Buxidæ munito Lotharingiam infestant. Vuenceslaus princeps Bohemiæ à fratre suo Bolislao propter pręripiendum principatum interfectus, vrbẽ Pragam in qua requiescit, multis miraculis illustrat.

993. *Donus Papa 138* Donus fit Papa 138 qui sedit anno 1. & mens. 7. Ratherius apud Lobias moritur; de quo est illud monostichon, *Veronæ præsul, sed ter Raterius exul.* Contra Othonem rebellat patruelis ejus Henricus dux Bajoariæ. Otho Imperator Ca-

stellum Buxidis obsidet, captum diruit, captos in eo exilat, nec tamen Ragnerius à rebellione desistit.

975 Bonifacius 7. sedit Papa 139. anno 1. mense. 1. Otho Henricum ducem sibi subiugat Maiolus Abbas Cluniacēsis sanctitate & religione claret. Gelu magnum à Kal. Novemb. vsque ad æquinoctiū vernale. Guillel. Etgarus rex moritur, & sepelitur Glastoniæ. Post quem regnavit Eduardus filius ejus 8. annis & dimidio. Tunc visus est cometes. Apud vicum regium, qui vocatur Calnâ, Clerici quondam ab ecclesiis suis expulsi nova prelia suscitarunt; quorum vnus Olferius omnia penè monasteria, que reverendissimus Athevoldus construxerat, evertit. Coventum est primò apud Vuinthoniam, vbi imago Domini, vt supra diximus, apertè contra clericos locuta est, non cedatis illis Conventum est iterū apud Calnam, vbi solarium, vt supra dictum est, corruit. Absens erat rex propter ætatem, sed considebāt in cænaculo totius Angliæ senatores, cum quibus repente solariū totum cum asseribus & trabibus cecidit; omnibusque ad terram allisis solus Dunstanus super vnam trabem, quæ superstes erat, evasit: reliqui vel mortui sunt, vel perpetuò languerunt. Omnes Angli tunc & deinceps in sententiam Dunstani, relictis clericis, transierunt. Idem Dunstanus Eduardum Regem fecerat cōtra voluntatem optimatum, & Novercę, que puerulum nondum 7. annorum regem volebat facere, vt ipsa pro eo regnaret: vnde irata redeunti de venatione. Eduardo, dispersis hac & illac sociis, cùm sitiret valde, poculum porrexit; & bibentem satelles sica transfodit. Ibi ostensa sunt de cælo lumina, & claudus gressum, mutus verbum recuperauit. Cumque illuc Elfreda regina venisset, equus eius ibidem stans, nullis stimulis moveri potuit. Mutatur equus, secundus quoque moueri non potuit. Tunc Elferius ille clericus, qui monasteria destruxerat sacro corpore de ignobili loco levato, regales inferias apud Scestaniam soluit: sed post annum vermib⁹, quos pediculos dicimus, consumptus est. Elfrida verò durè pœnituit, cilicio ad carnem induta, & solo dormiens sine cervicali. Mulier pulchra & casta, sed insolens: cujus insolentia in Eduardum longam patriæ acquisiuit servitutem. Est autem apud Sceftoniam monasterium feminarū Deo devotarum.

Eduardus dolo novercæ occisus miraculis claret.

976. Sigebert. Otho Imperator contra Sclauos proficiscitur. Filij Reghinerij Longicolli auxilio Francorum, & maximè Caroli postea ducis fulti, lacessunt bello Godefridum & Arnulfum Comites; qui post Vuarnerum comitatum Montēsem invaserant. Montem Castrilocum obsident, multis vtrinq; in conflictu fusis, obsidio remota est, victoria anceps; datur tamen palma comitibus. Obiit sanctus Vualdricus Ansburgensis Episcopus: cujus vita qualis fuerit, mox miraculorum gloria patefecit. Benedictus 7. sedit Papa 140. an. 9. mens. 6.

Benedictus 7. Papa 140.

977. Gens Lenticiorum ad Idolatriam revoluitur. S. Vuiteoth pragensis Episcopus, cognomento Adebertus, Sanctitate & doctrina apud Vuinidos claret. Filij Raghinerij animati Francorum consilio, vt pro se viriliter agerent: Raghinerus quippe Hauvidem filiam Hugonis postea Regis, Lambertus vero Gerbergam filiam Caroli ducis vxores duxerant, in terra patrum suorum relocati sunt. Ducatus Lotharingiæ datur Carolo fratri Lotharij Francorum regis, missis insuper cōducto beneficiis, vt & ipse ab insolentiis desistat, & fratris sui Lotharij motibus obsistat. Abhinc de Constantinopolitano Imperio tacet Sigebert⁹. Magister Hugo in Chronicis dicit, quòd Ioa. Simbolius, qui interfecit Nicephorum, imperauit pro eo cum Basilio & Constantino pueris. Ioanne autem defuncto regnaverunt prædicti Basilius & Constantinus.

978. Pacato vndique regno, cùm Otho Imperator Aquisgrani moraretur, Lotharius Rex Francorū subitò ad inuadendam Lotharingiam contendit, & cedente Imperatore, quia ad pugnam imparatus erat, rex post multam vastationem repatriavit. Quem cum inęstimabili exercitu Otho prosecutus, condicto die scilicet Cal. Octob. Franciam intrauit, quam vsque ad Cal. Decemb. pervagatus, fines Remensium, Laudunensium, Suessionum, Parisiensium, diversa clade vastavit, Ecclesiis tantum Dei omni immunitate concessa In redeundo tamen circa Axonam fluvium partem impedimentorum amittit. De his quidā reclusus prædixit, quòd omnes hujus mali incētores ante septennium morerentur.

979. Igneæ acies in cœlo visæ sunt per totam noctem 5. Cal. Novemb Hoc anno cōplētur mille anni à natiuitate Christi, secundum veritatem Evangelii: qui secundum cyclum Dionysij anno abhinc vicesimo primo finiuntur: sicque in anno Dominicæ passionis veritati Evangelicæ contrariatur. Guillelmus. Hoc anno regnare incœpit Ethelredus filius Egari & Effridæ, qui regnauit annos 26. Hic pusiol⁹ cùm baptizaretur, circumstantibus Episcopis in sacro fonte cacauit, & Sacramenta interpolauit. Vnde Dunstanus turbatus, per Deum, inquit, & matrē eius, ignavus homo erit ille. Hic decennis cùm fratrem suum necatū conclamari audiret, fletu suo furentem matrem adeo commouit, vt quia flagellum ad manum non habebat, arreptis candelis innocētem cæderet, nec priùs desisteret, quàm penè exanimem & ipsa lacrymis infunderet. Quapropter tota vita sua ita candelas exhorruit, vt nunquam ante se pateretur inferri lumen earū. Huius coronandi capiti cum B. Dunstanus diadema imponeret, ait coram omnibus, quia per mortem fratris tui aspirasti ad regnum proterea audi verbum Domini. Hæc dicit Dominus Deus. Non delebitur peccatum ignominiosæ matris tuę, & peccatum virorum, qui interfuerunt consilio ejus nequam, nisi multo sanguine miserorū provincialium: & veniēt super gentem Anglorum mala, qualia non est passa ad tempus illud.

980. Otho Imperator Italiam petit. Otho & Lotharius Rex convenientes super Carum fluvium pacificantur, datis invicem Sacramentis: & Rex Lotharius Lotharingiam abjurat. Corpora sanctorum Landoaldi, Adriani, Amantij, à Vuentresono Asbaniæ vico transferuntur Gandavum, cum multa miraculorum gloria.

981. Otho Imperator Apuliam & Calabriam Italiæ provincias ad ius regni Græcorum appēdentes transferre ad Imperium Romanum conatur, maximè propter affinitatem, quam per vxorem suam Theophaniam cum Imperatore Græcorum habebat.

982. Græci infensi, quòd Imperator Otho prouincias Græcorum inuaderet, conducto sibi Saracenorum auxilio, Imperatori in Calabria bello congrediuntur. In quo bello omnes Romanorū

copiæ penè usque ad internecionē deletæ sunt. Imperator natando nitens evadere, à Nautis ignorantibus eum, capitur: à quodam eorum, qui negotiator Sclauorum erat, agnitus, nec proditus, per illum re delata ad Imperatricem, & Deodoricum Metensem Episcopum, qui in civitate Rosan rei eventum præstolabantur, difficulter per Sclavum & Episcopū liberatur. Nautis quippe ad pecunias pro eo redimendo allatas inhiantibus, Imperator ascenso equo vix evasit: omnibus autem pro infortunio reipublicæ animo cōsternatis, sola Imperatrix fœmineā & Græcâ levitate insultabat eis, quod ab exercitu nationis suæ victi essent Romani: ac per hoc cœpit primatibus exosa haberi.

983. Otho Imperator tædio & angore animi deficiens Romæ moritur, & de Imperatore substituendo inter primates dissentitur: aliis filio ipsius Othoni Imperium deberi certantibus, aliis odio Imperatricis Imperiū à filio eius transferre volentibus ad Henricum ducem filium Henrici, qui fuit frater primi Othonis. Hic Henricus ipsū Othonem puerum factiosè raptum in custodia tenebat: sed principes puerum de manu eius extorquētes in regnū sublimāt; qui regnavit an. 19.

984. Lotharius Rex Francorum ad inuadendam Lotharingiam rursum laborans, vrbem Virdunū & Godefridum ipsius vrbis comitem cepit. Ioā. 14 sedit Papa 141. mens. 9. Deodericus Metensium Episcopus obit, & secundum prophetiam viri Dei, vix aliquis principum, qui in bello Calabrico evasit, diu supervixit. Episcopatum Metensem suscepit Adelbero, vir sanctus & nobilis, filius Frederici ducis.

Ioannes 14. Papa 141.

985. Ioannes 15. sedit Papa 142. ann. 10. mens. 7. Lotharius rex videns Othonem regem virtute militum suorum proficere, vrbem Virdunum, & Godefridum reddit.

Ioannes 15. Papa 142.

986. Lothario Rege Francorum mortuo, Ludovicus filius ejus regnat anno 1. Guillelmus istum Ludovicum, & Ludovicum patrem Lotharij quasi pro vno computat. Sic enim ait. Filius Caroli illius, qui dedit filiam suam Gislam Rolloni, fuit Ludovicus. Is à quodam Isambardo, qui ad paganismum versus, fidem luserat, irritatus, ad singularem pugnam proceres suos de suffragio cōvenit; quibus nec responsum referentibus, Hugo quidam non magni nominis tyro, filius Roberti comitis Montis-desiderij vltro pro Domino duellum expetiit, & provocatorē interemit. Ludovicus cum toto exercitu apud Pontoium subsecutus, omnibus barbaris, quos ille adduxerat, vel occisis, vel elapsis, opimam lanceam obtinuit. Sed non multò pòst pro expeditionis illius labore extrema valetudine debilitatus, hæredem regni Hugonem illum instituit, vel quia vxor ej[us] sterilis fuerat, vel quia pro brevitate vitæ sine prole erat. Ita defecit prosapia Caroli magni.

987. Ludovico rege Francorum mortuo, Francis regnum transferre volentibus ad Carolum ducem fratrem Lotharij, dum ille rem ad consilium defert, regnum Francorū vsurpat Hugo filius Hugonis comitis Parisiensis ex Havide sorore 1. Othonis imperatoris. Ecce quanta diversitas. Guillelmus dicit istum Hugonem fuisse filium Roberti Montisdesiderij: Sigebertus verò dicit eū fuisse filium Hugonis Parisiensis. Item Guillelmus dicit, hunc Hugonem duxisse vxorem filiam Eduardi regis Anglorum, sororem Athelstani regis, qui longè ante hoc tempus regnavit, tempore videlicet Henrici regis Teutonicorum, patris Othonis primi, qui Otho primus duxit vxorem vnam sororem ejusdem Ethelstani, alteram verò Ludovicus Aquitanorum princeps, tertiam quæ pulcherrima erat, duxit iste Hugo: misitque patri pro ea munera amplissima, aromata, & gemmas pretiosas, & precipuè smaragdos: equos currares plurimos cum phaleris, & vas quoddā ex onychino ita cœlatum, vt in eo & fluctuare segetes, & gemmare vites, & hominum moveri imagines viderentur: & ita lucidum & politum, vt vice speculi imagines intuentium redderet. Ensem quoque Constantini magni, in quo literis aureis nomen antiqui possessoris legebatur. In capulo quoque super crassas auri laminas clav[us] ferreus affix[us] erat, vnus ex quatuor qui dominico corpori fuerant affixi, lanceam quoque Caroli magni, quam imperator invictissimus contra Saracenos exercitum ducens quoties in hostem vibravit, victor rediit. Ferebaturque eadem esse, quę Dominico lateri manu militis impacta paradisum mortalibus aperuit; vexillum quoque beatissimi martyris Mauritij principis Thebeæ legionis, quo idem rex Carolus in bello Hispano quamlibet confertos inimicorum cuneos dirumpere & fugare consueverat. Diadema quoque ex auro multo & gemmis pretiosis, quarum splendor oculos intuentium reverberabat. Particulam quoque sanctæ Crucis christallo inclusam; ita vt per ipsum christallum posset discerni color, & quantitas ligni; portiuncula quoque coronæ spineæ eodē modo inclusam. Princeps huius legationis fuit Adulphus, filius Balduini comitis Flandriæ, ex filia regis Eduardi Helvida sorore ipsius Ethelstani ex patre. Hæc sunt verba Guillelmi, qui dicit hunc ipsū Ethelstanum Eduardi filiū regasse anno Domini 924. & non regnavit nisi annis 16. Hic autem Hugo regnavit primum hoc anno, idest anno Domini 987. ferè 60. annis tardiùs, quam ille Ethelstanus, pro cujus sorore dicit, eum patri ejus Eduardo tot munera misisse: nec video quomodo vtriusque regis tempora concordari possint. Regnavit autem Hugo iste annis 9. Herluinus primus abbas Gemmelacensis obiit.

988. Carolus dux regnum Francorum ex paterna & avita successione sibi debitum cōtra Hugonē nepotem suum repetit: eumque bello purgens, vrbem Laudunum capit, Hugo Carolum in Lauduno obsidet: sed secundo obsidionis mense obsessi prosilientes castra obsidentium incendunt, & rex plurimis peremptis vix fuga euasit. Guillelmus Hoc anno mortuus est sanctus Dunstanus, cuius vitam descripsit Osbernus cantuariæ cantor, nulli nostro tempore stylo secundus, in musica omniū primus. Oldernus de morte eiusdem Sancti sic scribit. Instabat, inquit, dies Ascensionis Dominicæ, & peractis vigiliis remansit solus in oratione in Ecclesia Dunstanus, & vidit, & ecce innumera candidatorū multitudo coronas aureas in capitib[us] gestantium inæstimabili fulgore micantium per ecclesiæ ianuam irrumpens, ante ipsum cōglobata constitit, vna voce eū salutans hoc modo. Salue Dunstane noster, salue. Mandat tibi, quē tantopere desideras, filius Dei, quatenus si paratus es, venias, & diem hanc, ad cuius gaudium suspiras, nobiscum celebres. Ad quod ille imperterrit[us] manens sciscitatus est, qui essent. Cherubini, inquiunt, ac Seraphini sumus: & responde quid velis. Tunc

Cælites inuitant Dunstanum in cælum.

ille. Hodie dies solemnissim⁹ est. & incumbit mihi pane verbi Dei plebem reficere, & ostendere illi, quomodo ad hoc gaudium possit pervenire: propter quod & multi convenerunt, nec debeo illos decipere; & ideo hodie venire non possum. Qui dixerant: Eia paratus esto, vt die Sabbati presto sis hinc nobiscum Romam venire; & coram summo Pontifice Sanctus, sanctus, sanctus, æternaliter canere. Annuit ille, & illi recedunt. Lecto igitur eo die ad Missam Evāgelio, locutus est ad plebem, qualiter nonquam locutus fuerat, & reversus ad altare celebravit mysteria. Vbi autem ventum est ad benedictionem super populū, iterum ab altari prædicaturus regreditur: ita vt non hominem, sed Angelum loqui putares. Iterū ad altare revertitur, & data benedictione iterum ad populum redit, cunctis stupentibus: & mox vt ad loquendum os aperuit, tanta claritate vultus ejus resplenduit, vt nemo in eum intendere posset, obitumque suum illis instare prædixit: promittens se illis numquam defuturum. Et tunc ad mensam Domini regressus est. Eadem die cùm à mensa sumpto cibo surrexisset. Oratoriū petiit, & designavit locū, in quo se voluit sepeliri. Mox languor eum invasit, sexta feria lecto decubuit, omnes adventantes ad sequenda Christi vestigia incitabat. Sabbato iterum communicatus est: & cùm horam suā expectaret, subitò è lecto, in quo jacebat, vsque ad superiora levatus est, & trabibus obsistentibus, ad terrā leniter demissus. Quo demisso, dum quasi ad quiescentem qui aufugerant, reverterentur, iterum vsque ad trabes cum lecto suo raptus est, vt priùs, & iterum leniter demissus. Hoc vsque tertiò factum est. Tunc ait ad circūstantes. Vos videtis, quò vocor. Si mecū vultis venire, ite via, qua incessi. Deus qui me vocat, ipse dirigat corda, & corpora vestra ad suam voluntatem in pace. Et responso ab omnibus Amen, transiit. Presbyter quidam inter suos nobilis paralyticus factus, ad corp⁹ Sancti delatus est, sensitque quemdam, manum per totū corpus suum ducentem, & membra sua resolidantem. Sanatus igitur grande convivium celebrabat. Exultantibus conviuis, & Dunstanum laudantibus, tumens ille, ait. Numquid me inter pauperes numeratis? Etsi Dunstanus non esset, sanatus fuissē. Quo dicto statim pristino morbo correpț⁹ est: & cùm miserabiliter clamaret, emisit spiritum. Teutonicus quidam ab Episcopo sancto excōmunicatus fuerat pro crimine voluptatis & arrogantiæ, & per 7. annos Satanæ traditus, sensu perdito toto corpore tremebat. Qui tandem ad sepulchrum Dunstani pertractus, in nocte Purificationis B. Mariæ, quando Responsoriū *Videte miraculum* inchoabatur, dæmonem suum cū multo cruore evomuit. Quædam virgo à natiuitate cęca, erat juxta tumbam sancti ad vigilias festiuitatis S. Audiceni, 11. Calendas Septēbris; quæ, dum cantaretur Responsorium, *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes*, illuminata est. Quidā puer claudus ab vtero, à matre sua illuc delatus est: qui cùm, matre sua orante, pomum teneret, subitò pomum illud rotari cœpit vsq; ad tumulū Sancti; q. ille perdere nolens, statim sanus post illud cucurrit. Moris erat in eodem monasterio, pueros omnes in schola verberari ante quintum diem Natalis Domini, non pro culpis eorum, sed pro vsu tantùm. Rogati sunt magistri, ut cōdonarent illum diem; qui noluerunt, sed omnes ad virgas se præparaverunt. Ea nocte astitit in visu vni puerorum Dunstanus, dicens. Cur tantum pavidi estis, ô pueri? Quia, inquit, domine, furor magistrorum sedari nequit. Ne timeatis, ait, ego eum sedabo. Ego sum Dunstanus, pater hui⁹ monasterij: hoc erit tibi signum, quia liberabo vos. Vade, & dic custodibus Ecclesiæ, vt auferant de iuxta me, & ab Ecclesia, corpus filij Alredi, quem gentilem odibilis quorumdam adulatio iuxta me ausu temerario sepeliuit, Quod si citò non fecerint, tota hæc Ecclesia graue damnum sustinebit. Iam aurora illucescebat, hora pueris tremenda, & magistri stabant armati corrigiis nodatis, expectantes pueros ante se transituros: & ecce subitò omnes magistri obdormierunt, & pueros per medium trāseuntes non fuit qui tangeret. Adolescens autem detulit mandata ad Custodes, qui contempserant. Postea à quibusdam monachis Dunstanus à loco discedere visus est. A quibus cùm detineretur, & cur recederet quęreretur: respondit se fœtorem paganæ carnis, & quorumdam illic viuentiū iniquitates ferre nō posse: quę res, inquit, si emendata non fuerit, tota hæc civitas, & hæc Ecclesia luet. Non multò post Civitas combusta est, & tota Ecclesia cum suis officinis, excepto refectorio & dormitorio cum claustris, quę ibi appendebant. Quidā Archidiacon⁹. Londonię conversus est in eodē monasterio, literarum Scientissimus, & cœpit religiosè conversari. Post annum, quo monachus factus est, secretarij officio functus est, & cœpit paulatim à religione tepescere, dum majori libertate ceteris potiretur. Tandem fugam parabat, cum quodam juvene sibi conscio; tamen adhuc animo fluctuabat de hoc, quod factur⁹ erat. Statuit autem apud se, non se discessurum à monasterio, sine licentia sancti Dunstani. Venit itaque ad tumbam eius, querelam faciens de illis: & suam benedictionem petens, vt iter suum prosequerentur: dicens se ipsius futurum quocumque pergeret. Veniensque post chorum, invenit ibi monachum quemdā reverendissimum virgā tenentem, & ei innixum stantem, & se viuidis oculis intuentem. Quo viso expauit, & ab eo divertere voluit. Qui virgā oppositā ait. Quò vadis? inquit ille, non esse loquendum. At ille. Si loquor ad te, dic, quò vadis. Quo inquit, mea interest. At sanctus. Nihil est, revertere ad sepulchrum, vbi modò fuisti, & mutata voluntate intentiùs ora. Reuersus ille orauit sicut oraverat priùs. Rediens obuium habuit quem priùs in eodem loco; qui quò tenderet requisiuit. Cui ille. Quid hoc ad te? Multum, inquit, quod & tu, si te non correxeris, in proximo experieris. Nunc igitur redi iterum, & muta mentem, muta precem. Cumque ille transire conaretur, potiùs quā redire, ille vibrata contra eum virga, redire illū coëgit. Qui rediens multùm pauidus, orauit tertiò eundem sermonem: & rediens, ibi non inuenit illum, quò invenerat prius: putansque se bene orasse, properavit ad ostium claustri: vbi offendit quem prius ostenderat, turbato vultu cōtra se stantē, & interogantem, quò pergeret. Qui respondit. Quis es tu, qui me tanta authoritate constringis? Ait. Quæris, quis? audi. Ego sum Dunstanus, prouisor & Archiepiscopus huius loci, amator illorum, & adjutor, qui verè filij sūt huius Ecclesiæ. Et tu, quomodo suffragiū meum quæris, qui me & locum istum vis deserere? Mea licentia hinc nonquam exibis, sed velis, nolis, hic remanebis, hic morieris: & quia me audire

S. Dunstanus cum lecto elatus.

S. Dunstanus pueros à verbere liberat.

Monachū apostatare prohibet.

contempsisti, ecce in pœna tua probabis, quod non bene fecisti: & leuans virgam percussit eum tertiò acriter, & in terram prostrauit, & disparuit. Ille jacens ibi inuentus est, & portatus in Infirmitorium, & cœpit quotidie augmentari infirmitas, nec poterat dignosci qualis esset: ille autem revelare nolebat. Tandem positus est super cilicium, & cœpit letania pro eo dici: cumque diceretur *S. Dunstane ora pro nobis*, rogavit se poni super lectum suum, dicens se modò non moriturum; & accersito priore Henrico confessus est ei omnia, & quòd mori non poterat antequam hoc confessus fuisset, & accepta pœnitentia & benedictione à priore, reddidit spiritum. Casula sancti Dunstani, in qua cantare solebat, erat apud Londoniam sine vllo auri apparatu. Matrona quędam Londoniensis grauiter infirmata, credebat se nunquam deinceps sanandam: cui, vt putabatur, mox moriturę S. Dunstanus apparuit, sciscitans, vtrum vellet convalescere, qua respondente, se maximè velle, ait. Tolle aurifrigium quod in arca tua est, & pone illud in casula, quę est apud Vuestmonasterium: & convalesces. Et factum est ita: & quod mirabile fuit, aurifrigium illud, nec minus nec majus inventū est, quàm casulæ ornatus exigebat. Guillelm⁹. Non multò post mortem beati Dunstani Dani infestauerunt Angliam, sicut ipse prophetauerat: vrbem Cantuariam combusserunt, Archiepiscopum reverendissimum Elfegum adduxerunt in vinculis: quem cùm rusticos suos expilare cogerent, vt se redimeret, & nollet, lapidatum securi percusserunt, & martyrem fecerunt. Cuius sanguine stillante lignum aridū mox reviruit. Cujus corpus pro tanto miraculo permiserunt Dani reportari Londoniam, vbi & sepultum est, & post 10. annos incorruptum repertum vsque ad hoc tempus durat & recens sāguis, & corporis illibata integritas. In Anglia verò sunt 32. pagi: quorum 16. tunc Dani invaserunt.

989. Sigebertus. Inundatio aquarum frequens & diutina vltra solitum: æstas postea ferventissima, pluribusq; perniciosa; vnde & fruges immoratæ sunt. Carolus dux Montem acutum expugnat, Suessionis vsque vastando procedit. Inde Remis aggreditur, & Laudunum cum multa præda revertitur. Siccitas magna vernalis, vnde & satio prima impedita est, & fames ingens secuta. Nix nimia decidit, & imber postea continuus, qui Autumnalem sationem omnino impedivit.

990. Carolus dux Remis occupat; Archiepiscopum, quē Hugo rex præfecerat, & quosdam primates capit, & Lauduno relegat.

991. Carolus dux moritur, cui succedit Otho filius ejus. Remis Synodo totius Franciæ congregata Arnulphus nepos Caroli ducis, quem ipse Carolus Episcopum Remis substituerat, omnium judicio exordinatus damnatur: & Adelgarius presbyter, qui vrbem prodidit, & portas Carolo aperuit, insolubiliter excommunicatur: Gerbertus verò substituitur. Sed quibusdam causam ventilantibus, non potuisse degradari Arnulphū, absque conscientia & authoritate Romani Papę, Gerbertus depositus ad Imperatorem Othonem se contulit: quem Imperator Ravennæ Archiepiscopum, & pòst Papam constituit Romanum. Vnde factum est monosticon illud. *Transit ab R. Gerbertus ad R. fit Papa vigens R.* Guillelmus. Hic Gerbertus ex Gallia natus, monachus à puero apud Floriacum adolevit: deinde adolescens claustrum exiens, pertexit Hispaniam, quę olim à Romanis possessa, tempore Honorij Imperatoris in ius Gothorum concesserat. Gothi autem vsque ad tempora Gregorij Papæ Ariani fuerant: sed tunc per Leandrum Hispalensem Episcopum Catholici facti sunt, & per Recaredum regē fratrem Hermenegildi, quem pater nocte Paschali pro confessione fidei interfecit. Leandro autē successit Isidorus vir sanctus & doctus: cujus corpus nostra ætate Alfunsus Galliciæ rex Toletum transtulit ad pondus auro comparatum. Saraceni autē qui Gothos subjugaverant, ipsi quoque à Carolo magno victi, Galliciam & Lusitaniam maximas Hispaniæ provincias amiserunt: possident autem vsque hodie superiores regiones: & sicut Christiani Toletum, ita ipsi Hispalim, quam Sibiliam vulgariter vocant, caput regni habent: divinationibus & incantationibus more gentis intenti. Ad hos veniens Gerbertus, vicit scientia Ptolomęum in astrolabio, Alcādrum in Astrorum interstitio, Firmicum in fato. Ibi didicit & cantus auium, & volatus mysteriū, & tenues ex inferno excire figuras. Quadruviū quoque ita ebibit, vt illas in Galliam revocaret jam dudum obsoletas. Abacum primus à Saracenis capiens, regulas dedit, quę vix intelliguntur à sudantibus Abacistis. Hospitabatur apud quēdam philosophum, quem primo multis expensis, deinde multis promissis demeruit. Hic philosophus vnum habebat codicem totius artis conscium: quem nullo modo Gerbertus extorquere potuit à magistro. Tandem illum nocte furatus est, auxiliante filia philosophi, cum qua familiaritatem assiduitate parauerat, sub ceruicali positum, & cum furto aufugit. Philosophus somno excitus indicio stellarū persecutus est fugientē. Profugus autem eadem scientia periculū comperiens, sub ponte ligneo, qui proximus erat, se occultabat, pendulus inter pontem & aquam: & pontem amplectens, vt nec terram nec aquam tangeret: & ita quærentem elusit.

ANNOTATIO

Hæc, quæ ex Guill. Malmesberiensi Auctor exscripsit, fabulosa meritò judicant viri docti: & multò ampliùs sequentia, quæ resecuimus, de Gerberto sese dæmoni devouente, de ejus horrēda nece Romæ in Ecclesia S. Crucis à dæmone illata: quæ hauserunt Sigebertus, & præfatus Malmesbe. aliique ex Bennone schismatico, qui post annos ferè centum ab obitu Silvestri 2 seu Gerberti scripsit. Fuit autem rudi sæculo occasio quædam fingendæ hujus fabulæ, quòd Mathematicæ, ac præsertim Astrologiæ sciētissimus esset Gerbertus. Sanè nullus ante Bennonem de Silvestro talia scripsisse reperitur: qui etiam eadē malitia alios Gregorij 7. prædecessores magiæ accusavit. At contrà qui tempore Silvestri vixerunt, honorificè de eo scripserunt, vt Ditmarus scriptor gravis, Episcopus Merseburgius in Saxonia lib. 6. Helgaldus Floriacensis monachus, in vita Roberti Francorū Regis, cuius magister fuit Gerbertus. Et quod penitus fabulam illam destruit est epitaphium Silvestri sepulchro Romæ in basilica Lateranensi à Sergio ejus successore positum, dignum quovis magnī nominis Pontifice Romano, vt nullomodo tanto elogio commendari potuerit homo tam probroso exitu, qualem Benno fingit, palam à dæmone extinctus. Ex seipsa quoque satis arguitur fabula ipsa, dum de thesauro in campo Martio arte magica reperto, & curia immensis opibus referta disserit, seu potiùs gar-

rit. *Hujusmodi enim somnia ad anus deliras pertinet, potius quàm ad historicum. Vide Baron ad an. 999. & Bellarm libro 4. de Pontifice Roma. c. 12. Porrò Auctor magicas observationes postea improbat sequentibus his verbis.*

Quantus labor est ista considerare! certè nulla vtilitas. Nam responsa dæmonum fallere homines desiderantium semper per ambages feruntur, duabus de causis: tum quia incerti sunt de futuris omnibus per liberum arbitriū: tum quia etiamsi certi essent, semper tamen homines consulentes se per ambiguitatem suam decipere magis gauderent, quàm per certitudinem suā, quæ nulla est, instruere. Non solùm autem nulla vtilitas nosse ista curiosa, sed etiā magna pernicies. Vnde B. Augustinus in lib. *De Civitate Dei* 10. cap. 9.

Verba sācti Augustini. [Fiebant, inquit, miracula in veteri Testamēto simplici fide atque fiducia pietatis, non incantationibus & carminibus nefariæ curiositatis arte compositis, quam vel magiam, vel detestabiliore nomine goëtiam, vel honorabiliore theurgiam vocant: qui quasi conantur ista discernere, & illicitis artibus deditos alios damnabiles, quos & maleficos vulgus appellat: hos enim ad goëtiam pertinere dicunt: alios autem laudabiles videri volunt, quibus Theurgiam deputant, cum sint vtrique ritibus fallacibus dæmonū obstricti sub nominibus Angelorum. Nam & Porphyrius quamdam quasi purgationem animæ per Theurgiam, cunctanter tamen & pudibunda quodammodo disputatione promittit: reversionem verò ad Deum hanc artem præstare cuiquam negat: vt videas eum inter vitium sacrilegæ curiositatis, & Phylosophiæ professionem sententiis alternantibus fluctuare. Nunc enim hanc artem tamquam fallacem, & in ipsa actione periculosam, & legibus prohibitam, cavendam monet: nunc autem velut ejus laudatoribus cedens, vtilem dicit esse mundandæ parti animæ, non quidem intellectuali: qua rerum intelligibiliū percipitur veritas: nullas habentium similitudines corporum: sed spirituali, qua corporalium rerum capiuntur imagines. Hanc enim dicit per quasdam consecrationes theurgicas, quas teletas vocant, idoneam fieri, atque aptam susceptioni spirituum, & Angelorū, ad videndos Deos. Ex quibus tamen theurgicis teletis fatetur, intellectuali animæ nihil purgationis accedere, quod eam faciat idoneam ad videndum Deum suum, & perspicienda ea, quæ vera sunt. Ex quo intelligi potest, qualium Deorum, vel qualem visionem fieri dicat theurgicis consecrationibus, in qua non ea videntur, quæ vera sunt. Denique animam rationalem, sive, quod magis amat dicere, intellectualem in superna dicit posse evadere: etiamsi quod ejus spiritale est, nulla theurgica fuerit arte purgatum. Porrò autem à theurgo spiritalem purgari hactenus, vt non ex hoc ad immortalitatem æternitatemque perveniat. Quamquam itaque discernat à dæmonibus angelos, aërea esse loca dæmonum, æthera vel empyrea differens angelorum, & admoneat vtendum alicujus dæmonis amicitia, quo subvectante, vel paululum possit elevari à terra quisque post mortem: aliam verò viam esse perhibeat ad Angelorum superna consortia: cavendā tamen dæmonum societatem, expressa quodammodo confessione testatur: vbi dicit animam post mortem luendo pœnas, cultum dæmonum à quibus circumveniebatur horrescere. Ipsamque theurgiam, quam velut conciliatricem angelorum deorumque commendat, apud tales agere potestates negare non potuit: quæ vel ipsæ invideant purgationi animæ, vel artibus serviant invidorum, querelam de hac re Chaldæi nescio cujus expromens. Conqueritur, inquit, vir in Chaldea bonus, purgandæ animæ magno molimine, frustratos sibi esse successus, quum vir ad eadem potens tactus invidia, adjuratas sacris precibus potentias alligasset, ne postulata concederent. Ergo & ligavit ille, inquit, & iste non soluit. Quo indicio dixit apparere, theurgiam esse tam boni conficiēdi, quàm mali, apud deos, & apud homines disciplinam: pati etiam deos, & ad illas perturbationes, passionesque deduci, quas communiter dæmonibus & hominibus Apuleius attribuit. Hæc Augustinus]

993. *S. Odilo Cluniacensis Abbas.* In Burgundia Odilo Alvernis oriundus, ex clerico Brivatensi monachum professus, in Cluniacensi cœnobio fit Abbas post Majolum, per annos 5[illegible] miro religionis fervore spectabilis: qui præter cetera pietate insignis, non solùm vitæ exemplis, sed etiā miraculis in vita sua claruit. Qui cùm reprehenderetur, quòd in peccantes justo misericordior esse videretur, si damnandus sum, inquit, malo damnari de misericordia, quàm de duritia. Otho in Imperatorem benedicitur.

994. Florebant hoc tempore in scientia literarum, in Lotharingia Herigerus Abbas Lobiēsis, Adelboldus Episcopus Vltrajectensis: in Francia Fulbertus Episcopus Carnotensis, Abbo Abbas Floriacensis: qui super calculum Victorij cōmentatus est.

995. Hugone Rege Francorum mortuo, Robertus filius ejus regnat annis 34. Iste Rex Robertus fuit in Ecclesiasticis cantibus non mediocriter doctus Denique & pulcherrimam Sequētiam fecit, *Sancti Spiritus adsit nobis gratia*, & responsorium istud, *O Iuda & Ierusalem*: sed & hoc *Alleluia* fertur fecisse *Eripe me de inimicis meis*: & cùm quadam die esset Romæ in vigilia Apostolorum Petri & Pauli, obtulit schedulam quamdam super altare. Putantibus illis magnum aliquid obtulisse, repererunt illū nihil aliud super altare posuisse, nisi schedulam, in qua scriptum erat Responsoriū istud cum Versu suo, *Cornelius Centurio*: quod ipse Rex composuerat cum cantu suo. Ioannes autem, cognomento Belet, dicit Naugerum Abbatem de sancto Gallo de terra Teutonicorum primum composuisse Seqūetias, & Nicolaus Papa eas cantari instituit: post quē Hermannus Contractus invētor astrolabij, fecit *Rex Omnipotens*, & *Sācti Spiritus adsit nobis gratia* Videat ergo lector, cui magis cedere velit, Guilelmo, an Ioanni.

996. Gregorius fit Papa 143. annis 2.

997. *Gregorius Papa 143.* Herbert⁹ ordinatur Coloniensium Episcop⁹, qui multa claruit sanctitate: clarebat etiam hoc tempore inter Gallos Ansfridus, qui cùm fuisset Comes Bratuspēsium, non minus iustitia quam potentia seculari famosus, deposito militiæ cingulo tonsuratus in clericum, eò provectus est, vt fieret Episcopus Vltrajectensis.

998. *Ioannes Papa 143.* *Dissentio inter Historicos ob causam de Gerberto.* Ioannes 16. fit Papa 144. mens. 10 Post quem, vt ait Sigebertus, Gerbertus, qui & Siluester, fit Papa 145. qui & ipse inter claros scientia literarū egregiè claruit. Quidam tamen transito isto Sylvestro Agapitum in hoc loco ponunt: quia Sylvester non per ostium intrasse dicitur: qui etiā à quibusdam nigromantiæ arguitur: à diabolo autem percussus dicitur obiisse. Guillel. Ducum

defectio ex superbia regis Ethelredi processit. Anglos enim nullis causis extantibus, afficto crimine opibus emungebat: Danos levibus suspicionibus omnes in vno die per Angliam trucidari iusserat: in vxorem adeò protervus erat, vt vix eam cubili dignaretur: cum pellicibus volutabatur. Illa quoque conscientiam alti sanguinis spirans, in maritum tumebat. Erat enim filia Richardi Comitis Normanniæ, filij Guillelmi, qui post patrem 52. annis illi Ducatui præfuit, & octauo decimo anno huius regis Ethelredi vitam finivit. Iacet apud Fiscanum Cœnobium, quod ipse aliquātis redditibus ampliatum per Guillelmum Abbatem Divionensem regula monastica insignivit: vir eximius, qui etiam Ethelredum Regem injuriis sæpe pulsauit. Quod cum Romæ auditum esset, non est passa sedes Apostolica duos Christianos principes inter se digladiari: sed misit in Angliam Leonem Treverensem Episcopum, vt pacem componeret. Actū est hoc anno Domini 991. Sigebertus. Hoc tēpore quidam Religiosus ab Ierosolymis rediens in Siciliam, reclusi cujusdam humanitate aliquādiu recreatus, didicit ab eo inter cetera, quòd in illa vicinia essent loca flammas eructantia, quæ vocantur ab incolis ollæ Vulcani, in quibus animæ defunctorū luebant diversa pro meritorum qualitate supplicia, ad ea exequenda deputatis ibi dæmonibus; quorum se crebrò voces, iras & terrores, sæpe etiam vlulatus audisse dicebat, plangentium, quòd animæ fidelium de manibus eorū eriperentur per eleemosynas & preces vivorum fidelium: & hoc tempore magis per orationes Cluniacensium indefessè orantium pro requie defunctorum. Hoc per illum religiosum Abbas Odilo cōperto, constituit per omnia monasteria sibi subjecta vt sicut primo die Novēb. solemnitas omnium Sanctorum agitur, ita sequēti die memoria omnium in Christo quiescentiū celebretur. Qui ritus ad multas Ecclesias transiens, fidelium defunctorum memoriam solemnizari fecit. In Italia Crescens Patriciatu Romanorum arrepto, contra Ottonem Imperatorem rebellat.

999.

1000. Anno Iesu Christi 1000. secundum computationem Dyonisij multa prodigia visa sunt. Terræ motus factus est permaximus. Cometes apparuit 19. Kal. Ianu. circa horam 9. aperto cœlo quasi facula ardens illapsa est terris, cum longo tractu, & cū tanto splendore, vt non modo qui in agris erant, sed etiam qui in tectis irrupto lumine ferirentur. Qua cœli scissura sensim euanescente, interim visa est figura quasi serpentis capite quidem crescente cum cæruleis pedibus.

1001. Otto imperator Romæ Crescentem patritium aggreditur: victus Crescens, & ex fuga retractus capitur, vilique jumento auersè impositus circumducitur. Et paulatim membris truncatus, ad vltimum ante vrbē suspenditur.

1002. Otto Imperator Romæ degens, dum se cum Romanis remissiùs agit, tractas qualiter iura regni & Ecclesiæ ad antiquum statum reformaret, Romani per hoc ad contemptum ejus adducti, subitò contra eum conspirāt: & aliquot militū eius peremptis eum in palatio obsident: vnde per industriam Henrici Ducis Bajoariæ, & Hugonis Marchionis Italiæ simulato pacto vix extractus Roma recedit, cū Sylvestro Papa: & quia vxor Crescentis Imperatorem spe regnandi ad amorem sui pellexerat, dolens pro eius discessu, venenum ei immisit: quo ille consumptus inter remeandū in Italia moritur. Milites transalpini corpus Imperatoris cum insignibus Imperij ad Galliam referentes, crebris Italorum incursibus lacessiti armis sibi viam parant. Sed cùm iam res in tuto esse putaretur, Dux Bajoariæ Henricus injuriato Heriberto Coloniensi Episcopo, à cuius ore omnes pēdebant, insignia ab eo violēter extorsit; quasi iure hereditario sibi cōpetētia. Erat enim fili' Henrici Ducis, qui fuit genitus de Henrico fratre primi Othonis Imperatoris. Henricus igitur Dux conciliatis sibi animis quorumdam principum regni, vngitur in regem à Vuilligiso Maguntino Episcopo, & Imperat an 22.

1003. Ioannes 17. sedit Papa 146. mens. 11. post quē Ioannes 18. sedit Papa 147. annis 5. Abbo floriacensis Abbas in Vuasconia martyrizatur. Henricus Rex potentiores viros regni bella contra se concitare volentes celeriter diuincit; & reges gentilium in interiori Germania commorantes, qui dicuntur Vuinidi, tributarios sibi facit.

Ioannes 17. Papa 146. Ioannes 18. Papa 147.

1004. Girardus Cameracensis Episcopus, & Adelboldus Vltrajectensis, magni in Ecclesia habentur, & in palatio. Henricus Rex Bambergēsem Ecclesiam Episcopalis sedis honore sublimat: & quia liberis carebat, eam omnium rerum suarum hæredem facit. Vnde Deodericus Metensium Episcopus dolens dotem, & patrimonium sororis suæ Chunigundis Imperatricis delegari ab Imperatore Bambergensi Ecclesiæ, rebellat.

1005. Cometes horribilis in Austro visus est. Mortuo Ottone duce Ducatus Lotharingiæ datur Comiti Godefrido, filio Godefridi Ardennensis. Helpericus de ratione Cōpoti hoc anno scripsit.

1006. Fames & mortalitas penè per totum orbē invaluit, ita vt sepelientium tædio vivi adhuc spiritum trahentes obruerentur cum mortuis. Castrum Valentianas situm in marchia Franciæ & Lotharingiæ, quod Balduinus Comes Flandrensium invaserat, Henricus Imperator obsidet: cōcurrentibus ad auxilium ejus Roberto Rege Frācorum, & Richardo Comite Normannorum.

1007. Henricus Imperator quia de obsidione Valentianensi inefficax redierat, contra Balduinum profectus, castrum Gandauum inuadit: & deuestata terra aliquot primores Flandrensium capit; vnde Balduinus perterritus illi satisfacit. Valentianas reddit, datisque obsidibus cū sacramento fidelitatis, manus ei dedit. Postea Imperator seditione suorum coactus, Valentianas Balduino comiti beneficiauit: vt sibi contra motus suorū auxilio esset: præterea ei etiam Valacras addidit.

1008. Baldricus Leodicensium Episcopus ordinatur, & Burcardus Vormacentium: qui in scripturis studiosus magnum illud Canonū volumen edidit, collaborante Ausberto Abbate, viro vndequaque doctissimo.

1009. Ecclipsis solis facta est hora diei 2. Sergius 4. sedit Papa 148. an. 2. m. 9. Normanni Frisiam infestantes Tilæ oppidum incendunt. Henricus Imperator Metis vrbem obsidet, propter Deodericum fratrem vxoris suæ, contra se rebellantem: qui Episcopatum ipsius vrbis vsurpaverat. Dux enim Mosellanorum Deodericus post fratrem suum Alberonem dato Episcopatu Metensium filio suo adhuc puero tutorē ei substituerat ipsum Deodericū: qui puero vrbe excluso & Episcopatu vsurpato, ipsum etiam Deodericum ducem bello cepit. Vrbe ergo per obsidionem penè desolata, tandem pax conuenit.

Sergius 4 Papa 14

Bruno

1010. Bruno Episcopus Martyrizatur. Normanni Frisiam repetunt, & multis cæsis Vltrajectũ oppidũ incensum est. Gens Hungarorum hactenus Idololatriæ dedita, hoc tempore ad fidẽ Christi conuertitur per Gislam sororem Imperatoris: quæ nupta Hungarorum regi, ad hoc sua instantia Regem adduxit, vt se & totam Hungarorum gentem baptizari expeteret: qui in baptismo Stephanus est vocatus: cuius merita per Hungariam multa miraculorum gloria commendat.

1011. In Lotharingia iuxta montem Castrilocum fonticulus aquæ multis saluberrimus in sanguinem conuersus est: quod probauit mulier, quæ faciem suam ex huius fontis aqua lotam ostendit multis sanguinolentam.

1012. Albertus ordinatur Abbas Gemmelacẽsis. Benedictus 8. fit pap. 149. & sedit annis 12. Guillelmus. Hoc anno contigit in quadam villa Saxoniæ vbi erat Ecclesia Magni, martyris, tale quid. In vigilia natalis Domini Robertus presbyter primã Missam de nocte inchoauerat: at in cœmeterio Otbertus quidam cũ 18. sodalibus, viris quindecim, fœminis 3. Choreas ducens, & Cantilenas seculares perstrepens, ita sacerdotem impediebant vt ipsa verba eorum inter sacra missarum solemnia inuitus resonaret. Ille mandat eis, vt tacerent: quo neglecto imprecatus est dicens. Placeat Deo, & S. Magno, vt ita cantantes permaneatis vsque ad annũ. Verba pondus habuerunt. Filius presbyteri Ioannes sororem suam cantantem per brachium arripuit, & statim illud à corpore auulsit, sed gutta sanguinis inde non exiit: illa vero toto anno cum cæteris permansit, choros ducens & cantitans. Pluuia non cecidit super eos, non frigus, non calor, non fames, non sitis, non lassitudo eos affecit: indumenta vel calceamenta nõ sunt attrita: sed quasi vecordes cantabant. Primùm vsque ad genua, deinde vsque ad fœmora terræ demersi sunt. Fabrica tecti aliquando super eos nutu Dei erigebatur, vt pluuias arceret. Euoluto anno Herbertus Coloniensis Episcopus eos absoluit à nodo, quo manus eorum ligabantur, & ante altare sancti Magni reconciliauit. Filia Presbyteri cum aliis duobus continuò exanimata est: cæteri cæteris continuis proximis 3. diebus & noctibus dormierunt: aliqui postea obierunt, & miraculis, vt fertur, coruscarunt, quia valde pœnituerunt. Cæteri pœnam suam membrorum tremore prodiderunt. Hoc ita scriptum reliquit Otbertus ipse, qui fuit vnus ex ipsis: in cuius scripti fine sic scriptum est. *Data sunt nobis literæ à Domino Peregrino beati Herberti successore anno Domini 1013.*

Benedictus 8. Papa 149.

Annum totam chorea acta.

1013. Henricus Imperator Italiam petens, vt subueniret suis, quos Græci premebant, circa Beneuentum, Salernum, & Capuam debacchantes, Troiam ciuitatem capit. Baldricus Episcopus cũ in villa Dinguardis dicta castellum muniret, Lãbertus Comes Louaniensis eum aggreditur, & Episcopus Lamberto vincente, multis suorum captis & occisis, graui atteritur infortunio. Terræ motus factus est maximus circa meridiem 14. Calendas Decembris.

1014. Henricus Rex in Imperatorẽ benedicitur: qui Godefridum ducem in fines Bratuspensium cum exercitu misit ad obsidendum castrum Louaniũ, sed inefficax rediit. Baldricus Episcopus in insula Leodicensi Cœnobium sancti Iacobi Apostoli fundauit. Dux Godefridus Girardum comitem multis modis regnum inquietantẽ bello vicit. In quo filio eius cum multis occiso, complices eius deterruit. Hoc tempore S. Guiterh, qui & Adelbertus, Pragensis Episcopus martyrizatur. Comitatus Beluacensis datur Rogerio Episcopo.

1015. Dux Godefridus comitatum Montensem depopulatur: quod Raginerus cum patruo suo Lãberto Louaniensi insequutus, apud Florinas pugnam conseruit, vbi plusquam 500. viri occisi sunt, & ipse Lambertus occubuit. Vbi res mira contigit. Cùm enim Lambertus spem victoriæ jam haberet: habebat enim philacterium à collo vsque ad pectus pẽdens sanctorũ reliquiis refertum, quorum patrocinio se in periculis tutum fore credebat. Instante ei termino vitæ philacterium à collo eius exiens, super tumulum campi exiliuit, & mox Comes antea inuictus perimitur. Quidam vero militum philacterium accipiens in caliga sua abscondit; sed coxa eius & crure intumescente rem prodidit, & philacterium Domino suo Etheloni dedit; fratri scilicet ducis.

1016. Simeon Syracusis Siciliæ oriundus, & postea monachus in monte Sina, hoc tempore clarebat: qui Ierosolymam veniens, longã pro Christo peregrinationem suscepit; & cum Popone Treuirorum Archiepiscopo ad Gallias veniens, Treuiris in altitudine turris inclusus est: ibiq; post multas hominũ persecutiones, & tentationes dæmonum, beato fine quieuit: cuius meritum frequens miraculorum gloria monstrauit.

1017. Cometes solito mirabilior in modum trabis maximæ per 4. menses apparuit. Goboldus post Baldricum fit Leodicensis Episcopus.

1018. In Frisonia Deoderico comite filio Arnulphi Gãdauensis debellante Frisones, in vindictã patris sui ab eis occisi, Godefridus dux ad eum debellandum ab Imperatore mittitur: & conserto prælio, repente voce nescitur vnde emissa; *Fugite, fugite*, cunctis fugientibus, multi à paucis Frisonibus perimuntur, dux verò capitur.

1019. Dux Godefridus impetrata Frisonibus ab Imperatore totius injustitiæ impunitate, à captiuitate soluitur; & non multò pòst moritur. Cui succedit in Ducatu frater eius Gothelo.

1020. Rodalphus rex Burgundiæ Burgundionum insolentiis irritatus, regnum Burgundiæ Henrico Imperatori dare tractat; sed eum ab hac intentione reuocat simulata Burgundionum satisfactio. Benedictus Papa in Galliam ad Henricum Imperatorem venit.

1021. Henricus Imperator Natale Domini celebrãs Coloniæ, Heribertum Archiepiscopum olim à se injuriosè tractatum humili satisfactione placat: cui reconciliatus Archiepiscopus, prædixit se propediem moriturum: qui non multo post mortuus, magnis cæpit clarere virtutibus: cui Pilegrimus Episcopus successit. Hic Pilegrimus superius Peregrinus appellatus est ab Otberto illo, qui fuit vnus de choreas ducentibus: sed mirandum est, quomodo idem Otbertus in fine scripti sui dicat, datas sibi fuisse literas à Domino Peregrino beati Herberti successore an. Domini 1013 cùm beatus Herbertus hic à Sigeberto dicatur mortuus fuisse anno Domini 1021. Guillelmus. Colonia pri⁹ dicta est Agrippina ab Agrippa Genero Augusti: postea à Trajano, qui ibi in imperium allectus, colonias ciuium Romanorum eò deduxit, Colonia. In hac fuit quidam Episcopus, clarus religione, sed turpis corpore, qui factus est Episcopus hoc modo. Imperator Dominica

T

quinquagesimæ venatum pergens, solus ad aream sylvæ devenit, comitibus hac & illac dispersis: ibi habebat Ecclesiam Presbyter ille agrestis, deformis valde, & quasi portentum naturæ. Imperator se militem mentitus supliciter Missam rogat. Ille confestim se parat. Imperator interim cogitabat, quare Deus, à quo formosa cuncta procedunt, tam deformem hominem conficere sacramenta sua sineret. Ventum est ad illum versum tract⁹, *Scitote quoniam Dominus ipse est Deus.* In quibus verbis cum discordaret puer Presbyteri, Sacerdos concitatiori voce respondit quasi Imperatori cogitanti, *Ipse fecit nos, & non ipsi nos.* Quo dicto repercussus Imperator, & propheticum virum æstimans, instantium eum fecit Episcopum. Huius hic factor fuit. Erat in Monasterio Sanctimonialium eiusdē vrbis virgo quędā, quę specie & dulcedine omnes sermone amatores suos incendebat: quorum vnus dives & generosus eam abduxit, & loco iustæ coniugis habuit. Mādat Episcopus, vt mulier monasterio restituatur, & fit. Iterum absente pontifice repetitur, excommunicatur raptor, ita vt nullus ciuiū cum eo cōuiuari aut colloqui auderet. Tunc excommunicatus in prędia ruris sui abiit. Veniente autem Episcopo ad exitum vitæ conuenerunt compatriotæ, orantes pro excōmunicato. Quibus ille respondit. Si miser ille maledictam illam mulierem deseruerit; sit absolutus: si autem perstiterit, sequente anno hac eadem die & eadem hora qua ego decedam, sit ante Dominum reddere rationem paratus. Videbitis autem me, quando signum ad sextam insonuerit, spiritum efflare. Sic omnia impleta sunt, vtroque sic moriente. Anno enim sequente eodem die & hora qua prędixerat, excommunicatus ille cum amica sua ictus & exanimatus est. Item Guilelmus.

Psal 99.

Eo tempore Ethelredus Danos fugiens, venit Normanniam ad Richardum fratrem vxoris suę Emmę, filium Richardi Ducis, qui Cœnobium Fiscanēse, quod pater inchoaverat, perfecit. Hic noctibus custodias famulorum fallens, ad Matutinas monachorum ibat, genua flectens in oratione vsque ad lucem. Quadam nocte pergēs ad Ecclesiam, ostium reperit obseratum: qui excusso violenter pessulo soporem sacristæ turbavit. Qui surgens à somno, & videns eum plebeio amictu vestitū, in capillos involat, & multos illi colaphos impegit. Postridie in Capitulo querelam deposuit, & monachum illum . . . . . Die dicto monachus à Iudicibus . . . . . qui optimi vini ferax est, officio Sacristæ addixit: pronuntians, illum bonum esse monachum, qui bene custodiens munus injunctum, nec etiā iratus fregit silentium. Iste Rex 28. anno Ducatus sui mortuus est: jussitq; se sepeliri ante ostiū Ecclesiæ, vt ab omnibus conculcaretur, & super se plueret. Quem postea Guillelmus Abbas tulit inde, & ante altare locavit. Hujus frater Robertus Archiepiscopus Rotomagi fuit: qui honore abusus, multa flagitia commisit; sed postea in senium vergens, multis eleemosynis quędam delevit. Richardus iste filium habuit sui nominis: qui fuit Dux anno vno; dicitur fuisse invenenatus à fratre suo Roberto. Vnde ipse Robertus post 7. annos Ierosolymam pertexit: qui domum revertens, apud Nicæam vrbem Bithiniæ veneno interceptus est. Huic Roberto successit Guillelm⁹ puer. Edmundus fuit filius Ethelredi Regis: nō ex Emma vxore, sed ex alia quadam, quam obscura fama recōdidit. Hic magni roboris fuit, & animo, & corpore: vnde ab Anglis vocabatur ferreum latus. Hic cum Cinitone partitus est Angliam: sibi Vuestsaxoniam retinens, illi concedens Merciam. Non multò pòst obiit, sepultus Glastoniæ. Fertur, Edricum mortem ei per ministros porrexisse: ejus scilicet consilio ferreum vncum ad naturæ requisita sedenti in locis posterioribus adegisse. Frater ejus ex matre Edvuinus, per proditorem Edricum, jubente Cinitone, Anglia cessit: qui diu jactatus, & tandē furtivo reditu delitescens obiit: sepultus apud Canistochium. Filij ejus Edvui⁹ & Edvuardus missi sunt ad Regem Suevorum, vt perimerentur: sed miseratione ejus conservati sunt, & Regem Hunorum petierunt: vbi major diem obiit; minor Agathā Reginæ sororem vxorem accepit. Fratres ex Emma Elfredus & Edvuardus, quamdiu Cinitus vixit, in Normannia tutò latuere. Avunculus eorū Richardus sororem suam Cinitoni vxorē dedit. Hic Cinito anno ab Incarnatione Domini 1017. regnare cœpit, & 20. annis regnavit.

Rex à Sacrista malè exceptus, ei benefacit.

1022. Durandus fit Leodiensium Episcopus, ex humillimo, & pauperrimo, & servilis conditionis genere, vt esset jam dominus dominorum suorū carnalium. Aquisgrani conuentu Regali & Synodali per aliquot dies celebrato, tanta siccitas & intemperies aëris excanduit, vt multi præ nimio ardore deficerent; multa etiam animalia subitò interirent: pavimento & columnis marmoreis tanto sudore madentibus, vt aqua esse respersa à nescientibus crederentur. 1023. Henricus Imperator, & Robertus Rex Francorum super Carom fluuium apud Evosium conveniunt, de statu Ecclesię, & Regni, & Imperij tractaturi: & condicto, vt super his confirmandis etiam Papam Romanum simul ambo Papiæ opportunè convenirent; Imperator Regem & suos, multos etiam, qui tantū ad demirandam Imperatoriam majestatem convenerant, tanta liberalitate donavit; vt opibus Regum Persarum aut Arabum posset comparari Regis munificentia. 1024. In Pascha ecclipsis solis facta est. Ioannes Portuensis Episcopus, frater Stephani nuper defuncti, fit Papa 149. vt vult Sigebertus. Sed mirandum est, cujus Stephani Papæ nuper defuncti frater iste fuerit, cùm inter Benedictum præcedentem & istum sequentem nullus Stephanus, imò nullus alius Papa ponatur. Magister Hugo in chronicis suis sic dicit. Anno Domini 1024. sedit Ioannes 19. Papa 150. annis 9. & mens. 9. Sigebert. Rogerius inclytus Belvacensis Episcopus obiit: qui inter alia beneficia dedit Ecclesiæ S. Petri, cui præsidebat, Abacum in Normannia, & Moncidium in Veromandensi patria: Comitatum quoq; ejusdem vrbis ab Odone Campaniensi Comite impetravit: dato ei pro commercio castro Sincrasio in Bituricensi territorio sito, quod sibi jure matrimonij cōpetebat. Henricus Imperator moritur, delegans regem post se futurum Conradum virum regij generis & egregiæ libertatis & liberalitatis; qui nunquam se submiserat alicuius servituti. Cono Dux præpotens cùm ad Imperium aspirare vellet, repudiatur instinctu Abbonis Maguntini Episcopi, & aliquorum regni primatum: & Conradus ad Imperium sublimatus Imperat annos 15.

1025 Ioanni Papæ Stephanus frater suus apparens dixit se infernalibus pœnis cruciari: sed sperare se interventu Odilonis Abbatis Cluniaci veniam posse consequi. Pro quo Odilo tandiu orando

laborauit, donec illi reuelaretur sepro illo esse exauditum. Reginaudus fit Leodicensiũ Episcopus, qui Leodij in monte publico instituit Cœnobium sancti Laurentij, eique Stephanum Abbatem præfecit.

1026. Robertus Rex Francorum ad inuadendã Lotharingiã animum intendit, sed citò ab hoc conatu desistit. Gantelone duce, qui propter priuatum odium grauabat regnum Conradi, & aliis principibus ad pacis vnitatem adductis, regi prosperitas & regno accreuit vtilitas.

1027. Conradus rex filium suum adhuc puerũ Henricum in regnum sublimat Aquis. Ipse autem in Pascha in Imperatorem consecratus, quorumdam Italorum contra se sæuientium motus compescit. *Illustres huius ætatis viri.* Florebant hoc tempore Abbates, Odilo Cluniacensis pietate insignis, Guillelmus Diuionensis severitate reuerendus, Richardus Virdunensis pia grauitate, & graui pietate discretus, Popo Stabulacensis, Elias Coloniensis, Albertus & Stephanus Leodicenses, Berno Augiensis.

1028. Claruit etiam hoc tempore Guido Aretinus, magni inter musicos nominis: in hoc etiã philosophis pręferendus, quod ignotos cantus etiã pueri faciliùs discunt per eius regulam, quam per vocem magistri, aut per vsum alicui' instrumẽti: dum sex literis vel syllabis modulatim appositis ad sex voces quas solas regulariter musica recipit hisque vocibus per flexuras digitorum lęua manus distinctis per integrum diapason se oculis & auribus ingerunt intentæ & remissæ eleuationes, vel depositiones earumdem sex vocum.

1029. Conradus Imperator rebellantibus Sclauis ad eos debellandos proficiscitur, & eodẽ anno similiter contra Hungaros rebellantes.

1030. Guillelmus. Cinito rex Angliæ Romam profectus, nauigio in Angliam rediit: & mox Malcholinum regem Scotorum rebellantem subegit. Erat tunc in Anglia vir sapientissimus Egelnotus Archiepiscopus Cantuariensis, secũdus post Livingum, post Elfegum martyrem 3. ex decano assumptus in Episcopum; qui sanctum Elfegum à Londonia reuexit Cantuariam. Qui Roma rediens, apud Papiam Brachium sancti Augustini Doctoris magni 100 talentis argenti, & talento auri comparatum, apud Conuenturiã misit. Hujus etiam monitu Rex Cinito ad transmarinas Ecclesias pecunias misit: & maximè ad Ecclesiã Carnotensem, vbi tunc florebat Fulbertus Episcopus, sanctitate & philosophia nominatissimus: qui fundamenta Ecclesiæ sanctæ Dei genitricis fecit; & eandem perfecit miro lapideo tabulatu: qui etiam ab eadem Dei genitrice in infirmitate sua visitatus fuisse dicitur, & de eius lacte sanctissimo recreatus. Hic enĩ multo amore & felicissimo in honorem B. Virginis Dei genitricis exarsit: quod ostendunt Cantus de ea, quos ille edidit cælestia vota sonantes. Inter cetera eius opuscula extat Epistolarum volumen: in quarum vna gratias agit Cinitoni, quòd largitiatis suæ viscera in expensis Ecclesiæ Carnotensis effuderit. Hujus Cinitonis an. 15. mortuus est Robertus Rex Francorum Hugonis filius; vir eleemosynis deditus, adeo vt festis diebus cùm exueret se vel indueret vestibus regiis, si non aliud ad manum haberet, ipsas vestes pauperibus distribueret: nisi ex industria vestiarij egenos importunè petẽtes arcerent. Hic duos filios habuit, Odonem & Henricum. Odo major natu hebes erat; minor astutus & vehemens. Pater majorem, minorem mater fouebat: quæ nummis & pollicitis ingentibus, sicut sunt fœminę in incœpto pertinaces, omnes duces Francorum in sua vota traduxit. Qui coronatus est, maximè annitente Roberto Normanno, priusquã plenè pater expiraret. Cujus beneficiis obnixus idem Henricus, Guillelmum filium Roberti puerulum, cùm pater suus Ierosolymam iret, contra desertores obnixissimè iuvit, Qui Henricus regnauit an. 30, Cinito autem Rex Sceptoniæ defunctus, Vuinthoniæ sepultus est. Sigebertus. Hoc tempore iussu Conradi Imperatoris regali & synodali conventu apud Triburias habito, inter cetera Episcopi hoc capitulum decernere voluerunt. Vt si quando jeiunium primi mensis eveniret infra hebdomadam, qua caput jeiunij in 4. feria constat, amborum jeiuniorum celebritas officij expletione cõpleretur. Sed Girardus Cameracensis, & pauci cum eo huic multorum decreto contradicentes, obtinuerũt, vt jeiunium primi mensis in altera hebdomada in qua habetur officium, secundum antiquam consuetudinem celebretur.

1031. Sanct' Bardo fit Maguntinus Episcopus. Robertus & Richardus minuendæ domo multitudinis causa hoc tempore à Normannia Francorũ digressi Apuliam expetunt; & Italis inter se dissidentibus, dum alteri contra alterum auxilium præstãt, hac opportunitate Italos callidè & fortiter debellant, & successus suos vrgendo nomen suum dilatant, & futuræ prosperitatis sibi viã parant, Eclipsis solis facta est circa meridiem tertio Calendas Iulij.

1032. *Decreta Episcoporum Franciæ.* Istiusmodi decretum ab Episcopis Franciæ datum est subiectis sibi populis seruari.' Vnus eorum dixit, cælitus sibi delatas literas, quæ pacem monerent renouandam in terra: quam rem mandavit ceteris, & hæc tradẽda populis dedit. Arma quisquã non ferret, direpta non repeteret: sui sanguinis vel cuiuslibet proximi vltor minimè existens, percussorib' cogeretur indulgere, jeiunium in pane & aqua omni feria sexta seruarent, sabbato à carne & liquamine abstinerent, soloque hoc contenti jeiunio, in omnium peccatorum remissionem nullam sibi aliam scirent adiiciendam pœnitentiam: & hoc se seruare sacramẽto firmarent. Quod qui nollet facere, christianitate privaretur, & exeuntem de sæculo nullus visitaret, nec sepulturæ traderet. Alia quoque importabilia quamplurima dedere pręcepta, quę oneri sunt replicare. Hanc mandatorum nouitatem cum multi cupidi nouarum rerum libẽtiùs iustò ãplecterentur, Girardus Cameracensis Episcopus, qui solus Lotharienſium appendebat ad parochiam Francorum, nullius hortatu potuit adduci ad hæc suscipienda. Sed singula capitula refellebat dicens, genus hominum ab initio trifariam esse diuisum, in oratoribus, propugnatoribus, agricultoribus. Vt vnum duorũ, & duos vnius egere auxilio. Ideo debere arma ferri, & rapinas reddi; per autoritatem legis & gratiæ vltorẽ percussi vel occisi non exacerbari cogendo, sed sanctum Euangelium ei reconciliari. Ieiuniũ in 6. vel 7. feria, nec omnibus vnum esse imponẽdum; quia non est vna omnium possibilitas: nec omnes hoc vno jejunio contẽtos esse debere, quia non est vna omnium pœnitendi necessitas. Hæc autem sacramento firmare, vel sacramenti violationem periurio augere, non esse vtile. His contradicentes excomunicari, infirmis visitationes, vel mortuis sepulturam negari, apertè

contra Evageliũ esse, & omnino detestabile: sufficere Authentica patrũ decreta: & super his neglectis impositum congruenter pœnitentiæ modum Benedictus 9. sedit Papa 151 annis 14. Frederico Duce Mosellanorum mortuo, quia mares filiæ non habebat, quibus Ducatus competeret, Gothelo Dux imperrato ab Imperatore etiam Mosellanorum ducatu, potentiùs in Lotharingia principatur.

Benedictus 9 Papa 151.

Burgundionibus non desistentibus à consueta contra Regem suum insolentia, Rex Rodulphus regnum Burgundiæ Conrado Imperatori tradit: qui à tempore Arnulfi Imperatoris per annos plusquam 130. gentis suæ Reges habuerãt; & ita Burgundia iterum redacta est in provinciam. Guillelmus. Post Cnitonem filius ejus secundum famam ex filia Effelmi Comitis, regnavit annis 4. & mensibus 4. qui confirmatus in regno novercam exiliavit. Quæ in Flandriã transiit ad Balduinum Comitem; post Arnoldũ verò regnavit Handenuclus biennio, decem dies minus. Spiritũ misit inter pocula apud Lamundum juxta Blindauam. Vuintone juxta Patrem sepultus est, Haroldi cadaver defossum capite truncari fecit, & in Tamensem projici. Quod à quodam piscatore captum in sagena, Lundoniæ tumulatũ est. Tributum inexorabile & importabile Angliæ imposuit. Primogenitus Egelredi Elfredus inter mortem Eroldi & expectationem hujus Hardenucti, regnum, vt fertur, ingressus, compatriatarũ perfidia, & maximè Goduvini, luminibus orbatus est apud Giblinghebam. Inde ad Eliense Cœnobium directus, miseram vitam pauco tempore pane cibario sustẽtavit, omnibus comitibus, præter Decimes decapitatis. Hac de causa Hardenuctus Hungo Ernuditunensi Episcopo infensus, cujus consilio hoc factum dicebatur, illum Episcopatu expulit, sed post annum mercede corruptus restituit. Goduinus quoque coactus est sacramentum purgationis afferre: qui etiam post Sacramentum dedit ei pro munere ratem auro rostratam habentem 80. milites, qui habebant in singulis brachiis armillas duas, vnamquamque sexdecim vnciarum auri & in capitibus cassides deauratas, & securim Danicam in humero sinistro, & hastile ferreum in dextera manu.

1034.

Odo Campaniensis Regnum Radulphi Regis avunculi sui à Conrado Imperatore nepote suo repetens, vt sub eo regat Burgundiam efflagitat. Henricus Rex Conradi filius vxorem ducit filiam regis Anglorum.

1035.

Guillelmus. Hardenuctus rex sororem suam Gunhildam Tinitonis ex Emma filiam Henrico Conradi filio misit; quæ ad navem ducta est stipantibus omnibus Angliæ proceribus, & in expensas multa conferentibus; quæ ad sponsum perveniens, multo tempore cum eo fuit: tandẽ adulterij accusata, puerulum quemdam sui alũnum, quem secum ex Anglia duxerat, contra delatorem giganteæ molis hominem ad monomachiam opposuit, ceteris clientibus timore refugientibus. Concerto duello insimulator per miraculum Dei succiso poplite enervatus est. Gunildis autem post victoriam viro suo repudiũ dedit: & nec minis nec blanditiis cum eo manere vlterius consensit; sed sanctimonialis habitum sumens, in servitio Dei permansit.

Puerul⁹ miraculo vincit gigantẽ hominem.

Sigebertus. Odo contra Imperatorem rebellans, Lotharingiam incursat, castella oppugnat; vrbem Leucorum, quæ Tullus dicitur, obsidet, & in nullo temperat furori suo.

1036.

Odo Barrum castrum obsidet & capit. Gothelo autem dux ægrè ferens insolentiam Francorũ, cum Lotharingis occurrit Odoni: & conserto prælio apud Barrum, Odo perimitur, & Francorum exercitus gravi cæde attritus à Lotharingia fugere compellitur.

1037.

Normanni in Apulia copiis suis paulatim adductis, ad invadendam Apuliam fortitudine sua & Italorum imbecillitate animati, castellis & vrbibus aut vi aut dolo captis, in Apulia potenter agunt, vicinisque gentibus terrorem sui nominis incutiunt. Henricus Louaniensis Comes domi suæ perimitur à captivo Hermanno: cui succedit filius suus Otho; cui immatura morte perempto successit patruus ejus Baldricus, qui & Lambertus.

1038.

In mense Aprili octavo idus ejusdem mensis, visa est in cælo inter Australem & Orientalem plagam ignea trabs miræ magnitudinis; quæ currens super solem jam ad occasum vergentem, visa est in terram cadere: cujus vestigia diu videri potuerunt.

1039.

Conradus Imperator Italiam abit, vt rebellionem meditantes debellet: & quia omnes Lõgobardi conjuraverant, vt non paterentur quẽlibet Dominum, qui aliud vellet quàm ipsi, & qui aliud quam ipsi vellent; ageret contra se; quosdam Episcopos in vincula conjecit; & quia Episcopus Mediolanensis fuga lapsus est, Imperator suburbia Mediolani incendit; die verò Pẽtecostes cùm Imperator in parva Ecclesiæ secus vrbem coronaretur ad Missam, tam gravia fuerunt tonitrua & fulgura, vt aliqui mente excederent; aliqui etiam spiritum exhalarent. Bruno verò Episcopus, qui Missam canebat, & secretarius Imperatoris, cum aliis tribus, dixerunt, se inter Missarum solemnia vidisse sanctum Ambrosium Imperatori comminantem: tunc Imperator Italia discessit. Pridie Idus Maij Eclipsis solis fuit, & pridie nonas Iunij Imperator obiit. Post quem Henricus filius ejus imperavit annis 17. secundum Guillelmum. 18

S. Ambrosius Imperatori comminare visus.

1040.

Hic Henricus Vindelicos subegit, populos Suevis conterminos: qui Vindelici, vt ait Guillelmus, vsque hodie fortunam adorant; cujus idolum in loco nominatissimo ponẽtes, cornu dexteræ illius apponunt plenum potu illo, quem ex aqua & melle confectum hydromellum vocant. Idem fecisse Ægyptios, & omnes penè Orientales populos, affirmat sanctus Hieronymus super Isaiam. Vnde vltimo die Nouembris mensis sedentes in commune prægustant, & si cornu plenum invenerint, magno strepitu applaudunt; quòd eis scilicet in futuro anno pleno cornu copia responsura sit in omnib⁹: si contra sit, gemunt. Hos populos Henricus tributarios fecit, ita vt omnibus solemnitatibus quibus coronabatur, quatuor Reges eorum lebetem, quo carnes condiebantur in humeris suis duobus vectibus per anulos 4. inductis ad coquinam [illegible] vectitarent. Idẽ Henric⁹ jucundus & hilaris erat. Habebat sororẽ sanctimonialem, quæ dum hieme quadam, quæ nivibus & pruinis inhorruerat, vno in loco diu detineretur, clericus quidam curialis familiarior justo puellæ crebras in cubiculo ejus protelabat vigilias; & quoniã difficile est, crimen non prodere vultu, advertit hoc aliquis, & jam rem vulgo ventilante, solus Imperator non credebat.

Idolum Fortuna.

Quadam nocte dum diutius simul dormirent vsque in mane, ecce nix totam terram operuerat. Tunc clericus, qui se deprehendendum in nive per vestigia timeret, persuasit amicæ, vt dorso illius impositus angustias illas evaderet; quæ à tergo levans amisium extra curiam extulit; & fortè tunc Imperator mictum surrexerat, & vidit eos per fenestrami. Postea evenit occasio, vt Episcopatum vacantem daret clerico, ita ei insusurrans. Accipe Episcopatum hunc, & vide ne vlteriùs inequites mulieres. Similiter dans Abbatiam germanæ, Esto ait, Abbatissa, & vltra nō patiaris clericum equitem. Confusi illi à flagitio destiterunt. Idem Imperator habebat clericum satis literatum, & bonæ vocis, sed vilē meretriculam ardentiùs amantem, cum qua nocte quadā solemni volutatus, mane ad missam Imperatoris astabat. Imperator dissimulata scientia mandat ei, vt se ad Evangelium legendum pararet, quòd scilicet ejus melodia delectaretur; erat enim diaconus. Abnuit ille, vt malè sibi conscius: vrget Imperator, vt probaret ejus constantiam: ad extremum parere recusantem jubet à patria exulare. Quam sententiam amplexus continuò recessit. Mittitur pòst eum, qui jam compilatis omnibus, & in sarcinulā compositis, iter maturaverat. Violenter ergo retractus ante Imperatorem sistitur. Quiletum subridens, probè, inquit, fecisti, & ego gratulor probitati tuæ, qui timorem Dei pluris pendis, quàm patriam, plus iram Dei. quàm meam. Quapropter habeto Episcopatum, qui primus in Imperio vacaverit, tantùm indecenti amori renuncies. Idem Henricus celebrabat Pentecosten apud Moguntiam. Paulò ante missā cū sedilia pararētur, in Ecclesia ortū est jurgium inter cubicularios Archiepiscopi, & Abbatis Fuldensis Cœnobij, vtrorum dominus juxta Imperatorem sederet. Nam Fuldense Cœnobium in Saxonia sancti Galli corpore insigne, & prædiis ditatū est permagnificis; cujus loci Abbas sexaginta millia armatorum præbet in hostem Imperatori; & habet ex antiquo privilegium, vt in magnis festivitatibus ad dexteram ejus sedeat. Itaque ventum est ad pugnam, furoreque per Ecclesiam grassante pavimentum sanguine inundavit: sed statim Episcopis convolantibus pace inter reliquos diffidentes statuta, templum purgatum, & Missa festivis clamoribus acta. Sequentia autem percantata, & vltimo ejus versu dicto, *Hunc diem gloriosum fecisti*, vox ab aëre lapsa est, *Hunc diem bellicosum ego feci*. Rigentibus omnibus præ timore, Imperator diligenter intendens lætitiam inimici, tu, inquit, omnis malitiæ inventor simul & incentor, diem bellicosum & arrogantibus luctuosum fecisti; sed nos per Dei gratiam, qui illum gloriosum fecit, pauperibus gratiosum reddemus, & mox reincœpta sequentia solemni ploratu Spiritus sancti gratiam invitabat, intelligens illum advētasse illis plorantibus, illis cantantibus, omnibus simul pectora tundentibus. Finita Missa egenis per præcones conclamatis, omnes dapes quæ sibi & curialibus dabantur, in vsus eorum exhausit, ipse obsonia apponens, ipse juxta disciplinā ministrorum de longè consistens: ipse superflua ciborum abstergens. Idem Henricus tempore Conradi patris sui à quodam clerico fistulā tulerat argenteam, qua pueri ludentes aquam jaculantur pactus ei Episcopatum, cùm foret Imperator. Adultus repetenti pollicitum impigrè dedit. Non multò pòst aspero morbo corre ptus decubuit, & morbo crescente triduo exsensis & mutus jacuit. Episcopi præsentes triduano indicto jejunio pro vita ejus Domino supplicabant. Convalescens accitum Episcopum, quem pro fistula fecerat, sententia Concilij deposuit; professus, se toto illo triduo dæmones infestos sibi vidisse, flammam in se per fistulam jaculantes; flammam dico adeo pertinacem, vt noster ignis respectu illius jocus putetur: interim verò juvenem semiustulatum aduentasse, ferentem calicem aureum immensę magnitudinis, aqua plenum; cujus visione & laticis aspergine extinctos ardores evaserat. Hic erat beatus Laurentius martyr gloriosus, cujus Ecclesiæ tectum lōga carie dissolutum compaginari fecerat, & præter alia munera calice aureo eamdem Ecclesiam honoraverat. Eumdē Henricum aliquādo inimicos fugitantem cerva quædam vltra invadabilem fluvium evexit. Sigebertus. Henricus Imperator vadit ad debellandum Odelricum ducem Bohemanorum, sed Bohemanis viriliter resistentibus inefficax redit.

Exemplum aduersus Simoniacos.

B. Laurentij auxiliū.

Henricus Imperator per orationes sanctorum virorum auxilio Dei sibi procurato superioris anni infortunium vltus, Odelricum ducem Bohemiæ superat. 1041.

Bello intestino inter Hungaros moto, Petrus Rex ab eis depulsus regno, auxilium ab Imperatore Henrico petit: qui propter eum Hungariā devastat. Guatho ex clerico sancti Lamberti, vir spiritu sapientiæ & scientiæ & fervore religionis insignitus, fit Leodiensis Episcopus. 1042.

Guillelmus. Hoc anno regnare incœpit Eduardus Egelredi filius: qui regnauit annis fere 24. Hic adeo mansuetus fuit, vt nec viles homines verbo lædere nosset; & tamen erat ei apud domesticos reuerentia vehemens, apud exteros metus ingens. Nam fovebat eius simplicitatem Deus, vt posset timeri, qui nesciret irasci. Die sancto Paschæ apud Londoniam magna pompa coronatus est ab Edisio Archiepiscopo. Egitham filiā Goduini duxit vxorem; in quam omnes penè liberales artes confluxerant; quæ vivo & mortuo marito probri suspicione non caruit; sed moriens tempore Guillelmi vltro iureiurando de integritate satisfecit. Rex ita eā tractauit, vt nec thoro amoueret, nec virili more cognosceret. Goduinus iste aliquādo sedens ad mēsā iuxta Regem orto sermone de Elfredo fratre Regis, Tu, inquit, ô Rex, ad omnem memoriam fratris tui rugato, vt video, vultu me aspicis. Sed nec patiatur Deus, vt istam offā transglutiam, si fui cōscius alicuius rei, quæ spectat ad eius periculum, vel tuum incommodum. Hoc dicto offa quam in os miserat suffocatus, oculos inuertit ad mortem. Inde ab ipso filio eius Aroldo, qui Regi astabat, sub mensa abstractus est. Hic Goduinus habuit priùs vxorem sororem Cnitonis, ex qua puerum genuit; qui dum equo puerili iactanter superbiret, ab eodem portatus in Tamensem fluuium, suffocatus interiit. Mater quoque eius ictu fulminis exanimata est. Hæc dicebatur agmina mancipiorū in Anglia coëmpta Danemarchiā solere mittere, maximè puellas pulchras. Iste Rex Eduardus miraculis & prophetiæ spiritu claruit. Pauperibus hospitibusque, maximè transmarinis, benignus & munificus. Die sancto Paschæ sedens ad mensam apud Vestmonasteriū diademate coronatus, & optimatum turba val-

Pejerans suffocatur, vt imprecatus fuerat.

latus, ceteris auidiùs comedentibus, avocato à terrenis animo diuinum quiddam speculatus, effusus est in risum. Remotis mensis eius optimates eũ prosecuti sciscitantur, cur riserit. Cunctatus multùm diuq; respondit. Septem dormientes in monte Cælio requiescunt, & iam CC. annis in dextero iacentes latere, nunc in ipsa hora risus mei latus inuerterunt sinistrum; futurũque est, vt 74. annis ita iaceant, dirũ nimis miseris mortalibus omen. Nam in his 74. annis omnia ventura sunt, quæ Dominus circa finem mundi prædixit ventura: gentem contra gentẽ surrecturam, & regnum adversus regnum; & terræ motus, & pestilentiam, & famem, & terrores de cælo, Gentilium in Christianos bella, Christianorum in eosdem victorias. Talia mirantibus inculcans, 7. dormientium passionem, & habitudines singulorum, quod nullta docet litera, ita eis disseruit, ac si quotidie cum eis victitaret, Erant autem eius optimates, qui eum sciscitabantur, Aroldus, & Abbas vnus, & Episcopus vnus. His auditis Comes Aroldus misit ad inquirendam veritatem militem vnũ, Abbas monachum, Episcopus clericum, ad Imperatorem Constantinopolitanum; adiectis Regis sui literis & muneribus. Quos ille secum benignè habitos ad Episcopatum Ephesi destinauit, Epistola, quam sacram vocant, comitante, vt ostenderentur Legatis Regis Angliæ 7. Dormientium corpora Factumque est secundum prophetiam Eduardi Regis. Nam Græci omnes tunc jurarunt, se accepisse à patribus, illos 7. super dextrum latus quiescere: sed post introitum Anglorum in speluncam super sinistrum eos invenisse. Nec mora omnia illa secuta sunt, quæ prædixerat. Agareni enim, Arabes, & Turci, Syriam & Lyciam, & minorem Asiam, & maioris multas vrbes, inter quas Ephesum & Ierosolymam, depulati sunt. Septem annis postea proximis tres Papæ, idest Victor, Stephanus, & Nicolaus mortui sunt. Apud Constantinopolim Constantinus monachus imperat. Magister Hugo in Chronicis, post Basilium & Constantinũ fratres, quos superiùs prænominauerat, ponit Constantinum fratrem Basilij solum: post hunc Romanum generum ejus: cum vxore Zoë, deinde Michaelem Etheriarchum cum Zoë, deinde Michaëlem Archontopantui cum Zoë, deinde istum Constantinum monachum cum Zoë; sed non ponit annos illorum. Henricus Imperator iterum Hungariam ingressus cum paucis, Albonem Regem bello fugavit, & lanceam insignem Regis recepit. Petrum verò, quem Alba expulerat, Hungarorum regno restituit, & Hungariam sibi tributariam fecit.

Vsio Regis Anglorum de septẽ dormientibus.

1043.

1044. Fames valida Galliam & Germaniam vexat. Obiit dux Gothelo; cujus filius Godefridus, dũ ei ducatus Mosellanorum denegatur, altero ducatu repudiato, contra Imperatorem rebellat.

1045. Godefridus hortatu quorumdam fidelium ad recuperandam Imperatoris gratiam adductus, ab Imperatore capitur, & custodiæ mancipatur: sed filium suum dans obsidem, relaxatur; quo defuncto in obsi datu, iterum rebellat. Benedictus, qui simoniacè Papatum Romanum invaserat, cùm esset rudis literarum, alterum ad vices Ecclesiastici officij exequendas fecit. Papam Silvestrum consecrari fecit. Quod cùm multis non placeret, tertius superducitur Gregorius, qui duorum vices solus impleret.

Magister Hugo. Silvester 3. sedit Papa 152. diebus 56. post quem Gregorius 6. sedit Papa 153. annis 2. Iste Benedictus 9. vt ait Petrus Damianus, nepos fuit superioris Benedicti 8. & dictus est Benedictus minor, respectu illius majoris: de quo majore Benedicto idem Petrus Damianus sic refert. Episcopus, inquit, quidam Capuanus vidit Benedictum majorem Papam nigro quasi corporaliter equo insidentem. Heus, inquit, nõne tu es Papa Benedictus, quem jam defunctum novimus? Ego sum, inquit, infelix ipse. Quomodo, inquit, est tibi, Pater? Graviter, inquit, torqueor; sed de Dei misericordia non despero, si mihi adjutorium præbeatur. Sed perge ad fratrẽ meum Ioannem, qui nunc Apostolicam sedem occupat; eiq; de mea parte dic, vt illam potissimè summam quæ in tali theca reposita est, pro me in pauperes distribuat, sicque me redimendum esse. Quandocumque tamen hoc miseratio diuina decreuerit, cognoscat. Nã cætera quæ pro me indigentibus tradita sunt, nil mihi penitus profuerunt; quia de rapinis & iniustitijs acquisita sunt. His auditis Episcopus Romam impigrè adiit, & Ioanni Papæ fratris verba narrauit; & Episcopatum mox deseruit, & monachum induit. Ejusdem verò Benedicti nepos Benedictus, qui post eum tertius, Ioanni verò Papæ 2. in Papatu successit, vt Vmbertus Archiepiscopus mihi narrauit, apparuit cuidam Vasso iuxta molendinum equo insidenti, & iter agẽti. Apparuit autem in speciem monstruosi animalis, cuius aures & cauda asini erant, cætera vrsi. Cũque Vassus tremefactus fugam iniret, clamauit monstrum illud. Noli, ô vir, expauescere: scito me hominem fuisse, sicut tu es. Sed quia bestialiter vixi, post mortem præsentẽ bestiæ speciem indui. Ad quem Vassus. Quisnam fuisti? Ego ait solo nomine Benedictus fui; qui nuper Apostolicã sedem indignus obtinui. Ad quem ille. Quid habes retributionis? Nunc, inquit, vsque addiẽ iudicij per dumosa, & squalentia, & sulphurea loca, & fætida, & bullientia raptor, & pertrahor: post extremum verò judicium corpus meum simul & animã irremediabilis cruciatus & irrevocabilis olla gehennalis baratri me deglutiet; ita vt mihi nulla spes in posterum recuperationis restet. Post hæc verba disparuit. Fuerat autem ab ipso Pontificatus exordio vsque ad finem vitæ in cœno luxuriæ conuersatus; & ideo ab auribus asini in caudam desinebat: duxerat autem per totum vitam carnalẽ, ideo cetera vrsus erat. O quàm melius illi fuerat, vt Episcopatum deseruisset: Post hunc Benedictum sedit Siluester 36. vt supra dictum est, diebus 55. Post quem Gregorius 6. antè dictus Gratianus, magnæ religionis & sanctitatis vir: de quo Guillelmus hoc modo refert. Is ita Romani Apostolatus statum per inertiam antecessorum diminutum inuenit: vt pręter pauca oppida vrbi vicina, & oblationes fidelium, nihil haberet, quo se sustentaret. Ciuitates & possessiones in longinquo positæ, quæ ad ius Ecclesiam pretinebant à prædonibus ablatæ erant: tramites publici & strata viarum per totam Italiam à latronibus stipabantur, vt nullus peregrinus nisi cũ maiori manu impune trãsiret. Cessatum est ab omni prouincia Romam iter aggredi. In ipsa vrbe in medio foro vagabantur sicarij. Apostoli Ecclesiam videre cupiens in sicarios incidens, nullo modo sine substantiæ vel salutis damno domũ revertebatur.

Siluester 3. Papa 152. Gregorius 6 Papa 153.

Perpẽde, an hæ visiones sint probãda

Miserabilis status Italiæ

Super ipsa sanctorum Apostolorum & martyrum corpora, super sacra altaria gladij nudabantur. Oblationes accedentium vixdum apposita de manibus abripiebantur, abreptæ in comessationes, & scortorum ablutiones insumebantur. Tantis malis Gregorius primò leniter, & vt Pontificem decet, occurrere cœpit, amore plusquam terrore; verbis, plusquā verberibus agens. Mandat vrbanis, vt à peregrinorum infestatione cessarent, & à rapina sacrorum. Alterum enim est contra naturam, vt ille qui cōmuni vescitur aëre, non communi fruatur pace: & Christianus inter Christianos liberè progredi debet: dū omnes sint ex vno famulitio, & omnes vnius sanguinis conjuncti coagulo, redempti pretio. Alterum verò contra præcepta Dei; qui præcepit, vt qui altari deserviunt, de altari vivant. Domum Dei, debere esse domum orationis, nō speluncam latronum, non gladiatorum conventiculum. Permitterent oblationes fidelium in vsus transire Sacerdotum, vel in expensas pauperum; se aliquo modo provisurum illis, quos egestas ad rapinas compellebat. Quos autem cupiditas exagitabat, ipsi sibi pro timore Dei, & seculi honestate modum ponerent. Invasores ecclesiastici patrimonij mādatis & epistolis invitavit, vt aut indebita redderent, aut se jure illa tenere in Senatu Romano probarent. Si neutrum facere vellent, Ecclesiæ membra se non esse cognoscerent. Talia frequenter concionatus, aut nihil, aut parum profecit. Tunc excommunicavit omnes, qui aut talia agerent, aut agentibus convivio vel colloquio participarent. Illi autem excōmunicati contra furere, minis aures territare, muro vrbis armis circumsonare, adeo vt penè Papā occiderent. Tūc Papa ferro abscissionis vtendum judicans, arma & equos vndecumque congessit, milites & equites adornavit. Ac primùm Ecclesiā B. Petri preoccupans, raptores oblationū vel extinxit, vel effugavit. Occisis itaq; sibi resistentibus, predia & oppida multo tempore amissa in antiquū jus restituit. Quirites interea rapto vivere assueti, sanguinarium illum vocabant, & indignum, qui Deo offerret, tot cædium conscius. Ipsi etiā Cardinales hæc dicebant: adeo vt cùm ille valetudine, qua defunctus est, decūberet, consilio prius inter se habito, auderent eū admonere, ne se in Ecclesia S. Petri cū ceteris Apostolicis tumulari præciperet, qui tot hominum mortibus officium fœdasset. Tunc ille recollecto spiritu, torvisque luminibus minax, hanc orationē habuit.

Preclara Papæ ad Cardinales oratio

Si in vobis vel scintillula humanæ rationis, vel scientia divinæ authoritatis esset, tam præcipiti sensibus non conveniretis Pontificem vestrum. Qui quantum vixi, & patrimonium meum in vestra commoda effudi, & famam mūdi pro vestra liberatione neglexi: & si alij hæc quæ proscinditis atterrerent, par erat, vos obsistere, opiniones stultorum melioribus interpretationibus lenientes. Cui, quæso, thesaurizavi? Forsitan mihi. At thesauros antecessorum meorum habebam, qui cuiuslibet avaritiæ sufficerent. Quibus salutem, quibus libertatem restitui? Referretis quidē, mihi. At adorabar à populo, & liberè quæ volebā actitabam; applaudebatur mihi totis orationib⁹, acclamabatur in laudes meas totis dieb⁹. Has laudes, hos plausus abstulit mihi vestræ tenuitatis contuitus: ad vos flexi animū, & severiùs agendum existimavi: fortunarum vestrarum loculos predo impius baligurriebat. Vos inopē vitā diuno pane agebatis: ille de oblationibus vestris pretiosa sibi serica mercabatur: vos populari & diffuso amictu occultos movebatis jocos. Itaque cùm hæc nequirem pati, bellum alius indixi, vt damno civium emerem gloriam clericorum. Sed vt modò experior in ingratos collata beneficia perdidi. Quod alij per angulos mussitant, vos in publico enomitis: & libertatem quidem probo, sed pietatem requiro. Morientem patrem filij de sepultura sua exagitant. Communem mortalium domum mihi negabitis? Non arcetur ab introitu Ecclesiæ meretricula, non vsurarius, non latro: & vos Papam ingredi prohibebitis? Quid refert, an mortuus, an vivus sacrarium intrat: nisi quòd vivus multis adhuc tentatur illecebris, vt nec in Ecclesia à macula sit immunis: ibi sæpe peccandi reperiens materiam, vbi venerat diluere culpam. Mortuus peccare nescit, imò nequit, supremo carēs viatico. Quàm immanis igitur barbaries est, vt hunc à domo Dei excludas, cui peccandi desit & voluntas & facultas! Quapropter, filij, tam præruptæ audaciæ pœnitentiam agite. Stultè enim & amarè locuti estis. Sed ne sola me niti authoritate putetis, & rationem accipite. Omnis actus hominis secundum cordis intentionem debet examinari; vt eo vergat facti judicium, vnde processit faciendi consilium. Vt enim veritas dicit, *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit: si autem nequam, totum corpus tuum erit tenebrosum.* Crebrò miserabilis interpellavit egenus, vt ejus levarē inopiam. Ego futurorum nescius non abnui, sed diversis monetis onustum dimisi: discedens ille latronem offendit, qui videns eum nummos portantem, clava quam ferebat percussum occidit. Numquid inde judicandus sum, qui peregrino dederim, vnde causā mortis incurrit? In legibus Ecclesiasticis & forensibus idem factum diverso respectu & punitur & laudatur. Animadvertitur in latronem, qui hominem occidit in occulto: probatur in milite, q fuderit hostem in bello. Itaque homicidiū in isto laudabile, in illo vituperabile. Laudatus est olim prædecessor noster Adrianus I. prædicandæ memoriæ, quòd investituras Ecclesiarū Carolo magno concesserit, ita vt nullus electus consecraretur ab Episcopo, nisi prius à Rege insigniretur baculo & annulo. Erat enim animus Caroli invictus adversùs avaritiam: nec facilè tunc invenisset aditum aliquis, nisi intrasset per ostium. Preterea per tot terrarū intercapedines nequibat requiri sedes Apostolica, vt vnicuique electo assensum suum commodaret: dum esset prope. Rex qui nil per avaritiam disponeret. Nunc omnia Regum palatia luxus & ambitus occupavit: quare meritò sponsa Christi libertatem suam asseverat, ne illā tyrannus ambitioso vsurpatori prostituat: laudaturque in nostri seculi Pōtificibus, quòd has donationes tales interdixerint principibus. Certè, non est Episcopi officium, vt ipse jubeat committi prælium. Cæterum spectat ad munus Episcopi, vt si naufragium innocentiæ videat, & manu & lingua occurrat. Ezechiel Sacerdotes accusat, quod non steterint ex adverso, non se opposuerint murum vel clypeum pro domo Israël. Duæ sunt personæ in Ecclesia ad resecanda vitia constitutæ: vna quæ exacuat eloquiū, altera quæ præstet gladium. Ego, vt vos mihi testes estis, non neglexi partes meas: Quoad speravi proficere, armavi linguam: illam cujus interesset, magere gladio,

Mat. 6

certificaui nuntio. Occupatum se rescripsit bello Vindelicorum, rogans vt meis laboribus, & suis expensis non grauaret latronum conciliabula deturbare. Si renuissem, quam excusationem Deo afferrem, cùm Imperator suas in me refudisset partes? Viderem cædem ciuium, damnum peregrinorum, & dormitarē? Quisquis parcit latroni, occidit innocentem Sed objicitur, non esse Sacerdotis, vt se cæde cujusquam commaculet. Verum est: sed non se inquinat, qui lontem premēs, insontem liberat. Imò verò beati qui custodiunt judicium, & faciunt justitiam in omni tempore. Sacerdotes fuerunt amplissima laude famosi Phinees & Matathias: qui ambo in delinquentes manu sua vlti sunt. Alter amplexus venereos pugione confodit; alter idolis immolantem immolatitio cruori cōmiscuit. Zacharias Sacerdos thurificantem Regem expulit; & proculdubio non dubitasset occidere, nisi Deus illum accelerasset cædere, prævenit eādem manum plaga divina, vt illius cadaver depasceret lepra, cujus animus vsurpasset illicita. Deturbatur Regis devotio; & non deturbabitur latronis cupido? Parum est, quod excuso: etiam laudandum est, quod feci. Contuli enim illis beneficium, quibus videor intulisse exitium. Pœnam minui, dum mortem acceleravi. Sceleratus enim quanto plus vixerit, tanto plus peccabit; nisi fortè sit aliquis, quem Deus exemplo singulari respexerit. Mors in commune bona est omnibus: per eam justus reponitur in cœlestibus, injustus ferias ponit sceleribus. Malus per eam dat flagitiis terminum; bonus pertendit ad bravium. Sanctus propinquat ad palmam: peccator spectat ad veniam, quia figit flagitiis metam. Gratiæ mihi habendę sunt illorum vice, qui tantis miseriis exempti sūt meo munere. Hæc habui, quæ pro me dicerem, vt vestras assertiones evacuarē. Sed quoniā meę & vestræ comminationes falli possunt, committamus nos divino examini. Corpus meum antecessorum more compositum ante januas Ecclesiæ sistite: januæ feris & repagulis damnentur. Si Deus voluerit; vt ingrediar, applaudatis miraculo: sin minus de cadauere meo faciatis quidquid vobis placuerit. Sic factum est. Mox enim vt corpus ejus ante portas Ecclesiæ seris occlusas positum est, turbo ingens divinitus emissus repagula & obstacula dirupit: & ipsas valvas vehementi impetu patefactas ad parietem cum magno fragore impulit.

Cadaueri Papa diuinitus aperitur Ecclesia.

Eodem tempore mulier apud Bertheleriam Angliæ villam auguratrix & malefica, cùm quadam die comminaretur cornicula quā habebat in delicijs, vocaliùs solito nescio quid cōminata est. Quo audito dominæ cultell' de manu excidit, simul & vult' expalluit, & ingemiscens diutissimè ait. Hodie ad vltimū sulcum pervenit aratrū meum: hodie audiam & accipiam grande incōmodum. Adhuc ea loquente venit nuntius adeā dicens. Mortuus est filius tuus, & tota familia subita ruina interiit. Quo audito continuò dolore saucia decubuit: vocarique fecit superstites liberos, monachum & monacham, quibus singultiendo ait. Ego miserabili quodam fato meo dæmoniacis artibus semper inservij. Ego vitiorum omnium sentina, & illecebrarum magistra fui; & sperabam tamen in religione vestra, à me ipsa desperaui. Nunc ergo quia scio me dęmones habituram exactores in pœna, quos habui suasores in culpa; rogo vos per materna viscera, vt mea tenteris alleuiare tormenta. Nam de anima sententiam damnationis non reuocabitis. Corpus ergo meū insuite in corio ceruino, & includite in lapideo sarcophago, & operculum ferro & plumbo constringite, & lapidem ipsum trib' magnis catenis circumdate. Si tribus noctibus ita securè jacuero, quarta die infodietis me humo: quamquam verear, ne terra nolit me recipere, pro maleficiis meis: psalmicines 50. sint noctibus, & missæ cantentur pro me tot diebus. Factum est, vt præceperat, & nil valuit. Primis enim duab' noctibus cùm chori clericorum psalmos canerent circa corpus, singuli dæmones ostium Ecclesiæ immani obice clausum leni negotio confringentes duas extremas catenas diruperunt, media quæ operosiùs elaborata, illibata durante. Tertia nocte circa galli cantū strepitu advenientium hostium omne monasterium visum est à fundamentis moveri. Vnus autem cæteris & vultu teribilior, & statura celsior, januas maiori vi concussas in fragmenta deiecit; & atroganti gestu accessit ad sarcophagum. Inclamatoque nomine, vt surgeret imperauit. Qua respondente, nequeo pro vinculis, solueris inquit, & malo tuo. Statimque catenam quæ ceterorum ferociam eluserat, nullo conatu ille vt stupam dirupit, operculumque tumbæ pede depulit, & apprehensam manu palam omnibus ab Ecclesia extraxit ad fores, vbi paratus erat equus niger superbum hinniens, vncis ferreis per totum protuberantibus. Super quos misera illa imposita, mox ab oculis intuentium cum toto sodalitio disparuit: audiebantur tamen clamores per 4. ferè milliaria miserabiles suppetias orantis.

Suspecta historia.

Hucusque Guillelmus. Hinc Sigebertus. Instinctu Godefridi Comes Flandrēsium Balduin' contra Imperatorem rebellat. Romæ vno contra duos, & duobus contra vnum altercantibus de papatu, Imperator Romam vadit; & eis Canonica & Imperiali censura depositis Suidegerus Babenbergis Episcopus, qui & Clemens, fit Papa 154. & ab eo Rex Henricus in Imperatorē benedicitur. Sedit autem mensibus 10. diebus 7. Iurauerunt autem Romani se sine consensu Hērici Imperatoris numquā Papam electuros. Deoderico Metensium Epicopo defuncto succedit Adalbero fratruelis ei', vir magnæ prudentiæ & sanctitatis. Ecclesia sanctæ Gertrudis Ningellēsis, quæ ante aliquot annos per negligentiam & injuriā Dominici sanguinis effusi concremata fuerat, in novam reædificata benedicitur, præsente Imperatore.

1046.

Clemens Papa 154.

Nix tanta in Occidente decidit, vt silvas frangeret. Damasus 2. fit Papa 155. qui sedit diebus 24. Godefridus palatium Neomagi incendit, & irreparabiliter destruit. Vrbem Clavorum, quæ Virdunus dicitur, cū majori sanctæ Mariæ Ecclesia similiter incendit. Franco scholasticus Leodiensiū, & scientia litterarū, & morum probitate claret: qui ad Hermannum Episcopum scripsit librum de quadratura circuli, de qua re Aristoteles ait. Circuli quadratura est scibile: scientia quidem nondum est, illud verò scibile est.

1047. Damasus 2. Papa 155.

Liber de Quadratura circuli.

Berno Leucorum Episcopus fit Papa 156. & vocatur Leo 9 qui sedit annos 5. menses 2. dies 6. Hic cum ad capescendam sedem Apostolicam Romam pergeret, audivit voces Angelorum cātantium, *dicit Dominus, Ego cogito cogitationem pacis, & non afflictionis.* Hic de multis Sanctis cantus

1048. Leo 9. Papa 156.

cantus cōposuit, & multa fecit & scripsit Ecclesię vtilia. Hic cùm in Papatu pauperem leprosum ante fores offendisset, totum diligenter in lecto suo collocauit: quē cùm reserato ostio non inuenisset, in paupere se Christū suscepisse obstupuit.

Sciendum tamen, quod hunc Leonem ponit magister Hugo duobus annis tardiùs, id est anno Domini 1050. quod & veri⁹ est, sicut postea probabimus. Obiit Odilo Cluniacensis Abbas, cui successit Hugo Augustodunensis territorij indigena, patre Dalmatio Consulari Domino castri Sumnum. Mater eo prægnans fastidio partus laborans, quemdam religiosum consuluit. Qui ad Missam positus in contemplatione, vidisse fertur speciē infantilem supra humanum modum mirificè radiantem. Hic adolescens missus est in expeditione quadam in prædam cum coquis, & cujusdam rusticuli substantiolam diripuit inuitus; cui postea annuatim reddidit, quod semel perdiderat. Mortuo Odilone, qui monachorum Archangelus vocabatur, cùm esset Prior, in Abbatē electus est, primo eum nominante Adalmanno, qui senex & cocus, 40. annis claustralis prouisor extiterat, plerisque suorum id iniunxerat officij, vt foras circuirent, panes & carnes, diversaque edulia compararent, cum pannorum multiplici textura. Circa lectum ejus inveniebantur, diversæ supellectiles ad vsus pauperum coēmptæ: hinc calceorum vel interularum, siue tunicarum fasces; illinc panum massæ, & carnium acerui. Tunicas quoque pauperum cum monachis vel familiaribus ipse sarciebat. Pater ejus facto ducis Burgundiæ, qui sororem ejus habebat peremptus, spatium pœnitentiæ perdidit: pro quo piissimus Hugo ita se mactare studuit, vt præter jeiunia & eleemosynas & Missas, etiam loricam gestaverit. Alium quemdā militem fratris sui Dalmatij homicidam in Cluniaco suscepit. Angelū sui custodem nonnumquā videbat. Hildefonsus Rex Hispaniarū plus omnibus illum excolebat, quia ei⁹ precibus de captione fratris sui euaserat. Qui frater ejus nomine Sancius per quemdam Episcopum admonitus est ex parte S. Petri qui ei apparuerat, vt fratrem suum Hildefonsum relaxaret, & eum vsque ad sceptrū proueheret. Postea ipse B. Petrus Apostolus eidem Sancio comminando mortem, nisi hoc faceret, intimauit. Qui mox surgens exturbatus fratrem emancipauit, duplicato censu paterno. Hildefonsus autem emancipatus intercessoribus suis Cluniacensibus ducentas auri vncias annuatim soluere decreuit; & diem liberationis suæ celebrem eis reliquit. Quadam die dum dormiret, vidit per somnium sub capite suo cubare serpentium multitudinem: subitoque capitale suum excutiens, invenit librum Virgilij suppositum, abiectoque codice seculari in pace quieuit. Aliquando fratres monasterij B. Mariæ de Caritate ex cōsuetudine pacis osculo cōfortabat. Dum ergo eum singuli per ordinem oscularentur, venit quidā monachus in ordine suo ad eum osculandū, quem sanctus reiecit. Interrogatus postea à patre suo, respōdit se esse mechanicum, & nigromantiæ præstigiis infectum, quem mox sanctus Hugo de monasterio expelli fecit. Dormiens quadam die apud S. Ioannē Baptistam Angeliacensem, vidit in spiritu fulgur desublimi veniens, auditorium Cluniaci scindere. Mox ei venit in mentem, aliquem de fratribus aliquid offendisse, quod imputandum esset conventui, nisi è vestigio concurreretur.

Odilo monachorum Archangelus.

Serpentes librum Virgilij significāt.

Cōtinuò rebus inceptis interceptis suos vrget ad reditum, & cunctis admirantib⁹ Cluniacum improvisus advenit. Ingressusque Capitulum circumspectis omnibus, illum qui scandalum fecerat severiùs increpavit. Petre, inquiens, revela priori culpam, denuda vulnus, vt sentias medicinam. Sic Petrus de Tarnaco quod commiserat confessus est. Quidam frater, nomine Durannus de Brendon, priùs idiota apparens, postmodum Moysiacensis Abbas, demum Episcopus Tolosanus, circumspect⁹ per cetera, verba risum moventia sæpe incautiùs proferebat. Qua de re sanctus multoties eum increpans, & non satis proficiens, de cetero interminatus propheticè sic eum commonuit. Certè, inquit, frater, nisi verba ludicra monacho prorsus interdicta viuēs dimiseris, post obitum districtiùs correptus, spumātibus labiis ad superos rediens enormiter apparebis. Qui postea taliter apparuit Siguino capellano ejusdem patris; flebiliterque, vt sanctus Hugo pro eo intercederet, exoravit. Quod cùm idem Siguinus sancto Hugoni referret, præcepit, vt 7. fratres vna hebdomada pro defuncto silētium continuum tenerent. Quorum vnus silentium interrupit. Rursumque idem Pontifex eidem denuo revelatus, valde conquestus est super illo fratre, qui dum non siluit, sanitatem illius interpolavit. Quod audiens sanctus præcepit, vt illa fractura silentij aliorum 7. dierum silentio sarciretur. Quo facto idem Pontifex in habitu Apostolico se ostendens, purgatori suo gratias reportavit. In Silviniaco quidam frater à diabolo deceptus manum sibi inferens, quasi ad anticipandam coronam martyrij, se in sylua necavit. Erat autem gravis iracundiæ; & ideo fortè adversarius in eum prævaluit. Hujus anima ad judicium rapta accusatorem prætendentem cultellum necatorium infestum habuit. Miser suæ prodigus animæ exutus cuculla Apostolica intercessione obtinuit, quatenus ante introitum claustri Cluniacensis tandiu maneret cucullam habens in manibus, donec precibus sancti Hugonis & fratrum illam induere mereretur; & ordinem suum recipere. Confestimque pius pater tamdiu precibus & eleemosynis & hostiis præcepit insistere, quousque spiritus defuncti alia visione cum habitu suo apparuit; & corpus cœmeterio non judicatur indignum. Hanc visionem frater quidam conspiciens, non statim vt debuit, indicavit. Quocirca in tempore Rogationum ceteris ad processionem directis, solus in choro remanserat, vt pote claudus. Apparuit ergo illi vigilanti S. Odilo forma visibili cum duobus viris. Et ecce facta oratione ante altare, illo vocato ingressus est in capitulum, fratrisque illius pigritiam increpavit magna asperitatis vehementia, præcipiens assessoribus suis, acerrimam illi inferri disciplinam. Post letanias correptus nuntiavit Abbati tam visionem, quā suam correptionem & afflictionem. Planetam beati Petri Apostoli apud Antiochiam gestatam habebat secum: de qua tangens ipse Robertum virum illustrem paralyticum apud Parisius, dixit. Petrus Apostolus dixit paralitico, *sanet te Dominus Iesus Christus: surge & sterne tibi*; & statim sanus factus est. Vrigo vir laudabilis & voce festivus in natali Domini raucitatem incurrerat, dolensque quia cantare non poterat, cùm sederet ad suppedaneum Abbatis, misit manum post dorsum ejus, & tulit pileum ipsius, & collo suo circumdedit corrigiam capilli; & mox ei vox

Purgatoriū vanis verbis addicti.

Homicida sui vt sepultus in loco sacro.

Antiphona Ecclesia.

reddita est. Reparavit Cluniacensem Ecclesiam, ita ut fit millenis fratribus capiendis idonea: inductus ad hoc monitu beati Petri Apostoli, qui cuidam veterano apparuerat, & hoc ei injunxerat, vt Abbati diceret ex parte ejus, quatenus Ecclesiam repararet, & novam inciperet. Deinde visus est ipse Apostolus tenere funiculos, & tendere, & terminos ponere circumscribendæ quãtitati. In illa Ecclesia in die natalis Domini, post exhortationem fratrum in capitulo hanc visionem narravit. Vidit aliquis misericordiæ matrem in oratorio beatissimam Dei genitricem divinum infantem gestantem in sinu nitido, qui mundis manibus applaudens gaudenter dicebat. Eia nox ista tota mihi dedicata Nativitatem meam recolit, cælis gloriam, pacem hominibus, prophetis absolutionem advenisse pronuntiat. Nox ista meæ militat gloriæ, nox ista fulgoris magni luce radiabit. Vbi est modo, nequissimi hostis nequitia, qua solebat gaudere, antequam orirer ego sol justitiæ? Ortus sum de te, mater inclita, meo partu divino & regali dignissima. Dum hæc, inquit, diceret, qui dictum in potestate habebat, visus est videre diabolum prope assistentem, quem ita corripuit. Erubesce tentator, & fuge: præconia mea, quibus domus dilectæ resultant, te turpiter excludunt. His verbis increpatus, confusus ille longiùs abscessit. Puer autem è genitrice pia stipatus exercitu Angelorum vobiscũ, dilectissimi, celebrat solemne preclarum: occurrite Salvatori, voce jubilantes & animo. Contigit aliquando eundẽ sanctum Hugonem Eucharistiam sacrosanctam cuidam leproso dare, communioni hominum corporaliter subtracto, tunc verò communicanti. Qui tumentibus labiis & ore vlceroso corpus Domini injuriosè masticans, quamdam portiunculam importuna secatione rejecit, sequente nausea & spuma horribili. Aderat ibi quidam Goderannus beati Remigij alumnus, qui locum suum Cluniaco mutaverat. Hic præfatæ secationi manus vtrasque supponens, totam in os suum projecit, vomitum nauseantis fideliter absorbens. Stupefactus Hugo, tolerabiliorem fuisse Laurentij craticulam indubitanter asseruit. Idem Hugo per totam quadragesimam singulis diebus psalterium decantare consueverat.

1049. Leo Papa in Gallias veniens, vt motus Imperij à Balduino concitatos sedaret, Godefridum quidem Imperatori reconciliavit: Balduino autem pertinaciùs agente, Imperator contra eum exercitum duxit. Tandem Balduinus flexus, condicto die Aquis Imperatori satisfecit. Leo Papa in Gallia & Germania Synodis habitis statum Ecclesiæ melioravit. Eo tempore Remis translatum est corpus beati Remigij. *Translatio corporis S. Remigij.* In quo concilio interrogatus beatus Hugo de sui promotione, respondit. Caro voluit, spiritus repugnavit. Ibi ergo simoniaci tam populares quàm clerici, presbyterique vxorati, persuasione S. Hugonis à Catholicorum communione, & ab Ecclesiis eliminati sunt. In quo etiam concilio idem Hugo jussu Domini Papæ, & persuasione cujusdam nominatissimi viri sancti Constantij Remensis Canonici laudibiliter egit.

1050. Leo Papa dum Normannos à Romanorum terminis deturbare satagit, multam calamitatẽ incurrit: quia cum multis etiam ipse capitur. Sed tamen relaxari noluit, nisi etiam suis relaxatis. Sanctus Theobaldus inter nobiles Francorum non infimus hoc tempore clarebat: qui mundũ & semetipsum abnegans, & sequens Christum: in Vincentia Venetiæ vrbe reclusus 12. conuersationis suæ anno beato fine quieuit. Qui quàm acceptè Deo seruierit, post mortem eius miraculorum prodidit magnitudo. Ossa eius in Gallias translata multam multis in locis venerationem meruerunt. Bardo Maguntinus Episcopus obit; cuius sanctitas per multam miraculorum gratiam patuit. Balduinus Comes Laudensis inuaso Hagionensium Comitatu contra Imperatorem rebellat.

1051. Guillelmus. Eo tempore erãt duæ aniculæ in strata qua Romam itur, vno in tugurio morãtes, vno imbutæ maleficio: quæ hospitẽ, siquãdo solus supervenerat, in equum, aut asinum, aut suẽ mutabant, & mercatoribus vendebant, pretium bibentes. Quadam die juuenem quemdam gestibus histrionicis exigentem victum, susceptum hospitio asinum fecerunt, multum inde lucrantes, per asinũ scilicet, qui mirac[illegible] gestuum trãseuntes detinebat. Nã quomodocũque præcepisset anus, movebatur asinus. *Homo paru in asinum versus.* Non enim amiserat intellectum, sed loquelam. Multum inde quæstum conflauerant vetulæ. Audiens hoc vicinus dives, asinum emit magno pretio: dictũque est ei ab illis vetulis, vt custodiret eum, ne in aquam intraret. Servatus est asinus diu ab aqua: tandem incautiorem nactus custodiam in proximum lacum se projecit, & ibi se diutius volutavit, & figuram recuperavit humanam, & asininam perdidit. Custos eius sciscitatur ab eodẽ obuio, si vidisset asinum. Ille dixit se esse. Famulus refert ad Dominum suum, Dominus ad Apostolicum Leonẽ, virũ nostro sæculo sanctissimũ. Convictæ anus id fatentur. Dubitantem Papam confirmavit Petrus Damianus, producto exemplo de Simone mago, qui Faustinianum videri fecit in figura Simonis. Hinc apparet, quòd illi qui per nigromantiam fit, non potest in aqua fallere intuentem: sicut de pulvere illo, de quo superiùs diximus, qui in aurum vertebat, quidquid contingebat; non quod ita pro vero esset, sed quod ita videbatur, donec aqua dilueretur. Romæ per idem tempus erat juvenis quidam locuples, & nobilis; qui vxorem noviter duxerat, & sodalibus suis conuivium frequens paraverat. Post cibum itur in campũ, vt luderent. Rex conviuij ludi signifer pilam poposcit. Interim annulum sponsalitium digito extento statuę veneris æreæ, quæ proximè astabat, composuit: & cùm penè omnes solum impeterent, suspitiosus extis incalescentibus primus se à lusu remouit. Repetensque annulum invenit statuæ digitũ vsque ad volam curvatum, diuque ibi luctatur, nec annulum exuere potest, nec digitũ frangere; tacitusque discedens rem celauit sodalibus. Nocte intempesta cum famulo rediens, digitum invenit extentum, & annulum surreptum. Dissimulato damno ad nuptam redijt: cumque se in lecto juxta eam collocasset, sensit quiddã nebulosum & densum inter se & illam volutari, quod sentiri quidẽ, sed non videri poterat. Hoc obstaculo ab amplexu prohibitus audiuit & vocem. Mecum concumbe, quia hodie me desponsasti. Ego sum Venus, cuius digito posuisti annulum; habeo illum, nec reddã. Territus ille tanto prodigio, nihil referre velausus est, vel potuit. Insomnem duxit noctem illam, multum secum deliberans. Sic factum est per multum tempus, vt

quacumque hora cum sponsa concumbere vellet, illud idem sentiret & audiret. Erat sanè aliàs valens, & domi aptus & militiæ. Tandem querelis uxoris commonitus rem parentibus detulit. Illi habito consilio Palumbo cuidam Presbytero suburbano rem produnt. Is erat nigromanticus, & potens in maleficiis. Illectus ergo promissis multis, compositam epistolam dedit juveni dicens: Vade illa hora noctis ad compitum, vbi 4. viæ concurrunt, & stans tacitè considera. Transibunt ibi figuræ hominum vtriusque sexus, omnis ætatis, & gradus, & conditionis, equites & pedites, quidam læti, quidam tristes. Quidquid audieris, non loquaris. Sequetur illam turbam quidam statura procerior, forma corpulentior, & ipse Deus. Tunc accedens, huic tacitus epistolam trades legendam, statim fiet quod postulas. Sic factum est. Inter ceteros transeuntes vidit ibi mulierem ornatu meretricio mulâ inequitantem, crine soluto per humeros jactato, vitta aurea superiùs constricto, auream virgam gerentem in manibus; qua mulam regebat, præ tenuitate vestium penè nuda apparebat, gestus exequens impudicos. Vltimus Dominus turbæ terribiles in juvenem oculos exacuens, ab æquo superbo smaragdis & vnionibus composito, causas viæ ab eo requirit. Nihil ille contrà, sed pertenta manu porrigit ei epistolam. Dæmon notum sigillum non ausus contemnere, legit scriptum. Moxque brachiis in cælum elatis, Deus, inquit, Omnipotens, quamdiu patieris nequitias Palūbi Presbyteri? Nec mora satellites à latere suo mittit, qui annulum extorquerent à Venere. Illa multum tergiversata, vix tandem reddidit. Ita juvenis voti compos sine obstaculo potitus est diu suspiratis amoribus. Palumbus autē, vbi dæmonis clamorē ad Deum audivit, intellexit præsignari sibi finem dierum. Quocirca omnibus membris intus truncatis miserabili pœna defunctus est, confessus coram populo Romano inaudita flagitia.

1052.

Hæresis Berengarij.

Gallicana turbatur Ecclesia per Berengarium Turonensem, qui asserebat eucharistiam, quam sumimus in altari, non esse revera corpus Christi & sanguinem, sed figuram corporis & sanguinis; contra quem multum à multis & verbis & scriptis disputatum est. Inter quos domnus Guido Abbas de Cruce sancti Leufridi contra eum de corpore & Sanguine Domini elegantem edidit librum.

Guillelmus. Leo Papa Vercellis contra eum celebravit Concilium. Sed post Leonis obitum Hildebrandus, Archidiaconus cùm esset Turonis, mox Papa, Romæ adunatis Conciliis, eum compulit ad sui dogmatis Anathema. Responderunt ei Lanfrancus Archiepiscopus, sed præcipuè & fortiter Guimūdus, priùs monachus de sancto Leufredo Normandiæ, postea Episcopus Aversanus Apuliæ, nostri temporis eloquentissimus. Berengarius autē in fine ita resipuit, vt sine retractatione à quibusdā sanctus habeatur; plenus eleemosynis & humilitate, magnarum possessionum dominus dispertiendo, non famulus abscondendo & adorando, nullam feminā conspectui suo patiebatur admitti. Berengarius tamen quāvis se correxerit, eos quos depravaverat convertere nequivit: adeo pessimum est alios exemplo vel verbo à bono infirmare: quia fortassis peccatum te gravabit alienum, cùm deletum fuerit tuum. Quod Episcopum Carnotensem Fulbertum prædixisse aiunt. Hic autem cùm eum in extremis positum multi visitarent, & ædium capacitas vix confluentibus capiendis sufficeret, ille inter oppositas catervas oculos longè rimatus, Berengarium nisu quo potuit expellendum censuit; protestatus immanem dæmonem prope eum consistere, multosque ad eum sequendum blandiente manu, & illice anhelitu corrumpere.

Pœnitentia Berengarij.

Sed & ipse Berengarius die Epiphaniarum moriens, recordatus quot miseros quondam adolescens primo sui erroris calore secta sua infecisset, producto gemitu, Hodie, inquit, in die apparitionis suæ apparebit mihi Dñs meus Iesus Christus, ꝓpter pœnitentiā, vt spero, ad gloriā, vel propter alios, vt timeo, ad pœnā. Hoc anno corpus Edgari Regis Glistoniæ sepulti invenit Abbas Adilpradus incorruptum: & quia locell⁹ quem paraverat, magnitudine corporis angustior erat, regales exuvias ferro ausus est temerare, vnde continuò sanguis vndatim emicuit. Tunc regium corpus in scrinio, quod ipse Ecclesiæ cōtulerat, super altare locatum est cum capite S. Apollinaris martyris, & Reliquiis S. Vincētij martyris, quæ ille magno emerat: Abbatem verò temeratorem sacri corporis mox animus reliquit, nec multò pòst de Ecclesia egressum mors invenit. Sanatus est ibi furiosus & cæcus. Nusquam gentium, vt opinor, reperies, tot Sanctorū post mortem illibata corpora, vt in Anglia, quæ futuræ incorruptionis speciem prætendunt. Quod ideo divinitus factum existimo, vt natio penè extra orbem posita, in spem resurrectionis animetur, ex consideratione tot corporū quę incorrupta perdurant. Hæc sunt: Teocam, Beldrica, & Vuiburga virgines. Rex Edmundus, Archiepiscopus Elphegus. Cutbertus antiquus pater: omnes inviolatis cute & carne, flexibilibus articulis: extremus autem vitali quodā tepore, speciem dormientium indicantes. Kenulfus Rex Merciorū filium septennem Kenelmum Quendridæ sororis fidei alendum commiserat. Illa falsò sibi regnum præsagiens, infantulum tollendum è medio satelliti qui alumnus erat mandavit; qui puerum venatum ducens inter frutecta obtruncavit: quę celatum in Anglia, statim Romæ divinitus innotuit. Nam membrana super altare sancti Petri supernè delapsa clementis Anglicis scripta colūba deferente, & necem & sepulcrum per ordinem prodidit; quæ à quodam Anglo interpretata est: & mox Epistola Papæ Regibus Angliæ compatriotā martyrum indicavit. Vnde frequēti cultu corpus innocentis solēniter levatū est. Cumque deferretur Vuinteburum, Clericorum cantu & laicorum plausu excitata Quendrida parricidalis femina, ex fenestra cœnaculi in quo stabat caput extulit, & fortè psalterium præ manibus habēs continuatione lectionis pervenerat ad psalmum, *Deus laudem meam ne tacueris.* Quē à fine nescio quo præstigio retrogradè dicens, nitebatur cantantium lætitiam infirmare. Tunc verò vi divina oculi veneficæ à cavis orbibus evulsi cruore polluerunt versum illum, *Hoc opus eorū, qui detrahunt mihi apud Dominum.* Extant vsque hodie cruoris signa immanitatem mulieris, & vltionem Dei spirantia.

Psal. 108.

In Selesiensi Cœnobio pestis exorta multos interemit. Indictum est triduanum jejunium: secunda jejunij die puero eadem valetudine decūbenti apparuerunt Apostoli Petrus & Paulus, dicentes, non eum debere metuere mortem, quæ est & languoris exitus, & vitæ perennis introit⁹.

Ceterum neminē de illo monasterio hac pestilētia moriturum, quod Deus præclari Regis Osvualdi concesserit meritis, pro compatriotis eadem die supplicantis. Hunc enim esse diem, quo idem Rex occisus à perfidis aulam cæli intraverit. Quæsitus est dies mortis eius; ita inuentus. Ex tunc inter martyres annumeratus est.

Edmundus Rex martyr colitur.

Duces Danorum Hinguar & Hubba orientalium Anglorum depopulabantur provinciam: quorum primus Regem Edmundum non resistentem, sed projectis armis solo prostratum & orantem post aliqua tormenta decapitauit: caput autem à lictore inter dumeta projectū est. Quod dum cives quærerent, audierunt vocem capitis omnes ad se invitantis; quod lupus lacertis circumplexus custodiebat: qui bajulos post tergū ad tumulum vsque secutus est, neminem lædēs, & à nemine læsus. Super corpus eius primò extructa est capella lignea; quam cùm fures expilare vellent, invisibilibus loris in ipsis conatibus irretiuit. Caput ejus reliquo corpori compaginatum, signum martyrij coccinea cicatrice prætendit. Ejusdem sancti crines & vngues sensim pullulant; quos Osunen quædā sancta mulier quotannis tondere & resecare consueverat, sacra veneratione posteris profuturos. Huius sācti corpus cùm sibi minaciter ostendi præciperet Leostanus adolescens, famæ vt dicebat, incertū oculorum fide explorare desiderans; mox vt vidit, amens effectus est: post modicum vermibus scaturiens mortuus est. Etheldrita, vt Beda autor est; duobus viris nupta virgo permansit. Pater ejus fuit Anna Rex Orientalium Anglorū. Habuit quoque alias duas filias, Ethelburgam, & Sexburgam; quarum prima in monasterio Galliæ, quod dicitur Brigis, sanctimonialis primum, post Abbatissa fuit, semper incorrupta, āte mortem, & post mortem, sicut & soror sua. Altera Ercumberto Regi Cantuariorum vxor data est: ex quo genuit filias duas, Ercumgotam, de qua Beda multa scripsit, & Hermenildam, quæ Vulfio Regi Merciorum data est in conjugem: ex quo habuit filiam Vuiterburgam virginem: mater apud Belinum post matrem Sexburgam Abbatissa fuit. Filia apud civitatem Legionem pausat, quæ maximè orationes feminarum & puerorum exaudire traditur. Frater Vulfi Merevuardus & Ervatburga filia Ermenredi fratris Ercumberti, habuit filias duas, Mildritham & Milburgam: quarum prima in Cœnobio sancti Augustini Cantuariæ, altera apud Vueneloch requiescit. Cujus mausoleum quodam tempore effractum multum odorem velut balsami profudit. Eduardus senior ex vxore Edelspira habuit filias multas: quarum vna Edburga, dum vix adhuc trima esset, sic à patre probata est. Posuerat ille in triclinio diversarum professionum ornamenta, hinc calicem & Evangelia, inde armillas & monilia. Illuc virguncula ablata est à nutrice, & genibus parentis assedit. Iussaque vtrum vellet eligere, primo aspectu secularia despiciens, promptè manibus reptans, Evangelium & calicem puellari innocentia adoravit. Exclamat cœtus assidentium, futuræ sanctitatis auspicium, exosculatus in puella, pater ipse arctioribus osculis eam dignatus; vade, inquit, quò te vocat divinitas. Itaque sanctimonialium habitū induta in vrbe Vuintoniæ sanctitate multa enituit, ita vt singularum sociarum soccos furtim nocte surriperet, & diligenter lotos & inunctos lectis earum rursus apponeret.

Edgari Regis filia Egitha virgo sancta in Vuiltunensi cœnobio jacet. Beatus Dunstanus dum consecraret Basilicam sancti Dionysij, quam ille in amorem martyris ædificaverat, vidit istam iuuenculam pollicem dextrum frequenter protendere, & signum crucis fronti suo imprimere. Quo signo delectat9 Episcopus, ait ad eam. Nūquam putrescat hic digitus. Continuoque inter missarum solemnia flere cœpit. Requisitus causam ait. Citò hæc florida rosa marcesset: citò avis dilecta Deo avolabit. Sic factum est. Mortua est illa die prædicto, post sex scilicet ab illo die septimanas, cùm esset annorum viginti triū. Nec multò pòst idem Dunstanus vidit per somnium sanctum Dionysium eandem Virginem manu tenentem, & exoraculo divino constanter jubentem, vt à famulis honorificaretur in terris, sicut à sponso & Domino venerabatur in cælis. Hæc etiam in professione sanctimonialis auratis vestibus vtebatur. Vnde palam increpita est à sancto Ethelvualdo Episcopo: quæ respondit. Verax & irrefragabile judicium Dei sola mortalium opperitur conscientia. Nam & in sordibus luctuosis potest esse jactantia. Quapropter puto, quòd tam incorrupta mens potest esse sub istis vestibus, quàm sub tuis discissis pellibus. Hujus corpus virgineum cùm levaretur altiùs, inventum est totum in cineres solutum, præter dextrum pollicem, & alvum, & alvo subjecta. Vnde disputantibus nonnullis, vni ex his qui viderant dormienti virgo ipsa astitit dicens. Nō mirum si partes illæ corporis mei putruerunt. Nam vsus habet, mortua corpora sic defluere; & ipsa vt pote puella, membris illis peccavi. Sed iustè venter corruptus non est, quem libido non tetigit. Immunis fui à crapula, & carnali copula. Sigebertus Rex Hungarorum ab Imperatore Henrico dissentit. Proquo reconciliando Leo Papa ad Imperatorem venit: sed amicis discordiæ interturbantibus, id frustra fuit. Leo Papa Girardum Leucorum supra se quintum Episcopum vitæ sanctitate mirabilem, Synodo habita per authoritatem Apostolicam decrevit in numero sanctorum Confessorum in Ecclesia solemniter habendum.

1053.

Balduinus Comes terminos Lotharingiæ incursans, Hoyum oppidum incendit. Godefridus iterum rebellat; quia ducta vxore Bonifacij marchionis jussu Imperatoris à Longobardia expellitur. Græci in hæresim multiformem declinant, authore Michaële Patriarcha Constantinopolitano, & Leone Aldano Bulgarorum Episcopo: quorum errores Leo Papa redarguit, scribēs contra eos librum firmis Scripturarum testimoniis roboratum. Nicetas autem monachus Constantinopolitanus, qui agnominabatur Peccoratus, scripsit contra Romanos librum plenum erroris & stultitiæ, prætitulatum, de Azymo, de sabbato, de nuptiis sacerdotum.

Guillel. Eo tēpore corpus Pallantis filij Evandri Romæ integrum repertū est, cum hoc epitaphio.

Filius Evandri Pallas, quem lancea Turni
Militis occidit, more suo jacet hic.

Quos versus non tunc factos crediderim; quamvis Carmentis literas Latinas invenisse dicatur; sed vel ab Ennio, vel ab aliquo alio antiquo Poëta. Ea quidem natura est conditorum corporum, quòd carne tabescente cutis exterior nervos, nervi ossa continent. Hiatus vulneris, quod in medio

pectore Turnus fecerat 4. pollicib' & semis mensuratus est. Ardens lucerna ad caput inventa est. Quàm cùm nulla liquoris aspergine, aut flatus violentia extinguere valerent, quidam subtilioris ingenij subtus flammā foramen fecit, & mox introducto aëre ignis evanuit. Corpus muro applicatum vastitate sui magnitudinem mœniū vicit. Sed procedentibus diebus stillicidiis roris infusum, communem mortalium corruptionē agnovit, cute soluta, membrisque fluentibus.

1054. Sigebertus. Leo Papa per Epistolam ad Imperatorem Constantinum scriptā animum ejus sibi concilians, apocrysarios suos, Humbertū videlicet Cardinalem, Episcopum Silvæ candidæ, Petrum Amalfitanorum Archiepiscopum, Fredericum quoque septimum levitam & Cancellarium, dirigit Constantinopolim, ad confutandas Græcorum hæreses, qui vt Simoniaci donum Dei vendebant; vt Valesij, hospites suos castratos etiam ad Episcopatum promovebant; vt Ariani, Latinos baptizatos in nomine sanctæ Trinitatis rebaptizabant; vt Donatistæ in sola Græcia Catholicam esse Ecclesiam jactabant; vt Pneumatomachi processionem Spiritussancti à Symbolo abscindebant; vt Nazareni Iudaïsmum observabant; parvulos morientes ante octavum diem à nativitate baptizari, mulieres in partu vel menstruo periclitantes communicari, vel si paganæ essent, baptizari prohibebant: Latinos vocabant azymitas, & eos nimis persequentes Ecclesias eorum claudebant, de fermentato sacrificabant, in filiis suis Romanam Ecclesiam anathematizabant, eique Constantinopolitanam Ecclesiam præponebant. Legati igitur Domini Papæ ab Imperatore benignè habiti, Nicetam monachum ante eum vincunt; adeo vt librum, quem contra Romanos scripserat, anathematizaret, & incenderet. Michaële autem Patriarcha nolente eis colloqui, charta excommunicationis ejus coram clero & populo super altare sanctæ Sophiæ posita, recedunt. Michaël chartam ipsam corripiens & corrumpens, populoque legens, illos ab Imperatore revocatos ad Synodū absente Imperatore conuocauit, vt à populo lapidarentur. Quod Imperatore prohibēte commouit populum contra eum: sed convict' chartam excommunicationis falsasse, Michaël omnesque sui à gratia Imperatoris & palatio remoti sunt. Humbertus verò Silvæ candidæ hæc descripsit; & scripta Nicetæ monachi & Leonis Anidani confutauit, quæ de Latino in Græcum translata jussu Constantini Imperatoris: à Grecis recepta sunt. Henricus Imperator Henrico filio suo puero quinquenni in Regem sublimato Aquis, contra Balduinū proficiscitur: qui Scaldum fluvium Balduino fugiente transiens, omnia depopulatur: insuper apertis sibi * clausulæ portis multam cędē inimicorum facit: & vltra progressus Lambertum Comitem Balduini satellitem cum multis perimit. Multos etiam Flandrensium primates exercitum suum persequentes intra vrbem Tornacum concludit, & obsessos capit. Leo Papa moritur; ad cujus sepulcrum multa Romæ miracula ostensa sunt.

Fortè Mosæ

Guillelmus dicit, hunc Leonem priùs dictum Brunonem, & de Spirensi Episcopo factum fuisse Papam Leonem, & magnæ sanctitatis extitisse. Sigebertus dicit eum vocatum esse ad Papatum ex Leucorū Episcopo, idest ex vrbe Tullo. Videat lector, cui magis credendum sit. Vterque autem sanctitati ejus testimonium præbet. Petrus tamen Damianus vir magnæ sanctitatis & scientiæ, qui eo tempore florebat, scribens ad Papam Hildebrandum, inter cetera ait. [Tu referre soles de Papa Leone, quòd contra meritū miraculorum gratiam à Domino fuerat consecutus, etiam dæmones effugando. Cui simile est illud, quod narravit Novarriensis Episcopus, ꝙ dum in Teutonia cuidam Episcopo conviator incederet, & imminente refectionis hora ille ꝙ apponeret, non haberet, volantibus desuper gruibus in fide confortatus, ait. Præcipe Domine, vnam de gruibus istis ad nos dejici; quod statim factum est. Erat tamen Episcopus ille, qui hoc oravit & impetravit, carnalis vitę.] Ecce Petrus iste Damianus apertè obiicit Papæ Hildebrādo, ipsum dixisse, Leonem istum miraculorum gratiam contra meritum à Domino cōsecutum fuisse. Hoc vtrum verum sit, Hildebrādus viderit. Hic iterum dicit Sigebertus, Bellum fuit apud mare mortuum: sed quod fuerit bellū, vel quod sit illud mare mortuum, non dicit.

1055. Anno ordinatur Coloniæ Episcopus. Gebahardus Estredensis Episcopus fit Papa 157. & dictus est Victor 2. Hic sedit annis 2. mensibus 3 diebus 13. Petrus Damianus. Hildebrando Romanæ Ecclesiæ Archidiacono referente didici, quòd cùm ipse à Victore Papa apocrysarius ad Gallias esset directus, Synodum congregavit: in qua sex Episcopos pro diversis criminibus deposuit. Inter quos quidam erat Episcopus simoniacè factus, qui Spiritum sanctum verbis exprimere non valebat; quamvis Patrem & Filium liberè & expeditè pronūtiaret: qua difficultate convictus Episcopatum deposuit. Hic Hildebrandus Archidiaconus in Cluniacensi capitulo mundi Iudicem Christum perhibuit sancto Hugoni se vidisse collateralem: qui sedens à dextris ejus regularem disciplinam favore prosequebatur. Postea Papa factus blandum tyrannum eum vocitabat, sęvis leonem, mitibus agnum. Sigebertus. Imperatore in Italia constituto milites eius Sclavis & Luntianis bello congressi, multi capiuntur aut perimuntur. Balduin' Flandrensis cum Godefrido avunculum suum Fredericum ducem intra Ardroverperum obsidet; sed accurrentib' Lotharingis ab oppugnatione desistit.

Victor 2. Papa 157.

1056. Victor Papa in Gallias veniens, gloriosè ab Imperatore suscipitur, & eo præsente non multò post Imperator Henric' moritur. Guillelmus dicit eum obiisse 18. Imperij sui anno completo. Apud Spiram conditus est: quam ipse ex antiquissima & diruta Nemeto sic nominauit. Sigebertus. Post quem filius ejus Henricus Imperavit annis 50.

1057. Coloniæ generali conuentu habito, Balduin' & Godefridus mediante Papa Victore refrenātur, & ad gratiam Regis & pacem reducuntur, & omnes bellorum motus sedantur.

1058. In Frisonia captis ab Imperatore Henrico aliquibus castellis, Frisones à rebellione refrenātur. Fredericus filius Gothelonis ducis ex clerico sancti septimus Leuita Ecclesiæ Romanæ, quia exosus erat Imperatori Henrico, pro odio fratris sui Godefridi ducis, post legationem Constantinopolitanam apud Cassinenses monachus, & pòst Abbas factus alteratus nomine Stephani fit Papa 158. Qui Stephanus 9. sedit mensibus 9. Paderburna Germaniæ ciuitas combusta ast cū majori Ecclesia. In monasterio autem monachorum

Stephanus Papa 158.

Scotus quidã monachus, nomine Paternus, multo tempore reclusus, qui etiam hoc incendium sæpe prædixerat, propter propositũ reclusionis exire nolens, se comburi passus. Hoc sic refert Petrus Damianus. In quadam vrbe Teutonica erat quidam servus Dei juxta monasterium in cellula: cui revelatum est, quia nisi populus per pœnitentiam Deum citò placaret, infra 30. dies tota civitas incendio periret. Promulgata est visio. Noluerunt converti. Ille autẽ pretiosa quæque monasterij jussit auferre, vt salua essent. Tãdem à 7. vrbis regionibus subitò ignis exoritur, pervenitque vsque ad cellam viri Dei; cumque rogaretur exire, noluit; sed omnia judicio Dei committens, combustus est cum sua cellula.

1059. In pago Brachatensi juxta Tornacum multitudines colubrorum altrinsec' congregatæ, prodigioso prælio inter se cõcurrerũt; & multis vtrimque occisis victa pars fugiens cavo arboris se abscondit. Altera pars vincẽtium more insequẽs, cum sibilo circumstrepebat, donec circumjecto ab hominibus igne omnes crematæ sunt. Stephanus in civitate Florentina infirmatus, adveniente sancto Hugone Cluniacensi Abbate, dicebat inimicum recedere, abeunte accedere.

1060. *Benedict. 10 Papa 159.* Magister Hugo. Post Stephanum Benedictus 10. fit Papa 159. qui sedit mensibus 9. Hunc Benedictum transit Sigebertus, & Guillelmus similiter, qui statim post Stephanum ponit Nicolaum. Henricus Rex Francorum obit, miles strenuus & bonus, potionis haustu. Non multò post cometes longos & flãmeos crines per inane ducens apparuit; de quo quidã monachus Malmesberiæ, Elmerus nomine, Venisti, inquit, venisti multis matribus lugende, dudum est, quod te vidi: sed nunc multò terribiliorem te intueor patriæ hujus excidiũ minantem. Is erat literis bene imbutus, ævo maturus; qui immanẽ audaciam in prima juventute conatus fuerat. Nam pennas manibus suis & pedibus nescio qua arte innexuit, vt Dedali more volaret; & fabulam pro vero amplexus, collectaque à summo turris aura spatio stadij vni', & plus volauit. Sed venti & turbinis violenti, simul & temerarij facti conscientia tremulus cecidit, perpetuò post hoc debilis, crura effractus; ipse verò ferebat fuisse causã ruinæ suæ, quòd caudam in posteriori parte oblitus fuerat aptare.

1061. Sigebertus. Post Henricũ filius ejus Philippus regnat in Francia annis 49. Girardus Florentiæ Episcopus, qui & Nicolaus 9. fit Papa 160. qui sedit annos duos, & menses sex. *Nicolaus 9. Papa 160.* Marianus chronographus claret; qui à Scotia in Galliam veniens, Coloniæ primo Fuldensis monachus, deinde apud Maguntiam reclusus est. Guillelmus. Is longo vitæ otio chronographos scrutatus, dissonantiam cyclorum Dionysij ab Anglica veritate deprehendit. Itaque ab initio sæculi annos singulos recensens, 22. annos, qui circulis prædictis deerant, superaddidit: sed paucos aut nullos sentẽtiæ suæ sectatores habuit. Sic enim nostri temporis doctus sæpe reperit hoc infortunium, vt vix aliquis plenam sciẽtiæ laudem referat: adeo nullus ferè nouis, licet probabiliter inventis serenitatem assensus pro meritis indulget; totis conatibus in sententiã veterum raptatur. Omne recens sordet; & quia solus fauor alit ingenia, cessante favore obtorpuerunt omnia.

1062. Guillelmus. Eo tempore in confinio Normaniæ & Britaniæ portentum visum est in vna, vel potius duabus mulieribus. Duo erãt capita, & 4. brachia, cetera gemina omnia vsque ad vmbilicum; inferius singularia omnia. Ridebat, comedebat, loquebatur vna: flebat, esuriebat, tacebat altera. Ore gemino manducabatur, sed vno meatu digerebatur. Vna defuncta supervixit altera, penè triennio mortuam portans, donec & pondere molis, & nidore cadaveris defecit. Putatum est à quibusdam, & literis traditũ, quòd hæ mulieres Angliam & Normaniam significarent; quæ divisæ licet fuerint, tamen sub vno Domino sunt vnitæ. Hæ quidquid pecuniarum auidis faucibus sorbuerint, in vnam lacunam defluit, quæ est vel principum auaritia, vel circumpositarum gentium ferocia. Mortuam & pene exhaustã Normaniã vigens pecuniis sustentat Anglia, donec & ipsa fortassis exactorũ violentia succumbat.

Sigebertus. Ano Coloniensis Episcopus consilio primorũ regni indignè ferentiũ per Agnetem matrem Imperatoris Henrici regnum non viriliter gubernari, puerum violenter & injustè captum sub tutela sua accepit, & Imperij regimen à matre eius amovit: & de hac re coram cunctis ratione reddita gratiam domini sui Imperatoris recepit, & per ipsum filium ad gratiam matris eius rediit. At Imperatoris necessitatem vertens in voluntatem, vt obstrueret ora loquẽtium de se iniqua, non solùm honore regni, sed & onere sæculi rejecto, Romæ ad limina Apostolorum se contulit; ibique vsque ad finẽ vitæ omnibus exemplo & miraculo fuit.

1063. *Alexander 2. Papa 161.* Anselmus Episcopus Lucensis fit Papa Alexander 2. & sedit annos 11. menses 6. dies 25. Papa 161. contra quem Cadelo Parmensis Episcopus Papatum ambiens, magno scandalo Ecclesiæ fuit: quia longainter eos concertatio, etiam vsque ad homicidia prorupit. Exercitus multus à Gallijs in Hispanias contra Saracenos proficiscitur; sed omni regione à Saracenis vastata, vrgente fame inefficax revertitur. Rex Edvuardus moriens Guillelmo Comiti Normaniæ successionem Angliæ dedit. Progenies autem Vuestsaxonum, quæ in Britania à Cerdicio quingentis septuaginta & vno annis, ab Ecberto ducentis sexaginta & vno annis regnaverat, in ipso defecit. Die natalis Domini apud Londoniam portauit coronam: ibidemque morbo ictus, quo se moriturum sciret, Ecclesiam Vestmonasterij die sanctorum Innocentium dedicari præcepit, & in eadem die Epiphaniæ sepultus est. Quam Ecclesiam illo compositionis genere primus in Anglia ædificavit.

1064. Hęc Guillelmus, Sigebertus autem sic. Heraldus Rex Anglorum obit; cui succedit Aroldus. Hoc anno finitus est tertius magn' cyclus annorum quingentorum triginta duorum à nativitate Domini bis exactus, continens cyclos decẽnovenales viginti octo: qui ad omnẽ rationẽ Paschalis compoti omnino vtilis, ab ævo in ævum in semetipsum sine errore revolvitur. Sed hoc in eo reprehensibile videtur, quòd annis Dominicæ Incarnationis ei incõsidaratè præscriptis, discordat ab Evangelij veritate, in anno Dominicę passionis præferens decimamquartam lunam Aprilis eo anno in prima feria fuisse: quod omnino falsum est; quia secundùm fidem Evangelij eo anno luna 14. fuit in 5. feria; & in 6. feria, luna 15. passus est Dominus octavo calendas Aprilis.

Frederico Rege mortuo, Godefridus Ducatũ

recepit. Tertius magnus cyclus hoc anno incipit, cujus initium in aliis falsò anno præcedēti inscribitur. Bis enim quingenta triginta duo, sunt mille sexaginta quatuor, non mille sexaginta tria. Hoc idcirco dico, quia omnia ferè Chronica hujus falsitatis damnanda sunt. Cometes apparuit tota Paschali hebdumada. Harvvic Rex Normannorum penè cum mille navibus venit in Angliam regnaturus; & in Eboraca civitate plusquā mille laicos, & 100. presbyteros occidit. Cui Araldus Rex Anglorū cum 7. legionibus superveniens, eum cum multis occidit. Interim Guillelmus Comes Normannorum cum Francis in Angliam intrat; & conserto cum Anglis prælio, Aroldum cum multis perimit: & regnat ibi annis 26. Hoc quomodo factum sit, latiùs prosequendum est sub alterius libri principio. Nam de isto Guillelmo, vt ait Guillel. Malmesberiensis, narrari possunt, quæ sint inertibus incitamētō, promptis & alacribus exemplo, præsentibus vsui, jucunditati sequentibus.

LIBER XLVII.

GVILLELMVS. Robertus alter filius Richardi 2. mulieris in choreis saltantis speciem conspicatus, non abstinuit, quin sibi eam nocte conjungeret. Quam deinceps vnicè dilexit; & aliquamdiu justæ conjugis loco habuit: puer ex ea editus est Guillelmus, nomine Albani. Cujus magnitudinem futuram mater somnio prævidit: quæ intestina sua per totam Angliam & Normāniam extendi vidit, & dilatari. Ipso quoque quo puer natus humum primò attigit, ambas manus junco, quo pavimenti pulvis cavebatur implevit, strictè quod corripuerat compugnans. Obstetrix fausto omine acclamavit eum Regem futurum. Hic septennis ætate, quando pater ejus Ierosolymitanum iter aggressus est, Gislebertus Comes tutor pueri constituitur. Concilio apud Fiscanū proceribus indicto, tutela tutoris Regis Francorum Henrico assignatur. In nomē & fidem pueri jubente patre ab omnibus juratur. Qui mox vt adolevit, à Rege Francorum militiæ insignia accepit; duxitque vxorem Mathildem filiam Balduini comitis Flandriæ. Annis 30. comes fuit Normanniæ. Monasterium sancti Stephani ædificavit Cadomis, magnificoque ditavit; vbi Lanfrancum Abbatem instituit, qui postea fuit Conoturiensis Archiepiscopus, vir antiquis scientia & religione comparandus. Alterum monasteriū Hastingis sancti Martini fuit: cùm adhuc penè puer esset, patruum suum Malgerium Archiepiscopatu Rothomagensi removit. Is erat literatus satis, sed pro conscientia natalium professionem oblitus, venationibus, & avium certaminibus injusto sæpius intendens, & gazas Ecclesiasticas cōviuiis profusioribus insumens. Cujus rei fama crebrescente tota vita sua vsu pallei caruit: quòd negaret sedes Apostolica hujusmodi priuilegiū ei qui sacrum negligebat officium. Vnde crebrò conventus expostulante nepote suo adversus eū, & eo nihilominus irreverentiùs agente, cogente vltima necessitate degradatus est. Ferunt quidam, depositionis arcanam causam fuisse: quòd idem Malgerius nepotem suum cum vxore Mathilde excommunicauerat, quia consanguinei juncti erant: & ideo nepotem excogitasse occasiones depositionis in persecutorem flagitiorum suorum: pro cujus sceleris expiatione idem Guillelmus postea ædificavit monasterium sancti Stephani Cadomis; & illa monasterium sanctæ Trinitatis. Malgerio successit Mautilius Fiscannensis monachus, multis plenus virtutibus, & maximè abstinentia. Is ad extrema deveniens, vitali priuatus halitu, ferè dimidia die latuit defunctus: tandem cùm pararetur in Ecclesiam ferri, resumpta anima ait ad circumstantes. Vltima pastoris vestri verba suscipite. Naturaliter mortuus fui, sed vt vobis nuntiarem quæ vidi, reductus sum; nec diu subsistam, quia dormire in Domino delectat. Ductores mei vestibus ornati, & vultibus ad omnem elegantiam erant. Nihil delectabilius illorum nitido sermone. Gaudens cū eis ibam, vt mihi videbatur, versus Orientem; promittebatur mihi sedes paradisi non multò post intranda. In momento præterita Europa ingressi Asiam venimus Ierosolymam. Ibi sanctis adoratis Iordanem pertendimus. Citerioris ripæ accolæ ductorum meorum mixti contubernio lætiorem coetum fecere. Ego studio visendi vlteriora transitum maturabam. Tunc comites mei Dominum præcepisse referunt, vt antè dæmonum visione terrificarer, quatenus veniales culpæ, quas confessione non dilueram, pavore illo horrendarum formarum purgarentur. Adhuc eis loquentibus astitit ex adverso tanta vis dæmonum hastilia acuta vibrantium, & ignes efflātium, vt ager ferreus, & aër flammeus videretur. Ita horrore concussus sum, vt nec in cælo, nec in terra tutum refugium æstimarem. Ita meticulosus ego dum quò evadam dubito; vt hæc dicens saluti vestræ nihil negligens consolerem, recepi halitum, confestim effusurus. Dixit, & penè cum verbo spiritum emisit. Corpus ejus in Ecclesia sanctæ Mariæ sepultum, miraculo, vt aiunt, divino tribus diebus altius super terram elevatum est.

Guillelmi Angliæ Regis genus.

Venialia dæmonis territicationibus purgantur injustis.

Alexander Papa audita causa Guilelmi, vexillum ei in omne regnum Angliæ misit. Conventum est apud sanctum Vualaricum, expectaturque aura multis diebus ad transfretandum. Qua tardante nimis, & populo Guillelmi murmurante, jussit corpus sancti Vualarici foras efferri pro vento postulando. Mox prosper ventus carbasa implevit. Hastingis appulerunt. In egressu navis pede lapsus, audivit acclamari sibi à proximo milite. Tenes Angliam Comes Rex futurus. Aroldus revertens à bello, quo Regem Noricorum vicerat; misit exploratores. Qui intra castra deprehensi, jussi sunt ab Vuillelmo circumduci per tentoria, & mox largè pasti ad Dominum suum incolumes remitti. Redeuntes nuntiant Ducis magnificam confidentiam, & addunt, penè omnes in exercitu illo presbyteros videri: quia scilicet totam faciem cum vtroque labio rasam habent. Angli enim superius labrum pilis incessanter fluctuantibus intrusum dimittunt. Vuillelmus legatum mona-

chummisit, tria ferentem, vt scilicet Aroldus vel regno secundùm conditiones discederet, vel sub eo regnaret: vel certè spectante vtroque exercitu gladio rem ventilaret. Aroldus Legatum nec responso dignatus turbidè abegit. Illam noctem, vt accepimus, Angli totã in cantibus & potibus insomnem duxerunt: Normanni autem Confessioni, postea somno parum vacantes, mane Dominico corpori communicarunt. Comes arma poscit, & casu loricam inversam induit, ministris tumultuantibus. Quem casum risu corrigens, Vertetur, inquit, Comitatus meus in regnũ. Tunc cantilena de Rollando inchoata, prælium commissum est; pugnatum est vtrimque acriter. Fossatum quoddam præruptũ Angli fugientes noto sibi cõpendio invaserunt: vbi tot Normannos conculcavere, vt tumulo cadaverum planitiem campi æquarent. Aroldus à longè ictu sagittæ in cerebro percussus interiit. Iacentis femur vnus militum gladio proscindens ignominiæ notat⁹ est à Vuillelmo, & militia pulsus. Idem Vuillelmus ea die discurrẽdo, pugnando, hortando, tres equos fortissimos sub se confossos amisit. Susurrabant ei custodes corporis, vt se à periculo subtraheret: sed perstitit vsq; in noctem. Nihil sanguinis ex ejus corpore tractum est, quamvis multis jaculis impeteretur. Corpus Aroldi matri repetenti sine pretio remisit, licet illa per legatos multa obtulerit. Die Natalis Domini coronatus est ab Alredo Eboracensi Archiepiscopo: nolens hoc munus suscipere à Regando Cantuariensi, quia non legitimè factus fuerat Archiepiscopus. Vexillum regium Aroldi Romam misit ad Papam; quod erat in hominis pugnantis figura, auro & lapidibus arte sumptuosa contextum. Vrbem Exoniam rebellantem subegit levi negotio, parte muri vltro cadente, & ingressum illi dante; quam ille audaciùs assilierat, protestans homines irreverentes deijciendos Dei auxilio; quia vnus eorum supra murũ stans nudato inguine aurẽ sonitu inferioris partis turbauerat in contemptum Normanorum. Hujus autem Areldi Harugar frater clam Imperatori Constantinopolitano militavit: cuius jussu pro stupro illustris feminæ leoni objectus est: qui belluam nudo laterum nisu soffocauit.

Victoris humanitas insignis.

1067. *Christiani ab Arabib. occisi.*

Obiit sanctus Theobald⁹ in Vincentia Venetiæ vrbe inclus⁹. Multi vsq; ad 7. millia Ierosolymã orandi voto petentes ab Arabibus in Paraseeue in quodam castello obsessi sunt, & tot occisi aut vulnerati, vt de 7. millib⁹ & eo amplius, vix duo millia reversi sint. Cono, qui & Conradus, primicerius Coloniensis ab Imperatore Henrico ad suscipiendũ Archiepiscopatũ Treuerensem missus, capitur à Comite Treuerorum Deoderico, & à satellitibus ejus in syluam ductus, de rupe tertiò præcipitatur, & adhuc illæsus gladio transuerberatur. Corpus ejus syluæ foliis obtegitur; quod à quodam rustico inuentum ad villã defertur & sepelitur. Inde à Deoderico Virdunẽsi Episcopo transportatum ad Tolegium monasterium, multis statim miraculis à Deo glorificatur. His temporibus Belvacensis ciuitas suo destituta antistite, Guido Decanus c... Ecclesiæ sancti Quintini Viromãdensis, & Archidiaconus Laudunẽsis constituitur Beluacensium Episcopus, & à Gervasio Remensi metropolitano consecratur. Qui grauiter ferẽs carere se præsentia Quintini martyris, in ejus honore & memoria ædificauit Ecclesiã haud longè à mœnibus Bellouacæ vrbis. Romæ duobus de Papatu cõtendentib⁹ Mantuæ synodus colligitur, & mediãte Annone Coloniensi Archiepiscopo Alexãder se de simo nia porgãs, in sede Apostolica cõfirmatur; Cadelo verò vt simoniacus repudiatur.

1068.

Ioannes in Policratico. Rex Vuillelmus assũpto diademate, & pace composita legatos misit ad exteras nationes, vt à præclaris omnium domibus quidquid magnificum & mirificum videretur, afferrent. Non sic Caius Cæsar, qui sũptuariæ legis insistens vestigio, domum civilem potiùs quàm Imperatoriam in mensa prima tribus solemnibus pulmẽtis sive ferculis statuit esse contentã: dum tamen bellaria parentetica pro necessitate aut dignitate personarum, aut exercenda liberalitate, aut solemnitate diei primis mensis licuerit immiscere. Solemnia pulmenta sunt, quæ ... omnes pertranseunt; quæ à Græcis catholica nuncupãtur. Perentetica sunt, quæ ex causa necessitatis aut vrbanitatis in præceptã partẽ aliqua ratione veniunt: sic dicta, quoniã solemnibus solent interponi. Bellaria dicuntur omne genus mensæ secundæ: quoniam ibi solent apponi, quæ pulchriora sunt & delicatiora. Vnde Varro. Bellaria illa maximè mellita sunt, quę mellita non sunt. Quod fortè eò referri potest, quia vtenti gratiora sunt ea quæ necessitas appetit, quàm quę irritatio gulæ inuenit. Sigebertus Deodericus Comes Treverorũ de martyrizato Conone apud Deum & homines reus, exiliatur ab Imperatore, & suscepta peregrinatione eundi Ierosolymam, quid de eo, & de omnibus qui in comitatu ejus pergebant, advenerit, adhuc nescitur. Hinc Francis, hinc Scotis Angliã incursantibus Angli fame consumũtur, multi eorum humanis carnibus vescuntur.

Pulmẽta solemnia &c. quæ sint.

1069.

Guido Beluacensis Episcopus duobus annis perfectam dedicauit Ecclesiam in honore advocati sui Quintini martyris 4. nonas Octobris. Fluminibus glaciali rigore constrictis Imperator Henricus terram Luticianorum ingressus, eos nimia cęde prostrauit, terram eorum nimium depopulatus.

1070.

Gerardus dux Mosellanorum moritur, & dux Godefridus. Girardo succedit filius ejus Odericus, Godefrido Godefridus filius ejus. Godefridus gibbosus corpore quidẽ exiguus sed animo eximi⁹. Hungari contra Salomonẽ Regẽ suũ rebelliõnẽ meditantur: sed terrore Henrici Imperatoris, cui⁹ soror nupserat Salomoni, refrænantur.

1071.

Godefridus dux vlteriores Frisones bello aggressus, eos penè ad internecionẽ delet. Treueris in Ecclesia sancti Paulini in crypta subterranea invenitur corpus ejusdem sancti Paulini, quod olim à Phrigia, vbi exulaverat, reportatum, ibi à Felice Episcopo catenis ferreis fuerat suspensum, & juxta eum multa corpora Sanctorum. Ad dexteram ejus Palmacius consul & patritius Treverorum: ad sinistram Tyrsus, vnus de principibus Thebeæ legionis, cum multis Thebæorum in eadem vrbe à Rictiovaro martyrizatis. Ad caput 7 Senatores ejusdem vrbis, Maxentius, Constantius, Crescentius, Iustinus, & tres fratres, Leander, & Alexander, & Sother. Ad pedes Hormisda, Papirius, Constans, Iovianus. Et cùm multi alij ibi iacerent, horum tantũ nomina. & tempus, & dies passionis aureæ literæ in pariete scriptæ signabant: eosque omnes passos fuisse sub Rictiovaro dicebant.

Corpora sanctorũ Treuiris inuenta.

1072.

Balduino juniore Flandrensium Comite defuncto,

Robertus

Robertus frater ejus Flandrẽsium consensu cõtra Arnulfum fratruelem suum Flandrias occupat. Arnulfus autem cum Philippo Francorum Rege occurrit patruo suo Roberto, & pugna cõserta Arnulfus perimitur, Philippus Rex fuga liberatur: & multis occisis, hinc Richildis mater Arnulphi, illinc Robertus capitur; & altero pro altero relaxato, bellum inter eos vario eventu protrahitur.

1073. In hoc anno duobus magnis annis à 15. anno Tyberij revolutis, omnia secundùm cursum solis & lunę concordant illi anno, quo baptizatus est Dominus, id est octavo Idus Ianuarij, die Dominico Epiphaniæ: initium jejunij eius in 2. feria, tentatio eius 15. Calendas Martij, in 6. feria. Duobus fratribus Russorum Regibus de regno contendentibus, alter eorum à consortio regni pulsus interpellat Henricum Imperatorẽ, se & regnum Russorum ei submittens, si eius auxilio regno restitueretur: sed id frustra fuit, quia gravissima in Imperio Romano orta dissensio monebat, magis sua tueri, quàm aliena acquirere. Saxones enim multis & magnis injuriis & injustitiis ab Imperatore affecti contra eum rebellant: ad quos debellãdos Imperator instanter cõtendit. Alexãder Papa venięti Romã Lanfrãco Archiepiscopo dignanter assurrexit: professus se illud insigne reverentiæ detulisse non honori Archiepiscopi, sed amori magistri. Hic Lanfrãcus ex Abbate Cadomẽsi factus fuerat Archiepiscopus Cantuariæ. Ad hujus Lanfranci Missam quidam juvenis monachus legerat Evangelium: qui cùm patenam Pontifici post Pater noster offeret, vidit coram se quosdam vultus teterrimos malignorum spirituum: ad quorum aspectus perterritus, Pontificem inter manus sacra tenentem vtrisque brachiis strictim amplectitur, horribiliter clamans & dicens, Christus vincit, Christus Imperat. Conterriti sunt omnes qui aderant, & portatus est ille à militibus in cameram Pontificis. Post Missam convenitur in Capitulo. Adducitur ille dæmone plenus fortiter ligatus. Sermonem facit Lanfrancus de illo, & jubet cõmuniter pro eo orationem fieri. Mox, vt videbatur, sanus effectus est; & pro agendis gratiis ad sepulchrum sancti Dunstani præsentatus. Cumque Completorium cantaretur, subitò ille raptus de stallo suo accurrit ad Priorem Henricum: quem ille statim apprehẽdes, duxit in dormitorium: & noctem insomnem ante illum duxit. Media nocte exclamans omnes inquietauit. Ductus est ad sepulchrum sancti Dunstani nimiũ renitens. Vbi cùm venisset, furere cœpit, & in Christum infinitas blasphemias vsque ad diem evomuit. Mane refertur in domum infirmorum, vbi per multos dies cruciatus est. Quicumque ad eum accedebant, si crimen aliquod habebant, de quo nõdum confessi erãt, publicè detegebat illos in pœnis perpetuis sibi sociandos. Vnde nõnulli erubescentes purè confessi sunt. Qui cùm iterum illi se præsentassent, quærebat qui essẽt, & vnde venissent, & quomodo tam subitò loti essent, & suam societatem amisissent. Post hæc cùm positus esset in medio sanctarum Reliquiarum, exiliens cum lecto in quo jacebat, volebat fugere sanctos: cumque illic retineretur, dæmõ per ventrem eius tanquam catus parvulus currebat, nunc versus os, nunc versus inferiora, quærens exitum. Cumque fratres reficerent, frater qui relictus erat ad custodiendum eum, multùm devotus erga sanctum Dunstanum, confisus de Dei adjutorio accepit crucem, quã sanctus Dunstanus solebat facere portari ante se more Archiepiscopi, & posuit eam super dæmoniacum, clamans cum lachrymis. Sancte Dunstane succurre: mox dæmon exiit. Tunc æger levatis oculis in cælum, & perfusus lachrymis, ait. Gratias tibi ago, sancte pater Dunstane, & tibi, frater dilectissime quia tuis, meritis sanctissime Domine, & tua charitatiua prece, frater carissime, liberatus sum ab hoste. Post hæc Bajocalensis Episcopus, qui erat Comes Cantiæ, movit quasdam calumnias adversus Lanfrancum super terras & consuetudines Ecclesiæ Cantuariensis. Cumque adesset dies placiti Lanfrancus solicitè invocauit sanctum Dunstanũ. Ea nocte astitit ei sanctus in visu, dicens Lanfrãce, ne tristeris, ego tibi adero: & si illos non viceris, scias me non esse, qui tecum loquor. Sic factum est, Lanfranco in crastinum omnia quæ objiciebantur, cunctis stupentibus, annihilante.

Dæmoniacus ante confessionem crimina publicat, nõ post.

1074. Sigebertus. Hildebrandus Archidiaconus Romanorum fit Papa 161. Gregorius 7. & sedit annos 12. mensem vnum, dies 3. Guillelmus. Hic Hildebrandus, vt audiui à quodam, qui hoc audierat referre Abbatem Cluniaci Hugonem, cogitationes aliorum prophetico mentis intuitu nuntiabat: quem ideo Papa Alexander cancellis Apostolicorũ præfecerat: pro cuj⁹ officij intuitu Hildebrandus tanquam Concellarius circuibat provincias, vt perperã acta corrigeret. Die quadam cùm equitaret cum multa turba obsequentium, Abbas Hugo in extremo agmine cum suis monachis prosequebantur. Visoque eminus tãto viri honore, cœpit cogitare in animo suo, vnde esset tantus honor homuncioni exilis staturæ, despicabilis parentelæ; proculdubio hoc ex superbia ei accidere, quòd tot obambulatores haberet. Vix hoc mente versarat, cùm Archidiaconus reflexo equo, & calcaribus concitato, à longè clamans, & Abbatem advocans: tutu, inquit, malè cogitasti. Non enim mihi hanc gloriam, si gloria dici potest, quæ citò transit, vel imputo, vel imputari volo, sed beatis Apostolis, quorum privilegio mihi exhibetur. Erubescens Abbas, hoc solùm respondit. Quæso Domine, quomodo nosti cogitationem meam? Ab ore, inquit, tuo quasi per fistulas ad aures meas productus est. Itẽ Ecclesiam aliquãdo simul ingressi Abbas & Archidiaconus, vt orarent, continuatis & junctis lateribus prostrati deuoti⁹ orarunt: tunc respexit Archidiaconus Abbatem turbulento rictu infrẽdens. Abbas foras egressus causã cõmotionis inquisivit: cui ille. Si me amare vis, caue ne vlteriùs hac me injuria exp[illegible]s enim meus Iesus, speciosus ille præ filiis hominum postulationibus meis visibiliter [illegible]bat, intendens dictis, & serenis fauens oculis. Sed orationis tuę addictus violentia, me deseruit, ad te conversus. Puto esse genus injuriæ, amico eripere authorẽ salutis suæ. Prætereà noveris mortalitatem hominum, & huic loco imminere excidium. Vidi enim Angelum Dei stantem super altare evaginato gladio, & jam prouinciam istam spissus & nebulosus aër circumvolat. Fugiamus ergo quantocyus. His dictis introientes diversorium, ad curam corpori, assedere: continuoque dapib⁹ appositis exortus est in domo luctus, pleribus ex familia subitò extinctis. Qua peste per vicinas ædes grassante, mox ascensis mulis diffugerunt. Idem Archidiaconus in Gallia consederat

Gregorius 7 Papa 161.

Pompa eius sine fastu.

X

in Concilio vice Papæ. Ibi plures Episcopi per simoniam. Quorum vnus hujus criminis insimulatus nullis testibus argui, nullis argumentis poterat confutari, ita dicendi arte callebat. Tunc Archidiaconus: Cesset humanum eloquiũ, producatur oraculum divinum. Certũ est, quòd Episcopalis gratia Spiritus sancti donum est; & quisquis Episcopatum mercatur, donũ S. Spirit⁹ comparari posse pecunia opinatur. Corã nobis ergò qui judicio Spiritus sancti congregati sumus, dicat iste, *Gloria patri, & Filio, & Spiritui sancto*. Quod si expressè & sine titubatione dixerit, constabit apud me, non esse illum simoniacum. Accepit ille libens hanc conditionem, nihil minus ratus, quàm hoc dicere. Et certè *Gloria Patri & Filio* ex integro protulit; sed in spiritu sancto hæsit. Suscitato cunctorum strepitu nullo conatu vel tunc vel deinceps tota vita sua Spiritum sanctum nominare potuit. Hunc dejectum ab Episcopatu Abbas prædictus pro testimonio miraculi sæpe secum duxit. Hic Gregorius excõmunicauit omnes electos, qui inuestituram Ecclesiarum de manu laici acciperẽt.

Verba Sigeberti schismatici adversus optimum Papã.

Sigebertus. Gregorius Papa celebrata Synodo simoniacos anathematizat, vxoratos sacerdotes à divino officio remouet, & laicis Missam eorũ audire interdicit, novo exemplo, & vt multis visum est, inconsiderato judicio, contra sanctorũ patrum sententiam, qui scripserunt, quòd sacramenta quæ in Ecclesia fiunt, Baptism⁹, Chrisma, Corpus & sanguis Christi, Spiritu sancto latenter operante, eorumdem sacramentorũ effectum seu per bonos seu per malos intra Ecclesiam Dei dispensantur: tum quia Spiritus sanctus mysticè illa viuificat, nec bonorum meritis dispensatorum amplificantur, nec malorum peccatis attenuantur. Vnde est. Hic est, qui baptizat. Similiter hic est, qui consecrat. Ex qua re tam grave scandalum ortum est, vt nullius hæresis tempore sancta Ecclesia graviori schismate divisa sit: his pro justitia, illis contra justitiam agentibus; aliis à simonia non declinantibus, aliis notam avaritiæ honesto nomine prætexentibus; dum quę se gratis dare jactant, sub charitatis nomine vendunt. Et vt de Montanis dicit Eusebius, sub nomine oblationum artificiosiùs munera accipiunt. Porrò continentiam paucis tenentibus, aliquibus eam modò causa quæstus ac jactantię simulantibus, multis incõtinentiam perjurio, aut multiplici adulterio cumulantibus. Ad hæc hac opportunitate laicis insurgentibus contra sacros Ordines, & se ab omni Ecclesię subjectione excutientibus, laici sacra mysteria temerant; & de his disputantes infantes baptizant, sordido humore [illegible] sacro oleo & chrismate vtẽtes. In extremo vitæ viaticum Dominicum, & vsitatum Ecclesiæ obsequium sepulturæ à Presbyteris conjugatis accipere paruipendunt; decimus Presbyteris deputatas igni cremant; & vt in vno cetera perpendas, laici corpus Domini à conjugatis Presbyteris consecratum sæpe pedibus conculcauerunt, & sanguinem Domini in altari effuderunt; & multa talia contra jus & fas gesta in Ecclesia sũt: & hac occasione multi pseudomagistri exurgentes in Ecclesia, prophanis novitatibus plebem ab Ecclesię disciplina auertunt.

Ioan. 1.

1075.

Henricus Imperator Saxones gravissimo prælio vincit, eosque iterata expeditione perurgens, cunctos eorũ Principes, Episcopos, Duces, Comites, ceterosq; potentes ad deditionem coëgit. Hungari contra Imperatorem rebellant, Regẽq; suum Salomonem regno deturbatum sub diuturna custodia excruciant. Gregorius Papa totus in Henricum Imperatorem invehitur, & quoscumq; potest, ab eo scriptis & verbis auertit animum etiam Agnetis matris ipsius Imperatoris ab eo alienat. Sicarius in Frisonia Godefridum Ducem perimit. Balduinus puer frater Arnulfi occisi ad Davengium bellavit contra exercitum patrui sui Roberti: quem pugnando devicit. Magnum gelu, & glacies validissima à Calendis Novẽbris vsque ad medium Aprilis. Hoc anno, qui est 13. annus primi cycli decemnovennalis in repetito magno anno Dionysij, duobus magnis annis à passione Domini revolutis, omnia quæ ad cursũ solis & lunæ spectant, anno Dominicæ passionis concordant. Vnde apparet, quòd Dionysius non rectè annos Domini cyclo suo annexuit. Quia ab anno Domini 532. cyclum suum orditus est. Nimirum ipse intendit, ipsum natum fuisse anno 2. prioris magni: ac per hoc hic ann⁹ anno Dominicæ passionis cõcordat: sic debet esse magni cycli annus non 13, sed 32. quia is fuit annus passionis Domini: & per hanc consequentiam solaris & lunaris cursus concordantem Evangelicæ veritati, Dionysius posuit nativitatẽ Christi viginti & vno anno tardiùs quàm debuit.

1076.

Error cycli Dionysiani.

1077.

Henricus Imperator coacto Vuormatiæ Concilio Episcoporum 34. & multorum primarũ regni, decerni jubet, omnia decreta & facta Hildebrandi Papę irrita esse debere, ibique omnes, prę̃ter paucos, Hildebrandum abjurant: eumq; Papatu abdicandum esse judicant. Hildebrandus è contrà Imperatorem excõmunicat, vt primates regni quasi justa ex causa excommunicato Regi contradicant. Dominica in Palmis circa horã 6. sereno cælo stella apparuit. Principibus Saxonũ, qui in deditionẽ Imperatoris erant relaxatis, per eosdem quibus commissi fuerãt, Saxones instinctu Hildebrandi Papæ rebellãt. Ipse Papa occurrens Imperatori in Longobardia, sub falsa eum spe absolvit. Omnes enim qui priùs Hildebrandum abjuraverant, perjurium perjurio cumulantes, Imperatorem abjurant, & Rodulphum Regem Burgundiæ super se Regẽ statuunt, coronã ei à Papa missa, cui erat inscriptum:

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rodulpho.

Hunc Sigefridus Archiepiscopus Magũtiæ in Regem benedixit, & facta à Maguntinis seditione contra eos, Rodulphus cum Archiepiscopo noctu aufugit. Hildebrandus Papa omnes adversantes Imperatori absolvit ab infidelitate & perjurio. Imperator Alpium aditibus contra se munitis, vbiq; eorum insidias frustratus, per Aquileiam venit Ratisponã, & Rodulphum adorsus, eum fugere cõpulit: & iterata expeditione Sueviam depopulatur. Henricus Imperator Sueviã depopulatus castella frangit: omnia vastando inimicis suis formidinem, amicis addit fortitudinẽ; & multos, qui ex desperatione rerum à se defecerant, ad se retrahit. Hermannus Episcopus Hildebrando Papæ ad animã confœderatur: ac per hoc Imperatori rebellis vrbe Metẽsi pellitur. Ab hoc tempore cœpit reflorere in Ecclesia B. Quintini Belvacensis Ordo Canonicus, primùm ab Apostolis, posteà à B. Augustino Episcopo regulariter institutus, sub magistro Ivone venerabili ejusdẽ Ecclesiæ præposito, posteà Episcopo Carnotensi. Hoc tempore Petrus Damianus scripsit ad Papam Hildebrandũ, reddens rationem, cur

1078.

Episcopatum dimiserit. Erat enim vir religione & sapientia nominatissimus. Qui quædā ibi narrat, quæ in hoc loco expendenda decrevi. Quia, inquit, refutavi ecclesiasticum regimen, centum annorum pœnitentia mihi injuncta est, secundū remedia regulæ monasteriorum. Fortè de talibus remediis loquitur hic, de qualibus, vbi dicit. Dominicus, inquit, lorica ferrea vestitus erat ad carnem, duobusq; circulis ferreis cinctus in corpore, & duobus per armos brachiorum. Hic armata scopis vtraq; manu, duodecim psalteria vestibus exutus, totam noctem ducens pervigilē, cum die altera persolvit, & de tertiodecimo vsque ad *Beati quorum*. Huius viri exemplo mos inolevit in nostris partibus, vt non solùm viri, sed & nobiles mulieres hujus purgatorij genus inhianter arriperent. Nam relicta Tethaldi, mulier magni generis, & magnæ dignitatis retulit mihi, se per præfixā hujus disciplinæ regulam 100 annorum pœnitentiam peregisse, tribus disciplinarum millibus pro vno anno computatis. Talis igitur centum annorum pœnitentia illi injuncta est: quia Episcopatum dimiserat amore religionis, cùm esset valde idoneus Ecclesiæ regimini. Sed ipse rationem reddens, multos Sanctos ante se hoc idē dicit fecisse. Valerius, inquit, Hipponensis Augustinum sibi successorem cōstituit. Lucidius Evodensis imminente obitu ad Cœnobium convolavit: cui, vt ait Gregorius in Registro, beatus Andreas apparuit, & horam obitus nuntiavit. Adelbertus Veniensis Episcopus monachū induens martyrij palmam invenire promeruit. Item quidam sanctus pœnitens Episcopatu dimisso tandem ab Angelo visitatur, & jubetur ad Episcopatum redire, sed noluit; donec admonente eodem Angelo beatus Remigius celeriter advenit, qui hoc ei imperavit, & tunc primò obedivit. Et infrà. Melius est, pondus abjicere, quàm cum detrimento Domini, cujus servus sum, fractis cervicibus interire. Vnde scriptum est. [Quare non dedisti pecuniā meam ad mensam, & ego veniens exegissem cum vsuris vtique quod meū est?] Idest inquit Hieronymus, deposuisses ad altare, quod ferre non poteras. Dum enim tu ignavus negotiator denarium tenes, alterius locum, qui pecuniam duplicare poterat, occupasti. Nōne apud quosdam Episcopos quotidie Regales epulæ, quotidie apparatus, quotidie nuptiale cōvivium? & vnde refrigerare debuerant indigentes, recreant milites: & ad eorum mensam deliciis affluentibus alieni ructant: cùm illi, quorum est tota substantia foras exclusi, famis inopia contabescunt: & quod diabolicam videtur æquare malitiam, prædiis im militia profligatis, omnique possessione terrarum, insuper & decimæ & plebes adduntur in beneficijs sæcularibus. Quæ liberalitas pessima & egentibus adimit, vnde vivant; & diæcesaneos deterret, vt decimas non persolvant: illos occidens in corpore, istos in anima. Florentinæ civitatis Episcopus ludo scacorum præfuit. Quem ego increpās adhuc Episcopus, injunxi ei, vt percurreret tria psalteria, ac 12. pauperum pedes lavaret, & eos reficeret, & singulis singulos denarios daret: vt manibus ablueret, quod manibus polluerat.

Pœnitentia centum annorum.

Luc. 19.

Hujus temporis quosdam casus mirabiles, quos idem Petrus Damianus sparsim in libris suis narrat, hic inserere dignum duxi. Dux Venetiæ Constantinopolitanæ vrbis habebat vxorem; quæ tam tenerè & tam delicatè vivebat, & tam artificiosa voluptate se mulcebat, vt se communibus aquis dedignaretur abluere; sed ejus servi de rore cœli vndiq; collecto laboriosum ei balneum præparabant. Cibos suos non tangebat; sed ab eunuchis ejus alimenta quæque minutiùs concidebantur in frustula: quæ mox illa quibusdam fuscinulis aureis & bidentibus ori suo ligurriens adhibebat. Cubiculum eius tot aromatibus & thimiamatibus redolebat, vt etiam dictu fœtidum sit, & auditu incredibile. Sed dum adhuc viveret, vibrato super eam judicij mucrone corpus ejus omne computruit, ita vt totum cubiculum intolerabili fœtore compleret; nullusque illam ferre potuit, non cosmeta, non servulus, vix vna sola ancilla non sine specierum redolentium auxilio in eius servitio remansit; quæ tamē raptim accedens, cursim recedebat. Diutius hoc languore decocta, & miserabiliter cruciata, amicis quoque lætantibus diem clausit extremum. Huic illud potest aptari. [Quantum se exaltavit, & in delicijs fuit, tamen date illi tormentū & luctum.] Et rursus. [Potentes potenter tormenta patientur; & fortioribus fortis instat cruciatio.]

Casus mirabiles ex Pet. Damiano.

Exemplum de muliere voluptuosa.

Apocal. 18.

Sap. 6.

Sophia fuit duorum marchionum Vgozonis soror, & Raineri filia. Hæc dum sana esset & incolumis, petiit Abbatem sancti Christophori, vt sibi sepulturam in eodem monasterio pararet. Quo renitente, & illam delirare dicente, illa tamen, licet difficile, impetravit. Factum est ergo sepulchrum eius in claustro monachorum. Quod illa mox vt ingressa conspexit, nescio quo Dei iudicio ægritudinem incurrit; & paulò pòst abortiit & obiit, & ibidem sepulta est. Cujus tumulus cùm esset gypseus, & arte cęmentariorum studiosissimè communitus, tantā tamen illuviem per continuum circiter annum exhalavit; vt fratres in tota illa medietate claustri morari non sineret. Omnis enim caro quanto teneriùs & molliùs educatur, tantò deteriùs in putredinem vertitur. Quidam monachus dū frixuras quasdam in refectorium deferret in vasculo, pruriente gula mox vnam in os projiciens furtivè comedit. Moxque tantus eum libidinis ardor invasit, vt quod numquam ante fecerat, nulla se ratione comprimeret, donec propriis manibus semen ejiceret. Sic post buccellam introivit in eum Satanas. In monasterio beati Vincentij non procul à monasterio, quod dicitur Petra pertusa, constituto, regulare constitueramus edictum, vt in quadragesima per triduum non nisi modicum panis cum aqua omnes sumerent, nulla verba proferrent; nec lectionem, nec orationem in audientia, nudis pedibus incederent: expleto psalterio mutua se scoparum castigatione quotidie purgarent. Hanc regulam quidam frater edendo violavit, qui peritus erat scribendi, notandi, tornandi, fabricandi. Augur, cenobates, medicus, magus, omnia noverat. Media quadragesima ille crassus & nitidus & obesus repente infirmatus est. Audieram autem illum pro peccatis suis à missarum celebratione sequestratum. Super qua re eum admonui, sed hoc negavit: secunda die corpus Dominicū sedens in lecto anxius à me flagitabat. Cumque abbas eum super hoc corriperet, qui præsens nobiscum astabat, pro eo scilicet quod nulla signa mortis in eo apparerent, ille nihilominus perstitit, & sacerdote jam cum sacramento astante, applicans ad se vnum de fratribus, nescio quod grave peccatum ei insusurravit in aurem; qui

attonitus, & nesciens quam ei pœnitentiam injungeret, tandem 15. annos pœnitentiæ ei injũxit. Moxque ille vt corpus Domini suscepit, animam cum felle simul evomuit. Quod fel vsque ad sepulturam fluere non cessauit. In præfato monasterio statutum erat, & per triennium jam servatum, vt horis Canonicis beatæ Mariæ semper Virginis officia dicerentur: de quo cœpit murmurare monachus quidam, nomine Gozo, reprobæ vitæ, sed dicacis & accuratę facũdiæ, & obtinuit per quæstiones suas, vt horæ beatæ Virginis ampliùs nõ dicerẽtur. Mox innumeræ aduersitates aduersus idem monasterium exortæ sunt, deprædationes, rapinæ, conflagrationes, servorum & familiariũ ejusdem loci trucidatio. Itur ad Imperatorem Theutonicum, sed frustra. Venitur ad me; dico eis hæc accidisse, quia matrem pacis à se projecerãt: & mox in terram prostrati nuntij, dicunt se nunquam de cetero laudes beatæ Virginis omissuros. Sic in brevi postea pacem recuperant.

Vindicatur omissio officij B. Virginis.

Monachus quidam nobis cohabitaturus cohæsit, & per octo annos nobiscum mansit, castè & laudabiliter juxta fratrum testimonium: & nobis multa volumina scripsit. Erat enim peritus scribendi. Post hæc cùm obesus esset corpore, & robustior solito videretur, cœpit obstinatè deposcere, vt ad suum monasterium reverteretur: suadente hoc diabolo, ut postea patuit. Nã mox vt monasterium petiit, cum aliquo alio monacho dictum malorum sene, literis æque perito atque librario, incestum incurrit, & ægritudine mox irruente decubuit, & non multo post confessus & confusus decessit. Quidam monach⁹ Faventinæ civitatis ardere fecit aquam in lampade pro oleo; & postea in luxuriam incidit, & publicè virgis cæsus, turpiter decalvatus est.

Exempla eorum, qui è bono in malũ labuntur.

Ejusdem civitatis presbytero Angelus Domini ex consuetudine adveniebat, & sacramentum Dominici corporis de offerentis manibus assumebat, vidente principe. Tandem idem presbyter in luxuriam incidit, & ecce Angelus Domini eo offerente, vt consueverat, venit, & inspectãte Principe spongiam impletam aqua super caput ejus expressit; omnesque sordes atque squalores, quos ex corpore illius antè contraxerat, membris ejus omnibus iterum superfudit. Obstupescens princeps secretè presbyterum admonuit: qui primò negans, postea confessus est, se præterita nocte in quadam cubicularia ejus corruisse. Duo viri de primoribus ejusdem civitatis cuidam diacono simul apparuere per visum, qui ferreis casulis in modum sacerdotum talotenus videbãtur induti. Percunctante illo, & dicente, vtrũ vos qui in illa vita estis, jugiter Dominum benedicitis, responderunt. Nos qui apud inferos æterno igne cruciamur, nunquam benedicimus Dominum. Quidam princeps Salernitanus cùm quadã die prospexisset de monte Vesuvio flãmas erũpere, protin⁹ ait. Proculdubio aliquis sceleratus dives in proximo moriturus est, & in infernum descensurus. Est enim talis consuetudo in illis partibus, vt imminente morte divitis reprobi, mons ille flammas evomat piceas & sulphureas. His dictis superveniente proxima nocte, dum idem princeps securus cum meretrice concumberet, expirauit: quem illa, vt postea referebat, quid contigisset ignorans, diutiùs pertulit, & vix tandem à se non hominem, sed cadaver projecit. Quidam presbyter Neapolitanus volens certiùs quod non licebat addiscere, illuc vbi gehennale baratrum ferventiùs eructabat, propinquare præsumpsit; post missarum solẽnia infulatus quasi armatus procedens. Sed dum ultra quàm solebant homines, temerarius scrutator accessit, redire non valens, postea non comparuit. Alius presbyter matrem suam Beneventi ægrotantem reliquit. Qui dum perduceret dominum suum per fines Neapolis, exundantibus flammis intendens, audivit clamorem, quem matris suæ essecognouit. Notavit horam, & tunc comperit matrem suam obiisse.

Quidam clericus cum pellice sua per quinquennium luxurians, incensa vrbe fortuito incendio, simul in vna domo combust⁹ inventus est. Quidam presbyter conversionem promittens, & differens, in parvo fluviolo de equo cecidit, & submersus est. Ioannes Commiclensis Episcopus porcum viduæ abstulit, ploravit illa, non est exaudita. Qui dum comederet, percussus est in gutture: quod vulnus quamdiu vixit à medicis sanari non potuit. Tunc ergo conversus est ad Religionem, quod multò ante promiserat, & implere non volebat. Diu tamen postea in conversione vixit, tanta laborans gutturis molestia, vt cum magna difficultate alimenta perciperet; & ad geminam refectionem fratrum sibi succedentium discumberet; vixque in tanto spatio caperet, vnde stomachum recrearet.

Vir quidam dives Harduinus certa devotione mihi spoponderat, quòd si non posset antè, saltem expleto decennio trãsiret ad Religionem in monasterio beati Vincentij, quod in Arpingia situm est. Expleto termino tergiversari cœpit, & Abbas ejusdem monasterij votis ejus favebat, & dissuadebat converti; cujus nimirum necessariis sustentabatur auxiliis. Interea languore correptus, confessus, & pauperibus & Ecclesiis multa largiens, quasi cunctis bene dispositis securus, assistentes sibi cognatos & affines sub hac attestatione constrinxit. Obsecro vos, inquit, per caritatem, quæ Deus est, vt nemo me huic mortali vitæ reddi deposcat, ne me imparatũ, quod absit, mors improvisa reperiat. Mortuus est ergo, & aliquanto tẽpore post mortem suam Abbati illi apparuit noctè per visum. Videbat, & ecce in spatiosa campi planitie Imperator, vel quælibet excelsa potẽstas cum toti⁹ regni copioso conueniebat exercitu. Cumque ille stupefactus huc illucque oculos deduceret, ecce Harduinus à quibusdam custodibus celeriter ducebatur. Heus, inquit Abbas, siste gradum paulisper. Mihi non loqueris, Harduine? Eia frater, quid tibi est? Lætaris, an pateris? In pœna es, an in gloria? Fũe ille tristis & flebilis; quid me, inquit, interogas de gloria, qui jugibus pœnis afficior? Ad quod Abbas. Quid ergo tibi fecit beatus Vincentius? At ille. Sãctus, inquit Vincentius diu me fecit suum sperare colloquiũ: sed quia dudum fatigatus hoc obtinere non merui, spem hanc omnino jam frustratus amisi. Sic planè promissionibus frustrabatur ab eo, quem similiter promittendo frustraverat.

Voti violator dãnatur.

In monasterio quod beat⁹ Gregori⁹ infra Romanæ vrbis mœnia condidit, quidam puer à parentibus oblatus est. Qui cùm adolesceret, ad sæculum rediit, & vxorem duxit. Cumque juvenis factus esset, divino judicio percussus in gutture, cœpit ægrotare vsque ad mortẽ. Tandem se petiit ad monasterium reportari. Ibique pœnitudi-

nem de suis pravitatibus, & habitum monachi recepit. Cúque vxor ejus cum nónullis aliis lecto jacentis assisteret, cœpit ille gemens & vlulans inordinata voce garrire: cumque increparetur, quare non quiesceret, nonne, inquit, videtis beatū Andreā Apostolum, & sanctum Gregorium acerrimis me suis verberibus flagellantes? Postea paululū quiescens respirabat; & dicebat. Modo verberaverunt me, quia monasterium dimisi, & vxorem accepi. Et iterum post fletus & rugitus dicebat quiescens. Modò verberaverūt me, quia pauperibus mendicantibus, maxime que Scotigenis non modo nihil dedi; sed etiam, quod pessimum est, frequenter irrisi. Rursusque; Modò castigatus sum, quia sex nummos à quadam vidua paupercula mutuò accepi, & reddere nolui. Quot passus fecit illa in laborando, dum veniret illos à me requirens, tot modo ictus de amborū sanctorum manibus pertuli, dum me pariter verberarent. Vt sciatis autem, inquit, quia non mētior, perendie hora 6. de hoc sæculo migraturus sum. Erat tunc 6. feria. Nocte verò qua Dominicus illucescebat dies in Ramis palmarum, de lecto cunctis migrantibus exiliens, scapulare & cilicium, quæ juxta se erant, repente corripuit, & mox Ecclesiā beati Andreæ attonitus & festinus intravit: vbi strato compositus, his qui aderant fratribus ait. Ecce sanctorum verberibus flagellatus, ita purificatus de corpore egredior, sicut de fonte baptismatis mundus exivi. Igitur inter sacra missarū solemnia Dominica passione vix perlecta, hora quam prædixerat, obiit. Nudato ejus corpore ad lavandum, inventæ sunt in eo vibices, & stigmata plagarum. In eodem monasterio crypta est, & in eodem fons, vnde beatus Gregorius bibebat, & cubile lapideum, in quo æstate quiescebat. Quam aliquando cryptam prægnās canicula ingressa est, vt in ea parturiret. Quæ mox vt præfato cubiculo appropinquavit, moriens corruit. Desiderius Cassinensis Abbas narravit mihi. Servus, inquit, Dei Neapolitanæ regionis in prærupta rupe juxta viam publicam solitarius habitabat. Qui dum nocturno tempore psalleret, & fenestram cellulę horarū explorator aperiret, vidit multos Æthiopes iter carpere, & longo tractu onustos fœno saginarios comminare: cumque eos inquireret, qui essent, & cujus rei gratia hæc jumentorū pabula vectarent; maligni, inquiunt, spiritus sumus. Hæc autem paramus, non pabula pecoribus alendis, sed fomenta potiùs ignium hominibus comburendis. Præstolamur enim in proximo Principem Capuæ, qui jam decumbit, & Ioannem magistrum militum Neapolitanæ civitatis, qui adhuc vivit incolumis. Illico vir Dei Ioannem festinus adiit, quæ viderat & audierat, narravit. Per idem tempus Otto secundus contra Saracenos ibat Calabriam. His auditis Ioānes ait. Modo necesse habeo Imperatori occurrere, & de statu terræ hujus diligenter tractare. Post ejus abscessum spondeo, quod sæculum deseram, & monachus fiam. Vt autem probaret, vtrum verum esset, quod ille narrabat, nuntium direxit ad Capuam, qui Pandulfum jam mortuum invenit. Ipse quoque magister militū Ioānes, antequam Imperator ad illa partes attingeret, vix diebus 15. supervivēs, mortuus est. Martinus, qui in Gamaldulensi eremo commoratur, vir multarum virtutum, & præcipuè gratię lacrymarum, narravit. Monachus erat maritimi territorij in Cœnobio, quod dicitur Ad pinum, multis peccatorum nexibus involutus: cui cum magna & longa pœnitētia fuisset injuncta, ille à quodam familiari suo auxilium petiit, ad comportandum pondus pœnitentiæ. Quod onus ille devotè suscipiens, præcepit eum securum manere de tanta parte persolvenda. Qui sic obligatus non multò pòst mortuus est. Erat autem vitæ inter fratres irreprehensibilis, & opinionis honestæ. Non multis pòst diebus pœnitēti monacho in sōnis apparuit. Qui inquisit⁹, quomodo se haberet, malè, inquit & durè, sed propter te. Nam liber à propriis, quia tuis me vinculis innodavi, & alienam cautionem non persolui, flagellis duris atteror. Sed quæso te, vt vigiles pro te, & liberes me. Vade itaque, & deprecare Cōventum, vt quod spopondi persolvant, & me eruant. Quod cùm factum esset, ille rursus præfato monacho apparuit, vultu festivo & sereno; dicens, se per orationes fratrum à pœnis erutum, & sanctis conjunctum.

Monachus à Sanctis verberatus purgatur.

Pabula reprobis comburendis.

Vir sanctus ob aliena peccata, quæ susceperat expianda, post mortem afflictus.

In partibus Galliarum inter Abbatem & quēdam sæculi potentem orta est magna contentio de possessione; ita vt vtriusque partis fautores post longa jurgia ad arma condixerint. Potens ille sæcularis turmis armatorum stipatus, campū præliaturus ingreditur. Abbas autem cunctis qui pro se dimicare venerant suum prohibuit comitatum, solos monachos suos equis imposuit, capita cucullis operiri præcepit, & sic armatus ad locum certaminis venit. Protinus adversarij tanto horrore concussi sunt, vt mox equis desilirēt, arma projicerent, terræ se humiliter sternerent, indulgentiam flagitarent. Si objicitur, Leonē Papam bella gessisse, respondeo, non ideo Petrum factum esse Apostolorum principem, quia negavit; nec David ideo Prophetam, quia mœchatus est. Mala vel bona non de meritis hominum, sed de propriis debent qualitatibus æstimari. Gregorius multas rapinas & violentias à Longobardis passus est, Ambrosius ab Arianis; vterque sola patientia dimicavit.

Arma clericorū quæ.

Dusinus Episcopus in capite jejunij feria 4. fecit sibi & militibus sumptuosum convivium præparari: cujus vultum repente paralysis corripuit, & faciē, & os, & eū tali morbo diu postea vixit. Quidam alienam suem furatus est. Erat autem vir ille hospitalis valde. Interea adest Iesus in effigie pauperis, & tanquā prolixo crine egebat tonsore. Ille protinus reverenter assurgens, assumptis forcipibus eum tondere cœpit. Quod dum faceret, reperit in occipitio ej⁹ duos oculos latitātes. Expavit ille, & inquisivit, quid hoc esset. Cui ille, Ego, inquit, IESVS vocor, qui vndique cuncta contemplor; & isti sunt oculi, quibus vidi suem, quam in cavea modò cōclusisti: moxque disparuit.

Iesus omnia contemplatur.

Quidam Episcopus valde sitiens, vinum sibi afferri pręcepit: cumque pincerna totum quod erat vasculo exhausisset in poculum, & Episcopo detulisset; ecce pauper importun⁹ illud sibi dari poposcit, dicens, quòd si statim nō biberet, protinus expiraret. Pręcepit Episcopus illud pauperi dari; cumque amplius sitiret Episcopus quàm antè, jussit iterum vas vinarium inspici, si fortè aliquid superesset, & repertum est plenum. Abbas quidam jussit emi lampredam; empta est vna 20 nummis Papiensibus; cocta & apposita: & ecce pauper ad januā id maximè sibi dari postulat, quod Abbati appositum erat. Mittit ei Abbas integrū-

Exempla beneficentiæ in pauperes.

adhuc piscem. Illico pauper cum paropside plena pisce in sublime se extulit, & cælum cunctis videntibus penetravit. Ecce probatio, quòd illud, quod in sinu pauperis occultamus, in cælum reponimus. Episcopus quidam nampredã præparari jussit, cumq; Missam cantaret, illecebroso gustus ejusdem piscis tentatus est affectu. Erubuit ille, expletaque Missa febreticum piscem pauperi dari jussit. Quidam paterfamilias vnum solum nummum habebat in loculo ad emendum aliquid, quod cum pane comederet. Interim pauper advenit, & misericordiam postulavit. Dat ei nummum illum. Redit domum, panis solitus ei apponitur. Et ecce vir quidam ignotus, & quem nũquam antea viderat, festinus & anxius 20. solidos denariorum in linteo ligatos, in manu eius posuit, dicens ei à domino suo missos, & tamquã qui expectaretur, mox recessit. Quidam nobilis genere, sed degener moribus, duxit consanguineam suam in Clavomaco regno. Excommunicatus est ab Episcopo pio: contempsit. Ad Divinæ verò indignationis indicium contigit, vt panes de nuptialibus mensis in plateas ante omnes projecti, à canibus non tangerentur. Non multò pòst ille in cubiculo dormiens fulminatus est. Cùm apud Parmensem vrbem studerem, in vigilia S. Martyrum Gervasij & Protasij vir quidam maturiùs surrexit, & boves suos in remotiora pascua duxit Cujus vicinus quidam domum ingressus, & febricitare se simulans, lectum vxoris ejus intravit; cumque dentibus strideret, & tremeret, illa velut febricitanti marito compatiens, illum amplexa est, & lodice contexit. Quã illę violans continuò recessit: nec multò pòst maritus redit, stratum reperit; cui vxor exprobrans, ait. Optimè poteris hodie S. Martyrum Ecclesiam ingredi, quæ tibi contigua est cum ceteris Christianis. Cumq; ille attonitus inquireret, quid loqueretur, & rem totam per ordiné cognovisset, & cognoscentes vterq; se esse delusos, valde consternati sunt. Tandem resumpto spiritu, & omni rubore postposito, conveniunt cum ceteris ad nocturnum officium; & querelam coram omnibus deposuerunt; & vindictam de tanto scelere poposcerunt à Domino, vt latenté adulterum notum faceret. Mox adulter dæmone plenus, & seipsum lacerans intravit Ecclesiam: modò in altũ volans, modò gravissimo impetu in ima se præcipitans; modò ad parietem caput elidens, modò in pavimentum se insaniendo prosternens; tandem infelicem animam coram populo exhalavit. Fertur in regione Puteolis in Apulia, inter aquas nigras & fœtidas, saxosum esse promontorium, & scrupeum; ex quibus aquis consueto more teterrimæ videtur aviculæ consurgere, & à vespertina Sabbati hora vsque ad ortum feriæ secundæ humanis aspectibus apparere, & velut solutæ à vinculis liberè spatiari, alas extẽdere, plumas deperdere: nec vmquam videntur vesci, nec quolibet aucupis ingenio possunt capi. In matutino feriæ secundæ ingens corvus ad instar vulturis eas persequitur, & pòst illas crocitat: quę protinus se immergunt, nec vlteriùs apparent vsque ad vesperam sequentis sabbati. Has nonnulli perhibent animas esse hominũ gehennę deputatas, sed Dominico die cum adjacentibus noctibus pro gloria resurrectionis Dominicæ refrigerio potiri. Cui assertioni Prudentius in hymno consentit dicens. [Sunt & spiritibus sæpe nocentibus pœnarum feriæ] Illa nocte factæ, qua rediit Deus victor ab inferis Acherontis. Sed Desiderius Cassinensis Abbas rem sic se habere funditus abnegat. Vmbertus tamen Archiepiscopus præsente Desiderio retulit, se hoc audisse ab incolis Apuliæ. Idem Humbertus retulit, quod in monasterio sancti Silvestri in territorio Vrbinate quidam monachus obiit, & ab incipiente gallicinij nocturnalis articulo vsque ad 2. diei horam cadauer exanime fratribus circũquaq; jacentibus jacuit. Cũq; ad Missã pro eo *Agnus Dei* diceretur surrexit: cumque fratres attoniti propiùs accessissent, vt ab ore illius verba audirent; ille maledicta & contumelias in Deum cœpit evomere, crucem oblatã ei, vt oscularetur, conspuere; & intemeratam Dei genitricem ignominiosis opprobriis lacerare: & dicebat. Quare pro me psallitis, vel sacrificia offertis? Ego in ipsa flamma tartari fui, ibique magister meus & dominus Lucifer coronam suam æream inextinguibili semper ardore candentem mihi in capite posuit; ejusdẽque metalli chlamydem qua induebatur, me vestivit. Erat autem chlamis tam longa, vt talo tenus flueret; tam ferventer ignita, vt guttas emittere videretur. Cumque fratres, eum vt pœnitentiam ageret, admonerent, ille anathematizabat; & omnia Redemptoris nostri mysteria ore sacrilego condemnabat. Tunc monachi toto corde pro illo orantes, exutis vestibus se verberantes, & pugnis pectora tundentes, omnibus quibus valebant precum generibus insudabant: & ecce desperatus ille ad se redit, Salvatoris omnipotentiam laudat, Satanæ ludificationes abrenuntiat, crucem adorat, pœnitentiam flagitat. Confessus est autem, quod post abrenuntiationem sæculi in fornicationem inciderat, quam catenus celaverat: laudansque & benedicens Deũ vsque in die altera vixit, & in sancta confessione migravit.

Pro vno nũmo redduntur 20. à Deo.

Adulteri exitium.

Aues nigra sabbato apparẽtes quid credantur esse.

Monachus orationibus fratrum in morte liberatur.

Hildebrandus mihi retulit, quod in Teutonia erat quidam comes bonæ opinionis, & vitæ innocentis secundùm opinionem hominum, qui ante decennium defunctus fuerat: post cujus obitum quidam religiosus vir per spiritum ad inferiora descendens, vidit eundem Comitem in supremo gradu cujusdam scalæ. Quæ scala inter stridentes & crepitantes flammas videbatur erecta, ad suscipiendos omnes, qui ex eadem Comitum genealogia descenderent. Surgebat autem scala illa de immenso barathro. Hoc autem ordine succedentiũ singuli texebantur; vt qui novus adveniebat, supremum gradum tenebat scalæ; & qui in eo repertus erat, ad inferiorem proximum descendebat. Cumque vir, qui hoc aspiciebat, quæreret, quare Comes ille sui temporis, qui tam justè vixerat, illic torqueretur, audivit. Propter quandam possessionem Metensis Ecclesiæ, quam beato Stephano proavus eius abstulerat; & ille jam decimus in hereditate successerat. In partibus Babiloniæ habebat possessionem sedes Apostolica, vnde tantum balsami redditum annuatim capiebat, quod sufficeret illuminãdæ lampadi ante altare sancti Petri appensæ, & semper ardenti. Hanc possessionem accepta pecunia Papa distraxit, & pensioné aromatis quã accipere solebat, amisit. Aliquanto pòst cùm idem Papa ante sanctum altare quasi devotus astaret, orans, ecce terribilis & grandęvus senex, in cujus etiam facere barbilæsium videbatur, elato brachio colaphum illi vehementer incussit, & ait. Tu extinxisti luce nam meã ante me: & ego extinguo

Papa à S. Petro percussus.

internam tremante Deum; moxque disparuit. Protinus ille corruit, & paulo pòst obiit.

Puerulus quidam quinquennis Hubaldi nobilissimi viri, qui mecum degit in eremo, filius, in meo monasterio fact' fuerat monachus. Hic cùm in strato suo quievisset vespere, mane in pistrino clausis vtrinque januis inventus est. Dicebat se illuc à quibusdam hominibus ad magnū convivium deductum, vbi omnes epularum deliciæ videbantur; ibiq; eum manducare fecerūt. Dicebat etiam, quòd eum vsque ad castellum, q̄ supereminet monti, deferentes, super ipsum tintinnabulum, quod juxta in excelso dependet, deposuerunt. In Bononiæ partibus duo quidam amici ac compares discumbebant: quibus allatus est gallus. Quod pulmentū vnus illorum, accepto cultello, vt mos est, in frusta desecuit; tritumque piper cum liquamine superfudit. Quo facto alter ait. Profectò compater, sic explicuisti gallum hunc, vt ipse Petrus, etiamsi adveniret, curare non possit. Cui mox intulit alter. Planè non modò si B. Petrus, sed etsi ipse Christus imperet, gallus hic nunquam resurget. Ad hanc vocem repète gallus vivus, & plumis coopertus exilivit, alas percussit, & cecinit, plumas excussit, totumq; liquamen super eos qui convescebantur aspersit. Illico sacrilegi blasphemi in conspersione piperis lepra percussi sunt: quæ plaga lepræ etiam in posteros eorum hereditaria permansit vsq; ad obitum. Vnde in famulatum subacti sunt Bononiēsis Ecclesiæ, quæ B. Petri insignitur vocabulo.

Gallus coctus suscitatur.

Quidam institores Venetiæ cum applicuissent, viderunt leonem spiris draconis non procul à littore involutum, trahi violenter à dracone in speluncam. Pandoces autē, qui repente ad hoc spectaculum convenerant, audacter draconem invadunt, & perimunt, & leonem liberant. Qui nō ingratus, per aliquot dies, quibus pandoces illic morati sunt, quotidie pellem vnam animalis à se capti advexit. Quidam cum convictore suo ad ligna cædenda pergebat: & ecce serpens trabalis magnitudinis, duobus attollens colla capitibus, in eos impetum fecit. Vnus autem eorum, qui tenebat securim vnum caput ejus abstulit, & mox ei securis ad terram cecidit: quam serpens iratus mox altero capite mordicus apprehēdit, & spiris suis eum involvens in speluncam suā tulit. Qui dum traheretur, clamabat ad socium, vt eum defenderet, vel ei securim quam tenebat in manibus daret. Qui timens noluit, sed fugit: & idcirco à sacerdotibus tamquam mortis reus exilium subire coactus est. Hucvsque de Petro Damiano. Nunc ad historiæ consequentiam redeamus. Sigebertus. Hoc anno inceptum est Cœnobium sancti Salvatoris in insula, quæ dicitur Aquicinctus, à viris illustribus Sichero & Galtero. Hoc tempore in Oriente Turci super Arabes & Saracenos invaluerunt; & Armeniam & Syriam incursantes, multas vrbes & ipsam Antiochiam ceperunt. Henricus Imperator in Pentecoste conuentu habito Maguntiæ decrevit Hildebrandum à papatu deponendum: & Longobardiam petens, Guibertum Ravennæ Episcopū pro Hildebrando Papam designat.

Sigeberti verba.

Hildebrandus Papa quasi divinitus revelatū sibi prædixit, hoc anno falsum Regem esse moriturum: verum quidem, sed fefellit eum de falso Rege conjectura, secundum suum velle super Henrico Rege interpretata. Rex enim Hēricus Saxonibus gravi prælio congreditur, & in congressu falsus Rex Rodulfus cum multis Saxoniæ principibus extinguitur.

1081. Magnus terræ motus cum gravi mugitu terræ factus est 6. Calendas Aprilis prima hora noctis, portendens imminens malum, quod in toto orbe insonuit, & vnde terra dolet & doluit. Henricus enim Imperator ad debellandum Papam Hildebrandum Italiam petit: contra quem Papa vrbibus & castellis munitis se ad rebellandū accingit. Eumque Romam hostiliter adeuntem non recipit. Henricus autem expugnatis vrbibus & castellis, quæ contra se pro Hildebrando erant, Romam Leonianam obsidet. Guillelmus. Quo audito Guiscardus Boimundi Romam tetendit: cujus fama territus Henricus cū falsò Papa fugit. Rediit Hildebrandus, sed non multò pòst iterum ab Henrico fugatus est.

1082. In Gallia Hermannus miles corona sibi imposita post Rodulfum in Saxonia tyrannidem exercet. Marianus Scotus chronicam suam à nativitate Christi inchoatam vsque ad hunc annum perduxit, qui erat ætatis suæ annus 55. multum laborans errorem corrigere de annis Domini, qui invenitur in cyclo Dionysij: quem facile est videre, hinc positis ab eo annis Domini secundum cyclum Dionysij, altrinsecus autem secundum veritatem Evangelij.

1083. Henricus Imperator rupta Roma Leonina, Romam obsidet. Condicto inter Imperatorem & Papam die, ad causam inter eos discernendā, cùm pax dissimulāte Papa inter eos non conveniret; Romani & multi Italiæ populi à Papa desciscunt. Qui fugiens ad Normannos in Apulia se contulit.

1084. Romani Imperatorem vrbe recipiunt, & eorum judicio Hildebrandus Papatū abdicatur: Guibertus Papa efficitur, & Clemēs nominatur. His qui pro Imperatore erant contendentibus juste Hildebrandum esse depositū, tamquam majestatis reum: qui contra Imperatorem, alium Regem ordinaverunt, & rebellandi audaciam assumpserunt: his autem qui contrà sentiebant reclamantibus, vniversalem Papam, non vniversali judicio, sed paucorum judicio, laicali tonsura, imperiali potentia non posse amoveri à pontificatu; & quòd gravius est, in locum venientis Episcopi alium suffectum contra canonicam authoritatē agere, & cetera id genus. Henricus Rex patritius Romanorum constituitur, & à Clemente suo in Imperatorem benedicitur. Comes Montensis Balduinus vxorem ducit Idam.

Henricus Imperator Maguntiæ Regali & Synodali conventu habito, exigit ab omnibus, vt Hildebrandum deponant, & Guiberti ordinationem subscripto approbent: cujus aliqui manu & ore faventes, corde tamen Hildebrando adhærebant. Hermannus Metensis sibi absenti abjudicato Episcopatu, iterum vrbe pellitur. Imperator in Episcopatu Metensi · · · mercenarium supposuit, sed non audierunt oves Christi vocem alienorum. Imperator Saxones aggreditur. Illi pacem petunt & impetrant, pacti quod omnibus pro hac rebellione proscriptis sua restituerentur. Quod quia factum non est, iterum rebellant, inventore præ cunctis Ecberto Comite Imperatoris consanguineo. Galterus ex clero sancti Lamberti in Anglia Episcopus Anglorum odijs innocens interimitur, & in celebrando Missam ab eis quasi alter Stephanus Papa martyrizatur. Nondum scitur in qua civitate hoc factum sit.

Imperatoris impietas in Papam, & in Metensē Episcopum.

& mirum est, quod Guillelmus, qui historiā Anglo ū huius temporis scribit, nihil de isto refert. Hildebrannus apa, qui & Gregorius 7. apud Salernum exulans moritur.

Guillelmus. Vir apud Deum felicis gratiæ, & apud homines austeritatis fortassis nimiæ. Denique fertur, quòd inter eum & Imperatorem primi tumultus initio illum nudipedem & forfices cum scopis portantem, nec saltem foribus admiserit, abominatus hominem sacrilegum, & sororij incesti reum. Quæ repulsa multorū necis causa fuit. Sigebertus. De hoc ita scriptum reperi. Volum vos scire, qui Ecclesiasticæ curæ soliciti estis, quod Dn̄s Apostolicus Hildebrannus Papa, qui & Grego. 7. nunc in extremis positus vocauit ad se vnum de 12. Cardinalibus, quem multum diligebat præ ceteris; & confessus est Deo & S. Petro, & toti Ecclesiæ, se valde peccasse in pastorali cura, quæ ei ad regendum commissa erat: & suadente diabolo contra humanum genus odiū & iram concitasse. Postea verò frumentinam, quæ in orbe terrarum effusa est, pro augmento charitatis cœpisse dicebat. Tunc demū misit prædictum confessorem suum ad Imperatorem, & ad totam Ecclesiam, vt optaret illi indulgentiā: quia finem vitæ suæ aspiciebat, & jam citò induebat se Angelicam vestem, & dimisit ac dissoluit omnia jura ... bannorum suorum Imperatori, & omni populo Christiano, viuis & defunctis, clericis & laicis; & jussit suos abire de domo Deoderici, & amicos Imperatoris ascendere. Saxones vrbem Linaburch obsidentes, vt Episcopum ipsius Alberonem expulsum à ciuibus sedi suæ restituant, Henricus Imperator aggreditur: sed exercitus diuinitus exterritus cessit; & ceciderunt ex eis plusquam quatuor millia, quatuordecim tantum à parte Saxonum occisis. Nimia aquarum inundatio multis in locis damno & periculo fuit. Nam & in Italia tāta fuit illuvies, vt rupes liquescentes plures villas ruina sua destruerent. Desiderius Abbas Cassinensis fit Papa 163. & sedit mensibus duobus; qui & Victor tertius, vt ait Sigebertus, dissenteria dissolutus non multò pòst moritur. Guillelm⁹. Ad primam missam exagitatus nescio quo discrimine cecidit; calice, si dignum est credere, veneno infecto. Sigebertus. Anselmus Lucensis Episcopus Hildebranni cooperator indefessus, apud Mantuam exulans moritur; qui in Ieremiam & in Psalmos tractatus edidit; & doctrinam Hildebranni libro luculento confirmavit. Cujus sanctitas miraculis declarata est. Domesticæ aves, pavones, gallinæ, & anseres à domibus se extraneantes, omnes fiunt sylvaticæ. Augustinus in lib. 3. de Ciuitate Dei simile portentū narrat contigisse, dicens. [Antequam se adversus Romam sociale Latium commoveret, omnia animalia humanis vsibus subdita, canes, equi, asini, boves, & quæcumque alia pecora sub hominum dominio erant, subitò efferata, & domesticæ lenitatis oblita, relictis tectis libera vagabantur: & omnem non solum alienorum, verum etiam dominorum aversabantur accessum; nec sine exitio vel periculo audentis, siquis de proximo vrgeret. Quanti mali signum fuit, si hoc signum fuit; quod tantum malum fuit, si etiam signum non fuit.]

1096.

Victor 3. Papa 163.

1097.

Inter Imperatorem & Saxones vario eventu sæpe pugnatur. Venitianis meditantibus auferre corpus sancti Nicolai à Myrrhea Lyciæ à Turcis desolata, Barenses ciues præoccupaverunt eos, numero 47. ab Anthiochia Myrram venientes, qui à 4. tantùm monachis ibi inventis extorserunt sibi ostendi tumbam sancti. Qua effracta, ossa sancti Nicolai in olei liquore natantia integro numero extraxerunt, & Barim cum gloria detulerunt. Facta est hæc translatio anno 745. à depositione sancti Nicolai. Translationē ejus scripsit Ioannes Archidiacon⁹ Barinæ Ecclesiæ, jubente Vrsione Barēsis & Canusinæ Ecclesiæ Archiepiscopo. Missus est tunc temporis quidā ex Palatinis magnatibus ab Imperatore suo, cui parebat terra Myræorum. Hic veniens oravit S. Nicolaum, vt ei aliquā sui particulam dignaretur ostendere, quam osculari valeret. Minister igitur Ecclesiæ cùm peniculo extraxisset aliquid de liquore vrnæ, dens vnus extractus est: quem in aurea pyxide magnatus ille abscondit; & super altare quod ibi erat posuit. Paululum pòst aspiciēs, vidit de pyxide oleū manare, & involvit eam pallio, putans sic posse stare oleum; sed tantò magis manavit. Desperavit igitur se posse habere in occulto, quod sibi Dominus manifestauerat Cui S. Nicolaus in visione apparuit, dicens. Ecce postulationi tuæ satisfeci, sed extrà ferre non poteris: quia nō permitto sic minutam particulamā mēbris aliis separari. In crastino dentem vbi posuerat nō invenit. Igitur Barenses cum tribus navibus negotij causa ibant Antiochiam, Insulam Cacavam adierunt, deinde ad insulas Magestras venerunt, deinde ad loca Macri ... port⁹ S. Georgij à Barinis quinque milliaribus distat. Positum est corpus S. Nicolai à transferentibus in Ecclesia S. Benedicti: vbi primo die plusquam triginta infirmi sanati sunt. Homo quidam de Anconitanis partibus curvato corpore, manuum & pedum carens officiis, osculans capsellam sanatus est. Sacerdos de Camerino territorio, guttam patiens in spina, veniens Barum ad sanctum; ex quo venit ad eum locum, vnde Barum potest aspici, cœpit paulatim erigi, pervenitq; totus sanus. Parentes advexerunt puerum dæmoniacum ab Amalfa, qui sanatus est in loco supradicto, vnde Barum primò videtur; vbi crux erat posita ab iis, qui sanati erant. Sanati sunt de quodam castello infantula vna toto corpore debilis; & puerulus, qui nullum edulium poterat in stomacho retinere. Quidam pauperculus à Dirachio vxorem suam omnibus mēbris debilem, præter linguam, sanam reduxit. Sanata est mulier de Dalmatia leprosa. Ancillula Sipōtini cujusdam dorso incurvata sanata est. Sanata est mulier fœta, & lacte carens: sanatus puerul⁹ cuiusdam de Macerienfibus, qui numquā gressus potuerat movere naturales: sanatus quidā pauper Tarenti manens, pedibus non valens incedere, & vix potens sedere; dicente ad eum in somnis quadam imagine. Quare non vadis Barum? Quomodo, inquit, possum? Vade, inquit, quia potes; & surrexit sanus. Miles quidam perdiderat res aliquas: suspicans autem hoc fecisse quēdam suum satellitem, tibiā ejus sica percussit ictu ancipiti. In quo vulnere vermes innati, tibiam reddebant vlcerosam. Qui veniens ad Sanctum, sanatus est. De Gallia Cisalpina sanatæ sunt duę mulieres; vna cæca, & altera dæmoniaca. Quæ autem fuerat cœca, obtulit Sancto oculos argēteos, cum lapidibus pretiosis.

Translatio corporis sancti Nicolai.

Miracula S. Nicolai.

Sigebert. Eodem anno pisces in aquis mortui sunt. In Hispania Rex Galliciæ Aufal.

1098.

Saracenos

Saracenos fortiter debellat, & Toletum maximã eorum vrbem per aliquot annos obsessam tandẽ expugnat, & cultum Christianitatis in eo dilatat.

Vrbanus 2. Papa 164.

Vrbanus 2. Papa 164. sedit annos 11. menses 4. Guillel. Hic Odo priùs fuit Archidiaconus Remensis, deinde Prior Cluniacensis, pòst Episcopus Ostiensis. Sigebert. Odo ex monacho Cluniacensi Episcopus Ostiensis contra Imperatorẽ & Guibertum fit Papa, nomine Vrbanus. Hinc in Ecclesia scandala, & in regno augescunt dissidia; dum alter ab altero dissidet; dum regnũ & sacerdotium dissentit; dum alter alterum excommunicat; alter alteri⁹ excommunicationem, aut ex causæ, aut ex personæ prejudicio contemnit: dumq; alter in alterum excõmunicandi authoritate magis ex suo libitu, quàm ex justitiæ respectu abutitur, authoritas illius qui dedit ligãdi & solvendi potestatem despicitur. Nimirum, vt pace omnium bonorum dixerim, hæc sola novitas, ne dicam hæresis, necdum in mũdo emerserat, vt Sacerdotes illius, qui dicit Regi apostata, & qui facit regnare hypocritam propter peccata populi, doceant populum, quòd malis Regibus nullam debeant subjectionem; & licet eis sacramentum fidelitatis fecerint, nullam tamen debeant fidelitatem; nec perjuri dicantur, qui cõtra Regem senserint; imò qui Regi paruerit, pro excommunicato habeatur: qui contra fecerit, à noxa injuriæ & perjurij absolvatur.

Sigebert. iniquus in Pontificem.

Iob 34.

1089.

Godefrido Godefridi gibbosi ex sorore nepoti tandẽ ducatus datur. Annus pestilens, maximè in Occidentali parte Lotharingiæ: vbi multi sacro igne interiora consumente computrescẽtes, exesis mẽbris instar carbonum nigrescentes, aut miserabiliter moriuntur, aut manib⁹ & pedibus putrefactis & trũcatis miserabilior vita reservatur. Multi verò mẽbrorum contractione distorti dementantur.

1090.

Henricus Imperator ad debellandos adversantes sibi Italiam petit. Hermannus Tyrannus à Saxonia Lotharingiam repetens, ad concitandos regni motus laborat. Qui dum muro cujusdam castelli incautè approximat, jacto è turri saxo in capite percutitur, & moritur. Metis corpus S. Clementis primi Episcopi ab Apostolis illic ordinati inventũ levatur. In Saxonia Ecbertus Comes, dum fideles Imperatoris bello insequitur, & ipse perimitur. Sterilitas frugum terræ augescit, & fames paulatim irrepit. Henricus Imperator in Italia castella & munitiones adversantium sibi expugnat: Mantuam quoque obsidet; & capit.

1091.

Robertus filius Guiberti Regis Angliæ, vivente adhuc patre, Normanniam sibi negari ægrè ferens, in Italiam iratus abiit, vt duceret filiã Bonifacij Marchionis: cujus auxiliis patri adversaretur. Hac verò spe frustratus, Philippum Regem Francorum contra patriam excitavit: quare benedictione genitoris, & Anglia caruit, post mortẽ ejus Normania vix retenta. Richardus alter filius Guillelmi cervos in nova foresta venans, rabidi aëris nebula morbum lethalem fertur incurrisse. Locus est, quẽ Guillelmus pater desertis villis, & subrutis Ecclesiis, per 30. & eo ãpliùs milliaria in saltus & lustra ferarũ redegerat. Pro quo peccato Guillelmus filius ejus, qui post eum regnavit, & Richardus nepos ejus, filius Roberti Comitis Normaniæ ibidem perierunt: primus sagitta pectus ictus, secundus arboris ramusculo collũ trajectus: vel, vt quidam dicunt, equo pertranseunte faucibus appensus. Filiæ Guillelmi fuere Cecilia Cadomensis Abbatissa; Constantia Britanniæ Comitissa, quæ austeritate justitię prouinciales in mortiferã sibi potionem exacuit, Adala Blesensis Comitissa, quæ apud Marcenniacum sanctimonialis habitum sumpsit. Quarta Aroldo promissa, ante nuptias obiit. Quinta Adelfonso Galiciæ Regi iurata, virgineam mortem impetravit à Deo. In cujus defunctæ genibus callus repertus est ex crebra oratione. Igitur extremo vitæ tempore habitans Rex Guillelmus in Normannia, contraxit inimicitias cum Rege Francorum Philippo: qui de illo ait. Rex Angliæ jacet Rothomagi more ablutarum partu feminarum cubile fovens; jocatus in ejus ventrem, quem potione alleviarat. Quo perstrictus convitio, respondit. Cùm ad Missam post partum iero, centum millia candelarũ ei libabo. Non multò pòst mense Augusto Franciam aggressus, Medaucum oppidum injectis ignibus cremavit: vbi ipse, dum propiùs flammas succẽderet, calore foci, & autumni inæqualitate morbum nactus est. Dicunt quidam, quòd prçruptã fossam sonipes ejus transiliens, interranea sessoris diruperit; quia in anteriori parte venter protuberabat.

Peccatũ Regis Angliæ in filios vindicatum.

Vltio diuina in Regem incendiariũ.

1092.

Incentoribus Saxonici belli omnib⁹ penè peremptis, Saxones pertęsi malorum, composita inter se pace quiescunt ab omni motu bellorum. Dõnus Ivo S. Quintini Belvacensis Præpositus ab Vrbano Papa consecratus, fit Carnotẽsis Episcopus. Guillel. Rex Anglorum vir singularis censuræ & severitatis obit: cui succedit Guillelmus filius eius. Auctor. Guillelmus dicit. Mortuus est Guillelmus Rothomagi 8. Idus Septembris, anno regni sui 22. vitæ 59. anno Domini 1087. Corpus ejus per Sequanam Cadomum delatum est, & ibi humatum: quem tamen locũ quietis sine calumnia impetrare nõ potuit. Nam miles quidam, ad cujus patrimonium locus ille pertinuerat, clara voce rapinã contestans, sepulturam inhibuit, dicens, locum sibi ab eo violenter ablatum. Vnde ab Henrico, qui solus ex filiis Regis aderat, centum libræ argenti militi persolutæ sunt. Robertus primogenitus tunc in Francia contra patrem bellabat; Guillelmus antequã pater expiraret in Angliam enavigaverat. Eo tẽpore in provincia Vualarum inventum est sepulcrum Vualveani, qui fuit Arturi nepos, & regnavit in ea parte Britãniæ, quæ adhuc Vualveia vocatur. Hic à fratre & nepote Hẽgestij regno pulsus est, licet miles fuerit nominatissim⁹. Sepulcrũ ejus super oram maris inventum est 14. pedes lõgum. Sepulcrum autem Arturi nusquam visitur. Guillelmum filium Regis Guillelmi Lanfrancus Archiepiscopus nutriuit, & militem fecit: & die Cosmæ & Damiani in Regem sacravit. Erat ita liberalis, vt prodigus; ita magnaminus, vt superbus; ita severus, vt sævus. Parum Deum reverebatur, homines nihil: cùm Deus timẽdus sit omni tempore, homo pro tempore. Vestium suarũ pretium in immensum extolli volebat, dedignãs siquis alleuiasset. Quodam mane calceatur⁹ novas caligas, quæsivit à cubiculario, quanti constarent, cumque ille respondisset tres solidos, indignabundus & fremens, fili, ait, meretricis, ex quo habet Rex caligas tam exilis pretij. Vade & affer mihi emptas marca argenti. Ivit ille, & multò viliores afferens, quanti præceperat emptas, mentitus est. Atqui, inquit Rex, istæ regiæ majestati conveniunt. Itaq; ex eo cubicularius pretium vestimentorum ejus pro voluntate numerabat, multa perinde suis vtilitatibus nun-

Superbia & stoliditas Regis.

dinans. Tandem exhaustus expensis, ad rapinas convertit animum, adjuvante eum in hoc scelere Ranulfo clerico, ex infimo genere hominum lingua & calliditate provecto ad summū: quo auctore sacri Ecclesiarum honores, mortuis pastoribus venumdati. Nam audita morte cujuslibet Episcopi vel Abbatis, confestim clericus Regis eò mittebatur, qui omnia inventa scripto exciperet, omnesq; in posterum redditus fisco regio inferret. Substituebaturque in loco defuncti quilibet, non pro morum, sed pro nummorum experimento. Sequebantur curiam effeminatorū manus, & ganeonum greges: vt rectè à quodam sapiente dictū sit. Curia Regis Angliæ non est majestatis diversorium, sed exoletorum prostibulū. Ad dedecus illius temporis pertinet, q Anselmus Archiepiscop⁹ ista corrigere conatus, sed societate suffraganeorū destitutus, spōte discessit, nequitię tēporis cedens. Qui cùm jamjā; navigaturus in portu ventos expectaret, iussu Regis, vt prædo publicus expilatus est, manticis omnibus & bulgis in medium prolatis & exquisitis. Iudæos quos à Rothomago pater ejus Lundoniam transtulerat, cùm in quadam solemnitate eum adirent, munera offerentes, ausus est animare ad conflictum contra Christianos: pronuncians, quia si vicissent, in eorum sectam transiret. Magno ergo timore Episcoporum & Clericorum res acta est, pia solicitudine fidei Christianæ timentium. De quo certamine Iudæi nihil præter confusionem retulerunt: quamvis multoties jactitarint, se non ratione, sed factione superatos. Robertus frater ejus cum aggredi vellet iter Ierosolymitanum, Normanniam ei invadatus est pro pecunia decem millium marcarum. Qua propter importabilis pensionis edictum per totam Angliam cucurrit. Cumque Episcopi & Abbates frequenter Regem adirent, de hoc querimoniam facientes, respondit ille. Numquid nō habetis scrinia auro & argento composita, ossibus mortuorum plena? Igitur capsas sanctorum nudare coacti sunt; crucifixos despoliare; calices conflare; non in vsus pauperum, sed in fiscum Regium. Venationes quas primò indulserat, adeo prohibuit, vt capitale esset, cervum prendidisse. Propter hæc & hujusmodi sæpe à ducibus contra eum coniuratum est. Guillelmus de Oy proditionis apud Regē accusatus, delatoreque ad duellū prouocans, exoculatus & extesticulat⁹ est. Hæc delatio plures innocētes involvit, quorū vn⁹ fuit Guillelm⁹ de Alderia, homo decorus & compater Regis. Qui patibulo affigi jussus, Osmundo Episcopo Salesberiæ confessus, & per omnes Ecclesias oppidi flagellatus, dispersis ad inopes vestibus, ad suspendium nudus ibat, delicatam carnem frequentibus super lapides genuflexionibus cruentans, Episcopo & populo sequenti ad locum supplicij, ait. Sic Deus adjuvet animam meam, & à malis liberet, sicut de re qua accusor, immunis sum. Audita discordia, quæ erat inter Vrbanum Papam & Guibertum Ravennatem, debitū Romanæ sedi negavit, pronior tamen in Guiberti gratiam: quæ fuit prima causa dissidij inter eum & Anselmum. Secundo anno regni ejus ingens terræmotus 3. Idus Augusti totam Angliam exterruit, horrendo miraculo, vt ædificia omnia emin⁹ resilirent, & mox pristino modo residerent. Secuta est inopia omnium fructuum, tarda maturitas frugum, vt vix ad festū S. Andreæ messes recon-

Regis Angliæ perdita vita.

Terræ motus mirabilis.

derentur. Quarto ejus anno fuit tumultus fulgurum, motus turbinum. Idibus Octobris apud Vincelrumbam ictus de cœlo emissus turris latus tanta vi impulit, vt debilitata materia in confinio tecti *ingens ad humanæ grossitudinis modum efficeret. Quo ingressus, trabem maximam in fragmina per totam disjecit Ecclesiam, & crucifixi caput cum dextra tibia, & imaginem sanctæ Mariæ deiecit. Secutus est fœtor intolerabilis. Tandem monachi felici ausu irrumpentes, benedictæ aquæ aspergine inimici præstigias effugarunt. Fuit quoque discordia ventorum inter se dissidentium ab Euroaustro veniens 16. Calendas Novembris, qui Lundoniæ plusquam sexcentas domos effregit. Corruebantur Ecclesiæ cum domibus, maceriæ cum parietibus. Idē furor ventorum tectum Ecclesiæ sanctæ Mariæ, quæ ad arcus dicitur, pariter sublevauit, & duo ibi homines obruti: ferebātur que tigna cum trabibus per inane, mirantibus qui longè, timētibus qui prope stabant. Quatuor tigna sex & 20. pedes longa tanta vi pariter in humum impacta sunt, vt vix 4. pedes extarent, mirabile visu, quomodo duritiem stratæ publicæ perruperint, eo ibi ordine posita, quo in tecto ab artifice fuerant collocata; quæ ob impedimentum transeuntium ad planiciem terræ desecta sūt, quòd aliter erui nequirent. Quinto eius anno eadem violentia fulminis apud Salesberiam tectum turris Ecclesiæ omnino disiecit, multamque materiam labefactavit; quinta die postquam eam dedicaverat Osmundus, præclaræ memoriæ Episcopus. Conradus filius Imperatoris Henrici in Italiam se ad patris sui aduersarios contulit. Quæ res priores patris sui victorias multùm obscuravit, & vires ejus attenuavit. Baculus ignitus à Meridie ad Aquilonē per cælum ferri visus est Calendis Augusti, prima hora noctis. Guillelmus. Sexto Guillelmi Regis anno tantū fuit in Anglia diluvium, ex abundantia imbriū, quantum nullus meminerat. Mox accedente hieme fluvij ita sunt congelati, vt essent pervij equis & quadrigis, & plaustris. Gelu resoluto ex impetu glacialium frustorum pontes effracti. Gerardus Episcop⁹ Cameracensis obit, cui Gualcherus succedit: sed ipso postea ab Episcopatu pulso Manasses ordinatur Episcopus. In Gallia & Germania gravis hominum mortalitas facta est. In Italia, illi qui ad Imperatorem ab hostibus ejus se transtulerant, eo ad Galliam reverso omnes pene ad hostes ejus rursum transeunt, & munitiones ab eo expugnatas contra eū muniunt. Guillelmus. Septimo anno Guillelmi Regis propter tributa, quæ Rex in Normannia positus edixerat, agricultura defecit, qua deficiente secuta est fames. Qua crescente successit mortalitas hominum, adeo crebra, vt deesset morituris cura, mortuis sepultura. Tunc etiam Vualnēses in Normannos efferati, Cicestrensem pagum, & partem Selesberiensem depopulati sunt, & Anglesiam armis obtinuerunt.
Sigebertus. Fames diu concepta validissimè ingravatur, & fit annus calamitosus, multis fame laborantibus, pauperibus per furta & incendia ditiores graviter vexantibus. Cum valido ventorum turbine etiam terræ motus factus est media nocte 4. Idus Septembris. Rex Anglorum à fratribus suis bello sollicitatur in Normannia & Anglia. In multa terrarum parte secundo nonas Aprilis circa diluculum stellæ perplures de cælo

* foramen

Mirabiles ventorum effectus.

1093.

1094.

1095.

in terram cecidisse visæ sunt. Inter quas vnam maximã labi in terram cùm quidã in Franciastu-peret, & notato loco vbi labi visa est, cùm aquã ibi fudisset, fumum cum fervoris sono inde exire magis stupuit. Henricus Lovaniensis Comes perimitur. Rex Hungarorum moritur. In comitatu Namurcensi panem subcinericium quasi sanguine infectum vidimus. Vrbanus Papa per Burgundiam & Franciam Concilijs habitis Hildebranni decreta renovat, & confirmat: & Philippũ Regem Francorũ, qui vivente vxore sua alterius viventis vxorẽ superduxerat, excõmunicat. Guillelmus. Fulco fuit antiquus Comes Andegavorum; qui senex Ierosolymam adiit. Ibi à duobus servis sacramento coactis, vt quæ juberet facerent, per publicum tractus est nudus ad sepulchrum Domini, Turcis inspectantibus. Alter restem ligneum collo ejus intorserat, alter flagris terga expoliata vrgebat. Inter hæc ille clamabat. Accipe Domine miserum Fulconem perjurum tuum, fugitivum tuum. Domum tamen contra desiderium suum placidè regressus est. Post aliquot annos filium habuit Gofridum, cognomento Martellum. Quod cognomen sibi vsurpaverat, quia videbatur omnes sibi obsistentes felicitate quadam contundere. Nam dominum suum Comitem Pictaviensem aperto marte cepit, ferreisque vinculis innodatum ad ignobilis pacis conditiones coëgit vt Burdegala civitate cederet, & finibus ejus: & de ceteris annuum vectigal pensitaret. Qui captus pro ferri injuria, & ciborum inopia post triduum defunctus est. Cujus novercam Martellus duxit, fratres in tutelam suscipiens. Mox Theobaldi Comitis Blesensis ingressus limites, vrbem Turonicam obsedit, & ipsum in eadem. Qui captus, & in ergastulo reclusus, vrbem sibi, omnibusque suis hæredibus in perpetuũ abjuravit. Iste Gaufridus moriens Gaufrido sororis suæ filio Comitatum dedit: qui simplex fuit & imbellis. Hujus frater Fulco ducatum corripuit: cognominatus est Rethur; quia germani simplicitati crebrò infrendens, ad vltimum honore spoliatum perpetua tenuit in custodia. Hic Fulco habuit vxorem, quæ relicto eo Philippo nupsit Regi Francorum. Qui amore ejus ita captus est, vt illa sibi in omnibus imperaret, cùm ipse omnibus aliis imperare cuperet. Denique omnium digitis se notari, & ab omni orbe Christiano se excommunicari propter ejus libidinem aliquantis annis passus est. Filij hujus Fulconis fuerunt Gelfridus, Martellus, & Fulco. Primus insidijs suorum necatus est. Erant eo tempore in Nannetis ciuitate duo clerici nondum patientibus annis presbyteri, literis affatim instructi, inter se multum amici. Hi pactum inierunt inter se, vt vter eorum prior moreretur, alteri vel vigilanti vel dormienti appareret infra 30. dies. Data acceptaque corporali fide. Nec multò pòst vnus obiit. Trigesimo die astitit alteri vigilanti, & nescio quid operis molienti mortuus vultu exangui & pallido. Qui prior vivum compellans, agnoscis me, inquit? Agnosco, ait ille, & miror, quid tandiu moratus fuisti. Ille priùs moram excusans, Tandem, ait, tandem venio; & adventus meus si volueris tibi fiet commodus, mihi omnino infructuosus. Nam sempiternis deputat' sum suppliciis. Ego, ait alter, te juvabo precibus, jejuniis, & eleemosynis multis. At ille respondit, Sine pœnitentia sunt judicia Dei. In inferno dum rotat astra polus, dum pulsat littora pontus, pro criminibus meis puniar. Si totus mundus mihi remedia exquireret, æterna tamen & innumera pœnarũ genera patiar. Et vt aliquam ex meis innumerabilibus pœnis agnoscas, en vna: protenditque manum saniosa vlcere stillantem. Videturne, inquit, tibi levis? Cumq; ille levem sibi videri referret; ipse mortuus curvatis in volam digitis, tres guttas defluentis tabi super eum jaculatus est. Quarum duæ tempora, vna frontem contingentes, cutem sicut ignito jaculo penetrarunt, foramen nucis capax efficientes. Illo magnam pœnã esse, doloris clamore protestante, Hoc, inquit mortuus, erit tibi quamdiũ vixeris, & pœnarum mearum grave documentum; & nisi neglexeris, salutis tuæ singulare monimentum. Vade ergo dum licet, & muta habitum simul & animũ; & esto monachus Rhedonis apud S. Melanium. Cumq; vivus ad hoc respondere nollet, mortuus cũ oculi vigore perstringens, Si dubitas, inquit, converti, miser, lege literas istas. Et hoc dicens, manum tetendit teteris notis inscriptam: in quibus Satanas, & omne inferorũ satellitiũ omni ecclesiastico cœtui gratias de tartaro emittebant: quòd cùm ipsi in nullo suis voluptatibus deessent, tum tantum numerum subditarum animarum paterentur ad inferna descendere, prædicationis incuria, quantum numquã retroacta viderant secula. His dictis loquentis aspectus disparuit: audiens omnia vendens, & dans pauperibus, sanctum Melanium adiit, & monachus ibi factus optimè cõversat' est. Item Guillelmus. Hoc anno, idest anno Domini 1095. Vrbanus Papa venit in Galliam, & celebravit Concilium, apud Claromontem: in quo inter cetera statutum est, vt Episcopi, Abbates, vel aliquis de Clero, aliquã Ecclesiasticã dignitatem de manu principum vel quorumlibet laicorum non accipiat: & vt clerici in duabus ciuitatibus vel Ecclesiis præbendas non habeant. Vt nemo simul sit Abbas & Episcopus. Vt Ecclesiastica dignitas à nullo vendatur aut ematur. Vt nullus cujuslibet sacri Ordinis carnali commercio vtatur: vt eis auferantur Ecclesiæ dignitates, qui scienter à se vel à parentibus suis emptas habuerint. Vt eis ignoscatur, qui hoc ignorauerint à canonibus prohibitum. Vt nemo Laicorum à Capite jejunij, nemo Clericorum à Quinquagesima vsque in Pascha carnes comedat. Vt in sabbato Paschæ nonnisi post nonam Officium celebretur. Vt ab Adventu Domini vsque ad octavas Epiphaniæ, & à Septuagesima vsque ad octavas Paschæ, & à prima die Rogationum vsque ad octavas Pentecostes, & à 4. feria Occidente sole omni tempore vsque ad feriam 2. Oriente sole ... custodiatur. Vt qui Episcopum ceperit, omnino exlex habeatur. Vt qui sacri Ordinis viros, vel eorum famulos ceperit, anathema sit. Vt qui Episcoporum vel Clericorum morientium bona ceperit, anathema sit. Vt nemo in Episcopum eligatur, nisi Presbyter, aut Diaconus, aut Subdiaconus: & cui natalium dignitas suffragetur, nisi maxima necessitate, & licentia Papæ. Vt filij presbyterorum vel concubinarum ad presbyteratum non provehantur, nisi priùs ad religiosam vitam intraverint. Vt qui ad Ecclesiam vel ad crucem confugerit, data membrorum impunitate justitiæ tradatur, vel innocens liberetur. Vt vnaqueq; Ecclesia decimas suas habeat, nec ad alterã

Pœnitentia memorabile exemplum.

Damnatus clericus socio apparet.

Quanta inferni pœna.

Conciliũ Clarimontis decreta.

transeant. Vt laicus decimas non vendat, nec retineat. Vt pro sepultura mortuorum pretium nō exigatur. In eodem Concilio excommunicavit Papa regem Francorum, & omnes qui eum vel regem vel dominum suum vocauerint, & ei obedierint. Similiter & illam maledictam conjugem ejus; & qui eam Reginam vel dominam vocauerint, donec ad emendationem venerint; vt alter ab altero discedat. Similiter Guibertum Rauennatem, qui se Papam appellarat, & Henricum Imperatorem, qui eum manutenet, & ceteros, qui eis consentiunt. Post hæc sermonem habuit ad populum, exhortans eos ad crucē sumendam, inter cetera dicens. Vt ait Salomon. Nihil timidius nequitia, nihil laboriosius. Nunc à vobis par labor atque metus pretio meliore petuntur. An nescitis, quod viuere hominibus calamitas, mori felicitas est? Mors enim bonis accelerat patriam, malis resecat malitiam. Sigebertus. Ecclipsis lunæ facta est 3. Id. Februarij, & rursus 3. Idus Augusti. Occidentales populi dolentes loca sancta Ierosolymis à Gētilibus prophanari, Turcos etiam Christianorū jā multa ex parte invasisse, innumerabiles vna inspiratione cōmoti, & multis signis sibi ostēsis alij ab aliis animati, Duces, Comites, potētes, nobiles & ignobiles, divites & pauperes, liberi & serui. Episcopi & clerici, senes & juvenes, pueri & puellæ, omnes vno animo, nullo angariante, vndique concurrunt: ab Hispanna, à Prouincia, ab Aquitania, à Britania, à Scotia, ab Anglia, à Normannia, à Francia, à Lotharingia, à Burgundia, à Germania, à Longobardia, ab Apulia, & ab aliis regnis, virtute & signo sanctæ crucis signati & armati, vltum ire parant injuriam Dei in hostes Christiani nominis: & quātò quisque hactenus ad exercendā mūdi militiā erat pronior, tantò nunc ad exercendam vltro Dei militiā fit promptior, firmissimaque pace interim vbique composita, & primò Iudæos in vrbibus in quibus erāt aggressi, eòs ad credendum in Christum compellunt. Credere nolentes bonis priuant, trucidant, vrbibus eliminant Aliqui Iudæorum zelo tenendæ legis patriæ ducti, se mutuò trucidant; alij ad tempus se credere simulantes, pòst ad Iudaismū revolvuntur. Eminebant in hoc Dei hostico Dux Lotharingiæ Godefridus; & fratres eius Eusthachius & Balduinus, Anselmus de Ribodi monte, Balduinus Comes Metensis, Robertus Comes Flandrensis, Stephanus Comes Blesensis, Hugo magnus frater Philippi Regis Francorum, Robertus Comes Normannorum, Raimundus Comes sancti Ægidij, Boamundus dux Apuliæ. Guillelmus. Nunquam tot gentes in vnam cojere sententiam. Opinionem hominum vincebat numerus; quanuis æstimaretur sexagesies centum millia; qui omnes Ierosolymam pergebant. Raymundus fuit filius Vuilelmi, antiquissimi Tolosæ Comitis: cujus vxor Almedis multinuba primùm nupsit Arelatensi Comiti, mox huic Guillelmo; cui cùm duos peperisset filios, Barcinonensem Comitem præ hoc elegit. Guillelmus iste moriens Guillelmo filio suo dedit Comitatum. Tolosanum, Raimundo Caturcēsem: cui idem postea adjecit virtutibus suis Arelatensem, & Narbonensem, & Provincialem, & Lemovicensem. Tolosam quoque à germano suo postea emit. Ex vna pellicum suarum filium habuit Bertranum, quē heredem sibi constituit. In vltima ætate sua vxorem duxit filiam Regis Tarraconensis. In hac via Ierosolymitana primus omnium laicorum crucem accepit, animatus ab Episcopo Podij, qui curā Vrbani Papę susceperat in prædicatione, postquam idem Vrbanus in itinere ad Concilium Claromontensē obiit. Erat autē inter alios Comes Moricoliensis, vir omni corporis obscœnitate infamis, nec ideo minus in aliorum delicta inexorabilis: qui pro delicto patris modico puerulum in obsidatum accipiens, eum excæcavit, oculos misselli nefandis vnguibus abrumpens.

Sermo Papæ ad populum

Sap. 17.

Numerus cruce signatorum incredibilis.

Sigebertus. Cometes in Occidente apparuit tota prima hebdomada Octobris. Nimia aquarum inūdatione autumnalis satio impeditur; & sterilitas frugum terræ sequitur. Exercitus Dei terminos Paganorū aggressus viriliter agit. Primum bellum fuit eis ad pontem Farfar fluminis 9. Calēdas Martij: vbi multi Turci occisi sunt. Secundum bellum fuit eis apud Nicæam 3. nonas Martij; in quo etiam Pagani victi, Nicæa capta, & Laodicia. Et cùm essent plusquam trecenta millia armatorum in exercitu Christiano, tanta eis rerum omniū suppetebat copia, vt aries vno nummo, bos vix duodecim nummis venderetur. Guillelmus. Turci jam 40. annis Bithiniā possederāt, quæ est pars minoris Asiæ, quam Romaniā dicunt. Hujus domin⁹ erat tunc Solymanus. Abjectis autem arcubus, continuis tribus diebus fugerunt Turci. Soldanus autem apud Persas est, qui apud Romanos Augustus, totius Orientis & omnium Saracenorum rector. Quorum, idest Persarum imperium, ideo vt æstimo, tādiu dutat: quia gens illa parum bellicosa, & vivacis sanguinis inops, semel acceptum dedíscere nescit servitium; ignorans, vt ait Lucanus, ideo datos, ne quisquam seruiat, enses. Hoc anno, qui fuit annus 10. Guillelmi Regis Angliç 2. apparuit cometes Calendis Octobris 15. diebus, majorem crinem emittens ad Orientem, minorem versus Euroaustrum. Apparuerunt & aliæ stellç, quasi jacula inter se emittētes. Eodē anno Anselmus * Angliæ tenebras erroneorum fugiens Romam ivit. Baldricus ex Burguliensi Abbate Dolensium Archiepiscopus, qui scripsit historiā Ierosolymitanam, dicit, quòd Turci, qui Ierosolymis erāt, sepulchrū Domini sinebant paulò honorificentiùs servari; non quia meliùs de religione Christiana curabant: sed quoniam sic vtilitatibus & cupiditatibus suis satisfaciebant, per oblationes adventantium, qui imperium suū jam vsque Antiochiam dilataverāt. Dicit etiam, quòd Episcopus Podiēsis, nomine Haimarus, primus omnium in ipso Concilio Claromōrensi licentiā ab Vrbano Papa accepit eundi Ierosolymam. Dicit etiam, quod anno Domini 1095. pridie nonarum Aprilium feria 4. luna 25. visus est ab innumeris inspectoribus in Galliis tantus stellarum discursus, vt grando, nisi lucerent, pro densitate putarentur, quas quidam opinati sunt cecidisse. Quidam motum earum motum christianitatis interpretati sunt. Anno enim subsequēte & Synodus Auernis habita est, & via inchoata. Porrò ante hanc Synodum generale Concilium celebraverat idem Vrbanus Papa apud Placentiam. Excessit autem medicina modū; quia plusquam debuit, in quibusdam volūtas eundi Ierosolymam subrepsit. Nam & multi Eremitæ, & Reclusi & Monachi, domiciliis suis non satis sapienter relictis, ire viam perrexerunt. Quidam tamen orationis gratia ab Abbatibus suis acce-

* *primas*

Episcopus Podiensis primus iter Ierosolymitanum suscēpit.

Qui & quot cruce se signarint.

pra licentia profecti sunt;plures autem fugiendo se subduxerũt. Multi enim de gente plebea crucem sibi divinitus innatam jactitando ostentabant; quod & idem quędam de mulier culis pręsumpserunt;quod omnino falsum esse deprehensum est. Alij verò ferrum calidũ instar crucis sibi adhibuerũt, vel peste jactantiæ, vel bonę voluntatis ostentatione. Boamundum verò Roberti Guiscardi filium, Rogerij ducis fratrem secutus est Tancredus nepos suus,& Richardus de Principatu. In duobus primis præliis prævaluerunt Turci contra gentem sine Rege & sine duce. Primò apud Castellum Exerogorga, quod omnibus incolis vacuum Christiani intraverāt omnibus copiis refertum. Quod [illegible]rum timore an industria incolæ reliquissent, incertum est. Fons & puteus quo castellum sustentabatur, extra erat. Quo Christianis ablato, Rainald' quidam,quem ducem sibi fecerant,cum Turcis consiliatus est, vt fratres suos illis proderet, si posset, & trāsfugeret ad eos. Multi ibi apostatæ facti sunt; alij vel sagittati ad signum, vel venundati, vel captivi abducti. Hanc primam persecutionem passi sunt Christiani 3. Calendas Octobris. Audientes autem Turci, quòd Petrus Eremita, & Galterus, cognomento Sine habere, in civitate, cui nomen Cinitot,prope Nicenam essent, ierunt contra eos, & accurrentes obviaverunt Galtero, quem cum multis peremerunt. Petrus verò jam Constantinopolim redierat: quoniā illi acquiescere gens litigiosa nolebat. Turci autem castellum Cinitot obsederunt, & ceperunt, & Christianos ibi inventos vel occiderunt, vel captivaverunt. Et hoc item passi sunt Christiani mense Octobri. Dum hæc agerentur, Godefridus cum fratribus suis Balduino & Eustachio, & Balduinus de Monte cum turmis suis per Hūgariam commeantes, Constantinopolim appropinquabant, Podiensis Episcopus,& Comes Raimundus per Sclauariam gradiebantur. Hugo magnus,& Comes Flandrensis Robertus,& alius Robertus Comes Normannorum cum suis Romam pręeuntes, in Apuliā devenerunt. Audiens Boamundus famam adventus eorum,singulorũ probitatibus signisque perscrutatis, pallium optimum sibi præcepit afferri; quod per particulas concisum, crucem vnicuique suorum distribuit, suamque sibi retinuit. Imperator Constantinopolitanus Alexis malum exercitui Dei machinabatur. Ventum est Castoriam, vbi Natale Domini celebrarunt. Inde in Palagoniam castrũ munitissimum hæreticorum,omnibus bonis refertum. Quo radicitus diruto, venerunt ad flumen Bardarum; vbi Tancredus cum suis Imperatoris satellites fugavit; & quosdam peremit, quosdam vinctos Boamundo præsentavit. Hoc bellum factum est feria 4. in capite jejunij. Inde ventum est ad Surram civitatem, vbi sufficiẽs habuere mercatum. Ibi Boamundus cum duobus Corpalatiis amicitias iniit. Inde ventum est ad civitatem Cusa feria 4. ante cœnam Domini. Venerunt Nicæam pridie nonas Maij. Obsessa est civitas per septem hebdomadas, & tres dies, & tandem capta, & à Christianis Imperatori Alexio reddita: qui Turcos,qui ab ea ad se refugerant, in pace susceperat. Inde ad quemdam pervenit pontem exercitus Dei. Tertia die Turcos innumeros ostenderunt, Saracenos, Angulanos, Persas, trecenta & sexaginta millia, & Arabes innumeros. Cæsa sunt ibi barbarorũ multa millia. Cecidit ibi Guillelmus Marchisus frater Tancredi,& Gaufrid' de Monte scabioso,& multi alij. Turci jactitant se de Francorum stirpe genitos, & eorum paucos à Christianitate descendisse; nullosque naturaliter militare debere, nisi se, & Francos. Factum est hoc prælium Calendis Iulij. Inventum est in eorum tentoriis auri & argenti plurimũ, equi,boves,& cameli, mulę, verveces, & asini, & copiosa supellex. Solimanus autem Solimani senioris filius de Nicæa fugiens invenit Arabum decem millia; quibus fugā persuasit; & venientes ad civitates & castella, in quibus morabantur Suriani Christiani, dicebāt eis subdolè, devicimus Francos, & sic intra portas eorum recipiebantur. Ingressi autem domos eorum & Ecclesias deprædabantur, & auferebant eis omnia concupiscibilia, & filios & filias. His auditis, Christiani eos insequentes venerũt Iconium, inde ad civitatem Erachiam, quæ Turcis abjectis illis se reddidit. Deinde venerunt Tharsum Tancredus & Balduinus frater ducis Godefridi, & ceperunt eam. Ibi per contentionem Balduinus Tharsum solus obtinuit. Tancredo autem non multo post redditæ sunt duæ civitates, Azera, & Mumistia,& castella plurima Aliis optimatibus reddita est ciuitas Alphia. Quam petiit miles quidā terrę illius indigena, nomine Simeon, & accepit. Deinde venerunt ad Cæsaream Cappadociæ, quæ ad solum vsque diruta erat. Ruinæ tamen adhuc demonstrabant, quid fuerit. Deinde venerunt ad pulchram & opimam civitatem Plastentiam: quam Turci tribus hebdomadibus obsederant, sed erat inexpugnabilis. Hęc illico patuit Christianis. Hanc Petr' de Alsia petiit, & accepit. Deinde ventum est ad Copon nobilem & copiosam civitatem quæ illis reddita est. Deinde venerunt in vallem antiochiæ. Petrus autem de Roasa declinās ab aliis, introivit vallē de Rugia; inventosque ibi Turcos quamplurimos superavit & fugavit; & Armenij reddiderunt illi Ruzam civitatem, & quędā castella. Major autē exercitus cũ magna difficultate venit in vallem Antiochiæ, quæ est Syriæ metropolis. Guillelmus. Hæc post Romam, & Constantinopolim, & Alexandriam, quarto in loco cunctis per orbem civitatibus prælata est. Fluvius ibi est, qui modò Fannus, olim Orons dictus est, duodecimo ab vrbe milliario pelago influens, fluentis rapacibus, & ipso impetu frigidioribus, salubris auræ tēperie civitati medetur, commeatum navium oppidanis invehens. Perseverantiam obsidentium quantolibet tempore deridet. Est prætereà ipsa civitas mœnibus tuta, montibus ardua. Ecclesia beati Petri, & Ecclesia beatę Mariæ, quandiu ibi Turci fuerunt, illibatæ manserunt. Baldericus, Hanc primò obsedit Boamundus 3. Cal. Novenbris 4. feria à tribus portis. Erant in civitate Armenij multi, & Suriani Christiani quidem, sed Turcis obnoxij. Qui fugam simulantes audacter exibant in castra mendicantes, & castrorum explorantes cōsilia, in vrbem reportabant. Quod multùm nocuit Christianis. Ibi in castris tanta fames facta est, quòd aselli onus vendebatur octo puratis, qui valent denariorum 120. solidos. Gullelmus carpentarius & Petrus Eremita latenter aufugerunt; quos inventos Tancredus apprehendit, & inhonestè conuiciatos & coactos redire compulit. Quintum bellum factum est ante Antiochiā, in quo multi Turci occisi sunt, & equi eorum

Anticchia Syriæ metropolis.

capti;in quo bello nulli fuerãt Turci pedites, sed omnes equites. Centum capita peremptorũ missa sunt legatis Admirabilis Babyloniæ. Factum est hoc prælium Idibus Februarij feria 3. ante caput jejunij. Præterea Turci in alio bello peremerunt plusquam mille Christianos. In sexto iterum prælio victi Turci, vbi mortui sunt Principes Turcorum duodecim, quos Adnatalios vocant, & mille quingenti milites fortissimi, defẽsores civitatis. Christiani burdones quatuor cęsorum capitibus onustos miserunt ad portũ, vbi erant legati de Babylonia. Armenios & Surianos, qui necessaria in civitatem abundanter deferebant, Tancred' cepit, & omnia eis abstulit. Facta est ergo fames in civitate.

Cisterciensis Ordinis origo.

Sigebertus. Ex cœnobio Molismensi viginti & vnus monachi cum patre ipsius monasterij Roberto Cistercium devenerunt. Qui venerabilis Hugonis Lugdunensis Archiepiscopi, & sedis Apostolicæ tunc legati, & religiosi viri Galteri Cabilonẽsis Episcopi, & Odonis ducis Burgundiæ freti consilio, authoritate reborati, inventam eremum in Abbatiam constituere cœperunt, præfato Roberto constituto in Abbatem ab Episcopo Cabilonensi ordinato; aliis sub ipso in eodem loco stabilitatem firmantibus. Sed nõ multò post idem Robertus requirentibus eum monachis Molismẽsibus, jussu Vrbani Papæ, & Galteri Cabilonensis Episcopi licentia Molismum reducitur, & Albericus in locum eius substituitur. Guillelmus. Tempore Guillelmi 2. Regis Angliæ cœpit Religio Cistellensis. Pertinet autem ad gloriam Angliæ, quòd talem virum genuerit, qui hujus Religionis auctor fuit & mediator. Is fuit Hardingus nomine, à puero Sorebarnæ monachus. Postea pannos illos pertæsus, Scotiam, mox Frãciam contendit: vbi aliquot annis studuit. Deinde Romam cum clerico consorte profectus est: qui eundo & redeundo quotidie totum Psalterium cantabant. Deinde Burgundiam regressus, Molismo novo & magno monasterio se totondit. Ibi cùm ei quædam proponerentur observãda, quę non erant de Regula, cœpit eorum rationem inquirere, & tandiu de quibusdam superfluis cum vno & alio disputavit, vt Abbatem ipsum, & alios 22. in suam sententiam induceret. Igitur Cistellas venere, locũ priùs salinosum; & ibi steterunt suffragio Archiepiscopi Viennensis, qui nunc Apostolicus est. Abbas tandem, qui cum eis venerat, à suis monachis requisitus, ad eos rediit, quasi coactus, sed volens. Omnes qui cum eo venerant de Molismo, cum illo regressi sunt: præter octo, qui sibi Abbatem constituerant Albericum quemdam de suis, Priorẽ verò Hardingum, qui & Stephanus.

Guillelmus iste falsa veris miscet.

Baldericus. Erat in obsessa Antiochia quidam Admiratus Turcarum, nomine Pyrrhus, qui fœdus amicitiæ per fideles internuntios cum Boamundo inierat. Fama ejus allectus hic Boamũdo filium suum misit obsidẽ, & reddidit ei tres turres quas tenebat: & sic capta est civitas. Cassianus autem Dux Turcorum inter fugientes delituit; cujus caput Armenij abstulerunt, & Boamũdo detulerunt. Corberannus autem princeps eorum qui ad auxilium Antiochiæ confluxerant, accepta licentia sæviendi in Christianos à Califa gentis suę apostolico, innumeras gentes sibi coagulaverat: inter quas & Admiratus Ierosolymitanorum, & Rex Damascenorum. His Antiochiam appropinquantibus, Solisadolus Cassiani filius, dedit Corberanno municipium fortissimum, quod vrbi imminebat. Quo facto Corberannus civitatem obsidet: ad quem venit mater ejus centenaria, auguratrix & sortilega, prædicẽs ei, quòd si pugnaret cum Christianis, superandus esset ab illis. Metu Saracenorum aufugerunt de exercitu Christianorum demissi per murũ, Guillelmus de Gentamenil, & Albericus frater ejus, Guido Trisselius, & Lambertus pauper perpetuò è proprio; appellati deinceps Funambuli. Fames in civitate prævaluit: cuidam verò Sacerdoti apparuit Dominus cum beatissima Genitrice sua, & Petro Apostolo, cruce super caput Domini resplendente: exprobrans beneficia quæ Christianis contulerat, & ingratitudinem eorum cum mulieribus fornicantium. Cumque minaretur se vindicaturum de illis, & mala sua illis redditurum; mater misericordiæ, & beatus Petrus ceciderunt ad pedes ejus, suplicantes, ne pro paucorum culpis cunctis irasceretur. Qui precibus eorum acquiescens dixit presbytero. Vade & dic populo meo. Lupanar & prostibulum, & omnem à vobis removete abusum, & infra quinque dies, si reversi fueritis ad me, convertar ad vos, & opportunum vobis providebo auxilium; & interim quotidie decantent, Congregati sunt inimici nostri, & gloriantur in virtute sua: contere fortitudinem illorum Domine, & disperge illos; vt cognoscant, quia non est alius, qui pugnet pro nobis, nisi tu Deus noster. Disperde illos in virtute tua, & depone eos protector noster Domine. Cuidam etiam peregrino, nomine Petro, apparuit S. Andreas Apostolus, demonstrans ei locum in Ecclesia beati Petri, in quo invenienda erat lancea Saluatoris. Nõ multò pòst ignis de cælo cadere visus est in castra Turcorum nocte. Panis paximatius & permodic' Bizantheo vẽdebatur. Equinæ carnes & asininæ pro imperialibus computabantur. Gallina 15. solidis, ovum duobus solidis, nux inglans appretiabatur denario. Hanc passionem continuam toleraverunt diebus 36. Stephanus interim Comes Blesensis propter infirmitatem secesserat apud Alexandretam, quæ non longè abest ab Antiochia conualescendi gratia. Cujus reditum omnes expectabant, quia vir consilij erat. Qui vt audivit Turcos civitatem circumvallasse, latenter montana conscendit, & festinanter clandestinus discessit, putans suos defecisse, vel in brevi defecturos fore; & perveniens ad Imperatorem, qui cum magna multitudine Grecorum & Gallorum in auxilium nostrorum veniebat, persuasit ei, vt reverterentur. Hanc offensam & hanc infamiam Stephanus idem tactus postea contritione cordis & confusione, rediens à patria in Ierusalem piavit, & sic omnibus satisfecit. Tredecim homines laboriosi & strenui foderunt à mane vsque ad vesperam, & invenerunt lanceam Domini nimis altè infossam.

Responsorium Ecclesiæ.

Lancea Domini inventio.

Nunc apparet, illam opinionem falsam esse, quam superiùs posuit Guillelmus Malmesberiensis de Lancea Caroli magni, quæ ferebatur eadem esse, quæ Dominico lateri Centurionis manu impacta, paradisum mortalibus aperuit. Hęc enim lancea modo invẽta, vt ait Sigebertus, à tempore Apostolorũ visa non fuerat. Quomodo autẽ ibi infossa fuerit, vel à quo, vel quando, non memini me legisse. Quòd autem Guillelmus dicit, illam Lanceam Caroli, quæcumque fuit, lateri Dominico Centurionis manu impa-

Ioa. 19

Quis latus Domini aperuerit.

ctam, miror valde cur dixerit; cùm Evangelium Ioannis apertè dicat, quod vnus ex militibus lãcea lat⁹ ejus aperuit. Vnus inquit; ex militib⁹, nõ vnus ex Centurionibus: nisi forte miles & Centurio fuit. At de beato isto sic legitur in martyrologio, Idibus Martij, apud Cæsaream beati Longini militis, qui lancea latus Domini aperuit. De isto sic legitur in actibus ej⁹. Longinus miles, qui Lancea latus Domini perforavit, militabat Centurioni, qui astans cruci credidit. Quod dum percussisset, & vidisset mirabilia quæ fiebant, percutiens pectus suum, dixit magna voce. Verè filius Dei est hic: & recedens à militia credidit; audiens ab Apostolis fidem, quę est in Domino. Non igitur Centurionis, sed manu Longini militis impacta est lancea illa lateri Dominico, nec postea ante hoc temp⁹ in vsu alius hominis fuit, nec principis, nec privati. Dum autem Christiani exirent de civitate ad pugnam contra Corberannum, quędam dulcis pluviola tanquam roscida stilla cecidit super eos, equos & equites ita lætificans, vt equi hinnirent, & equitum animi exhilarescerent. Erat enim pluvia illa tam subtilis & modica, vt magis sentiri potuerit, quã videri, velut quędã guttulæ rorantes. Non multò pòst ab ipsis montibus exire visus est exercitus innumerabilis, equis albis insistentes, & in manibus vexilla candida præferentes. Cujus agminis duces erant sanctus Georgius, & sanctus Demetrius, & sanctus Mercurius, ille qui Iulianũ apostatam interfecit. Victi ergo Turci fugerunt. Ibi capti sunt equi multi, oves & boves, & gazę innumeræ, & in civitatem reductæ. Factum est hoc prælium 4. Calendas Iulij, in vigilia Apostolorum Petri & Pauli. Missus est Hugo magn⁹ ad Imperatorem Alexium, vt civitatem Antiochiam acciperet, & pactiones illibatas conservaret. Non multò pòst mortuus est in Antiochia Episcopus Podiensis. Post hæc Comes S. Ægidij subiecit sibi Albarã civitatẽ Saracenorũ non ignobilem. Infra civitatem Antiochiam sunt 4. montanæ satis altæ; in quarum vna, sublimiori scilicet, castellum est, quod omni prçminet civitati: deorsum civitas est decenter ædificata, & duplici muro circumdata. Murus interior ampl⁹ & altus, & quadris lapidibus compactus: in quo sunt quadringẽtæ quinquaginta *formosis mœniis venustatæ, & defensæ propugnaculis. Murus exterior non est tantæ celsitudinis, sed tamẽ admirandæ venustatis. Continet in se trecentas & quadraginta Ecclesias. Patriarcham habet; cujus Patriarchatui subjiciuntur 153. Episcopi. Ab Oriente 4. clauditur montanis: ab Occidẽte civitatis muros prætersluit fluvius Farfar. Octoginta & 5. Reges eam constituendo sublimaverunt; quorum maximus & primus Antiochus à quo denominata est. Hãc Christiani per 8. mẽses & diẽ vnum obsederant & ceperant. Postea in ipsa civitate jam capta Gentiles obsessos eos tenuerunt per tres hebdomadas. In qua obsidione tantus confluxit gentilium exercitus, vt nullus copiosiórẽ meminerit se vidisse, vel audisse. Requieverunt in ea Christiani 5. mensibus & 9. diebus. Post hæc ventum est ad Marram ciuitatem opulentam, quæ capta est hora vespertina die sabbati 3. Idus Decembris. Morati sunt Frãci in ea mensem integrum, & tres dies. Ibi mortuus est Oriensis Episcopus. Ibi passi sunt Christiani famem validam, vt Turcorum carnes comederent. Comes sancti Ægidij spreta contentione,

Mat. 29

Qualis. & quanta Antiochia.

*turres

In Antiochia. 340 Ecclesiæ.

quam habebat cum Boamundo de Antiochia civitate, exivit de Maora cum peregrinis hominibus nudis pedibus Idibus Ianuarij. Rex Cæsareæ fecit cum illis pacem. Post hæc prædati sunt in quodam Castello animaliũ 5. millia, & alimenta multa, & castrenses dederunt exercitui equos, & aurum plurimum, & multam pecuniam. Inde venerunt ad vrbem Cephaliam, pulcherrimam, & bonis omnibus plenam; quam cives reliquerunt & fugerunt. Franci ea potiti venerunt in vallem quamdam vberem; vbi dies 12. quieverunt. Deinde castellum quoddã inuenerunt vacuum hominibus, sed bonis omnibus plenum; frumento, vino, & oleo, & farina, & hordeo. Ibi fecerunt Purificationem sanctæ Mariæ. Ibi miserũt ad eos nuntios suos Rex de Carmela civitate, & Rex Tripolis: cujus dona refutauerunt. Inde venerunt ad oppidum Archæ. Vbi 14. milites Christiani Turcos 60. vicerunt. Post hæc fecerunt pacem cum Admiralio Gibelli. Postea Rex Tripolis dedit eis trecentos peregrinos, & mercatum eis præstitit. Post hæc venerunt ad civitatem Baruc, & inde ad Sagittã, inde ad Sur, & inde ad Accam, inde ad Castellum Caiphas, & inde juxta Cæsaream, vbi die Pentecostes 4 Calend. Iunij quieverunt. Inde ad Ramletã, juxta quã civitatulã honorabilis mõstratur Ecclesia, in qua pretiosissimũ beati Georgij corpus quieverat, vbi à paganis detentus martyrium, vt dicitur, consummavit. Ibi Episcopum de novo restituerunt; cui decimas facultatum suarum obtulerunt; quia non habebat, vnde viveret. Ramlera ab Ierusalem 24. milliariis distat. Cùm verò ad locum ventum est, vnde Ierusalem poterat aspici, præ gaudio nimis fleverunt; & flexis genibus adorantes, terram deosculati sunt, & 7. Idus Iunij feria tertia eam obsederunt.

1099.

Sigebertus. Christianis Turcos fortiter debellantibus, eorumque vrbes & castella bellando sibi vendicantibus, contigit ibi apud quoddã munitissimũ castrum, nomine Archas, cis Ierusalem octo mansionibus situm, multos eorum perire; & Anselmus de Ribodi monte lapide percussus in capite ocubuit; hoc solummodo post acceptum vulnus ter verbũ repetens, Deus adjuua me. Exercitus autem Dei divino monitu in interiora. *Hispaniæ profectus, Larga Dei manu refocillatus est: quia cives & castellani regionis illius legatos cũ multis donariis ad eos præmittebant; parati etiam oppida vel vrbes eis tradere. A quibus Christiani securitate accepta, ex tributo vrbibus indicto, interim etiam multis eorũ, qui se subtraxerant, ad eos apud Tyrum recurrẽtibus, tandem pervenerunt Ierusalem: eaq; obsessa cùm laborarent, & maximè aquæ penuria, omnes ex communi decreto nudis pedibus quotidie orando circuibant Ierusalem. Octavo igitur talis humiliationis die, obsidionis autem 39. Idibus Iulij, sexta feria capta est Ierusalem: & in Templo Salomonis, & in porticu ejus Christiani cum paganis bello conserto, tanta in eos cæde debacchati sunt, vt in sanguine occisorum equitarent vsque ad genua equorum. Cumq; ordinatum esset, qui Ierusalem deberent retinere; jam Principibus de repatriando tractantibus, ecce Rex Saracenorũ ad debellandos eos venit Ascalonem, cum centum millibus equitum, & quadringentis millibus peditũ. Quibus cum occurrisset exercitus Domini, in quo nõ plusquã quin-

*Palestinæ

Capta Ierusalem à Christianis.

que millia equitum, & 15. millia peditum erant; Deo pro servis suis ad eum clamantibus pugnāte, & nube eos ab æstu solis defendente, Saraceni solo Christianorū impetu territi, omnes projectis armis fugerunt: & in hoc 6. bello 4. Calēdas Augusti facto cæsa sunt centum millia paganorum. In porta verò Ascalonę suffocati sunt ad duo millia. Eorum autē qui in mari perierunt, & qui inter spineta siluarum consumpti sunt, incertus est numerus. Capta autem est Ierusalem post annos circiter quadringentos sexaginta, ex quo sub Heraclio Imperatore secunda vice capta possessa est à Saracenis.

Guillelmus. Mons Sion intra vrbem Ierusalem receptus pro arce eminet. Ibi templum Domini, & templum quod dicunt Salomonis, incertum quibus authoribus ædificata, Turcorum celebri colebantur frequentia. In tēplo Domini collocatum erat simulacrum Mahomet. Ibi tereti opere compacta Ecclesia sancti Sepulchri capax, ædificata à Constantino magno nullam vmquam ab inimicis fidei tulit injuriam: metu vt conijcio, ignis cælestis, qui quotanuis in vigilia Paschæ lampadibus repente serenus insulget. Quod miraculum quādo cœperit, vel si antetempora paganorum fuerit, nullius historiæ relatione cognoscitur. Legitur in libro Bernardi monachi, quòd ab hinc annis 251. anno scilicet Domini 970. idem Ierosolymam profectus, ignem illum viderit: hospitatusque fuerit in xenodochio, quod ibi Carolus magnus construi jussit: vbi & bibliothecam ingentis expensę compegit: tantamque Ægypti, & per id locorum commemorat pacem Christianos sub dominio Saracenorum habuisse: vt si alicui vianti in mediis fortè triviis jumentū, quo necessaria deveheret, moreretur, aut deficeret, ille relictis sarcinis ad proximam vrbem expeditus pro auxilio pergeret, omnia quæ reliquerat intacta reperturus. Quindecim primi Episcopi Ierosolymitani circumcisi fuere, sequentes incircumcisi. Caius Episcopus 21. primus ibi celebravit Pascha more Romanorum. Tempore Macarij Episcopi 39. inventa est ibi S. Crux ab Helena. Cyrillus Episcopus 42. constituit Ecclesiam S. Sepulchri, & montis Calvariæ, & Bethleē, & vallis Iosaphat. Vsque ad hunc Cyrillum omnes vocati sunt Episcopi. Post hos surrexerunt Patriarchæ, quorū octavus fuit Zacharias; in cujus tempore Costroë Rex Persarum destruxit Ecclesias Iudeæ & Ierusalem. Cujus exercit' occidit 36. millia Christianorū. Post hunc constitutus est Modestus ab Heraclio Imperatore. Post quem fuit Sophronius, cujus tempore venerunt Saraceni, & ejecerunt omnes Christianos de Ierusalem, excepto Patriarcha, quem ob reverentiam sanctitatis ibi dimiserunt. Illud fuit tempus, quo Saraceni totam Ægyptum, & Affricam, Iudeam & Hispaniam, & Baleares insulas pervaserunt. Partem Hispaniæ abstulit eis Carolus magnus: reliquam, & omnes terras quas nominavi, vsque hodie possident annis jam ab hinc circiter quingentis. Post hunc Sophronium octavo loco fuit Theodosius; quem Bernardus præstatus monachus dicit raptum fuisse à monasterio suo, quod distabat ad Ierusalem 15. millibus, & factum fuisse Patriarcham. Tunc etiam dicit fuisse Michaëlē Patriarcham Babylonis super Egyptum, trāslato Patriarchatu Alexandriæ in Babylonē. Post hunc octavo iterū loco fuit Horestes, in cuius tēpore venit Achim Soldanus de Babylonia, nepos Horestis Patriarchæ, & misit exercitum suū in Ierusalem, & destruxit omnes Ecclesias, & avunculum suum Patriarcham abduci fecit in Babylonem, & ibidem occidi.

Ignis cælitus fulgens in vigilia Pascha.

Episcopi & Patriarchæ Ierosolymæ.

Post hunc fuit Theophilus, & post Nicephorus. Hic ædificauit casam sancti Sepulchri, quæ nunc est, favente Soldano Achim. Post hunc fuit Sophronius; in cujus tempore Turci venerunt Ierosolymam, & omnes Saracenos interfecerunt, & obtinuerunt civitatem; Christiani autem remanserunt sub dominio Turcorum. Post hunc fuit Euthimius, & post hunc Simeon; in cujus tēpore venerunt Franci, & expugnaverunt Ierusalem, & liberaverunt eam de manibus Turcorum, & Regis Babyloniæ. Decimoquinto die Iulij capta est Ierusalem. Partem ligni Dominici quidam Syrus avita successione domi custoditā reddidit. Ibi dux Godefridus electus est in Regem, filius Eustachij Comitis Bononiensis: qui per maternum genus ad magni Caroli spectabat lineam. Mater ejus Ida Godefridi antiqui Lotharingorum ducis filia, habuit fratrem Godefridum, cognomento Boëcardum. Vxor hujus Godefridi fuit Mathildis marchissa. Godefridus autem Idæ filius Imperatori Henrico militavit contra Papam Hildebrandum; & in oppugnanda Roma partem muri, quæ sibi obtigerat, primus irrupit. Postea præ nimio labore in nimia siti vinum nimium hauriens, febrem quartanam nactus est. Audita autem fama viæ Ierosolymitanæ, illuc se iturum vovit, si Deus ei redderet sanitatem. Quo voto emisso mox vires ejus penitus refloruerunt. In Antiochena obsidione Turcum quemdam singularem pugnam poscentem medium à lateribus gladio Lotharingo dissecuit. Cujus desecta medietate jam in armis palpitante reliquam tulit equo cui insederat; adeò firmè Turcus ille insederat equo suo. Idem Godefridus alterum Turcum æquè congressum, vibrato in caput ense à vertice vsque ad inguina diffidit; & ex eodem ictu sellam & spinam equi penitus discidit. In eadem obsidione militem quemdam suum pabulatum progressū, à leone invasum, & clypeo se defendentem tandem occisum adeo indoluit, vt venabulo feram transfoderit: quæ saucia, & dolore acriùs sæviēs in eum irruit; ita quod è ferro quod extabat in vulnere tibiam ejus sauciavit: qui mox gladio bestiam eviscerauit. Hoc anno, qui fuit annus Guillelmi 2. Regis Angliæ 12. fluctus marinus per fluvium Tamensem ascendit, & villas multas cum hominibus mersit.

Godefridi robur mirabile.

Sigebertus. Guibertus & Vrbanus de Papatu Romano contendentes, moriendo vterq; finem faciunt suæ contentionis. Raginerus, qui & Paschalis, fit Papa. Magister Hugo. Anno Domini 1108. Indictionis 76. octavo, id est Henrici 3. 16. sedit Paschalis 2. Papa 165. annos octodecim, menses 5. dies 7. Auctor. Sciendum, quòd Henricus iste tertius fuit Henricorum, sed 2. Imperatorum. Nam primus Henricus, vt suprà dictum est, Imperator non fuit, sed tantùm Rex; & ideo dicit. anno ejus 16. quia iste Henricus 3. hoc anno imperaverat annis 16. quamvis iam regnasset annis 44. Sigeber. Rex Godefridus moritur. Guillelmus. Guillelmus factus est Rex. Fertur orij dei suetudine febrem antiquā revocasse. Anno vno regnavit. Obiit 14. Calendas Augusti. Tumulatus est sub rupe Godgothana. Interrogatus de successore

1100.

Paschalis 2. Papa 165.

cessore, nullum nominavit: sed eum tantùm, qui dignus esset. Post quem electus est in Regē Balduinus frater ejus. Huius actus scripsit ex parte Fulcherius Carnotensis capellanus eiusdem. Robertus autem Comes Normaniæ genus suum indelebili macula respersit: quia cùm esset filius Regis, & ei consensu omnium procerum offerretur regnum Ierosolymorum, noluit accipere, labores metuens. Vxorem in reditu duxit in Apulia filiam Guillelmi de Conversana, elegantissimæ speciei, ex qua tulit filium Guillelmū, qui post paucos annos obiit, morbo vt aiunt, contracto consilio pellicis ex māmis strictis pro affluentia lactis. Postremò idem Robertus fatua liberalitate consumptis omnibus ad tantam redactus est inopiam, vt precarium victum à burgensibus nundinaretur, & tandem à fratre Hērico in vinculis positus. Hoc anno, qui fuit vltim' annus vitæ Guillelmi Regis Angliæ, diabolus visibiliter apparuit hominib' in saltibus & deviis transeuntes allocutus. Præterea in pago Bertuhesare in villa Hanstede, cōtinuis 15. diebus fons sanguinem tam vbertim manauit, vt vicinum vadum inficeret. Anselmus autem Cantuariensis Archiepiscopus, cùm quo omnis pariter religio exulauit, venit hoc anno Matenniacum. Cūque ibi loqueretur cum Hugone Abbate Cluniacensi, respondit Abbas, proxima nocte Regem Guillelmum ante Deum ductum & adjudicatum damnationi. Idem Rex pridie quàm periret, vidit per quietem, se phlebotomiæ ictu sanguinē emittere, radiumque cruoris in cœlum vsque pertendi, ita vt lucem obnubilaret. Eadem nocte monachus quidam trans-marinus vidit per somnium, quòd idem Rex in Ecclesiam quandā intraverat, superbè & insolenter, vt solebat, circumstantes despiciens: tunc crucifixum mordicus apprehendens, brachia illi corrosit, crura penè truncauit: crucifixum diu tolerasse, sed tandē Regem pede ita depulisse, vt supinus caderet. Ex cujus jacentis ore tanta flamma effusa est, vt fumeorum voluminum orbes etiam sidera lamberent. Hoc somnium cùm quidam ei retulisset, respondit. Monachus est, & causa nummorum monachiliter somniat. Date ei centum solidos. Eadem die percussus in saltu pectus sagitta, quā jecerat Galterus Tirians miles quidam de Francia, qui ceruum volebat percutere: qui prope Regem stabat. Obiit anno Domini 1100. regni sui 13. vitæ 41. 4. Nonas Augusti. Nullum suo tempore Conuentum Ecclesiasticum fieri permisit. Sacros honores sui juris esse dictitabat. Eo die quo mortuus est, tres Episcopatus, & 12. Abbatias vacantes in manu sua tenebat.

Regis Angliæ mors & damnatio prænuntiata

Sigebert. Guillelmo successit in regno frater [illegible] Henricus. Robertus Comes Flandrensium à Ierosolymis repatriās, detulit secum brachiū sancti Georgij Martyris, quod Ecclesiæ Aquicinensi transmisit. Conradus filius Henrici Imperatoris adhuc patri rebellis in Italia moritur. Henricus Imperator Henricum Lemburgensem sibi adversantem debellat; & expugnatis ejus castellis eum ad deditionem cogit: sed Imperator multa summa gratiam suam redimenti etiam ducatum Lotharingiæ donat. Guillelmus. Rex Balduinus coronatus est apud Bethleem à Daniberto Patriarcha die natalis Domini anno 1101. Vix tunc erant in tota militia christianorū quadringenti milites, & tot pedites, qui Ierusalem & Ramulā, & Caypham, & Ioppen custodirēt. Illo anno sacratus ignis in vigilia Paschæ tardauit vsque in mane Resurrectionis Dominicæ. Accensa autem divinitus vna lampade sepulchri, mox per omnem Ecclesiam ceteræ lampades divinitus accensę sunt. Postea Cæsaream Palestinę cepit Balduinus. Captus est ibi Admiratus vrbis, & Episcopus eorum, quem Archudium vocant Ibi Turcus in collo pugno Christiani percussus bizanteos evomuit. Mares enim intra gingivas, feminæ intra pudenda bisanteos absconderant. Subegit idem Rex postea Tiberiadem, Sidonem, Accaronem, & cunctas vrbes maritimas. Venit autem Ierusalem ad illius impetrandum connubium Comitissa Siciliæ, infinitas gazas secum afferens. Quam tunc quidem duxit, sed pòst dimisit: quia, vt aiunt, genitalia ejus cancri morbus exedebat. Roberto Flandrensium Comite inquietante vrbem Cameracū, Henricus Imperator contra eum proficiscitur; & aliquibus ejus castellis expugnatis, asperitate instantis hiemis redire compellitur. Baldricus. Dum Boamund' Antiochię omni prosperitate frueretur, omnesque affines suos aut vi, aut obsequenti amore sibi subjungeret, contigit mense Iulio Gabrielem quemdam *Armedium, vt se & civitatem suam Militinam ei traderet. Ad quam suscipiendam dum Boamundus cum paucis vadit, circumventus insidiis cujusdam Admiraldi Turcorum, Danismanis nomine, non longè à pręfata vrbe captus & detentus est. Sigebertus. Legiæ generali conventu habito Robertus Comes Flandrensis in gratiā Imperatoris recipitur. Baldericus. Boamundus per Dei gratiam à vinculis liberatur. Guillelmus. Hic Boamundus adhuc puer nil erat quod retineret; sed etiam puerilia xenia dispergebat. Cum patre suo ad bellū Diyrrachium profectus est. Cumque oppidani fiducia mœniū jactitarent, ideo vrbem illam Dyrrachium nuncupatam, quòd contra omnes obsidiones imperterrita duraret: & ego, inquit Guiscardus Boamundi pater, vocor Durandus; & ideo eo vsque in obsidione durabo, quo civitati nomen auferam, vt non Dirachium, sed mollitum amodo dicatur. Cuius responsi constantia pauefacti mox ei portas aperuerunt. Boamundus autem captus & dimissus, argenteos compedes quibus illigatus fuerat, Antiochiam secum detulit. Non multò pòst in Gallias venit, offerens catenas S. Leonardo. Vxorem duxit filiam Regis Francorum. Pro suspicatione noxiæ potionis cultellum habebat paratum, qui ante ora comedentis infixus sudore prodebat manubrij, si aliquid certi allatum esset veneficij. Post hūc Tancred' nepos ejus præfuit Antiochiæ; cui successit Rogerius filius Richardi. Baldricus. Guillelmus Comes Pictaviensis, & Stephanus Comes Blesensis, qui ab obsidione Antiochię redierant in patriam, & Hugo magnus, qui post Antiochiam captam repatriaverat, & Raimūdus Comes Provincialis, qui post Ierusalem captā Constantinopolim ad Imperatorem se contulerat, & Stephanus Comes Burgūdiæ, & multi alij nobiles & potentes viri, cum innumero exercitu Romanię fines ingressi sunt; qui per terram meantes, vrbes & castra subjugando Ierosolymam tendebant. His obstitit Soliman Admiratus, cui per primos duces itineris Nicæa sublata fuerat. Hic cum innumera manu Turcorum insidias ei tetendit. Mulieres ibi multæ gladio perierunt, plures captivæ ductæ sunt,

Lampades divinitus accēsæ die Resurrectionis

* Fortè Armenium.

viri multi trucidati, vel ferreis cōpedibus mancipati. Ibi perdidit Comes Pictaviensis homines suos penè omnes, equos & mulos & iumenta; & & penè omnia quæ habebat; qui tandem Antiochiam lugubris pervenit. Comes Raimundus per devia fugiēs cum parte sui exercitus vix evasit. Stiphanus Blesensis, & Stephanus Comes Burgundiæ, & Hugo magnus, & Hugo Liciniensis frater Raimundi Comitis, in altera parte exercitus tramite deuio Tharsum devenerunt. Ibi Hugo magnus mortuus est. Alij proceres pergentes Ierusalem Tortosam ceperunt, Saracenos omnes ibi inventos interfecerunt, & de spoliis eorum aliquantulum recreati sunt. Comes Raimundus Tortosæ remansit, & eam sibi obtinuit: quod aliis molestum fuit, quia ipse transitus noverat, per quos transituri erant. Alij venerunt Ioppen cum Rege Balduino, qui eis obviam ierat. Qui duxit eos Ierusalem, vbi Paschali festivitate peracta redierunt Ioppen. Tunc Comes Pictaviensis, quia pauper & inops erat, & omnibus carens, domum regressus est, navē conscendens. Alij quoque domum similiter regredi cupientes, ventis se & mari commiserunt: sed vento resistente Ioppen redire compulsi sunt. Hi itaque apud Ioppen cum Rege erant, quando nuntiatum est Regi de invasione hostium super Ramulnenses. Rex putans præcursores quosdā missos causa prædæ, & facilè intercipi posse, cōfestim equum ascendit, & cum paucis profectus. Comes autem Blesensis Stephanus eum præmonuit, ne incautè & abque providentia & consilio exiret. Cui Rex indignatus respondit: quòd si ipse & socij sui tunc essent in Francia, tamen ille non omitteret illos invadere. Et egressus est cū paucis. Mox Comites præfati armati cum sua militia illum secuti sunt. Illi vix ducenti milites erant, hostes plusquam 20. millia. Ergo vndique ab hostibus cæduntur. Rex fugiens intravit Ramulam, & [illegible] solo comitatus armigero equū velocissimum ascendens, qui prævelocitate Gazoli vocabatur, per medios hostes se contulit ad montana. Stephanus Blesensis, & Stephanus Burgundiensis ibi capita perdiderunt. Hugo quoque Liciniacensis, & Iosfridus Vindomensis, & multi alij ibi trucidati sunt. Alij captivi in Babyloniā ducti sunt. De omni militia, quam Rex de Ioppe eduxerat, vix tres evaserunt, idest Armiger Regis, & Luithardus, & viccecomes Ioppitarum. Non multò pòst Rex Balduinus cum Hugone de Tiberiade optimo milite, qui ei in auxiliū venerat, multos Saracenos apud Ioppen interfecit: & eodem anno civitatem Accaron ceperunt, auxillio Ianuensium & Pisanorum.

Varij bellorum in infideles euctus.

1104.

Quidam Clericus de Vendopera, cùm studeret in scholis apud Lugdunum, vidit in visione noctis quandam vallem sub quodā monte, super quem civitas quædam pulcherrima sita erat: cujus aspectus nimiùm delectabat intuentes, ita vt quisquis eam videret, de conspectu illius satiari non posset, & modis omnibus laboraret, quomodo ad illam pervenire valeret. Interea vidit fluvium quemdam sub pede montis, imò circa pedem, currentem. Quem dum circuiret, quærens artem, quomodo illum transmearet, vidit super ripam fluminis 12. pauperes, sive 14. lauātes in flumine tunicas suas. Inter quos erat quidam veste candidissima indutus, multum aliis dissimilis, qui adjuvabat illos in tunicarum suarum ablutione: qui postquam adjuverat vnū, ibat adjuvare alterum. Tunc clericus qui hæc videbat accessit ad illum, qui ceteros iuvabat, & dixit ei. Quæ gens estis vos? Qui ait. Isti pauperes homines sunt pœnitentiam agentes, & se à peccatis suis lavantes: & ego sum filius Dei Iesus Christus; sine cuius auxilio nec isti, nec alij possunt bene facere. Civitas hæc pulchra, quam vides, paradisus est, vbi ego maneo: & quando quisque tunicam suam laverit, idest pœnitentiā peregerit, in illam intrabit. Tu ipse satis diu quæsisti viam, qua itur ad illam: sed nulla alia via quam ista, ducit ad eam. His dictis clericus à sōno evigilavit: & mirari cœpit de visione. Cùm autem non multò post redisset à schola in patriā suam, narravit Episcopo Cabilonensi, cui familiaris erat, visionem hanc. Qua audita Episcopus suasit ei, vt sæculum relinqueret, & Religionem intraret: commendans ei super omnes Ordinem Cisterciensem. Ille venit Cistercium, & invenit locum incultum & desertū, & fratres inter bestias conversantes. Ad portam verò monasterij, quæ de vimine facta erat, pendebat malleus ferreus; cuius sonitu ad portam portarius appellabatur ab intrare volentibus. Hoc sonitu vocatus portarius venit ad eum foras, & inclinans salutavit eum. Quem clericus intuens, statim recognovit eundem se vidisse inter eos, qui tunicas suas in flumine lavabant. Rogavitque eum, vt adduceret ad se Abbatem. Abbas igitur & totus Conventus venit ad eū: & recognovit clericus omnes se vidisse, tunicas suas in flumine lavantes: statimque cecidit ad pedes Abbatis, rogans cum lacrymis, vt susciperetur. Qui susceptus, nō multò post factus est Prior.

Visio Cisterciensium sāctitatem declarans.

Henricus filius Henrici Imperatoris à patre aversus, quoscumque potest ab eo avertit, & sub obtentu meliorandi regni in eum insurgit, cōtra jus & fas. Qui quàm indignè patrem suum tractaverit, declarat epistola ipsius patris ad Philippum Regem Francorum scripta. Florebat hoc tēpore Hildebertus Cenomanensis Episcopus, Berengarij Turonensis discipulus, versificator & dictator egregius: qui epitaphium ejusdem Berēgarij magnificè scripsit versibus 52. qui de Roma composuit hoc distichon.

1105.

Refert hanc epistolam Sigebert.

Vrbs Felix, si vel dominis vrbs illa careret,
Vel dominis esset turpe carere fide

Guillel. Eo tempore in Cœnobio Fuldensi exitialis lues grassata, priùs Abbatē corripuit, mox multos monachorum extinxit. Superstites primò quidem sibi timere, orationes & eleemosynas largiores facere: sed processu temporis, vt est natura omnium, pedetentim metu dempto omittere, præsertim Cellerarius; qui passim clamitabat, nō posse penū tot expensis sufficere: sperasse se semper aliquod allevamentum, pro tot elationibus funerum: nil vltra spei esse, si quod vivi nequissent, mortui consumerent. Ita cùm quadam nocte propter necessaria diu soporem distulisset, tādem elaqueatis morarum nexibus in dormitoriū pergebat: & ecce videt in Capitulo Abbatem, & omnes qui obierant illo anno, eo quo decesserāt ordine sedere. Tremens, & effugere gestiens, vi rettoactus, increpitus, & more monastico flagellatus, audivit verba Abbatis in hanc sententiam. Stultum est, de alterius morte emolumento inhiare; cùm sors cujusque sub eodem pendeat fato. Impium etiam est, cùm monachus omnem vitam suam in Ecclesiæ consumpserit obsequio, vt careat saltem vnius anni post mortem stipendio.

Flagellatur à mortuis Cellerarius in eos parcus

Scito ergo te citissimè obiturum: sed quidquid prote fiet, ad aliorum quibus abstulisti referetur comodum. I. modò, & alios tuo corrige exemplo: quos corrupisti verbo. Abiit ille, & nil se vanum vidisse, tam recentibus plagis, quàm morte proxima demonstrauit. Ea tẽpestate Valstanus Vuigorniensis Episcopus cùm de parua literarũ sciencia pulsatus, foras Concilium exiisset, vt subtiliori consilio responsum comeret suum, remoto animo à tumultibus, ait ad socios. Credite mihi, nondũ cantavimus horam sextã. Sociis autẽ referentibus, vt priùs ageret propter quod venerant; quia satis superque sufficeret cantibus tempus: Regem & proceres, si hoc audierint, risui se haberi opinaturos, ait. Credite mihi; priùs faciemus Dei servitium, & post agitabimus hominum litigium. Hora igitur cãtata, & nulla tergiversatione excogitata, nullo commentato splendore veri, confestim aulam perrexit. Suis eum retinere tentantibus persuaderi non potuit: quin potiùs illis causæ suæ timentibus, pro certo, ait, noveritis me visibiliter hic videre beatos Archiepiscopos Dunstanum Cantuariensẽ, & Osuualdum Eboracensem: qui hodie suis me precibus tuentes, falsiloquorum acumen hebetabunt. Itaque data benedictione monacho minimæ facundiæ viro, sed Normaniæ linguæ sciolo, rem perorans obtinuit. Sciendũ autem quòd Doroberoia ipsa est Cantuaria: Dunelmensis Ecclesia Lindisfarnensis est. Cestra verò olim dicebatur civitas Legion, & eius Episcopus Clirifeldensis, à villa quadam. Porrò Circestrẽsis Episcopus & Sisclicnsis, idem; Elmanẽsis & Noruuicensis idem, Scriburnẽsis & Salsberiensis idem, Dorcestrẽsis, & Lincolniensis idẽ, Vellensis & Bathoniensis idẽ. Perierunt autẽ jãdudũ Episcopatus Ripensis, & Ligastrecensis, & Sidnacestrensis, & Dommucensis, nescio quomodo, & Augustaldensis, vi hostilitatis. Tempore autem Eduvardi simplicis Cornubiensis Episcopatus & Cridiensis vniti sunt, & translatus est Episcopatus in Oxonium. Archiepiscopus Cantuariæ in Concilio præsidens habet à dextro latere Archiepiscopum Eboraci, & juxta eũ Episcopum Vuintoniæ; à sinistro Lundoniensem. Si autem Cantuariensis in Concilio adesse non potuerit, Eboracensis in Concilio præsidebit, habens à dextris Lundoniensem Episcopum, à sinistris Vuintoniensem. Ceteri secundùm tẽpora ordinationum sedilia sua agnoscunt. Cantuariensis Archiepiscopus habet sub se Episcopos Hiberniæ & Vualorum: Eboracensis habet omnes Episcopos trans Vmbram fluvium ditioni suæ subiectos: Episcopum Ruspensem, Augustaldensem, qui jam defecerunt, Lindisfarnensem, & de Candida casa, quæ nunc Vuiterne dicitur, & omnes Episcopos Scotiæ, & Orchidũ.

Episcopus ope Sanctorum causã obtinet.

1106. Baldricus & Sigebertus. Rex Balduinus cum Ierosolymitis innumerabilem paganorum multitudinem gloriosa victoria contérũt inter Ioppen & Ramulam.

Sigebertus. Quarto Nonas Februarij stella per diem visa est in cælo ab hora 3. vsque in horã nonam, quasi cubito distans à sole. Henrico Imperatore morante Leodij, filius eius venit Aquisgranum, & volens venire Leodium contra patrem suum, quinta feria Dominicę cœnæ, præmisit suos milites præoccupare pontem apud Vuisatum, ne quis sibi venienti obstaret. Sed militibus patris concurrentibus ad exoccupandũ pontem, milites filij à ponte repelluntur, aliis eorum captis, aliis in Mosam demersis, aliis occisis. Inter quos etiam Bruno Comes occisus est. Sicque filius contra patrem veniẽs rediit inglorius. Coloniensibus fidem Imperatori servantibus, eorum tamen Archiepiscopo filium Imperatoris contra patrem animante, Colonia obsessa oppugnatur, sed non expugnatur. Interim Henricus Imperator Leodij moritur. Guillelm[us]. Hic Henricus Hildebrandi inimicus ore facundus fuit, acer ingenio, eleemosynis largus. Sexagies & bis acie collata dimicauit: plures inimicorum eius vitam misero exitu finiere. Quidam ex adversariis eius homo potens & factiosus, dũ resupinata cervice in conviuio resideret, repẽte à muribus circumvallatus est, vt nunquam posset effugere, tantus erat numerus bestiolarũ, vt in quãlibet ampla provincia tot esse non putarẽtur. Fustibus & subselliis diu repulsæ fugari non potuerunt. Nulli verò nocere tentabant, nisi illi soli, quem dentibus, & terribili quodam occentu persequebãtur. Ille autem à famulis vltra jactum sagittæ in pelagus pervectus est, sed frustra. Nam continuò tanta vis murium inundavit, vt marmor paleis constratũ jurares: & cùm jam tabulata navis corroderent, & naufragium certum aqua per rimulas ingrediens minaretur, famuli puppem ad littus retorquent. Miser ergo ille in terram expositus, mox totus dilaceratus horrendam murum famẽ explevit. Sed hoc ideo minùs mirum judico: quia certum est in Asiaticis regionibus, si Leopardus aliquem mordicus attigerit, confestim murium copiam adventare, vt vulneratum commingant; immundumque vrinæ diluvium comitari hominis exitiũ. Si verò sedulitate arcentium intra 9. dies vitata fuerit pernicies, advocari medicorum industriam, & profectò valituram. Conspicatus est relator meus quemdam ejusmodi saucium, cùm desperaret in terra salutem, in altum jactis anchoris processisse: nec mora plusquã mille mures annasse, corticibus malorum granatorum, quorum medullas exederant, inclusos, mirabile dictu: sed obstrepentibus nautis demersos. Nihil enim ille parens rerum creatum destituit ingenio, nil noxium sine remedio. Sigebertus. Henrico Imperatori mortuo successit filius ejus Henricus. Dux autem Henricus, qui ab Imperatore ad filiũ eius animo transiens eum contra patrem suum consilio suo animaverat, & à filio ad patrem rediens partes filij debellaverat, mortuo Imperatore se vt reum maiestatis filio Regis reddidit; & ab eo captus custodiæ traditus est: de qua tamen custodia ipse per industriam suam evasit: sed ducatus eius datus est Godefrido Comiti Lovaniensium. Henricus exdux affectans repetere ducatum, occupat oppidum Aquisgrani cõtra Godefridum ducem. Quod non ferens Godefridus, oppidum violenter irrupit; oppidanos à favore Henrici exterruit: aliquos potentes, Comites, & multos nobiles cepit. Ipse Henricus cum filiis suis vix fuga evasit. Vxorẽ eius capere dux indignum duxit. Comites & honoratiores eorum quos ceperat, per conditionem sub se militandi sibi conciliatos ad fidelitatem suam adduxit. Bellum fuit apud Tenerhebrai inter Robertum Comitem Normaniæ, & Henricum Regem Angliæ. Abbas Cistercij Albericus moritur; post quem Stephanus, natione Anglicus religionis, paupertatis, & disciplinæ regularis arden-

Homo à muribus miserabiliter consumitur.

Mures nant ad immic[iendum] sancio.

1107.

tissimus amator, & fidelissimus æmulator, Abbas factus est. In hujus diebus omnes Ordinis Cisterciensis honorabant sanctitatē; sed refugiebant austeritatem; & resiliebant ab eorū imitatione, quibus appropinquabant devotione. Tunc in cellam novitiorum tam clerici quàm laici, vtrique secundùm sæculum nobiles & potentes, 30. pariter ingressi sunt. Infra annos duodecim viginti Abbatias creauit. Tunc facta est Charta charitatis ab ipso Stephano Abbate Cisterciensi, & viginti abbatibus, authoritate sigilli Apostolici confirmata. Ab illo ergo tempore rejecerunt ab Ordine frocos & pelliceas, staminia & caputia, & feminalia, & pectina, & coopertoria, & stramenta lectorum, ac diuersa ciborum in refectorio fercula, & sagimen, & omnia quæ puritati Regulæ adversabantur. Abdicaverunt etiam Ecclesias, altaria, oblationes, & decimas, sepulturas aliorum hominum; & furnos, & molendina, & villas, & rusticos: quia nec in vita sancti Benedicti, nec in eius Regula legebant, eundem sanctum huiusmodi possedisse, nec feminas monasterium eius intrasse, nec mortuos ibidem sepultos fuisse, excepta sorore sua sancta Scholastica: dicentes beatū Benedictum præcepisse, vt monachus à sæcularibus actibus se faciat alienum. Decimas quoque dicebant à sanctis Patribus in 4. partitiones distributas: vnam scilicet Episcopo, alteram presbytero, vel clero, tertiā hospitibus ad illam Ecclesiam venientibus; seu viduis & infirmis, sive pauperibus alium victum non habentibus, 4. restaurationi Ecclesię. Et quia in hoc compoto personā monachi, qui terras suas possidet, vt de & per se, & per pecora sua laborando viuat, non reperiebant; idcirco hæc veluti aliorum ius, injustè sibi vsurpare detrectabant. Memini, me audisse Magistrū Petrum Cantorem Parisiensem, virum justissimū atque doctissimum, referentem de Abbate isto Cisterciensi Stephano, quòd cùm quadam die ei nuntiatum esset à suo Cellerario, nihil haberi in monasterio, vnde vel vno die illa fratrum paucitas sustentari posset; respondit. Sternite nobis duos asinos. Qui cùm strati fuissent, fecit secum ascendere Conversum suum, & jussit ei, vt in quodam vico panem mendicaret ostiatim ad opus fratrum, & ipse similiter in alio faceret: & postquam sic fecissent, ad vnum locum, quem ei designaverat, convenirent. Factum est ita; & in loco prædicto sibi jam redeuntes obviabant; cùm ecce Abbas videt sacculum Conversi multò pleniorem quàm suum, & subridendo ait. Vbi mendicastis? Vt video vos in crassiore platea collegistis, quàm ego. Vbi obsecro collegistis? Quis vobis plus donavit? Respōdit Cōversus. Presbyter ille, quem vos optimè nostis, sacculum meū ferè solus impleuit totum. Quod audiens Abbas ingemuit, & ait. Væ nobis. Quare ibi aliquid accepistis? Nesciebatis, quòd presbyter ille simoniacè ibi ordinatus est, & quidquid accipit lepra & rapina est? Viuit Domin⁹, quòd de omni quod dedit vobis, nihil omnino gustabimus. Absit enim, vt peccatum illius comedamus, & nobis incorporemus. Convocatisque pastoribus ovium, qui non longè erant, totū conversi sacculum in sinus eorum enacuavit.

Charta caritatis Cistercij edita, & alia quadā.

Simoniaci eleemosyna recusatur ab Abbate Cist.

1108. Sigebertus. Henricus Imperator contra Robertum Comitem Flandrensem vadit: & pacto pacis vtrimque magis simulato, quàm cōposito, inefficax redit. Boamundus Dux Apuliæ contracto vndecumq; exercitu, accingitur ad invadendum Constātinopolitanum Imperium. In parochia Legiensi porca enixa est porcellum habentē faciem hominis. Natus est etiam pullus gallinæ quadrupes. Imperator Henricus contra Hungaros vadit; sed pacto facto redit. Philippus Rex Francorum obit: post quem filius ejus Ludovic⁹ regnat annis 29. Obiit Anselmus Cantuariensis Archiepiscopus, & Hugo Cluniacensis Abbas, anno ordinationis suæ 60. vt ait Gilo, qui vitam ejus scripsit. Paucis diebus antequam moreretur, cuidam rusticano homini in agro laboranti apparuit Sanctorum visio, quos præcedebat quædam regalis Domina, cujus dorsum transeuntis, & non faciē videbat. Illud sanctum agmen quidam senior subsequebatur: qui restitit, & ait. Cujus est, ô agricola, ager iste, quem colis? Qui ait. B. Petri, & domni Abbatis Cluniacēsis. Et Senior ad hoc. Meus est, inquit, ager, Abbas, & famulus. Tu autem festina nūtiare meo Abbati, ut disponat domui suæ, quam nutrivit, quod post modicū tempus huius vitæ finem sortietur. Dic autem ei Petrum Apostolum hoc tibi nuntiasse. Qui verò me præcedunt, Dei Genitricem, sanctosq; denūtia famulantes. Idē Hugo in articulo mortis positus, recolens anniversarium Gaufridi Archiepiscopi, & Vuidonis Abbatis, obliviosos admonuit; tam tenuis erat memoriæ, & tantæ caritatis, quòd ibi fraternę salutis erat non immemor, vbi rarò quisquam reminiscitur propriæ. In ipsa nocte qua mortuus est, benedictiones lectionum lectoribus imposuit. Extremum ejus verbum fuit ad circūstantes, *Benedicite*. Corpus eius in Capitulo à fratribus albis indutis priùs aqua, deinde vino ablutum est; ad vltimum modico balsamo, quod supererat in brevi vasculo, ternis vicibus totum corpus magnum affluenter perunctū est; quod vix ad solum lepidum caput sufficeret, nisi benedictione cælesti multiplicatum inter manus obsequentium superabundaret. Beatus autē Dionysius apparuit cuidam fratri apud Nongētum, dicens, vt festinaret abire Cluniacū, vt valedicere posset S. Hugoni statim decessuro. Veni ego infelix, sed sanctum migrantem non inveni. Datum est tamen spiritui, quod negatum est corpori. Vidi enim mixtos mortalibus Superos, & cum monachorum collegio Matrem Dei maris stellam clariùs coruscare: cujus præsentia sagittarios quosdam apparentes ita exterruit, & fugavit, sicut ventus validus autumnales frondes dejicere consueuit. Inter quos Martinus gemma Sacerdotum, & Benedictus sol Abbatum, spiritum S. Hugonis deducentes, intra quamdam vineam speciosam & fertilissimam collocarunt, vt ibi jucundaretur, & in modico māsitaret. Vbi me ipse aspicientem S. Hugo ita invitabat. Comede carissime, de candidis racemis, qui nobis superabūdant; & fac mecum solemne cōtubernium. Ego nempe parum hic pausabo, donec quidā tumor subsidat, quem in pedib⁹ pulverulentis de longo circuitu terrarum contraxi. Sed è vestigio curatis gressibus, & excusso pulvere mundano, liber ad potiora transibo. Dic autem successori meo Pōtio, vt humilitatis & innocentiæ thesauros custodiat, & necessitates omnium suas reputans, misericordię studeat, zelum monasticiOrdinis exemplo mei sapienter disponat. Sic enim viriliter agens, à Deo consequetur auxilium, qui non deserit sperantes in se. Eadem quoq; nocte, qua pater beatus dormiuit in Domino, vidit Abbas qui-

1109.

Mors S. Hugonis clara.

Quò deductus S. Hugo post mortem

iam in visione duos lectos decenter adornatos, Angelorum manibus ad astra sustolli: & audivit voces in sublimi dicentiũ. Heroas duos sui correctores & seculi stratis auro radiantib⁹ vitę merito collocabimus: videlicet Cantuariensem Archiepiscopum, & Cluniacensem Abbatem; qui multorum sunt patres filiorũ in gloria. Isti quidem duo penè sub vno tempore decesserunt. Auctor. De Abbatibus Cluniacensibus à primo vsque ad hunc Hugonem, facti sunt hi versus.

Ordine Berno prius, stat honore beatior Odo.
Surgit ab his sanctus Majolus forma virorum,
Ignitus ardentem vix cohibens animum.
Pòst fuit Aruerniis sacer Odilo missus ab oris,
Mitior ingenio, quàm ferus imperio.
Proximus Hugo venit, discretis vsus habenis,
Ordine posterior, vtilitate prior.

Sigeber Hoc anno multi sacro igne accendũtur, mẽbris instar carbonum nigrescentibus. Auctor. Tres plagæ tribus regionibus appropriari solẽt: Anglorum fames, Gallorum ignis, Normanorũ lepra. In territorio tamen Belvacensi rarissimè solet accidere pœna ignis.: quod B. Gommaro speciali dono à Deo datum asserunt.

1110.

Sigebert. In mense Iunio cometes apparuit, radios dirigens ad Austrum: multis conjicientibus, hoc signo portendi futuram Regis Henrici expeditionẽ versùs Italiam. Rex Henricus Romam vadit, propter sedandam discordiam, quæ erat inter regnum & sacerdotium: quæ cœpit à Papa Gregorio 7. & exagitata à successoribus ej⁹ Victore, & Vrbano, & præ omnibus à Paschali, scandalo erat toti mundo. Rex enim vti volens authoritate & cõsuetudine, & authoralibus privilegiis Imperatorum, qui à Carolo magno jam per trecentos & ampliùs annos imperaverãt, sub 63. Apostolicis, & dabant licitè Episcopatus & Abbatias per virgam & annulum, hoc esse suum jus allegabat. Contra hanc majorum authoritatem censebant Papæ synodali judicio, nec posse, nec debere dari per virgam, vel per annulũ Episcopatum, aut aliquam Ecclesiasticam dignitatẽ, vel investituram à laicali manu: & quicumque ita Episcopatum, aut aliam Ecclesiastici juris investituram accipiebant, excõmunicabantur. Propter hanc præcipuè causam Rex Romam tendebat: & siqui Longobardorum quoquomodo ei resistere volebant, potenter eos proterebat. Magister Hugo. Anno Domini 1111. qui fuit Paschalis Papæ 12. imperauit apud Theutonicos Hẽricus 4. Hic in primo anno regni sui cepit Paschalem Papam. Invenitur tamen jam idem Henricus regnasse annis 4 Nam hic est annus 5. regni eius. Sed hunc annum ideo ponit, vt arbitror, Magister Hugo primum in imperio ejus: quia in hoc anno per reconciliationem quæ facta est inter eũ & Papam, factus est ipse Imperator Romanorũ. Vnde Sigebertus in Chronicis suis sic infert. In reconciliatione, inquit, quæ facta est inter Imperatorem & Papam, ipsum Papam cum Episcopis & Cardinalibus ceperat die Paschæ, Henrico in Imperatorem coronato; post lectum Evangeliũ tradidit ei Papa ante altare beatorum Apostolorum Petri & Pauli in oculis omnium Principum privilegium de investitura Episcopatuum & Abbatiarum, tam per annulum, quàm per virgam: scilicet vt regni eius Episcopis vel Abbatibus liberè & præter violentiam & simoniam electis, investituram virgæ & annuli conferat. Post investituras verò, canonicè consecrationem accipiat ab Episcopo, ad quem pertinerit. Confirmatio pacis inter Apostolicum & Imperatorem, dum in celebratione Missę traderet ei corpus & sanguinẽ Domini nostri IESV Christi, hæc est. Domine Imperator, hoc corpus Domini natum ex Maria Virgine, passũ pro nobis in cruce, sicut sancta & Apostolica tenet Ecclesia, damus tibi in confirmationem veræ pacis inter me, & te. Datum idibus Aprilis Indictione 4.

1111.

Sigeber. adulatur Imperatori.

Inuestituras beneficiorũ vi extorsit Imperator à Pontifice.

Guillelmus Abbas sancti Theodorici. Anno ab Incarnatione Domini 1111. Anno à constitutione domus Cisterciensis 15 beatus Bernardus annos natus 22. cum sociis plusquam 30. ingressus est cellam nouitiorum sub Abbate Stephano. Inter quos fuit Hugo Matisconensis, qui Pontiniacense Cœnobium ædificavit, qui postea factus est Antissiodorensis Episcopus. Pater sancti Bernardi dictus est Tescelinus, Dominus oppidi Fontanorum: mater eius dicta est Alez ex castro Monte barri Hæc 7. liberos habuit, sex mares futuros monachos, & vnam feminam futuram sanctimonialem: quos alienis vberibus nutriendos nolebat committere, infũdens eis naturam boni materni cum lacte materno. Non patiebatur eos delicatioribus assuescere cibis. Hæc cùm haberet in ordine tertium Bernardum in vtero, somniauit se habere in vtero catellum totum candidum, & in dorso subrufum & latrantem. Responsum est, quòd infans ille contra inimicos Dei magnos latratus ederet, & mundam vitam duceret, & magnum patientiæ exemplum præberet. Adultus puer traditus est magistro apud Castellionem; cuius castri Ecclesia postmodum per eius operam à conversatione sæcularium in Ordinem Regularium Canonicorum promota est. In nocte Natalis Domini apparuit ei velut sponsus procedens è thalamo suo benignus puer Iesus. Prædicta verò Alez mater eius laborans in extremis, & psallens cum clericis, & dicens Letaniam, cùm diceretur, Per passionem & crucem tuam libera eam, Domine; levata manu signans se, spiritum reddidit; ita quod deinceps manum suam deponere non potuit, quam ad se signandam levarat. Quadam verò nocte instinctu dæmonis iniecta est in lectũ dormientis Bernardi puella nuda. Quam ille sentiens, vertit se in partem alteram, & dormiuit. Illa palpante & stimulante permansit immobilis. Sicque illa victa & confusa aufugit. Alio tempore solicitatus est à quadam hospita sua, quæ se in lectum eius jaciens, alliciebat eum ad carnalem copulã. Ille autem consilij non inops clamauit, latrones, latrones; quod illa audiens aufugit: & factum est hoc per ter. Cùm autem arctiùs implicaretur amore scientiæ sæcularis, videre sibi visus est matrem suam conquerentem & dicentem, quòd eũ non nutrisset ad hanc nugacitatem. Semper post cibum pensare solitus erat, quantum comederat. Annum in cella novitiorum exegerat, cùm adhuc putaret in capite Ecclesiæ vnam tantũ fenestram vitream esse, cùm ibi tres essent. Sic videbantur ei dormientes mortui apud homines, quomodo apud Deum mortui dormientes.

Primordia S. Bernardi.

Sigebertus. Deo peccatis hominum offenso Ecclesia sancti Michaëlis de periculo maris fulgurata divinitus arsit cum ædificiis omnib⁹. Baldricus Episcopus Laudunensis ciues ipsi⁹ vrbis à sacramento perperam juratæ cõmunionis revocare nisus, à seditiosis ad arma concurrentibus, quod dictu nefas est, gladio confossus interiit,

Baldricus Præsul Laudunensis impiè necatur.

feria 5. Paschalis hebdomadæ, 7. Calendas Maij in Letania majore. Tumultuante etiam impetu confusæ multitudinis domus Episcopi succéditur. Vnde ipsa etiam mater Ecclesia beatæ Mariç, & Ecclesia sancti Ioanis Baptistæ in Abbatia monialium, cum omnibus aliis Ecclesiis è vicino appendentibus concremantur. In authores autem seditionis à Ludouico Rege Francorum tam severè vindicatum est, vt tam futuros quàm præsentes à simili scelere deterrere possit exemplum. Hãc tribulationẽ Laudunensiũ quædã perturbatio præcesserat, quæ futuræ huius calamitatis seminarium & radix fuit, & quodam modo prænuntia. Quidam enim princeps nobilis, & Castellanus Laudunensis, nomine Girardus de Cirisiaco, dum in eadam sanctæ Dei genitricis Ecclesia genibus flexis suppliciter oraret; ab inimicis suis, qui eum alibi aggredi non audebant, dolosè circumventus, & ab oratione surgens diversis gladiorum plagis ibidem est interfectus. Cujus sanguine pavimentum Ecclesiç respersum cùm multoties aqua superfusa non posset ad plenum ablui, pluresque spectatum venientes, non parum super hoc mirarentur; magister Anselmus tunc temporis Laudunensis Ecclesiæ Decanus, vir scientiæ & eloquentiæ fama notissimus, quibusdam secretè colloquens prænuntiasse fertur, illam sanguinis effusionem non nisi eiusdem Ecclesiæ concrematione diluendam: quoniam tantum scelus non aqua, sed potiùs igne esset expiãdum: & ita contigit. Sigeber. Mense Iunio siligines & arbores sacro igne adustę spem sui fructus mentitæ sunt, & quędam vuæ insuper arefactæ. Subsecuta est gravis hominum, & diuturna valetudo, cum profluvio ventris, & mortalitate. Auctor. Sacrum ignem ponit hic Sigebertus, nisi fallor, pro cælesti corusco. Nam propriè sacer ignis appellari solet gen⁹ phlegmonis in hominibus, quod medici erisipilam vocant. Hic ergo ipse ponitur. Item Sigebertus. Apud Ravennam & Parmã civitates Italiæ sanguis pluit Iunio mẽse. Auctor. Hic finitur historia chronica Sigeberti: quam scripsit ipse à primo anno Gratiani, id est ab anno Domini 380. vsque ad hunc annũ Henrici Imperatoris, 7. Ludovici Philippi filij, Regis Francorum 4. Henrici Regis Anglorũ 13. Ab hinc nullum Chronographum reperi, nullũque historicum, de temporibus sequentibus continuè scribentem. In quibusdam verò chronicis Sigeberti post finem historiæ ejus inveni annos chronicè annotatos, & quasdam notulas breuissimas, vnius tantùm lineæ capaces, super quosdã annos appositas; non continuè, sicut fecit Sigebertus, qui nullum annum reliquit, in quo non aliquid annotaverit; sed interruptè, quibusdam annis absq; annotatione historica vacuis relictis: sicut Hieronymus & Prosper in suis chronicis faciunt. Tales ergo notulas breves, & interruptas, sicut dixi, reperi ab hoc loco vsq; ad annum Philippi Regis Francorum, qui modò regnat, Ludovici Regis filius, & Ludovici nondum Regis pater, vicesimum sextum. Quæ igitur ab hoc loco positurus sum, à certis authoribus diligentissimè vndecumque collegi. Hic igitur liber quadragesimus septimus finem accipiat.

Non potest aqua elui pavimentũ sanguine madẽs

LIBER XLVIII.

ANno præfato, id est an. Domini 1113. electus est in Episcopum Laudunensem Bartholomæus, tam generis nobilitate, quàm morum probitate, rerumque opulentia, in tota Laudunensi Remensique provincia famosissimus; & à Radulfo Remensi Archiepiscopo consecratus. Qui maiorem Ecclesiam sanctæ Mariæ Laudunensis, & alias 12. Ecclesias cum domo Episcopi, & multis aliis domibus clericorum & laicorũ invenit combustas. Electi sunt ergo 7. Canonici Laudunensis Ecclesiæ, & 6. servientes, qui feretrum sanctæ Mariæ, & alias capsas Reliquiarum per diversas circumferrent Ecclesias ad expetẽdas eleemosynas fidelium pro restauratione Ecclesiarum. Quæ Reliquiæ multis miraculis clarificatæ sunt: quæ miracula scripserunt Canonici Ecclesię Laudunẽsis. Ex quibus pauca breviter causa ædificationis excerpsimus. Apud Issoldunũ duo contracti sanati sunt; quorum calcanei natibus adhęrebant. Hos pro Dei amore multo jam tempore paverat in domo sua Galfridus, eiusdẽ castri dominus. Apud castellum Buscenti sanatus est filius Domini castelli raptoris pessimi puer annorum 15. à nativitate surdus & mutus. Quo facto pater pueri discalceatis pedib⁹ ad Ecclesiam cucurrit, & feretro sanctæ mariæ 40. solidos obtulit. Non enim multam habebat pecuniam. Qui etiam feretrum sanctæ Mariæ cum ceteris militibus humeris suis imposuit: & illud vsque ad castellum proximum duobus milliariis distans nudis pedibus portavit. Quod audientes inimici raptoris illius, & miraculum de filio eius factum; & ipsi nudis pedibus obviam ruunt, & feretrũ ab illis pacificè susceptum in castellum suum deferunt. Inde venerunt Turonos. Ibi quædam femina, quæ de lecto surgere non poterat jam per 8. annos & nusquam ire, nisi portaretur, sanata est hoc modo. Apparuit ei dormienti mater misericordię; præcipiens, vt se ad feretrũ suum in Ecclesia sancti Mauritij faceret deferri. Et portata est in vano, suppositaq; feretro protin⁹ obdormiuit, & sana surrexit. Ibidem apud S. Martinũ sanatus juuenis, à natiuitate surdus & mutus, ex toto corpore sudorem emittens, & venis circa aures inflatis, sanguis vbertim, fluxit ex auribus: qui postea cum feretro ivit Laudunum. Post hęc venit illud feretrum ad sãctum Laurentium de Cala in festo eiusdem martyris. Monachus autem quidam ibi habitans pati non potuit, vt feretrum beatę Virginis super altare S. Laurentij poneretur: sed fecit illud poni super quoddã min⁹ altare in partæ Ecclesiæ, timens amittere oblationes consuetas in eodẽ festo. Cùm verò Turonenses, qui feretrum subsecuti fuerant referentes miracula quæ viderant, omnes peregrinos superuenientes ad feretrum inuitarent, monachus ille liuore percussus, fecit feretrũ & omnes reliquias de Ecclesia ejici. Sed præpositus Castelli tentorium spatiosum, quod sibi parauerat, tradidit

Episcopus Sanctorum ope causam obtinet.

Chesles.

deferentibus feretrum, & matronæ plurimas deferentes cortinas idem tentorium decentissimè ornauerunt, & luminaribus copiosis tota nocte splendidum reddiderunt. Præfatus autem monachus ad vesperam epilepsiæ morbo grauiter arreptus, coram omni populo in terram cecidit magnumque terrorem videntibus incussit. Campana etiam maior de turre cadens confracta est; & turris ipsa in superiori parte fissa crepuit. Monachus ergo serò pœnitens, nudis pedibus coram feretro terræ prostratus, celesti Reginæ humiliter satisfecit: rogans vt idem feretrum super maius altare referretur; sed Laudunenses noluerunt. Apud Andegavos mulier partu laborãs vsque ad mortem, bibens aquam, in qua Reliquiæ lotæ fuerant, statim partu edito liberata est: gratias agens cochlear argenteum obtulit. Cœnomanis matrona quædam diues & sterilis in eodem anno filium genuit, & venit Laudunũ, gratias agens. In natiuitate sanctæ Mariæ venit idem feretrum Carnotum, cui occurrit venerandus suo Episcopus cum tota processione Canonicorum vsque ad vineas: positumque est feretrum in maiori Ecclesia super altare sanctę Mariæ. Ibi mulier contracta erat, iam per 5. annos in domo, vbi coquebatur panis Episcopi. Huic prima noctis hora apparuit in somnis beata virgo Maria, præcipiens ei, vt quantocyus surgeret, & ad maiorem Ecclesiam iret, feretrumque Laudunense quæreret. Protinus euigilans sana cucurrit ad Ecclesiam, per plateas cum gaudio vociferans, & clamans, & ingeminans, Domina sancta Maria. Statim Episcopus omnia signa præcepit sonari diutius, & ipsemet incœpit, *Te Deum laudamus*. Quod dum cantaretur, altera contracta sanata intrauit; duoque scabellula, quibus reptando se circumferre solebat, super altare posuit. Rursus signa pulsantur, & Te Deum cantatur, Episcopo incipiente. Quod antequam finiretur, quidam iuuenis miles, qui in castello quodam catenis religatus captus seruabatur, liberatus ex insperato Ecclesiã ingreditur, materque sua cum civibus occurrentibus ad altare progreditur, genibusque flexis coram feretro, & dicens, se per beatam Mariam ereptum, obtulit solidos 40. Iterum iubente Episcopo per omnes Ecclesias signa pulsantur, & ipse tertiò Te Deum laudamus incœpit. Multùm ibi præ gaudio ploratum est. Igitur ex oblationibus fidelium per Franciam collectis toto autumnali & hiemali tempore Ecclesia sanctæ Mariæ Laudunensis ex magna parte constructa est.

Pœna monachi in Deiparam iniqui.

Sequenti quadragesima, cùm adhuc pars operis maxima superesset, & pecunia paulatim deficeret, electi sunt ex Canonicis Laudunensibus 7. quibus traditũ est feretrum sanctæ Mariæ cum aliis pluribus sanctorũ reliquiis, inter quas eminebat forma & dignitate vnum philacterium, in quo sic scriptum legitur.

Reliquiæ feretri Virginis Laudũ.

Spongia, crux Domini, cum sindone, cum faciali.
Me sacrat, atq; tui, Genitrix, & Virgo, capilli.

Cum his Reliquiis profecti sunt in Angliam, quę tunc temporis magna divitiarum pollebat opulentia: pro pace & justitia, quam Rex Henricus in ea faciebat. Feria 2. post Dominicam *Isti sunt dies* profecti sunt à Lauduno, & eodem anno circa Nativitatem B. Mariæ Laudunum redierunt, miracula, quæ interim contigerant, enarrantes. Apud Nigellam in pago Viromanduensi, quidã Ioannes à nativitate surdus & mutus sanatus est, potatus aqua Reliquiarum lotarum, toto tẽpore post dormitionem sub feretro sudans; sanguine de naribus & auribus & venis circa collum inflatis vbertim profluente: qui prosecutus est feretrũ vsque ad mare. Circa Parasceuen venerunt Attrebatum. Ibi erat senex quidã aurifex, jam per annos 12. lumine oculorum privatus. Hic audiens feretrum sanctæ Mariæ Laudunensis allatum esse, interrogabat formam & qualitatem feretri. Quã cùm cognovisset, protinus imo ex pectore alta suspiria trahẽs, & vbertim plorans, dicebat. Hoc feretrum ego peccator propriis manibus in juventute mea composui, jussu domini Elinandi Laudunensis Episcopi. In quo idem Episcopus pretiosissimas Reliquias posuit: inter quas fuit caput S. Valerici Abbatis, & caput sancti Montani monachi & reclusi, qui natiuitatẽ B. Remigij prædixit, & de lacte Ciliniæ matris ejus lumẽ recepit, sicut prædixerat. O si hanc misericordiã faceres mecũ, ô piissima mater, vt instar S. Montani recepto lumine, rursus feretrum tuum quod composui mererer videre! Hæc dicens & plorãs rogabat, vt de lotura Reliquiarum oculi sui tangerentur. Quo facto de ipsa aqua bibit, & tota nocte coram feretro pervigil in oratione mansit: mane facto lumen recepit. Apud Sanctũ Audomarum quædam puella manum habens aridam à natiuitate, sanata est. In festo sancti Marci Evãgelistæ venerunt apud Vuissant, & à nautis convocati navem intraverunt: & cum eis plures negotiatores, qui propter lanam emendam in Angliam ibant, & cum feretro securiùs se transire sperabant; plus quàm 300. marcas secum in marsupiis portantes. Magister nauis dicebatur Coldistanus. Circa maris medium viderunt piratas navigantes, & in navi eorum lanceas & gladios, & clypeos coruscãtes. Tunc singuli ad alterutrũ præ timore peccata sua confessi sunt; etiam Presbyter laico confitebatur. Prædicti negotiatores de vita jam desperantes, marsupia suã cum tota pecunia feretro obtulerunt; flentes, & orantes beatam Mariam, vt eos de piratarum manibus liberaret, & de periculo mortis, & totam eorum pecuniam ad restaurandam suam Ecclesiam retineret. Piratis appropinquantibus, magister nauis exhortatus est Bosonem Presbyterum, vt assumptis Dei Genitricis Reliquiis, piratis sibi nocendi potestatem interdicat. Mox ille Philacterium cum capillis beatæ Mariæ assumens, cum timore & devotione in eminentiorem locũ puppis ascendit, ipso magistro nauis vtraque manu eum sustentante; manuque cõtra hostes eleuata, ex authoritate Christi & matris eius fortiter adjurans, ne vltrà veniant, nec potestatem sibi nocendi habeant, interdicit. Statim vt signum crucis de eodem phylacterio contra hostem fecit, dicto citiùs ventus vehemens & contrarius navem eorum retro tulit, malus nauis frangitur, pars mali super vnũ ex ipsis decidens, ipsum excerebrat, & in mare mortuum præcipitat. Post modicum nauis cum feretro sana & læta ad portum peruenit. Negotiatores liberati sacculos suos, quos obtulerant, resumpserunt. Cumque tota Anglia circuita magnos acervos lanæ emẽdo suam pecuniam expendissent, & de ipsa lana magnam domum implessent supra littus maris, quod douvra dicitur, eadem nocte qua in crastinũ transire debuerant, domus illa cum tota lana cremata est. Post hæc feretrum venit Cantuariam. Ibi Laudunenses honorificè suscepti sunt

Locus videtur corruptus.

Feretri opifex cœcus illuminatus.

Piratæ ope Reliquiarũ fugantur.

Voti violatores puniti.

ab Vuillelmo Archiepiscopo; qui dudum pro videndo & audiendo magistro Anselmo Laudunum petens, multis diebus in domo Episcopi manserat; ibique filios Raudulphi Cancellarij Regis Anglorum docuerat. Ibi erat quædã matrona ditissima, iam per 8. dies dolore pariendi cruciata. Quæ cùm maritum suũ misisset ad Laudunenses, quærentem siquis fortè illorum aliquid medicinæ nosset; Bozo Presbyter illum admonuit, vt consuleret conjugi suæ veracem peccatorũ cõfessionẽ Presbytero suo facere, & de aqua lotarum Reliquiarum confidenter bibere.

Peccatorum Sacerdotalis Confessio.

Illa verò, quæ jam præ dolore loquelam penitus & memoriã amiserat, protinus ex ipso calore fidei aliquantulum roborata, venienti Presbytero peccata sua fideliter confessa est; subiungens, eadem nocte sibi in visu quandam speciosissimam dominam de Francia venientem apparuisse, & vt peccata sua veraciter confiteretur præcepisse; sicque eam sanandam promisisse. Igitur statim postquam aquam Reliquiarum biberat, partu edito sanata est; quæ munera & ornamenta multa beatæ Mariæ obtulit. Nemo autem ibi sanari potuit, nisi de ipso Episcopatu, & nisi peccata sua confessus; si tamen idoneæ ætatis esset.

Apud Vuintoniam sanatus est quidam miles, pincerna Regis, qui iam per 8. annos cæcus fuerat: & alius ditissimus, Valterus nomine, qui jam sex annis lecto decubuerat, & præter hoc fluxu ventris laborabat. Hic tribus clericis, qui ad eum Reliquias detulerant, tres annulos aureos obtulit, & accurrẽs ante feretrũ, tres scyphos argenteos, & multam pecuniam, & alia ornamenta obtulit. Quæ cùm in platea delata nonnulli viderent, & dicerẽt eũ pauca obtulisse, secundũ multitudinẽ diuitiarũ suarũ, nam ferebatur plusquam tria millia librarum Angliæ monetæ in thesauris habere, respondit, se ad præsens nolle amplius dare, donec omnes vsuras, quas à debitoribus suis acceperat, redderet, sicut Deo promiserat.

Vsurarij sanũ consilium

Vnde protinus per totam vrbẽ fecit clamare præcones, vt quicumque ei vsuras dederat, veniret, & sua reciperet. Præter hunc alij 12. sanati sunt: cæci, claudi, surdi, muti. Post hæc venit feretrum ad Christi-Keccam villã, sic dictam, id est Christi Ecclesiam, in Octavis Pentecostes, vbi celeberrimus erat negotiatorũ conventus. Ibi erat Decanus quidam cum 12. Canonicis; qui noluerunt feretrum suscipere, ne perderent oblationes negotiatorum: quia Ecclesia eorum nondum perfecta erat. Et quoniã ingens pluvia erat, vix tandem Decanus concessit, vt feretrum ponerent super minus altare, in remota Ecclesiæ parte. Et cùm videret negotiatores ferè omnes, qui miracula Vuintoniæ facta audierãt, ire ad feretrum, & offerre: iratus præcepit feretrum de Ecclesia ejici. Ibi ergo equi Laudunensium, & vestes pluvia madebant: & præ multitudine negotiatorum in tota villa hospitium nõ invenerunt. Tunc matrona quædam illis compatiens, rogavit maritum suum, vt domum nouam, quam ædificaverant, & jam duabus marcis negotiatorib' locaverat, Reginæ cæli, quæ de Ecclesia ejecta fuerat, commodaret; & in ea tam ipsã, quàm clericos ejus hospitari sequenti nocte permittat, & interim sibi aliud hospitium quærant. Annuit ille, & clericos jam penè præ pluvia deficientes in domum illam suscipit, vestesq; illorũ luto perfusas ablui, & siccari fecit: & feretrum B. Virginis cõpetenti loco decenter cortinis adornato collocavit, & eis deinceps omnem hospitalitatem exhibuit. Vnus ex negotiatoribus tres campanas, quas venales habebat, ad domus laquearia suspensas pulsans, socios suos earum sonitu convocat; & locum eminentiorem ascendens, quomodo Decanus feretrũ de Ecclesia ejecerit, enarrat; & vt nullus ad Ecclesiam eat, sed potiùs ad hospitium feretri sãctæ Mariæ diuinum Officium audituri conveniant, exhortatur. Postremò cuncti vnanimiter edictum proponunt, vt si quis ad Ecclesiam iret, 5. solidos sociis persolveret. Erat autem tunc sabbatum ante octauas Pentecostes. Hospes ille prope oppidum habebat vnam domum, in qua boues & pecora seruabantur; ibique manebat pauper rusticus jisdem pecoribus custodiendis deputatus; cuius filia paruula tortum pedem à natiuitate habebat, ita vt calcaneus in anteriori parte, digiti verò pedis in posteriori essent. Hæc bibens de aqua Reliquiarum, & pedem suum de illa aspergens, vigilans coram feretro, mane sanata est. In crastino draco quidam flammiuomus de mari exiens, in villam illam advolauit; & primò Ecclesiam, deinde quasdam domos flãmã, quam ex suis naribus emittebat, succendit. Feretrum verò sanctæ Mariæ vix dimidiò stadio iam recesserat. Post quod cursores super equos aduenerunt, rogaueruntque Laudunenses, vt ardenti villæ subuenirent. Qui humana curiositate tantum prodigium videre sitientes, deputatis feretro idoneis custodibus velociter super equos ad vicum recurrerunt, videruntque draconem incredibilis longitudinis, habentem 5. capita, flãmasque sulphureas per nares emittẽtem, & de loco ad locum volantem, domosque sigillatim succendentem. Ecclesia verò ita concremata est, vt non solùm ligna, sed etiam parietes & maximi lapides, & ipsa altaria in cinerem redacta sint, vt nullo modo appareret, ibi fuisse Ecclesiam.

Obsequium Deiparæ remuneratum & vindicata iniuria.

Decanus autem videns Ecclesiam & domum suam succensam, vestes & supellectilem suam festinanter colligens & circumligans, ad nauẽ, quæ in proximo maris littore erat defixa, deferri fecit. Sed draco, acsi propter hoc solum venisset, nauem volatu petens, cuncta quæ in ea erant succendit, & ipsam nauem, incredibile dictu. Domus autẽ hospitis illius, qui feretrũ collegerat, incolumis & illæsa, cum omnibus quæ in ea erant, remansit: & illa etiam procul posita; in qua eius pecora seruabãtur. Negotiatores etiã illi, qui multam Laudunensibus impenderãt beneuolentiam, ita per Dei gratiam seruati sunt, vt de omnibus rebus suis, aut nihil, aut parum perderent. Decanus autem ille, qui feretrum de Ecclesia eiecerat sera motus pœnitentia nudis pedibus illud prosecutus est, & coram eo prostratus, itáque Dei iudicia protestatus, indulgentiã postulabat. Apud Execestriam honorificè suscepit Laudunenses cum feretro Robertus Archidiaconus, qui diu Lauduni manserat pro audienda lectione magistri Anselmi. Ibi 16. infirmi curati sunt. Ibi autem erat quidam contract' de Episcopatu Salesberiensi, qui curari non potuit, donec venit feretrum in Episcopatum ejus. De Salesberia venerunt ad Abbatiam Sanctimonialium, quæ dicitur Vuiltonia: vbi ostensa est eis sepultura venerabilis Bedæ Presbyteri; juxta quẽ sepulta est mulier illa versificatrix inclyta. Ibi jacebat quidam longo jam tempore febricitans ad sepulchrum venerabilis Bedæ Presbyteri: quia plures

plures ibi consueverant sanari. Ipsa verò nocte, in cujus crastinū feretrum Laudunense illuc advenit, mulier illa versificatrix apparuit infirmo, dicens. Non potes hic modò per Bedam sanari, quoniam beata Dei Genitrix ad nos descendit. Quod cùm Laudunensibus in crastino retulisset infirmus, & ex aqua lotarum Reliquiarū bibisset, illico sanatus est. Inde venerunt in provinciam Danavexeriæ: ubi ostenderant eis indigenæ cathedram & furnum famosi illius Regis, secundū fabulas Britannorum, Arturi. Ibi honoravit eos plurimùm Algardus clericus, qui fuit postea Cōstantiensis in Normannia Episcopus; qui fuerat Lauduni auditor magistri Anselmi. Ibi apud villam, quæ Bunnia dicitur, puella decem annis à nativitate cæca, illuminata est; & juvenis à nativitate surdus auditum recepit. Quidam verò manum habens aridam jurgari cœpit cum vno ex Laudunensium servis pro Arturo, & ideo sanari nō potuit. Apud castrum Bannistuplum manebat quidam Princeps, nomine Idellus de Totenes; cujus vxor erat germana Vuermundi de Piquengni. Hic honorificè suscepit Laudunenses cū feretro per triduum, & scyphum argenteum, & calicem pretiosum, & cortinas, & alia ornamenta eis obtulit, & equū, qui ea deferret; & alia multa, ad valorem 15. librarum Laudunensis monetæ. In domo ejus erat quædam puella duodēnis toto corpore incurvata: quæ quandiu feretrum ibi fuit, sanata non est. Cùm autem discedentib' eis magno fletu clamaret, Heu piissima Domina, sācta virgo Maria, ergone sic discedes, & me incuratam dimittes? Protinus cunctis videntibus sana facta, projectis scabellulis exiliens stetit, & cucurrit ad feretrum, gratias agens. Ibi similiter curat' est monachus sciaticus de Catitata. Apud Totenes sanatus est senex, à nativitate claudus, germanus præpositi ipsius castri. Quo sanato frater ejus obtulit coram feretro 40. solidos sterlingorum: & post eum populus infinitus multa addidit. Erant autem ibi tres juvenes ejusdem territorij, carnis consanguinitate propinqui: qui videntes tantam pecuniam deferri ad feretrū, detrahere cœperunt Laudunensibus: dicentes, eos quæstus gratia per magicā artem facere miracula. Quorum vnus alios hortatus est, vt secū irent ad feretrum, simulantes se illud osculari, & sic de nummis super altare positis ora sua lambēdo replerent. Illis autem hoc facere nolentibus, perfidus ille fecit quod dixerat, & de acervo nummorum, quantum potuit, ore lambendo rapuit: rediensque ad socios, nummos quos rapuerat ostēdit, invitans eos secum ire ad tabernam. Quibus eum sequi nolentibus miser ille tabernam introivit, & satiatus exivit. Ceteri duo ad conventum populi redierunt. Ille autem ascenso equo proximam silvā intravit, quæ vix dimidio stadio aberat: & reste lignea collo suo circumligata, ad vnius arboris ramum se suspendit. Equus cui insederat, vacuus ad populi conventum rediit. Quē videntes præfati duo juuenes, equi vestigia perlustrando, & cursim prosequendo, ad silvam celeriter pervenerunt, eumq; suspensum & mortuū repererunt. Solventesque marsupium ejus, quod pendebat ad baltheum, invenerunt nūmos, quos rapuerat adhuc recenti saliva ejus infectos: quos protinus cum magno ejulatu ad feretrum deportantes, super altare reposuerūt: terræq; prostrati, pro anima cognati sui misericordiam Dei Genitricis implorantes, coram omnibus facinus, q defunctus perpetraverat, retulerunt. Mirati sunt omnes tam celerem Dei vindictam, & pectora sua tundēdo vbertim lacrymas effuderūt. Apud urbem Bageam quidam puer in calidis balneis se balneans submersus est, annorum 12. Qui à parentibus suis delatus ad feretrum, positus est inter duos ignes, & corpus eius suspensum est capite deorsum, & pedibus sursum; & os eius apertum est, lignum paruum inter dentes superiores & inferiores infixum. Qui cùm multam aquæ abundantiam evomuisset, & corpus eius jam sufficienter calefactum esset, depositus reportatus est ad feretrum, & aqua loturæ Reliquiarum lotus, & in os eius parum ex eadem aqua distillatum est; qui mox reuixit sanus, & domum rediit. Hucusque miracula Laudunensis feretri: quæ facta sunt anno Domini 1114. & 1115. in Frācia & in Anglia. Illud verò, quod factum est sub Elinando Episcopo Laudunensi apud Couciacum, de muliere illa, quæ generum suum occidi fecit, quia infamata erat, quasi adulteraretur cū illo, & ideo adjudicata ad cremandum, seruata est per beatam Mariam inter ignes illæsa, quia culpam suam vera confessione purgauit: quæ tamen ne malitia mutaret intellectum illius, non nisi triduum superuixit, alterius temporis miraculum est; quod idcirco à nobis in suo tempore positum non est, quia non satis mihi constat, quo tempore Episcopus ille mihi synonimus extiterit. Fuit autem, vt ex prætaxatis miraculis habemus, ante Baldricum Episcopum. Ego autem in hoc opere nihil adnotare decreui, nisi mihi constet, quo tempore factum sit. Igitur hoc tēpore florebant in Francia apud Landunum ille magister Anselmus, & frater eius Radulphus. Hoc etiam anno, idest anno Domini 1115. fundatum est Cœnobium Claræuallis sub primo Abbate sancto Bernardo. Sed & Cœnobium Pontiniacense à Masticonensi Hugone, qui postea fuit Autissiodorensis Episcopus. Hi duo viri 3. anno à conversione sua Abbates facti sunt. Intrauerāt enim pariter domū Cisterclj anno Domini 1113. sicut scribit Guillelmus Abbas sancti Theodorici, & anno à constitutione domus Cisterciensis 15. quamuis Sigebertus in suis chronicis dicat illos 30. socios intrasse domum Cisterij anno 10. à constitutione eiusdē domus, scilicet 1. Abbatis Stephani. Erat autē beatus Bernardus annorum 21. quando conuersus est; & quando Abbas Claræuallis factus est, annorū 27. Qui profectus Catalaunum ad suscipiendam benedictionem suam, quia Lingonensis Episcopatus tunc vacabat, susceptus est cum magna reverentia à Catalaunensi Episcopo Guillelmo de Campellis. Qui videns juvenem tam macilentū & exesi corporis; toto corpore prostratus in terra, petiit à Capitulo Cisterciensi, vt anno vno sub sua cura esset, & obtinuit. In quo spatio sæpe sagimen crudum comedit pro butyro, & oleum bibit pro aqua à servitore negligentissimo & nihil sciente per errorem sibi oblata. Tunc enim sensum gustandi perdiderat, quantum ad saporum dignoscentiam, præ nimia abstinentia, vt solam aquā frigidam sibi sapere testaretur. Felix, cui solum illud reputatur ad culpā, quod alij sumere sibi solent ad gloriam. Claræuallis autem non longè à fluvio Alba, antique fuit spelunca latronum, quæ dicebatur vallis Absynthialis, vel propter copiā absinthij, vel propter amaritudinem incidentium in latrones. Fratres Clarevallēses tunc

Disputans pro Arturo nō sanatur.

Sacrilegi velox punitio.

Mulier in igne illæsa ope Virginis

Annus fundationis Claræuallis

temporis sæpius pulmentaria ex foliis fagi conficiebāt. Panis erat similis illi prophetico ex hordeo, & milio, & vitia. Vidit tunc temporis beat* Bernardus puerū sibi cum diuina claritate astātem, & magna auctoritate sibi præcipientem, vt fiducialiter loqueretur, quidquid ei suggereretur in apertione oris sui: quando non ipse esset, qui loqueretur; sed Spiritus patris sui, qui loqueretur in eo. Quidam frater, quem pro secreta culpa abstinere præceperat à communione in quadam præcipua solemnitate, erubescens quòd solus remaneret incommunicatus, iuit cum aliis communicare. Quem videns sanctus, communionem illi negare noluit; sed tacitè precatus est, vt Deus aliquid melius de tanta præsumptione ordinaret. Ille ergo frater sumptum corpus Domini nullomodo glutire potuit. Post sextam verò traxit sanctum in partem; confitens ei præsumptionem suam: quem increpans sanctus, orando fecit, vt sine difficultate corpus Domini glutiret. Quibusdā militibus euntibus ad torneamentū iussit dari ceruisiam, quam benedixerat ad bibendum: qui statim conuersi sunt. Valcherus de Monte mirabili, cùm infantulus oblatus esset ei à matre sua ad benedicendum, quia in eius domo hospitatus erat, cùm inter loquendū sanctus aliquoties manus protenderet, multoties osculatus est manum eius, trahēs eam ad os suum. Clericus quidam, nomine Nicolaus, impetrauit per eum à Domino gratiā lacrymarum.

Isaia 28.

Monachus Eucharistiā non valet glutire.

1116.

Iuonis Carnot. obitus.

Iuo Episcopus Carnotensis, qui Philippum Regem Franciæ excōmunicauerat pro pellice suę conjugi superducta, obit, vir multarum virtutū simul & literarum: qui decreta abbreviauit, & multa alia vtilia scripsit. In suburbio Antiochiæ noctu terra dehiscens, domos cum habitatoribus absorbuit. Vtrū ille hiatus cū terrę motu vel sine terræ motu contigerit, annotator iste non dicit. Sed credibilius est, quod cū aliquo terræ motu hoc factum sit. Vix enim terra tam lato hiatu hiare potest, vt integras domos absorbeat, quin etiam tremat. Rationes de naturalibus causis terræ motùs superius posuimus, in huius operis libro 29. in 18. capitulis comprehensas. Ibi ergo requirantur.

1117.

Hoc anno nihil inueni annotatum: sicut & in 4 ante istum præcedente, idest anno Domini 1114. Sed sicut in eo posui miracula feretri beatæ Mariæ Laudunensis facta per Franciā, quæ habui ex authoritate libelli Ecclesiæ Laudunensis, qui eadem miracula describit: sic & in hoc anno annotanda est mors Balduini Regis Ierosolymorum, fratris Godefridi. Qui Balduinus post Gedefridum fratrē suum, qui regnauit anno vno, coronatus est in Regē, vt Baldricus & Guillelmus scribunt, anno Domini 1101. & vt præfatus Guillelmus scribit, regnauit annis 17. Vnde constat, quòd hoc anno mortuus sit. Obiit enim vt scribit Guillelmus anno regni sui 7. mense 4. Cui successit alter Balduinus cognatus eius, dux Edessæ. Hæc Edessa distat ab Eufrate 20. milliariis, ab Antiochia 100. Græci dicunt Edessam, Syri Rothasiam. Non legitur, quot annis Balduinus iste regnaverit. Huc vsque Guillelmus Malmesberiensis historiam suam scripsit, ad Robertum Comitem Normaniæ.

1118.

Terræmotus hoc anno accidisse dicitur adeo validus, vt quarumdam vrbium partes subrueret; sed non dicitur quarum vrbium, nec in qua parte orbis terræmotus iste acciderit: & ideo nimis negligenter annotatur casus, qui sic annotatur.

1119.

Gelasius 2. Papa 166.

Gelasius 2. fit Papa 166. anno vno

1120.

Calixtus 2. Papa 167.

Magister Hugo dicit in chronicis hunc annū 8. Henrici 4. qui intelligendus est de imperio, non regno. Calixtus 2. Papa 167. sedit annos 5. menses 10. dies 13. Iste Calixtus, vt domn* Gaufridus Autissiodorensis ait, ex Guidone Viennēsi Archiepiscopo, factus est Papa Calixtus: qui Cisterciensem Ordinem primus in territorio Viēnensi plantauit, in monasterio Bonæuallis; cujus Cœnobij primus Abbas fuit Ioannes Lugdunensis, postea Pontifex Valentinus. Cuius dignitatis futuræ presagium fuit lætissimum pulcherrima quædam visio, quam idē Ioannes ante conuersionem suam vidit, hoc modo.

Gofridus super Apocalipsin. Cùm prima nostri Ordinis Cisterciensis jacerentur fundamēta, erat in Ecclesia Lugdunensi clericus honestus & honorabilis Ioannes; qui rumore nostri Ordinis compunctus, tacitus secū proposuit, in eorum se collegio sociandum. Quod propositum post paucos dies, subeunte alia cogitatione, mutauit, & pro quadā recompensatione talis propositi peregrinationem sancti Iacobi aggressus est. Qua deuotè completa rediens, à domesticis gratulabundè susceptus est, & fatigatus ex itinere in cubiculum se recepit. Quiescentique mox adfuit in visu Deus & Dominus noster IESVS Christ*, cum duobus beatis Apostolis Petro & Iacobo. Quorum Petrus librum manu tenebat, quē præcepit Dominus aperiri. Erat autem scriptus aureis literis, continens nomina prædestinatorum. Iussus ergo Apostolus cœpit legere; & cùm ibi legeret nomen Ioannis illius, Tolle, ait Dominus, tolle, dele eum, dele: quia meum se futurum promiserat, & resiliit à promisso. Accedens autem propiùs beatus Iacobus, & obsecrans, dicebat. Domine, meus est peregrinus, ne deleas obsecro, nomen eius. Cui Dominus. Meus, inquit, non peregrin*, sed civis esse debuerat. Nōne majus est, civem meum esse, quàm tuum peregrinum? Apostolus autem Iacobus persistens in supplicatione, Ne deleas, inquit, Domine pijssime, ne deleas, obsecro. Ego tibi pro eo fide jubeo, quòd faciet, quòd proposuerat. Et Dominus ad eum. Quando faciet? Apostolus autem, Infra dies 15. Excitus ad hæc verba Ioannes, solo prosternitur, & fidejussori suo cum vberrima lacrymarum effusione gratias egit, dicens. Faciam prorsus Apostole, sancte, faciam quod tam misericorditer pro me pollicit* es. Non multò post fletum magnum iterum obdormiuit. Iterumque Dominus cum prædictis Apostolis adfuit; jussitque iterum librum aperiri; in quo audiuit idem Ioannes beatū Petrum legentem. Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento. Mox Ioannes surgens, & præfixum diem præveniens, adimpleuit votum. Hic fuit primus Abbas Cœnobij Bonævallis, & pòst Ecclesiæ Valentinæ Antistes: cujus vita & mors multis meritis & miraculis claruit. Planè meritò Israelitis improperatur, quòd corde redierint in Ægyptū: quando iste Ioannes, qui à Cistercio resiliebat, jussus est deleri de libro vitæ. Simulque considerandū nobis, quanta devotione sanctorum nobis sint imploranda suffragia: qui tam amicabiliter spōdent pro nobis, & tam efficaciter intercedunt. Hoc exemplum apertissimè & fortissimè facit contra hæreticos nostri tēporis, qui dicuntur Pa-

Mira visio & conuersio ope S. Iacobi.

Cant. 1.

Sanctorum intercessio. Act. 7.

[...]ini, idest Manichæi, sive Publicani: qui dicunt vanas esse peregrinationes, & vanas esse eorum inuocationes; nec nostras preces ad eorum peruenire notitiam, quibus jam nihil sit cum nostra vita commune: cùm ipsi sancti cæli sint, de quibus scriptū est. [Oratio humiliantis se penetrat cælos.] Et in Apocalypsi scriptum est, quòd Angelus stetit ante altare aureum, habens thuribulum aureū in manu sua: & data sunt ei incēsa multa, vt daret de orationibus sanctorum super altare aureum, quod est ante thronum. Et Ascēdit inquit, [fumus incensorum de orationibus sanctorum, de manu Angeli coram Deo.] Eadem namque ratione nec ad Angelorum notitiā pervenirent preces nostræ, quibus cum vita nostra nil commune est; similiter nec ad Dei, maximeq; Christi, qui iam nihil habet cum vita nostra cōmūne: quamuis olim habuerit, sicut ipse dicit. Ego sum primus & novissimus, & vivus, & fui mortuus. Sed & Petrus Apostolus in Epistola 2. [Iustum, inquit, arbitror, quamdiu sum in hoc tabernaculo, suscitare vos in commonitione: certus quòd velox est depositio tabernaculi mei. Dabo autem operam frequenter habere vos in memoria post obitum meum.] Ecce Apostolus fidenter promittit, se illis, qui per illum crediderant, etiam post mortem non defuturum in auxilio opportuno. Diues ille Euangelicus in inferno sepultus habebat memoriam & curā fratrum suorum adhuc in carne viuentium; & rogabat Abrahā, ne venirent in locum tormentorū vbi ipse erat: & animæ sanctorū quæ in cælo recūbunt cum Deo Abrahā, & Isaac, & Iacob, carorū suorū memoriā non habebunt; & preces inuocantium se surda aure pertransibunt? Immittit diabolus immissiones suas in corda hominum per Angelos malos: similiter & Deus suas per Angelos bonos. Vnde. Angeli eorum semper vadent faciem patris. Vt quid enim dicuntur Angeli eorum, si nihil eis prosunt; si pro eis nihil faciunt? Ad Danielem dicit Angelus. *Nemo est adiutor meus in omnibus his, nisi Michaël princeps vester.* Ad Tobiam dicit Raphaël Angelus, se ei' orationes & lacrymas & eleemosynas Deo obtulisse: & ad Cornelium nondum renatum idem dicit Angelus, qui ei apparuit. Omnes, sicut ait Apostolus, administratorij spiritus sunt, missi propter eos qui hereditatē capiunt salutis. Eiusdem autem potentiæ & charitatis sunt animæ sāctorum corporibus exutæ, & Angelorum agminibus admixtæ, cujus & Angeli: sicut apertè legitur in legendis sanctorū. Vnde Paulus Apostolus postquā decollatus est, Plantillæ matronæ stolam suam reddidit sanguine suo sanctissimo infectam: & sicut Neroni prædixerat cùm mihi caput abscisum fuerit, tibi vivus apparebo; circa horam nonā januis clausis visibiliter stetit ante eum, & ait. Cæsar, ecce ego Paulus Christi Regis æterni & invicti miles. Vel nunc crede, quia non sum mortuus, sed viuo Deo meo. Plenæ sunt vitæ sanctorum huiusmodi miraculis, quæ demonstrant, quomodo sancti iam carne exuti potenter adiuuant inuocantes se viventes in carne. Hic error, qui modò generalis & cōmunis est omnium Paterinorum & Bulgarorum, quos vulgari nomine publicanos appellamus, olim specialis fuit Vigilantij Presbyteri; qui dicebat sacrilegium esse orationem facere ad sanctorum Reliquias: qui vt ait Ieronymus, cum antiphrasi nomen sortitus est. Nam Dormitantius rectiùs quam Vigilantius diceretur. Nimirum respondebat generi suo, vt qui de latronum & Conuenarum natus est semine: quos Consul Pompeius edomita Hispania, & ad triumphum redire festinans, de Pyrenæis iugis deposuit, & in vnum oppidum congregauit: vnde & Convenarum vrbs nomen accepit. Fecerat autem idem Pompeius & in Orientis partibus, vbi Cilicibus & Isauris piratis latronibusque superatis; inter Ciliciam & Isauriam sui nominis condidit ciuitatem. Huic ergo Vigilantio, imò dormitantio, inter cetera sic respōdet Hieronym'. *Sacrilegus ne fuit Constantinus Imperator, qui sanctas Reliquias Andreæ, Lucæ, Timothei, transtulit Constantinopolim; apud quas dæmones rugiunt? Sacrilegus dicendus est, & nunc Augustus Archadius, qui ossa beati Samuelis longo post tempore transtulit Thraciam?* Et Paulò pòst. *Proponis mihi librum apocryphum; qui sub nomine Esdræ à te, tuique similibus legitur; vbi scriptum est, quòd post mortem nullus pro aliis audeat deprecari. Quem ego librū nunquam legi. Quid enim necesse est, in manus sumere, quod Ecclesia non recipit?* Et post pauca. *Nisi fortè in morem Gentilium impiorumque Porphirij & Eunomij, has præstigias esse dæmonum confingis: & non verè clamare dæmones, sed sua simulare tormenta.* Et post pauca *Liberè proclamabis, te esse aut Mercurium, propter nummorum cupiditatem, aut Nocturninum juxta Plauti Amphitrionē: quo dormiente Iupiter in Alcmena adulterio duas noctes copulauit, vt magnæ fortitudinis Hercules nasceretur; aut certè Liberum patrem pro ebrietate & cantaro ex humeris dependente, & semper rubente facie, & spumantibus labiis, effrenatisque conuitiis.* Et post pauca. *Quando inquit, iratus fuero, & malum aliquid in animo meo cogitauero, & me nocturnum phantasma deluserit, basilicas martyrum intrare non audeo, ita totus & animo & corpore pertimesco.* Hæc Hieronymus. O quàm melius est audire & legere librum illum 2. Machabæorum, vbi scriptum est *Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur*, quàm librum illum apocryphum combustione dignum, qui prohibet orare pro mortuis! Sed hæc breuiter dicta sunt contra hanc heresin detestandam. Nunc ad historiam reuertamur. Hoc anno dicitur pugnasse Henricus Rex Anglorum contra Ludovicum Regem Francorum inter Andelejum & Nongejum: sed non dicitur, cui victoria cesserit, nec quæ fuerit causa belli: quod simul annotari debuisset, vt sciretur, cuius justior causa fuerit.

Hoc anno nil annotatum inveni, sed ex dictis Dōni Gaufridi Autissiodorensis, qui scripsit vitā B. Petri Tarentasiensis Archiepiscopi, colligi potest, eundem Petrum hoc anno seculū reliquisse, & conversum fuisse in monasterio Bonævallis: qui 20. annos habebat, quando conversus est, & 73. quādo mortuus est. Sed mortuus est anno Domini 1174: natus est ergo anno 1102. à quo annus iste vicesimus est. Natus est autem in territorio Viennensi, parentibus secundùm seculum humilibus, sed fide & conuersatione apud Deum magnis & ingenuis. Iam enim tunc, cùm Petrus iste puerulus literis traditus est, cœperant abstinētiæ operam dare, & ab opere conjugij ex consensu abstinere. Deputabant meliora fultra pauperibus, ipsi in palea remanentes. Petrus autem puer amator literarum, & ludorum fugitans, literarum studia arripuit: vnctione magis quàm

Eccli 35. — Apoc. 8. — Apocal. 1. — 2. Petri 1. — Luc. 16. — Mat. 18. — Daniel 10. — Tobiæ 12. — Act. 10. — *Apocrypha historia.* — *Vigilantij heres aduersus Reliquias Sanctorum.* — *Hieron epi aduer. Vigilantium.* — 2. Mac. 12.

eruditione magistra: ita vt anno primo psalmos omnes Davidicos corde tenus psalleret. Pater ejus cilicio vtebatur ad carnem: filiis suis clericis ambo parentes nulla volebāt ecclesiastica beneficia dari. Petrus Lambertum germanum suum ab initio conversionis suæ secū traxit: qui Lambertus postea Abbas fuit in monasterio Chesiriaco. Petrus quoque nō multò pòst factus est Abbas in Stamedio cœnobio, sic dicto, quasi stante medio inter duas provincias, & duos Comitatus. Ab eo tempore Stamedienses fratres famam magnam liberalitatis & humanitatis cœperunt adipisci, Iam tunc Petrus panis & casei frusta circūferens, in sinu pauperum occurrentium abscondebat. Quod etiam in Episcopatu magis exercuit, sociis etiam suis onera pia communicans. Si prādendum esset iter agenti, diverticula quærens, juxta callem publicum residebat: vt mensa eius tunc etiam esset cum pauperibus & peregrinis. Providerat autem Dominus vlmum congruam huic viti Marchionem Italiæ, Sabaudiæ & Mauritaniæ, Comitem Amedæum.

S. Petri Tarentasiensis caritas in pauperes.

1122. Terræmotus hoc anno accidisse dicitur in Adventu Domini, 4. Idus Decembris: sed non dicitur vbi, nec tamen generalis credendus est fuisse.

1123. Henricus 4. Imperator moritur: cui succedit Lotharius, qui regnavit annis 12. Turonis orta seditione inter clericos & laicos, Ecclesia S Martini arsit. *1124.* Christiani cum Saracenis pugnant inter Ierusalem & Ascalonem; & cessit victoria Christianis. Calixtus Papa moritur: qui scripsit librum De Miraculis S. Iacobi, compilando in vnum volumen, quæ sparsim legerat. Quem libellum numquam potuit perdere; cùm à latronib' aliquando ōnibus aliis rebus spoliatus sit, & domus in qua hospitatus erat cum omni supellectili sua arserit: & cùm ipse in mari naufragium passus sit; libellus eius semper evasit omne periculū ignis, aquæ, & latronum. Ex quo libello pauca ad ædificationē exscripsi. In epistola Leonis Papæ scriptū est, quòd B. Iacobus anno 11. ab ascensione Domini passus est tempore Azymorum, cū Iosia discipulo suo. Qui Iosias. vt ait Calixtus, fuisse dicitur dapifer Herodis. Cùm autē diu ignota esset dies passionis Apostoli, cuidam fideli mihi noto visum est in nocte Annuntiationis beatę Mariæ, quòd dum B. Iacobus in aulam Herodis duceretur judicandus, facta est altercatio magna inter Gentes & Iudęos pro Apostolo. Tandē ab Herode judicatus, extra vrbē ducitur, & decollatur. Statimq; inclytus quidam, qui quasi pręlatus erat, lacrymabiliter sic de eo locutus est ad plebem. In aula regia circa tertiam est judicatus, & circa nonam, vt Christus, passus: tali scilicet hora & die, qua Magister, passus est & Discipul'. Hieronymus tamen in Martyrologio, quod ad sanctos Episcopos Chromatium & Heliodorum scripsit, 8. Calend. Augusti passionem eius celebrandam scripsit; quod & Alexander 2. Papa faciendum scripsit, propter dies Passionis & Resurrectionis Dominicæ: qui Alexander catenas S. Petri ab Ierosolymis Romam delatas, aqua & oleo lotas recondidit. Octavo enim Calend. Augusti B. Iacobus à Syria vsque ad Cōpostellam fertur, & 3. Cal. Ianuarij sepulturæ traditum. Hanc solemnitatem celeberrimè observabat Adelfonsus Rex Galliciæ: quia corpus Apostoli 3. Cal. Ianuarij susceperat Galecia. In quo die propter honorem 12. Apostolorū offerebat super altare S. Iacobi annuatim 12. marcas argenti, & 12. talenta auri; & novos milites faciebat, & convivium generale, ad quod vocabantur omnes per præconē & tubam. Beda refert, quòd quidam homo Italicus quoddam magnum peccatum commiserat: quod vix tandem confessus est suo Sacerdoti & Episcopo. Episcopus misit eum ad sanctum Iacobum, vt faceret secundum consilium Theodemiri Compostellanēsis Episcopi, cū schedula, in qua scriptum erat peccatum illud; quam jussit eum ponere super altare, & Apostolum Iacobum suppliciter orare, vt intercederet pro se. Factumque est ita. Cumque Theodericus Archiepiscopus Missam celebraturus inuenisset schedulam plicatam, & quæsiisset, quis eam ibi posuisset, ille confessus est cum lacrymis cunctis audientibus quid egisset &: cùm Episcopus iterū inspexisset in schedulam, inventa est non scripta, sed tota sine literis: nec ausus est ei Archiepiscopus Theodemir' aliā pœnitentiam injungere, nisi tantùm vt deinceps omnem 6. feriam jejunaret. Magister Hubertus Ecclesię Bizuntinę sanctæ Mariæ Magdalenæ Canonicus, scripsit, quod anno Domini 1080. triginta homines Lotharingi proposuerunt se visitaturos sanctum Iacobum, & pactum inter se conseruandæ fidelitatis inierunt. Vnus tamen ex illo numero hoc sacramento fidelitatis se noluit implicare. Tandem omnes pariter iter aggressi, venerunt vsque ad vrbem Gasconicam, quæ dicitur Porta clusa. Ibi vnus ex illis infirmatus vltra ire non potuit, Qui adiutus est à sociis propter pactum fidei vsque ad portum Ciseræ per 15. dies cum graui labore, quia totum illud spatium in 5. diebus ab expeditis solet transiri. Ibi tandem grauati tædio illum deseruerunt. Remansit autem cum eo ille qui pactum non firmaverat, & in proxima nocte vigilias circa eum exercuit in vico sancti Michaëlis. Mane facto infirmus dixit socio suo, quod tentaret montem ascendere, si adjuuaretur. Ad quod socius. Adjuvabo te, quandiu vixero. Postquam montē ascenderunt dies clauditur, & infirmus moritur, cujus socius angustiatus sanctū Iacobum in auxilium petiit. Qui apparuit ei in specie militis super equum sedentis, dicens. Da mihi hunc mortuum, & tu post me super equum reside, donec veniamus vsque ad locum sepulturæ. Nocte itaque illa portauit iter dierum 12. vsque ad Montem gaudij sancti Iacobi, vbi illos deposuit: & iussit viuo, vt iret ad Canonicos sancti Iacobi, & rogaret eos, vt adjuvarent eum ad sepeliendum mortuū suum sancti Iacobi peregrinum. Anselmus Cantuariensis Episcopus scripsit, quod tres milites diœcesis Lugdunensis, de oppido Dunezei, euntes ad sanctum Iacobū, inuenerunt mulierculam illuc euntē reculas suas in quodam sacculo deferentē: quæ rogauit eos, vt se alleuiarent de sarcinula sua. Hujus ergo manticam vnus suscepit portandam. Omni autē die ad vesperam mulier milites insecuta, de sarcinula sua necessaria accipiebat: & ad primū gallorum cantū, quando pedites peregrini proficisci solent, manticam suam militi reddebat; & ita eò lætior, quò expeditior iter suum pergebat: & in hoc miles mulieri seruiebat amore sācti Iacobi. Cùm autem adhuc ab vrbe sancti Iacobi 12. dietis distaret, invenit pauperem, qui rogauit eum, vt ei equum suum ad equitandum accommodaret, quatenus ad sanctum Iacobum peruenire valeret. Infirmabatur enim; alioqui moreretur, quia amplius ire non poterat. Con-

Incerta historia.

Peccata deleta ex schedula.

sensit miles, & eum super equum suum imposuit, & baculum eius in manu sua accepit; & cœpit ire pedes, sarcinulam mulierculæ collo suo portans. Cumque ita pergeret, lassitudine & calore solis infirmatus est. Quod vbi persensit, recordatus quod in multis Deum offenderat, parcere sibi noluit, sed infirmitatem suam vsque ad sanctum Iacobum sic eundo tolerauit. Vbi cùm pervenisset, adorato Deo & eius Apostolo, hospitio receptus lecto decubuit. Visitatus est à sociis, & rogatus, vt confiteretur & communicaret, & oleo sancto liniretur. Avertit ille faciem suam. Consternati socij rogabant pro eo sanctum Iacobum. Triduo sine cibo & potu mansit: tandem suspirauit dicens Gratias Deo & sancto Iacobo, quia liberatus sum. Mox inquit, vt infirmari me sensi, volui confiteri, communicari, & vngi. Sed dum in silentio cogitarem, venit ad me turba dæmonum, que tantum me oppressit, vt nec signo, ex illa hora potuerim innuere aliquid, quod ad meam salutem pertinuerit. Intelligebam tamen quæ dicebatis, sed non poteram respondere. Nam dæmonum alius mihi linguam stringebat, alij caput & corpus meum, quò volebant, me nolente, vertebant. Tandem beatus Iacobus advenit, ferens in sinistra manu sacculum mulierculæ, quem tuleram, quasi pro clypeo sibi, in dextera baculum pauperis, cui equum meum accommodaueram, quasi pro lancea; & dæmones fugavit. Mittite ergo citò ad Presbyterũ. Missũ est, dũque Presbyter venire moraretur, interim publicè admonuit vnũ de sociis suis, dicens. Amice, noli amodo Girino Caluo Domino tuo militare. Veraciter enim damnatus est, & in proximo mala morte moriturus. Quod & factum est. Nã dum ille nõ multò pòst militẽ armis inuadendo interficeret, lancea eius transfossus est. Ipse verò peregrinus de seipso dixit, se in hoc sæculo non diutius permansurum. Qui non multò pòst confessus & communicatus, bono fine quieuit.

Miracula S. Iacobi.

Calixtus Papa. Anno Domini 1090. quidam Teutonicus cum filio suo ibat ad sanctum Iacobum. Veniens autem apud Tolosam hospitatus est apud quemdam, qui concupiscens eius pecuniam, excogitauit, vt in mantica scyphum suum argenteum absconderet, quo posset illos furti arguere. In crastinum eos consecutus est cum armata manu, furti eos arguens. Ad quem illi. Super quem rem tuam inveneris, justè illum condemnabis. Inventoq; scypho in mantica eorum, bona eorum rapiens, ad publicum judicium traxit. Iudex autem pietate motus, jussit alterum dimitti, & alterum suspendi: & cœperunt contendere pater & filius, quis suspenderetur. Tandem filius pro patre ipso renuente, coëgit se suspendi. Pater verò mœstissimus ad sanctum Iacobum profectus est. Rediens autẽ post 36. dies diuertit ad corpus filij sui adhuc pendentis. Vbi cùm eiularet, dicens, Fili mi, vt quid viuo ego, videns te suspensum; filius consolans patrẽ suum, respondit. Noli pater de pœna mea, quæ nulla est, lugere, sed gaude: quia suauius mihi est nunc, quam vmquam in tota vita mea fuit. Nam beatus Iacobus manibus suis me sustentans, omnimoda me refocillat dulcedine. Audiẽs hoc pater cucurrit in vrbem, & fecit filium suũ deponi. Ciues ergo intelligentes hospitem eos ex avaritia accusasse, ibidem eum suspenderunt. Anno Domini 1105. in Italia apud castrum Coizanum quidam Bernardus captus & catenatus, in profundum cuiusdam turris ab inimicis suis projectus est. Cui die noctuq; B. Iacobum appellanti apparuit idem Apostolus, dicens, Veni, sequere me vsque Galeciam: & diruptis catenis eius, disparuit. Statim peregrinus ille suspẽsis ad collum boiis, vsq; ad turris summitatem sine vllo juvamine, præter solius Apostoli, conscendit: & de summitate turris vsque ad terram vnũ saltum fecit; cuius sublimitas erat 60. cubitorum. Anno 1106 miles quidam gulam habens inflatã, à nullo medico sanari poterat. Hic tactu cuiusdam crusillæ, quam quidam peregrinus deferebat, sanatus est. Anno sequente quidam negotiator captus à quodam Barone, & in carcerem missus propter res suas, inclamavit S. Iacobum: qui apparuit ei nocte, & imperans vt surgeret, perduxit eum ad summitatem turris; quæ se tantùm inclinavit, quod visa est cacumen suum vsq; ad terram deponere: à qua sine saltu discedens, solutus abiit. Custodes excitati eum insequentes, venerunt juxta eum: at divinitus excæcati, eum non invenerũt: qui cum suis catenis, quibus ligatus fuerat, ivit ad S. Iacobum. Comes S. Ægidij, Pontius nomine, cum fratre suo ivit ad sanctum Iacobum. Quò pervenientes, rogaverunt ædile, vt permitteret eis ante corpus Apostoli vigilare. Consuetudo enim erat, vt post solis occasum januæ eiusdẽ oratorij clauderentur vsque mane. Qui noluit. At illi tristes recesserunt ad hospitia suã: & congregantes omnes peregrinos suæ societatis, parauerunt sibi luminaria, quæ tenerent in manibus: & confortati in fide, venerunt ad ianuas clausas ferè ducenti peregrini; & orantes dixerunt alta voce, S. Iacobe, si tibi placet nostra peregrinatio, aperi nobis oratorium tuum. Nondum verba finierant, & ecce januæ cum tanto strepitu apertæ sunt, vt putarent eas in minutias fractas. Rupta sunt autem repagula, & seræ & catenæ, quibus obserabantur. Quidam Episcopus de Græcia, Stephanus nomine, relicto Episcopatu venit ad S Iacobum in paupere habitu: & ibi facta est ei cellula de juncis; in quã die noctuq; jeiuniis, & vigiliis, & orationibus intendebat. Cumq; oraret quadã die, turba rusticorum juxta cellulam eius Apostolum sic rogare cœpit. Beate Iacobe, bone miles, ab instantibus malis nos liberes. Quod ille audiens, increpans eos, dixit. O stulti rustici, B. Iacobum non militem, sed piscatorem appellate. Eadem nocte B. Iacobus apparuit illi in veste candidissima, duas claves in manu tenens, arma ferens fulgentissima, vt radij solis: quem tertió vocans, ait. Stephane serve Dei, qui me non militẽ, sed piscatorem vocari jussisti, ideó taliter tibi appareo, vt scias me Deo militare. Impetravi à Domino, vt omnium adiutor sim, qui in me sperant. Et vt firmiùs hoc credas, cum his clavibus, quas manu teneo, portis Colimbriç vrbis apertis, quæ 7. annis à Fernando Rege Christianorũ obsidione opprimitur, crastina die intromissis Christianis hora 3. eorum teddam potestati. Et ita factũ est. Ortum est aliquando bellum fortissimum inter Comitem Montis calcariæ, & militem suum, nomine Guillelmum; qui captus est à Comite, & ante eum adductus. Quẽ cum Comes decollari iussisset, & miles clamaret, Iacobe Apostole Dei, quem Herodes Ierosolymis gladio occidit, adjuva me, & libera me à spiculatoris gladio; ter ictũ immensum nudo collo erectis ad cçlum manibus sustinuit, & nihil læsus est. Tunc spiculator mucronem fixit in ventrem ejus; quem B. Iacobus

Patibulo appensus ope S. Iacobi liberatur.

S. Iacobus bonus miles acclamatus.

sic hebetavit, quòd nec ictum ejus sensit. Tunc Comes jussit eum in castro suo recludi. Cui beatum Iacobum invocanti manè Apostolus ei stans apparuit, dicens. Ecce adsum, quē invocasti. Tūc impleta est domus tanta suavitate odoris, quòd omnes qui ibi erant putaverunt se esse in paradiso, propter odorem; & propter lucem, quæ immensa ibi apparuit. Tunc in ipso fulgore B. Iacobus eduxit eum coram omnibus manutenens, & perduxit vsque ad postremam portam castri, custodibus quasi excæcatis: & apertis januis, ambo pariter vsq; ad vnū milliarium extra muros perrexerunt. Tunc miles amore Apostoli accensus, perrexit in Galeciā; ad visitandum corpus Apostoli. Quidam civis de Barcinona perrexit ad S. Iacobum, & nihil aliud ab eo petivit, nisi tantū, vt eum à captione inimicorum suorum liberaret, si fortè incideret in eam. Postea contigit, eum tredecies capi, & vendi per nundinas & fora. Quicumq; autem eum emebant, tenere nequibant: B. Iacobo catenas eius, & vincula omnia conterente. Tertiodecimò apparuit ei vincto duplicibus catenis à quodam Saraceno, & ait. Quia dū esses in basilica mea, tantùm petisti à me liberationem corporis tui, & non salutē animæ tuæ, idcirco in hæc pericula lapsus es. Sed quia Dominus misertus est tibi, idcirco misit me ad te, vt ab his ergastulis eruam te: diruptisque catenis eius disparuit. Exiens ergo ille solutus, tulit secū pro testimonio partem catenæ, quam ostēdebat omnibus paganis, quibus obviabat, qui volebant eum capere: & statim quicumque adversarius ejus ab eo fugiebat: & ita per terram Saracenorum securus venit vsque ad terram Christianorum. Multa etiam agmina leonum, vrsorū, pardorum, draconum, illum per deserta gradientē devorare volebant; sed visa catena quam Apostolus tetigerat, mox ab eo fugiebant. Hunc hominem iterum ad sanctum Iacobum venientem anno 1100. ego Calixtus reperi inter Stellam & Grugnum nudis pedibus & excoriatis, qui hæc omnia mihi narrauit. Inter Hispanos apud Vindelionum die festo sancti Iacobi triticum quidā rusticus excussit in area. Postea cùm iret ad balneum, & ibi sederet, pellis dorsi ejus ab humeris vsque ad crura balnei parietibus adhæsit, ibique cunctis videntibus spiritū exhalavit. Inter Vascones apud Albinetum plebs festum Apostoli servare nolebat. Eadem nocte tota villa succensa est, igne vt aiunt de cœlo misso. In villa S. Damiani, in territorio Montis-pessulani jussa est quædam rustica facere panem subcineritiū. Qui allatus ad mensam & fractus, sanguinem fluxit.

Peregrinus solam corporis liberationem petens arguitur.

Ista tria postrema miracula non sunt de libro Calixti. Post Calixtum sedit Honorius 2. Papa 168. annos 5. & menses 2. Ad hunc Honorium beatus Bernardus plures epistolas scripsit. Tyrus capta esse dicitur, sed non dicitur à quibus, à Christianis vel Saracenis: qua propter qui hoc annotavit, brevis esse laborans, obscurus factus est. Hiems asperrima facta est, & fames valida. In Hasbania monstrum nascitur, antè homo, & retro canis. Carolus Comes Flandrorum proditione quorumdam procerum suorum Brugis in Ecclesia orans occisus est.

1125.

1126.

1127.

In auctores sceleris acerrimè vindicatum est à Ludovico Francorum Rege Philippi filio; ita vt etiam nonnulli ad rotam damnati sint. Eorū progenies tota exiliata est; & multi innocentes quæ non rapuerant exoluerunt. Inter quos fuerunt pater meus Hermannus, & frater ejus Elbaudus; qui pueri nobiles & pulcherrimi magnis hereditatibus perditis, de Flandriis in Franciam aufugerunt.

1128.

Gaufridus Episcopus Rotomagēsis obit: post quem factus est Archiepiscopus Hugo ex monacho Cluniacensi, vir religiosus & literatus; qui scripsit librum elegantem de diuersis quæstionibus, ad Matthæū Albanensem: qui similiter de Cluniaco assumptus fuerat. Ad hunc Hugonem scripsit B. Bernardus epistolam, inter cetera sic ei scribens. *Si diei malitia inualescit, non praualeat. Si turbat, non perturbet. Mirabiles elationes maris, sed mirabilior in altis Dominus. Benignè, si nō dissimulas, egit tecum vsque adhuc superna miseratio, Pater illustris. Prouida namque dispensatione non prius præfectus es malis, quàm sociatus bonis: quorum consortio & exemplo bonus fieres: & sic etiam postmodum inter malos vincere bonus posses. Et quidem inter bonos bonum esse, salutē habet: inter malos verò, & laudem. Illud tantæ familiaritatis est, quantæ & securitatis: hoc autem tantæ virtutis, quantæ & difficultatis. Magnum nempe est, tangere picem, & non inquinari ab ea: in igne sine læsione versari; & in tenebris absque caligine commorari.* Habitavi, inquit David, cum habitātibus Cedar. *Non ait, in Cedar; sed, cum habitantibus Cedar: tamquam qui semper habitaret in lumine: licet ipsi fuerint cum habitantibus in tenebris, id est in Cedar, cohabitatio corporalis. Sic cùm olim Ægyptij palparent tenebras, tamen vbicumq; filij Israel erant, qui certè cum ipsis erant, erat lux. Vnde idem Propheta arguit quosdam non veros Israelitas, qui commixti inter gentes, didicerunt opera eorum: & factum est illis in scandalū. Sufficiebat olim tibi apud tuos Cluniacenses custodire innocentiam: porrò apud Rothomagenses opus est patientia, sicut dicit Apostolus.* Servum Dei non oportet litigare, sed magis patientem esse ad omnes. *Non solùm patientem; qui nolit vinci à malo, sed etiam pacificum, qui vincat in bono malū: vt malos portes & quos sustines sanes: in patientia tua possidens animam tuam. Sed sis etiā pacificus, vt possideas tibi commissam. Esto patiens quia es cum malis: esto pacificus, quia praees malis. Habeat charitas tua zelum; sed adhibeat pro tempore modum seueritas. Censura quidem numquam remissa, intermissa tamen plerumque plus proficit. Sit vigor justitiæ semper feruidus, sed numquā praeceps. Sicut non omne quod libet licet: sic non omne quod licet, statim etiam expedit. Hæc melius me ipse nosti, ideoque supersedeo. Orari pro me incessanter postulo, quia incessanter pecco.*

Bern. ep. 25.

Hugo Farcitus. Anno Domini 1129. in pago Suessionensi potestati adversæ cōcessum est, percutere multos plaga invisibili diversæ ætatis & sexus: ita vt semel succensa eorum corpora cum intolerabili cruciatu arderent. Est autem morbus hic tabificus, sub extenta liventi cute carnē ab ossibus separās & consumens, & mora temporis augmenta dolorum & ardoris capiens, per singula momenta cogit miseros mori: sed desiderantibus mortem non venit, donec depastis artubus ignis ille celer & pestifer invadit membra vitalia: & quod valde mirum est, ignis hic sine calore validus ad consumendum, tanto frigore velut glacie perfundit miserabiles, vt nullis remediis possint calefieri. Item, quod non minus est mirabile, ex quo diuina gratia restinctus fuerit, fugato mortali frigore tantus calor in eisdem partibus ægros peruadit, vt morbus

1129.

Plaga Suessionensib. diuinitus missa.

caneri eidem feruori persæpe se societ, nisi medicamẽtis occurratur. Sex diebus mense Septẽbri in Ecclesia beatæ Virginis fuerunt. Ad preces autem populi de aliis Ecclesiis, & de majori Ecclesia in eandem Ecclesiam concurrentis, adfuit beata Dei genitrix, trahens secum fortia agmina sanctorum spirituum; ad cujus præsentiã formidaret infernus, & paverent portæ mortis. Cujus aduentu præcursor tam magnus tremor Ecclesiam repleuit, vt terræmotum esse factum, aut Ecclesiam à fundamentis esse concussam, arbitrãtes fugerẽt omnes. Sed vbi nil adesse periculi senserunt reuersi omnes ardorem languentium extenuatũ, & omnem dolorem consopitum celerrima suavitate collata inuenuint. Ajunt à quibusdam languentibus pridie huius beneficij cælitus copiosas claritates per fenestras Ecclesiæ vitreas illapsas; quasi quædam præconia largitionis subsequẽtis. Intra 15. dies nominatim annotati sunt centum & tres ab hoc igne restincti. Sed & plurimi asseverant, stellas miræ magnitudinis tenebrosam noctis caliginem vltra Ecclesiã persequendo effugasse.

Centum & tres ope Virginis sanati.

Mulier quædam, nomine Gendrada, virum habens, nomine Theodericum, cõmanens in Ripparia vltra Axonam fluvium, qui præterlabitur vrbem Suessionensem: de villa, quæ dicitur Andiguncurtis, inter ceteros venerat ad Ecclesiã; cujus faciem ignis ille depaverat, & nasum, & labiũ superius, & vsque ad mammillas & gingivas, & dentes molares: & extinctus est ignis à facie eius. Sed omni occursanti jam molesta & odiosa fiebat, grauis omnibus, etiam suis ad videndum. Itaque compulsa est totam faciem præter oculos madenti panniculo velare. Redit ad Ecclesiam beatæ Virginis, factaque candela quam offerret, iuit dormitum. Eadem nocte maturius evigilans, sensit lotatum fluitare panniculum; quem dum restingere, sursumque reducere nititur, & parum proficit, coacta est circumjacentium implorare auxilium. Qui dum morãtur, somno vel frigore tardi, illa poscit lucernam accendi, & sibi auxilium ferri: sensitque interim carnem sub digitis & panniculo pressam mollescere; & nesciebat quia caro est labij & nasi reformati: dumque sæpius revolvit pannũ, sæpiusq; proinde attrectat creaturam nouiter plasmatã, clamauit ter voce maxima, Deus & sancta Maria, ad juva: ad quã vocem exciti & turbati qui aderant, maturius inferunt lumen, & vident nasum & labium noviter formatum. Quidam puer annorum vndecim pecorum custos, ardens pedibus à matre sua advectus est: remedioque doloris intra paucos dies accepto ad domum revectus est. Erat autem de Vallibus. Sed dum nutu diuino puer idem non immemor tanti beneficij desiderio visendæ domus beatæ Virginis flagraret, & super hoc quotidie molestus matrẽ perurgeret, & illa penitus non acquiesceret, redeat, inquit, in me infirmitas, vt necesse habeam illuc referri. Quod & factum est. Relatus igitur illuc à matre ad ingressum processionis matris Ecclesiæ excussus à quiete in gratiarum actionem rupit clamoribus æther. Narrauitque omnibus raptũ se fuisse ante Deum, & Dominam nostram Dei genitricem pro populo supplicantem vidisse, vt dignaretur Deus hunc morbum à populo avertere & evertere; & hanc scintillam quæ acciderat auferre: & hoc responsum à filio suo benignè accepisse. Mater, tues marisstella, fiat omnis voluntas tua: dũque eadem Virgo iterum quereretur super domo sua, quæ vilis & abjecta præ ceteris erat; audivit à filio suo, quod de trans mare, & de trans Rhenum pecuniam faceret afferri, de qua domus eius ædificaretur, & in omnium oculis intuentium claritate magna & gloria illustraret eam. Populo etiam Suessionensi mala euenire ex parte Dei prædixit: quia suæ genitricis Ecclesiam nõ reficerent. Et quidẽ multos ex eadem vrbe ignis invasit: quæ & qualia restent, nescimus. Idem puer paulò post se moriturũ testatus est, & sic evenit; nec enim mensem supervixit. Mirum autem valde de hoc puero erat, quod ab initio mundi omnem historiam recensẽs, totam narrationem suam cursim rithmicè digerebat: textum Evangelij & actus Domini sic ordine recensebat, tãquam omnia in libro legeret, & dictata ab aliis pronuntiaret. De Ioseph viro beatæ Virginis inter cetera ait. Qui tenet sceptrum florentis virgæ, custos erat gloriosæ. Hæc narrabat clausis oculis, tanquam lucem transitoriam exosus: laicis & illiteratis vix dignabatur facere verbum, tanquam ignorantiam eorum pertæsus. Ejus mortui corpus tanta gratia perfudit, vt candore & claritate vultus Angelicum nescio quid & divinũ signaret. Apud villam, quæ dicitur Kala, in territorio Suessionensi, quæ possessio est matris Ecclesiæ beatorum martyrum Geruasij & Protasij mulier ob partus difficultatem laborans, continuis tribus hebdomadibus periclitabatur, persuasaque à conviciinis mulieribus, se nudis pedibus ituram ad B. Mariam Suessionis vovens, noviter liberata est, sed ordine stupendo. Nam primùm ex vtero suo emisit tres lapides, primum in magnitudine ovi anserini, secundum ferè in magnitudine ovi gallinæ: tertius non minor aliqua nuce erat. His lapidibus effusis statim sequitur partus infantis; qui & gratiam baptismi accepit, & paucos dies superuixit. Quædam mulier mater familias de Blericurte cæcitate percussa est, quæ villa est prope Cociacum. Hæc adducta est Suessionem, vbi recognita est à majore Austrechię cognato ejus, cùm illa amplexaretur altare. Qui causam ejus præsentiæ percunctatus, præsente Mathilde Abbatissa, meritò, inquit, cognata mea cæcitate percussa es: quia cùm sis ancilla Dominæ nostræ sanctæ Mariæ, et Dominum abnegasti; confitere igitur veritatem, si vis à matre veritatis sanari. Factum est, & sanata est.

Visio & verba miri pueri.

Cœnobium Vrsicampi fundatur. Post Honorium sedit Romæ Innocentius 2. Papa 69. Cõtra quem per contentionem ordinatus est Petrus Leonis. Ad cuius schismatis pestem sedandam vocatus à Claravalle S. Bernardus multùm laboravit, & multùm profecit. Hic cùm esset aliquãdo in vrbe Noviomo in domo Simonis Episcopi, ad eum adductus est Hervæus de Baugentio, puer admodum gratiosus, ortus ex Regio sanguine, & ipsius Episcopi nepos; de quo sequenti nocte famulo suo Christus ostendit, quod erat post tempora longa futurum. Siquidem videbatur sibi in Missarum celebratione Angelo cuidam pacis osculũ dare, quod ad puerum deferretur. Nec dubius de revelatione, eundem Hervæum renuntiaturum seculo, & futurum aliquando devotum Christi famulum promittebat. Quem postea venerabilis Valeranus primus Abbas Vrsicãpi monachum fecit, & Angelico functus officio, pacẽ, quam ex ore patris sancti ipse susceperat, communicavit Hervæo; qui etiam prædicto Valerano

Innocentius 2. Papa 169

Visio S. Bernardi de Hervæo puero.

in regimine Vthcapi successit, & novissime obitum suum imminentem sanus adhuc & incolumis, eodem Vaterano sibi per revelationem annuntiante præscivit, atque prædixit.

Innocentius vita, fama, & scientia digna summo Sacerdotio habebatur: Petrus autem Leonis ad hunc honoris apicem ambiens, à suis fautoribus pretio corruptis nominatus est Anacletus. Congregaverat sanè opes innumeras, tam in exactionibus curiæ, quàm in legationum negotiationibus, quas ad expectatas nundinas reservarat: insuper & paterni census ampla congeries eatenus sigillata, modò distributa in populum, ad fas & nefas venalem populum armaverant. Quibus erogatis, donaria Regum in ornamentis Ecclesiæ ab ipsis evulsit altaribus: & cùm calices frangere, crucifixos aureos membratim dividere, ipsi profani Christiani vel erubescerent, vel timerent: quæsiti fuêre Iudæi, qui vasa sacra, & imagines dicatas Deo audacter comminuerent. Convocato interea apud Stapas Concilio, S. Bernardus Innocentium suscipi persuasit. Qui Innocentius Aurelianis honorificè à Ludouico Rege Francorũ susceptus est. Inde Carnotũ deductus est à Gaufrido Carnotensium Episcopo, magnarum virtutũ viro, vbi occurrit & Henricus Rex Anglorũ.

1130. Cœnobium apud Bellum montem fundatur sub Abbate primo Alexandro, à viro venerabili Roberto de Candoë.

1131. Synodus magna Remis celebratur à Papa Innocentio, in qua multis ad honorem Dei dispositis, Regem Ludouicum pro Philippo fratre, quem de equo dejectum porcus occiderat, vivente adhuc patre coronauit in Regem. Idem Innocentius monasterium sancti Medardi Suessione, quod est trans flumen situm, dedicauit. Adfuit inter ceteros mulier de pago Laudunensi, quæ cum aliis monasteriũ beatæ Virginis ingressura processit: sed virtute invisibili ab ingressu repulsa est. Tunc nimio pauore vexari cœpit, & toto corpore tremere. Confessa & absoluta ingressum promeruit.

1132. Synodus magna apud Pisas celebratur ab Innocentio Papa, & totius Occidentis Episcopis. Soluto Concilio ad reconciliandos Mediolanẽses Dominus Papa sanctũ Bernardũ & Guidonẽ Pisanum, & Matthæum Albanensem Episcopũ à latere suo direxit: qui schisma per Anselmum in eadem vrbe factum abluerent. Quibus rogante Abbate adjunctus est Gaufridus Carnotensis Episcopus. Ibi sanati sunt multi dæmoniati.

1133. Ecclipsis solis facta est 3. nonas Augusti. Lotharius Imperator moritur. Sanctus Bernardus & S. Malachias florent sanctitate, doctrina, & multa miraculorum gloria. Sed & S. Hugo Gratianopolitanus Episcopus, quem beatus Bernardus visitauit: quem videns Episcopus prostratus solotenus adoravit: quod videns sanctus Bernardus corruit & ipse ante eum: & facti sunt deinceps duo illi filij splendoris cor vnum & anima vna.

1134. Conradus nepos Henrici superioris regnat post Lotharium. Apud Romanos & Alemannos regnat annis 22. Eo tempore conversus est Marcellinus honestus & honorabilis clericus Magũtinus, & secutus beatum Bernardum apud Claravallem. Abbas Alexander cum omni Conveẽtu suo, annuente Rege Anglorum Henrico, venit in forestam de Luins, & in eremitorio, quod dicebatur Mortuũ mare, ædificauit monasterium suũ.

1135. Henricus Rex Anglorũ obit anno regni sui 35. cui successit Stephanus nepos eius, 8. Calẽd. Ianuarij: qui regnavit annis 19.

1136. Eo tempore cõversus est Gaufridus de Perona, qui postmodum Prior Claravallis effectus est: cuius etiã pater vir nobilis & potens in Claravalle monachus pfectus factus est, & à S. Bernardo sepultus. Laborabat eo tempore sub schismaticorum oppressione tota Burdegalẽsis provincia; & non erat in Aquitania, qui posset resistere Principi, cuius animã induraverat Deus: qui persuadẽte Girardo Engolismensi Episcopo, & instillante in cor eius semina dissensionis, factus fuerat schismatis defensor & author.

Schisma aduersus Innoc. Papa

Hic Girardus misit ad Petrum Leonis, vt ei legationẽ concederet, & ipse ei fidelitate jurata obediret: insuper & principẽ terræ, & quoscumque posset, ad eius imperium declinaret. Gavisus homo perditionis locũ se invenisse, in quo dilataret malitiam suam, citò annuit, & libenter: & misit ad eum Gilonem Tusculanum Cardinalem Episcopum, qui sol' de Romanis cum Petro Portuensi ei adhæserat. Igitur Girardus resumptis cornibus, quod antè non fecerat, publicè procedebat mitratus. Ab his ergo duobus violẽter expellitur à sede sua Guillelmus Episcopus Pictavensis, vir honestus & catholicus: & pro eo alius quidam nobilis genere, sed degener fide, intrusus est. Similiter in Lemovicẽsi Ecclesia intruserunt Ranulfum quendam Doratensem; qui non multò pòst cadens de equo resupinus in via plana, vno tantùm lapide vltore, qui ad hoc ibi relictus erat, infixo capiti eius, & quassato cerebro expirauit. Audiens hæc & huiusmodi Gaufridus venerabilis Carnotensis Episcopus, cui à Papa Innocentio Aquitaniæ legatio fuerat commendata, duxit secum S. Bernardum. Venerunt ergo Nannetum. Ibi sanata est mulier per virum sanctum, quæ jam per sex annos ab incubo dæmone fuerat oppressa. Decanus autem Ecclesiæ Pictavensis Altare, in quo S. Bernardus Missam cantauerat, confringere ausus est. Pòst breue tempus percussus à Deo, cùm jam animam exhalaret, vidit domum suam plenã dæmonibus: & se à dæmonio jugulari clamitans, à circumstantibus postulabat cultellum, quem ad dæmonem extrahendum immergeret gutturi suo, & inter hæc verba expirauit.

Horrenda mors schismatici.

Archipresbyter verò, qui Petri invasoris Pictavensis Ecclesiæ denuntiabat Synodum, coram ipsis, quos ad Conventum perfidiæ invitabat, à diabolo correpť est. Sed & in alios multos, qui in schismate illo ferventiores extiterant, manus Dei manifestam exercuit vltionem. Tandem Principe reconciliato, & Episcopis qui expulsi fuerant, in suis sedibus revocatis, Girardus solus perseverans in malis, sine confessione & viatico repente in lectulo suo mortuus inventus est, & enormiter tumidus. Qui à nepotibus suis in basilica quadam sepultus est: sed à Gaufrido Carnotẽsi Episcopo inde extractus est, & aliò projectus. Nepotes, quoq; ejus ab eadem Ecclesia eliminati sunt; & omnis progenies & plantatio à radice avulsa, pextera regna tanti judicij circũferens querimonias exulavit. Rex Siciliæ Roger' solus de principibus Innocentio non obediens, misit ad Petrum Leonis, vt Petrum Pisanũ sibi à suo latere delegaret, confidens in eloquentia Petri Pisani. Sed Abbas sanctus ipsum Petrum Pisanum Papę Innocentio reconciliavit. Pòst triduum Petrus Leonis impœnitens moritur: cadauer eius in latebris sepelitur, & vsque hodie fovea illa à Catholicis

tholicis ignoratur. Abbas Alexander domum Mortui maris conjunxit Ordini Cisterciensi: & Valeranus Abbas Vrsicampi suscepit eam in filiã, & monachos suos illuc transtulit. Abbas Alexãder Abbatis curam dimisit: cui successit Adam, quondam Prior Vrsicampi. Ludovicus Rex obiit anno regni sui 29. Ludovicus filius Ludovici, hujus Philippi, qui modò est, pater, regnat apud Francos annis 40. Qui Ludovicus jam ante annos 7. coronatus fuerat in Regem. Abbatia de Fresmont fundata est sub primo Abbate Manassero. Eo tempore Henricus germanus Ludovici Regis apud Claramvallẽ monachus effectus est: qui non multò pòst ad Episcopatum Belvacẽsem assumptus est. Anglia fame & gladio atteritur, Principibus illius terrę inter se discordãtibus. Eo tempore Papa Innocentius apud Aquas Salvias fundavit monasterium S. Anastasij martyris, constructis ibi cœnobialibus mansionib⁹; & petiit à Claravalle Conventum & Abbatem. Mittitur illuc cum Conventu Bernardus olim Pisanæ Ecclesiæ vicedominus.

1138. 1139. 1140. 1141. 1142.

Eo tempore fuit Petrus Abaelardus magister insignis, celeberrimus in opinione scientię; sed de fide perfidè dogmatizans. Hujus scripta incendio, & scriptorem silentio condemnavit Innocentius Papa. Capitula in libris eius reprehensibilia annotauit B. Bernardus in Epistola, quam de illo scripsit ad Innocentium Papam. Libri tamen eius adhuc à multis curiosè servãtur, quibus aquæ furtiuæ dulciores sunt, & panis absconditus suauior. Ego ipse in eis multa reprehensibilia inueni. Huius Petri aliquãdo discipul⁹ fuerat Gaufridus Antisidiorẽsis, qui multo tempore notarius fuit beati Bernardi. Hic inter cetera de eodẽ Petro dicit. Ego mihi aliquãdo magistrum fuisse recordor, qui cum pedibus & intestinis nil amplius de agno Paschali aut ipse vorans, aut discipulis exhibẽs, & se pariter & suos non modica eius parte fraudabat. Siquidem pretium redemptionis evacuans, nil aliud nobis in sacrificio passionis Dominicæ commendabat, nisi virtutis exemplum, & amoris incentivum. Quod enim Scripturæ perhibent de potestate diaboli pretioso illo sanguine humanum genus esse redemptum, in eo solo constare dicebat, quod exemplum nobis exhibitum est, vsque ad mortem pro veritate & justitia certandi; & adhibitum est velut quoddã incentivum amoris: cùm eximpẽso amore occasio data est redamãdi. Quasi verò & hæc duo in mortibus Prophetarum pro veritate & justitia occisorum nobis ante exhibita nõ sint: & quidem magna hæc & vera, sed non sola. Benedictus Deus, qui mihi simul & vobis magistrum dedit postea meliorem: per quem prioris redarguit ignorantiam, insolentiam confutavit. Ille enim tanquam verus Hebræus avidè prorsus vorabat, & vorandum nobis solicitè commendabat, caput agni cum pedibus & intestinis; sic imitandum prædicans Dominum patientem, & sic redamandum amantem, vt principalem hujus sacrificij causam, velut agni caput, redẽptionem in eo profiteretur & adoraret humanã. Tria nãque specialia nobis in sua passione Christus exhibuit; exemplum virtutis, incentivũ amoris, redemptionis sacramentum. Quod tertium euacuanti hæretico nil prodesse cetera poterant. Sine causa enim pro virtute certauit vsque ad mortem, patientiæ nobis præbens exemplum: & sine causa exhibuit & commendauit huius immensæ dilectionis affectum, si non recipit ab olim jam addicta captivitas copiosæ redẽptionis effectum. Hęc Gaufridus contra Petrum olim magistrum suum fortiter & Catholicè scribit. Hujus etiam Petri Abaelardi discipulus fuit magister meus, qui me docuit à puero, Radulphus, natione Anglicus, cognomento Grãmaticus, Ecclesiæ Beluacensis, vir tam in divinis, quàm in secularibus literis eruditus.

Gaufrid sermone 8. in Pascha.

Cælestinus 2. fit Papa 170.

Lucius 2. fit Papa 171. Civitas Rothomagi reddita est Gaufrido Comiti Andegavẽsi. Ventus vehementissimus arbores & turres, & domos plurimas subvertit.

1143. *Celestinus 2. Papa 170. Lucius 2. Papa 171.* 1144. 1145.

Fames magna invalescit in Francia. Sanctus Bernardus in Alemannia multas virtutes facit. Vbi apud vrbẽm Spirensium tantus erat conventus, vt Conradus Rex, ne populus eum comprimeret, deposita chlamyde eum in proprias vlnas suscipiens, de basilica asportarit. Bernard⁹ Abbas sancti Anastasij in Papã Romanũ eligitur, & fit Papa 172. vocaturq; Eugenius 3. Hic seditione orta in populo, pulverem pedũ in litigantes excussit, & relictis eis in Franciã venit. In cuius comitatu multa signa fecit sanctus Bernardus. Ad hunc Papam scripsit idem vir sanctus librum multæ subtilitatis & vtilitatis; cujus titulus est, de Consideratione.

Eugenius 3. Papa 172.

Guillelmus puer in Anglia crucifigitur à Iudæis in die parasceves in vrbe Normico: de quo talis visio legitur. Puer quidam nomine Guillelmus, annorum 15. dormiens vidit virum splẽdidum dicentem sibi, sequere me: & cœpit mox videre vmbram tetram à læva: sed ex leni visione ductoris sui confortatus est. Dehinc vallem vidit tenebrosam, habentem hinc ignem, illinc aquam frigidissimam, vbi animæ de vno in aliud semper transibant. Post hæc deduxit ille senior puerum ad alia tormenta, vbi vidit sedilia ignea infinita, & plebem innumeram eisdem impelli sedilibus; & dæmones monetam flammeam de sacculis proferebant, & in ora singulorum projiciebant: quam illi per fauces & guttur emittebant, sed dæmones iterum in ora eorum regerebant. Postea vidit à dæmonibus carnes, quæ formam perfecti hominis habere videbantur, in caldarias projici, & sub momẽto quasi mox nati infantis apparebant. Hæ fuscinulis ignitis à caldariis ejectę in priorem ætatem transformari videbantur, & sic sæpius in caldariis recoquebantur. Ductus inde ad alium ignem, vidit innumeros homines in eum projectos in singulis iuncturis dissolui, & iterum de flamma ejectæ ad loca sua reversæ sunt juncturæ. Postea vidit multos super rotas volubiles affigi, viros per virilia, feminas per menbra genitalia; & omnes clamabant, væ, vę. Post hæc vidit multos super sudes igneas quasi fures in campo suspensos capitibus deorsum: alij frigore morientes, vestes subter positas videbant, sed tangere non valebant. Alij fame cruciati cibos desiderabiles subter positos tangere non poterant; & in quacumque necessitate positis aliis non subvenerant, in eadẽ consolationem nullam recipiebant. Postea vidit tartarum apertum, qui videbatur in descensu profundior, quàm sit longitudo viæ à Dorobernia in Londoniam. Ibi hostis antiquus sedebat in medio flammæ distentus in sex partes. Cùm autem puer staret juxta oram putei tremens, teter spiritus, qui sinistro lateri eius semper ab egressione

1146. *Puer à Iudæis in Anglia crucifixus.*

Visio pueri.

domus adhærebat, cœpit eum accusare dicens. Omnia praua huic puero semper suggessi. Ea verò quæ puer confessus fuerat ante Pascha (nam post Pascha hoc accidit,) omnino tacebat. Tot tamen & tanta crimina illi objecit, vt ad æternā damnationem sufficere crederentur. Tunc ad admonitionem ductoris cùm puer signo crucis se muniret, puteus non comparuit. Ductore verò illo recedente, puer diu in tenebris stetit tremēs. Revertens autem ductor, puerum ad lucidum splendorem duxit: & statim apparuit murus infinitæ longitudinis & latitudinis; in quo nullus patebat aditus. Venientes illuc, in momento vltta se raptos invenerunt. In patria illa desiderabili apparuit domus rotunda, quæ 12. portas habebat, sicut scriptū est *Ab oriente porta tres*, &c.

Ezech. 48.

Hanc ingressi tam amplam viderunt, vt quot quot in mundo sunt, ipsius partem decimam implere non possent. Ibi multos in magna gloria videbat, sed alios gloriosiores. Tunc vidit decem beatorum catervas. Veniens autem ad Orientalem portam, circa medium ostij vidit altare quoddam; circa quod viri splendidi sedebant: qui omnes vni tanquam præstantissimo famulabantur. Ille coronam auream habebat in capite, duodecim crucibus aureis insignem. Puerum in hac visione lętantem alloquitur ductor suus. Hic tuus locus erit, si bene vixeris: sciasq; hunc esse puerum Guillelmum, quem Iudæi apud Norinvuic crucifixerunt. Hic licet jam sit in magna gloria pro breui pœna, longè tamen adhuc maiorem habebit. Nondum tamen faciē Redemptoris contemplari meruit, nec socij eius, quos in tanta gloria cernis. Iterum digressus ab eo statim redit, & dixit. Sequere me, quia illuc te reducam, vbi te cepi, iubente Deo. Venies autem, si bene laboraveris, ad hanc gloriā. Mox ad corpus licet renitens reversus est. Hic in 2. feria paulò ante nonam dormire cœpit. In 4. feria circa tertiam in facie se erigens signauit se: quādo scilicet tartarū vidit apertum. In 5. feria circa meridiem revixit.

1147.

Ecclipsis solis facta est 5. nonas Novembris die Dominica hora 3. Rex Ludovicus cum Frācis aggreditur iter Ierosolymitanum anno regni sui 9.

1148.

Remis Concilium à Papa Eugenio celebratur. In quo Concilio publicè confutavit beatus Bernardus magistrum Gislebertum, cognomento Porratam; disputando cum eo singulariter, tanquam sui temporis singularis athleta. Hic Gislebertus erat Pictauorum Episcopus, in sacris literis plurimum exercitatus: sed sublimiora se scrutatus ad insipientiam sibi. Siquidem de S. Trinitatis vnitate, & divinitatis simplicitate nō simpliciter sentiens, nec fideliter scribens, discipulis suis panes proponebat absconditos, & furtivas propinabat aquas; nec facilè quid saperet, imò quantum desiperet, personis authenticis fatebatur. Timebat enim, quod apud Senonas Petrum Abaëlardum ei dixisse ferunt, Tua res agitur, paries cùm proximus ardet. Novissimè tamen cùm jam fidelium super hoc invalesceret scandalum, cresceret murmur, vocatus ad mediū est, & librum tradere jussus, in quo blasphemias enomuerat, graues quidē, sed verborum quodā involucro circumseptas. Sanctus ergo Bernardus primò quidem totum quod ille verborum cavillationibus occultare nitebatur, subtilibus interrogationibus eliciens, deinde verò tam suis

Gilberti Porretani error

ratiociniis, quàm sanctorum testimoniis biduana disputatione redarguit. Considerans autem nonnullos ex his qui præsidebant, jam quidem animaduertentes blasphemiam in doctrina, adhuc tamen auertentes injuriam à persona, accēsus est zelo, & domesticam sibi Gallicanam seorsum conuocavit Ecclesiam. Communi deniq; consilio à patribus decem provinciarū, aliis autem Episcopis & Abbatibus plurimis, dictante viro Dei, nouis dogmatibus opponitur symbolū novum. Cui etiam subscribuntur nomina singulorum, vt eorum videlicet omnium irreprehensibilis zelus ceteris innotescat. Ita demū Apostolico judicio & authoritate vniuersalis Ecclesiæ error ille damnatur. Episcopus Gislebertus, an eidem damnationi consentiat, interrogatur. Consentiens, & publicè refutans quæ prius scripserat & affirmaverat, indulgentiam ipse cōsequitur, maximè quod ab initio cautus fuisset ea lege se eandē disputationem ingredi, vt promitteret sine vlla se obstinatione pro Ecclesiæ sanctæ arbitrio correcturum liberè opinionem suam. Horum duorum magistrorum, Petri videlicet Abaëlardi, & Gisleberti Porratæ quidam discipuli nimiùm zelantes pro ipsis beato Bernardo, & toti Cistercięsi ordini postea detrahere cœperunt. Quorum vnus magister Stephanus, cognomento de Alinerra, dixit mihi, seipsum interfuisse illi Remensi Concilio, & Bernardū nostrum nihil adversus Gislebertum suum prævaluisse; sed econtrario ipsum Gislebertum opinionem suā rationib⁹ & authoritatibus per omnia confirmasse: quosdam verò Episcopos & Abbates Galliæ privata gratia Bernardi nostri somnium illius sententię prætulisse, & Papam Eugenium ad eius damnationem induxisse. Adjiciebat etiam, Bernardum nostrum eo tempore magnam confusionem passum fuisse apud Antissiodorum, vbi quendam mortuum, quem coram omni populo suscitandū prædixerat, post multas orationes incassum suscitare nō prævaluit. Erat autem iste Stephanus de clericis Henrici Comitis Campanię, Canonicus Belvacensis, & sancti Quiriaci apud Pruvinum, & exercitatissimus in omni genere facetiarū vtriusque linguæ, Latinæ & Gallicæ, avarissimus tamen, vetus qui semper secutus fuerat otium, & cibum alienum: qui eodem anno quo mihi hæc narravit, mortuus est, credo in visionem sancti Bernardi, cui detraxerat.

Vide morē & genium hæreticorū.

Blasphemus in S. Bernardum extinctus.

1149.

Anno isto S. Malachias obiit, sicut legitur in visione, quam scripsit Marcus quidam G. Abbatissæ: de qua quædam in hoc loco excerpenda decrevi. Ait enim. Anno ab Incarnatione Domini 1149. qui fuit annus 2. expeditionis Ierosolymorum Conradi Regis Romanorū, & annus 4. Eugenij Papæ; in quo anno ipse Papa de partibus Galliæ Romam reversus est, in quo etiam S. Malachias in Claravallo mortuus est: visa est hæc visio. Duæ sunt Metropoles in Hibernia, Ardmacha Septentrionalium Hiberniensium, Caselensis Australium; de qua ortus fuerat quidam, Tundalus nomine, nobilis genere: crudelis actione, forma corporis egregius, fortitudine robustus, de salute animæ suæ nihil sollicitus. Graviter ferebat, si quis ei vel breviter de salute animæ loqueretur: Ecclesiam negligebat, pauperes Christi nec videre volebat; mimis & joculatoribus pro vana gloria distribuebat quidquid habebat. Hic cùm multos haberet amicos & sodales, inter eos

habebat vnum, qui commilitonis debito trium equorum debitor erat. Hic cùm futurum præstolaretur terminum, transacto tempore illum convenit. Qui cùm benè receptus ab eo perendinasset trib⁹ noctibus, cœpit tractare de certis rebus: cui cũ ille responderet, se modò ad manum non habere quod petebat, iratus recedebat. Debitor autẽ illum mitigare cupiens, rogavit eum, vt priusquam recederet, cibum secum sumeret. Resedit, & securi deposita, quam in manu tenebat, cibum sumere cum illo cœpit: statimq; percussus invisibiliter, manum quam extenderat replicare non potuit ad os suum; & clamare cœpit terribiliter, suamq; securim quam deposuerat vxori socij cõmendavit, dicens, Custodi meam securim, quia ego morior. Statimq; corruit corpus eius exanime, ac si numquam vitam habuisset. Adsunt omnia signa mortis; accurrit familia, tolluntur cibus, clamant armigeri, plorat hospes, corpus extenditur, pulsantur signa, accurrit clerus, miratur populus, tota civitas boni militis morte turbatur. Ab hora decima in 4. feria vsq; in eamdẽ horã in sabbato mortuus sic jacuit: calor tamen modicus in sinistra parte pectoris à diligẽter palpantibus sentiebatur; & ideo eum subterrare noluerunt. Post hæc resumpsit spiritũ, & debili statu quasi per horæ vnius spatium respirare cœpit. Mirantibus omnibus debili intuitu circumspicere cœpit. Interrogatusq; si vellet cõmunicare, innuit, sibi afferri corpus Domini. Quod cùm sumpsisset, & vinum bibisset, cœpit in gratiarum actione Deum laudare, & dicere. O Deus, major est misericordia tua, quàm iniquitas mea; licet magna sit nimis. Quantas ostendisti mihi tribulationes multas & malas! & cõversus vivificasti me, & de abyssis terræ reduxisti me. Quod cùm dixisset, statim sub testamento omnia quæ habebat dispersit, & dedit pauperibus; & se signo crucis signari præcepit, & pristinam vitam funditus se relicturum vovit: & cuncta quæ viderat, & passus fuerat narravit, dicens. Cùm anima mea corpus exueret, & illud mortuum esse cognosceret: reatus sui conscientia cœpit formidare, & quid ageret nesciebat. Timebat quidem, sed quid timeret, ignorabat. Volebat ad corpus redire, sed intrare non poterat: foras exire, sed vbique pertimescebat. Igitur flens & gemebunda, & quid ageret nescia, in nullo cõfidens, nisi in misericordia Dei, tandem vidit venientem ad se tantã immundorum spirituum multitudinem, vt non solùm domum & atrium domus, sed etiam vicos & plateas civitatis implerent: & circũdantes miseram animã dixerunt. Cantemus huic miseræ animæ debitum mortis canticum: quia filia mortis est, & cibus ignis inextinguibilis, amica tenebrarum, & lucis inimica. Et conversi ad eam, stridebant dentibus in eam: & vngulis propriis præ furore nimio genas teterrimas laniabant, dicentes. Ecce misera, populus, quem elegisti: cum quibus arsura intrabis infernum. Nutrix scandali, amatrix discordiæ, quod & nos amamus, quare non superbis modò, quare non adulteraris, quare nõ fornicaris? Vbi est vanitas tua, & vana lætitia? Vbi risus immoderatus, vbi fortitudo tua, qua plurimis insultabas? Quare modò non annuis oculis, non teris pede, non digito loqueris, non pravo corde machinaris malum; sicut facere solebas, in levitatibus & locacitatibus tuis? Cùm hæc & similia dicerent, vidit à longè venientem quasi stellam lucidissimam, in qua statim infatigabiles fixit intuitus; sperans se aliquod solatium per eam percepturum. Erat autem Angelus eius. Qui cùm appropinquasset, proprio eam salutavit nomine, dicens, Ave Tondale, quid agis? Videns autem illa speciosum juvenem nimis, & audiens se proprio nomine salutatã, præ timore simul & gaudio sic respondit. Heu Domine Pater! circũdederunt me dolores inferni, præoccupaverunt me laquei mortis. Cui Angelus, Modò me vocas dominum & patrem, quem semper tecũ habebas, & numquam me tali nomine dignum judicabas. At illa, Domine, vbi vmquã te vidi: aut vbi vmquam dulcissimam tuam vocem audivi? Ad quẽ Angelus. Ego semper te sequebar à nativitate tua, quocumque ibas: & numquam consiliis meis acquiescere volebas. Et extendens manum in vnum immundorum spirituum, qui præ ceteris ei maledicus insultabat: Ecce, inquit, ille, cujus voluntati & consilio semper obtẽperabas. Sed aderit tibi misericordia Dei, quã non meruisti. Esto igitur secura & læta: quia patieris pauca de multis, quæ meruerat. Sequere me, & quæcumq; tibi monstravero, memoriter tene: quia iterũ ad corpus reverteris. Tunc illa vltra modũ perterrita, relicto corpore suo, super quod steterat, accessit propiùs. Dæmones hæc audientes, & mala quæ minabantur, se non posse inferre videntes, blasphemaverunt Deum, injustum eum esse dicentes: quia non reddebat, sicut promiserat, vnicuiq; secundùm opera sua. Et post hæc in semetipsos insurrexerunt, & plagis quibuscumq; poterant, se mutuò percutiebant: & nimio fœtore relicto, cũ tristitia & indignatione recesserunt. Angelus verò præcedens dixit ad animam, Sequere me. Quæ respodit. Heu Domine mi! si præcesseris, isti retrò me capient, & æternis ignibus tradent. Ad quem Angelus. Ne timeas, quia plures nobiscum sunt, quàm cum illis. Si Deus pro nobis, quis cõtra nos? Cadent à latere tuo mille, & decẽ millia à dextris tuis; ad te autem non appropinquabit. Oculis tuis cõsiderabis, & retribut. pec. videbis. His dictis profecti sunt. Cumque longiùs pergerent simul, nullumq; præter splendorem Angeli lumen haberent, tandem venerunt ad vallẽ terribilem, & tenebrosam valde, & opertam mortis caligine. Erat autẽ profunda, & carbonibus ardentibus plena, operculũ ferreum habens spissitudinis sex cubitorum, quod ardore nimio ipsos ardentes superabat carbones: cujus fœtor omnes quas hactenus passa fuerat anima tribulationes superabat. Super illam laminam descendebat multitudo miserarum animarum: & illic cremabantur, donec ad modũ cremij in sartagine liquescerent: & quod erat gravius, per prædictam laminam colabantur, sicut colari solet cera per pannum; & iterum in carbonibus ignis ardentibus renovabantur ad tormentũ. Hæc erat pœna parricidarum, fratricidarum, homicidarũ, vel facto, vel consensu. Sed post hanc pœnam, inquit Angelus, ducuntur ad majores. Tu autem quamvis homicida sis, modò tamen istã non patieris. Post hæc venerunt in montem miræ magnitudinis, & horroris magni, & vastæ solitudinis; qui transeuntibus angustũ valde præbebat iter. Ex vna parte illius montis erat ignis putridus, sulphureus, & tenebrosus: ex altera parte nix glacialis, & vent⁹ horribilis. Et erat mõs ille tortoribus plenus, qui furcas habebant ferreas ignitas, & tridentes acutissimos, quibus jugulabant animas transire volentes; & trahebãt ad pœnas: & per vices de nive

Psalm. 90.

& grandine mittebat eos in ignem, & è converso. Hæc est, inquit Angelus, pœna insidiatorum, & perfidorum. Post hæc anima illa præ timore pedetentim Angelum sequens venit ad vallem profundam, & putidam nimis, & tenebrosam; cuius profunditatem ipsa quidé anima videre non poterat: sonitum tamen sulphurei fluminis, & vlulatum patientium in eo audiebat. Fumus verò de sulphure & de cadaverib' inde surgebat fœtidus, qui superabat omnes pœnas, quas priùs viderat. Ibi erat tabula longissima, de vno monte in aliũ montem porrecta, in modum pontis supra vallé extensa: quæ mille passus habebat in longitudine, in latitudine pedem vnum. Quem ponté trásire nemo nisi electus poterat. De hoc ponte vidit multos cadere, & vnum solum presbyterum illæsum pertransire, qui erat peregrinus, portans palmam, & indutus sclavinia: & primus ante omnes intrepidus pertransibat. Angelus autem timenté consolans animam, dixit. Ne timeas: ab hac pœna liberaberis, sed aliam patieris. Et præcedens tenuit eam, & vltra pontem duxit illæsam, dicés. Hæc est vallis horribilis, & pœna superborum. Præcedente autem Angelo, profecti sunt per viá tenebrosam, & tortuosam, & difficilem: & cùm multùm laboraret in eundo per tenebras, vidit anima à lógè bestiam incredibili magnitudine, & horrore intolerabilem: quæ erat major omnibus montibus, quos priùs viderat. Oculi ejus quasi colles igniti, os eius valde patens & apertum videbatur posse capere 9. millia hominum armatorum. Habebat autem in ore suo duos parasitas gigantes versis capitibus valde incópositos: quorum vnus habebat caput sursũ ad superiores détes præfatæ bestiæ, & pedes deorsum ad inferiores; alius è converso: & erant quasi columnæ in ore eius, qui os illud in similitudinem trium portarum dividebant. Flamma inextinguibilis ex ore illo exibat, quę in tres partes per illas tres portas dividebatur, & contra ipsam flammã animæ damnandæ intrare cogebantur. Fœtor quoq; incomparabilis ex ore ipso exibat, & planctus multitudinis de ventre eius per idem os audiebatur. Intus enim erant multa millia virorum ac mulierum dira tormenta luentium. Ante cuius os etiã immundorum spirituũ multitudo animas intrare cogentiũ stabat; eas, antequam intrarent, multis plagis & verberibus affligentes. Cumque anima Tundali diu aspexisset tã horribile monstrũ, nimis exterrita dixit ad Angelum. Domine, quare illuc appropinquas? Ad quem Angelus. Iter, inquit, nostrum aliter explere non possumus.

Hoc tormentum non possunt vitare, nisi electi. Hæc bestia vocatur Acheron, & devorat omnes auaros. De hac scriptum est. [Absorbebit fluvium & non mirabitur, & habet fiduciam q̃ influat Iordanis in os eius.] Hi verò qui in ore ejus & inter dentes apparent contra positi, gigãtes sunt, & suis téporibus in nequitia sua diabolo fideles fuerunt. Et cùm hæc dixisset Angelus accedens propiùs antecedebat animam, & stetit ante bestiam. Anima verò licet nolens sequebatur: & cùm simul starent ante bestiam, Angelus disparuit, & anima misera sola remansit. Dæmones autem circumdederunt eam vt canes rabidi, & flagellatam traxerunt secum in ventrem bestiæ. Quanta verò ibi passa sit, vultus ejus & morum conversio postea indicauit. Passa est ibi morsus & lacerationes canum; vrsorum, leonũ, serpentium, & animalium aliorum innumerabilium incognitorum & mostruosorum ferocitatem, dæmonum ictus, ardorem ignis, asperitatẽ frigoris, fœtorem sulphuris, caliginem oculorum, fluxum lacrymarum ardentium, stridorem dentium, copiam tribulationum. Ibi se misera anima de præteritis accusabat; & præ nimia tristitia & desperatione genas proprias lacerabat: & cùm se putaret ibi æternaliter damnatã, nescio quo ordine extra bestiã se esse sensit: & cùm longiùs à bestia jaceret debilis, aperiens oculos, vidit prope illum, qui antecedebat, Angelũ lucis. Tunc illa gaudens, licet afflicta, multùm laudavit Dominum de sua misericordia. Angelus autem tetigit illam, & confortavit. Euntes inde, longiùs viderunt stagnum amplũ valde, & tempestuosum, cujus fluctus elati nó permittebant videre cælum. Ibi erat plurima multitudo bestiarum terribilium, mugientium vt animas devorarent. Per latum stagni pons multũ angustus erat, & longus vsque ad duo milliaria. Latitudo eius erat vnius palmi; lógior erat & angustior, quàm pons superior. Eratque tabula illa plena clauis ferreis acutissimis insertis; qui omnium transeuntium pedes perforabãt. Omnesq; bestiæ ad illum pontem conveniebãt, vt cibum inde sumerent; animas scilicet quæ transire non poterant. Erant autem bestiæ tantæ magnitudinis, vt magnis turribus assimilarẽtur: de ore ipsorum exibat ignis tam vehemens, vt stagnum ipsum à cernentibus bullire putaretur. Vidit autem ibi animã quandam in ponte valde plorantem, & se multis criminibus accusantem: eratque magno pondere manipulorum frumenti onustam, & hunc pontem cogebatur transire, & quamvis plantas clavis perforatas nimis doleret, magis tamen timebat in stagnum cadere, & in ora patentia bestiarum. Quærenti Tundalo quid hoc esset, dixit Angel'. Ista pœna specialiter tibi condigna est, & tui similibus furtum perpetrantibus, vel magnum, vel modicum. Non tamen eodem modo patiuntur qui in minimis, & qui in magnis delinquunt, nisi illud modicũ sacrilegiũ fuerit. Sacrilegij autẽ reus est, qui vel rem sacratã, vel de loco sacrato aliquid furatur. Maximè verò rei sũt, qui sub habitu religionis delinquũt. Hunc pontem oportet te transire; & vaccam indomitam tecum ducere, & illæsam mihi vltra pontem reddere: quia vaccam compatris tui aliquãdo furatus es. Ad quod Tundalus, Domine, nonne illam reddidi? Reddidisti, inquit, sed quando illã abscódere non potuisti: & ideo plenum non patieris suppliciũ; quia minus est malum velle, quàm perficere, licet vtrumque malũ sit ante Deum. Et his dictis ostendit ei Angelus vaccam indomitam. Tundalus igitur vellet nollet tenuit vaccam, & eam quibuscumque minis poterat instigare conabatur ad pontem. Bestiæ verò mugientes veniebãt, & cibum suũ de póte expectabant. Tundalus cœpit iter agere, vacca autem nolebat eum sequi: cùm staret Tundalus cadebat vacca; & cùm staret illa cadebat Tundalus: & sic versa vice modo cadendo, modò stando, venerunt vsque ad medium pontis. Cũque illuc venissent, viderunt illum, qui portabat manipulos tritici sibi venire obviam: qui rogabat animam Tundali, quæ vaccam ducebat, ne sibi pontem præoccuparet: & Tundalus similiter rogabat, vt iter suum complere eum sineret, quia jam medium perfecerat. Neuter non dico reuerti, sed nec respicere retro poterat. Sic stan-

Iob. 40.

tes & plorantes, pontem plantarum suarum sanguine cruentabant. Cumque ita diutius starent, nescientes quomodo, vterque alterũ se pertransisse vidit. Tundalus autem Angelum suum quem retro reliquerat, ante se vidit. Qui dixit ei. Bene venias. De vacca ampliùs non cures, quia nihil amplius ei debes. CumqueTundalus ostẽderet pedes suos, diceretq; quòd ampliùs ire non posset, respondit Angelus. Meminisse debes, quã veloces fuerint pedes tui ad effũdendum sanguinem; & ideo contritio & infelicitas in viis tuis. Et tangens eum, sanauit eum, & sic præcessit Et cùm diceret Tundalus, Domine, quò imus modò? Ait Angelus. Quidã tortor teterrimus nostrũ expectat aduentum; cujus hospitium non possumus præterire. Quod hospitium semper est plenum hospitibus; sed hospes ille adhuc alios hospites ad supplicium desiderat invenire. Cumq; iret per loca tenebrosa & arida, apparuit eis domus aperta maxima, quasi quidam mons arduus præ nimia magnitudine, rotunda quasi furnus. Flamma inde exibat, quæ per mille passus animas quas invenire poterat cõburebat. Quod videns Tundalus, dixit ad Angelum. Ecce appropinquamus ad portas mortis. Quis me miserum liberabit? Cui Angelus. Ab ista quidẽ flamma exteriore liberaberis: sed ipsam domum vnde procedit, intrabis. Et cùm propiùs accederent, viderunt carnifices cum securibus & cultris, & bis acutis, dolabris, & terebris, & falcibus, & forcipibus acutissimis, & vangis, & fossoriis, & ceteris instrumentis, quibus animas excoriare, vel decollare, vel findere, vel truncare poterant, in medio flammarum stantes; & sub manibus eorũ multitudinẽ animarum hæc omnia sustinentiũ. Quod videns Tundalus, dixit ad Angelũ. Obsecro Domine, si placet, ab hoc solo me libera supplicio, & ceteris quæ post hæc occurrerint, me tradi cõcede. Cui Angel⁹. Hoc est maius supplicium omnibus quæ hactenus vidisti: sed adhuc videbis vnum maj⁹. Intra verò istud supplicium, quia canes rabidi te expectant. Tundalus autem tremens, & præ angustia deficiens, rogabat ne intraret, sed non profecit. Dæmones autem videntes eum sibi concessum, circundederunt eum & magnis conviciis exprobrantes, cũ supradictis instrumentis in frusta discerpserunt. Dominus huius domus dicebatur Phistrinus. In qua domo erat gemitus, & tristitia, fletus & stridor dentium: lentus ignis extrinsecus, & intrinsec⁹ vastum incendium. Auiditas cibi inexplebilis ibi erat, nec satiari poterat nimietas gulæ. Venerea loca doloribus cruciabantur permaximis. Pudenda ipsa putredine corrupta videbãtur scaturire vermibus: & in ipsa verenda virorum ac mulierum, non solùm secularium, sed etiam Religiosorum, diræ quædam intrabant bestiæ. Ibi anima Tundali se justè pati talia fatebatur. Sed quando Deo placuit, nesciens quo ordine, se extra tormenta esse cognouit. Sedebat autẽ in tenebris, & vmbra mortis: & vidẽs Angelum suũ, dixit. Heu, Domine mi, vbi est quod audiuim⁹, *Misericordia Domini plena est terra?* Respondit Angelus Hæc sententia multos decepit: Deus enim licet sit misericors, est tamẽ justus. Multa vindicat, sed plura condonat. Tu justè passus es, quidquid passus es. Sed tunc gratias ages, quãdo videbis, quæ tormenta per misericordiã Dei euaseris. Si Deus cuncta dimitteret, cur homo just⁹ esset? & si supplicia non pertimesceret, quare peccare timeret, vel à voluptatibus suis se auerteret? Et quid opus esset, vt confessi pœniterent, si Deum non timerẽt? Peccatoribus in corpore pœnitentiã non agentibus misericorditer à Deo parcitur. Sed tamen hi pro suis meritis perimuntur. Iustis quoque pro suis excessibus temporale commodũ in corpore degentibus justè tollitur, sed bona eis sine fine mansura misericorditer cum Angelis reseruantur. Multa mala opera cõdonat Deus, nullum tamen opus bonum ab eo irremuneratũ relinquitur. Nemo liber est à peccato, nec infans vnius horæ. Multi tamen liberantur à pœna, vt eos non tangat vmbra mortis. Ideo autem justi qui pœnas non patiuntur post mortem, ad videndum tamen illas ducuntur; vt visis tormentis, à quibus per Dei gratiam liberantur, magis inardescant in amorem Dei & in laudẽ Creatoris sui. Sicut è contrario animæ æternis suppliciis dignæ priùs ducuntur ad sanctorum gloriam, vt visis præmiis quæ sponte deseruerunt, magis postea doleant. Nullum enim tam graue supplicium est, quàm à Dei & sanctorum consortio sequestrari. Ideo ille Presbyter, quem primum pontem securè transire vidisti, ductus est ad supplicium, vt visis pœnis ardentiùs laudet illum, qui vocauit eum ad gloriam suam. Nã fidelis & prudens servus inventus est: & ideo accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentib⁹ se. Sed quoniam nondũ omnia mala vidimus, properemus.

Psal. 32.

Cautè lege.

Præcedente igitur Angelo vidit Tundalus bestiã, ceteris quas ante viderat longè dissimilem, & duas alas habentem, collum longissimum, rostrum ferreum, & vngulas ferreas: de cujus ore flamma inextinguibilis ructuabat. Sedebat autem hæc bestia super stagnũ glacie condensũ, & deuorabat animas, quę in ventre eius per supplicia redigebantur ad nihilum: & iterum pariebat eas in stagnum glacie congelatum; ibique renovabantur iterum ad tormentum. Prægnabantur vero omnes animæ, tam virorum, quàm mulierum, quæ descendebant in stagnũ, & ita gravidæ tempus præstolabãtur ad partum. intus autem mordebantur in visceribus more viperino à prole concepta; sicque vegetabantur miseræ in vnda frigida mortua maris glacie concreta: cumque tempus esset, vt parerent, clamantes replebant inferos vlulatibus, & sic serpentes pariebant. Pariebant autem non solùm feminæ, sed etiam viri: & hi non solùm per mẽbra quæ natura constituit tali officio convenientia, sed etiam per brachia simul & pectora; exibantque erumpentes per cuncta membra bestiæ habentes capita ardentia, & ferrea, & rostra acutissima; quibus ipsa vnde exibant corpora dilaniabant. Bestiæ namque illæ volentes exire, cùm caudas suas non possent secum trahere, in ipsa corpora vnde exibant rostra sua ardentia & ferrea retorquere non cessabant, donec vsque ad nervos & vsque ad ossa arida consumerent; & sic simul conclamantes stridor glacierum inũdantium; & vlulatus animarum ferventium sustinentium talem pœnam, & mugitus bestiarum exeuntium ab eis perveniebant ad cælum. Erant enim in omnibus diversis membris & digitis diversarum bestiarum capita, quæ ipsa membra mordebant vsque ad nervos & ossa. Habebant autem linguas viuas in modum aspidum, quæ totum palatum & arterias consumebant vsque ad pulmones. Verenda quoque ipsorum virorũ

& maledicturum erant in similitudine serpentium, qui inferiores partes ventris lacerabant; & ipsa viscera inde studebant abstrahere. Tunc ait Angelus. Hæc est pœna monachorum, canonicorum, sanctimonialium, ceterorumque Ecclesiasticorum, qui mentiri Deo per tonsuram & habitum noscuntur: qui linguas suas exacuerunt sicut serpentes; & membra sua non cohibuerunt ab immundis operibus. Hanc pœnam sustinebunt, qui immoderata luxuria se pollaunt, & ideo istam sustinere te oportet. His dictis rapuerunt eam dæmones cum impetu, & dederunt bestiæ devorandam. Cùm autem post prædicta tormenta esset in partu viperarum, adfuit ei Angelus lucis, & tangens eam sanavit, & se sequi præcepit. Præter fulgorem autem Angeli nullum lumen habebant, pergebantq; per loca terribilia, & multis præcedentibus duriora, via valde angusta, & quasi de cacumine altissimi montis tédente in præcipitiũ. Quantò autem plus descẽdebat anima illa, tantò minus reditum ad vitam sperabat. Dixit autem ad Angelum. Domine quò imus? Respondit Angelus. Hæc via ducit ad mortem. Et anima. Quid est igitur, quod scriptum est, [lata & spatiosa est via, quæ ducit ad mortem; & multi sunt, qui intrant per eam.] [Matth. 7.] cùm neminem præter nos hic videamus? Respondit Angelus. Non de hac via dictum est, hoc; sed de impudica, & illicita, & sæculari vita, quæ ducit ad istam. Euntes autem longius, & vltra modum laborantes, venerunt in vallem fabrorum: ibique viderunt fabricas, in quibus maximus audiebatur luctus. Tunc ait Angelus. Tortor iste vocatur Vulcanus, per cuius ingeniũ corruerunt plurimi, & ab ipso cruciantur. Domine, inquit anima, si debeo pati ejus suppliciũ? Debes, ait. Qui ductor præcedebat eam. Illa autem plorans, sequebatur eam. Et ecce tortores cum ignitis forcipibus, Angelo sancto nil dicente, ceperunt illam, & projecerunt in caminum ignis ardentis; & sic sufflantes follibus, sicut solet ferrum in fornace examinari, ita examinabant eam, donec ad nihilum redigerentur animæ, quę ibi patiebantur. Cumque ita liquefierent, vt nil aliud nisi aqua apparerent, iugulabantur tridentibus ferreis: & positæ super incudem percutiebantur malleis, donec vicenę, vel centenæ in vnam massam redigerentur, & tamen quod est gravius, nec sic perirent: desiderabant enim mortem, & invenire non poterant. Loquebantur autem tortores ad invicem dicentes. Numquid sufficit? Et alij in alia fabrica respondebant. Projicite nobis, vt videamus si sufficit: & projiciebant, & alij capiebant eas in forficibus ferreis, antequam terram tangerent: & sicut primi, ita & ipsi eas ignibus tradebant: & ita miserè modò huc, modò illuc projiciebantur, & vbique comburebantur, donec simul pelles & carnes, & nervi & ossa in favillam redigerentur, & flammam ignis. Post multas passiones adfuit Tundalo advocatus suus, & apprehendens eum de medio favillæ, dixit. Quomodo vales? Numquid tibi tam dulcia fuerunt carnis oblectamenta, vt pro eis tot & tãta mala debeas sustinere? Iste penitus respondere non poterat; quia post tantum supplicium non habebat vires ad loquendum. Tunc Angelus. Confortare, quia Dominus deducit ad inferos, & reducit. Quamvis enim magna sint, quæ hucusque passa es, majora tamen sunt, à quibus per Dei misericordiam liberaberis. Et addidit. Omnes quos superiùs vidisti, judicium Dei expectant. Sed hi qui adhuc sunt in inferioribus, jam iudicati sunt. Adhuc enim non pervenisti ad inferos inferiores. Et more solito tangens eam & confortans, præcessit. Cumque simul pergerent, & incedentes sermocinarentur; ecce subitus horror, & frigus intolerabile, & fœtor intolerabilis, & tenebræ prioribus incomparabiles. Tribulatio & angustia animam Tundali invaserunt; ita vt omnia fundamenta terrę viderentur sibi contremiscere: & Angelo præcedenti compulsa est dicere. Heu Domine mi, quid est, quòd præ solito stare non possum? Quo dicto non potuit se mouere præ formidine: & ecce Angelus citò disparuit, & eũ ampliùs videre non potuit. Et statim cœpit desperare. Non est enim scientia, nec opus, nec ratio apud inferos, quo illa properabat. [Eccle. 9.] Audiuit autem clamores & vlulatus miræ multitudinis, & tonitruum tam horribile, vt nec parvitas nostra potuerit capere, nec lingua ejus enarrare. Circumspiciens ergo, si quomodo videre posset vnde venerat, vidit fossam quadratam, & quadrãgulam quasi cisternam. Qui puteus putidam flammæ & fumi emittebat columnam; quæ columna extendebatur vsque ad cœlos; & in ipsa columna erat multitudo maxima animarum & dæmonum more favillarum cum flamma ascẽdentium; & ad nihilum redactæ iterum cadebant cum dæmonibus in fornacem vsque in profundum. Quo viso anima Tundali volebat se retro trahere, sed non valebat à terra pedes levare: & dum hoc sæpius tentaret, & facere non posset, nimio furore repleta in semetipsam exarsit, & genas suas vnguibus lacerans clamavit. Væ mihi; quare non morior? Quare non morior? Quę me decepit dementia? Audientes hoc dæmones, qui cum flamma ascendebant, circũmdederunt eam cum instrumentis, quibus animas ad tormenta rapiebant, dicentes. O misera anima pœnis & cruciatibus digna, vnde huc venisti? Nihil adhuc experta es, adhuc videbis dignum operibus tuis tormentum, de quo nec exire poteris, nec in eo perire: sed semper in cruciatu vivens, eris sine refrigerio, sine lumine, sine consolatione, sine vllo auxilio. Nullam deinceps misericordiam sperare poteris. Appropinquasti vsque ad portas mortis, & infernis inferioribus sine mora præsentaberis. Qui te huc adduxit ipse te decepit: liberet te, si potest, de manibus nostris; non videbis eum amplius. Et ad invicem loquebantur. Quid ampliùs moramur? Trahamus eã, & demus eam Lucifero devorandam. Et sic Vncos vibrantes, minabantur illi mortem æternam. Ipsi autem immundi spiritus erant nigri, sicut carbones, oculi eorum vt lampades ignis ardentes. Dentes eorum nive candidiores; caudas habebant vt scorpiones, vngues ferreos valde acutos, alas vt vulturis. Interea adfuit Angelus Domini, qui fugatis spiritibus tenebrarum, consolatus est eam suam, dicens. Gaude & lętare filia lucis, quia misericordiam & non judicium consequeris. Pœnas quidem magnas videbis, sed eas non patieris. Veni ergo & ostendam tibi pessimum humani generis inimicum. Et præcedens ad portas inferi, dixit. Veni, & vide. Scito tamẽ, quòd nullũ lumen his qui hoc deputantur, lucet: sed tu poteris eos videre, & ipsi non videbũt te. Appropians autem anima vidit principem tenebrarum, & profundum inferni. Quæ autem &

qualia ibi viderit inaudita tormenta, si centum capita, & in vnoquoque capite centum linguas haberet, enarrare nullomodo posset. Ibi visus est princeps diabolus, qui magnitudine præcellebat omnes bestias, quas ante viderat: cujus corporis quantitati ipsa quæ viderat anima nil sciebat comparare. Erat illa bestia nigerrima: sicut corvus, formam habens humani corporis à pedibus vsq; ad caput: excepto, quòd plurimas habeb t manus, & caudam. Erāt ei non minus mille manibus, in longitudine quasi centum cubiti, in grossitudine decem. Vnaquæque manus digitos vicenos habebat, & digiti eius centenas palmas in longitudine, denas in grossitudine.: vngues lanceis militum grossiores & longiores, & ipsos ferreos: in pedibus totidem. Rostrum eius nimis longū & grossum, cauda asperrima & longa, & ad nocendum animabus aculeis acutissimis præparata. Iacet autem illud horrendū monstrū super cratem ferreā, suppositis ardentibus prunis ab innumerabili multitudine dæmonum follibus sufflantium. Circumdat autem ipsum tanta multitudo animarum & dæmonum, quātā nulli credibile esset mundum tot annis patere potuisse à principio. Ligatus est autē ille hostis antiquus per singula membra, & per singulas juncturas catenis ferreis & æreis, ignitis, & valde grossis: cumq; sic versatur in carbonibus, & vndiq: comburitur, nimia excandescens ira, vertit se de vno latere in aliud latus, & omnes manus suas in multitudinem animarum extendit, easq; repletas animabus constringit, sicut rusticus sitiens racemos cōprimit, vt inde vinum eliciat: intantum, vt nulla ibi sit anima, quæ tali constrictione non privetur capite, vel pedibus, aut manibus: & tūc suspirās sufflat & spargit animas in diversas partes gehennæ; & statim eructuat puteus ille, de quo prædiximus, fœtidam flammam: & cùm retrahit anhelitum suum dira illa bestia, retrahit ad se omnes animas, quas antè sparserat, & cum fumo & sulphure in os ejus cadentes devorat. Sed & quæcumq; manus ejus effugiunt, ne stringantur, illas cum cauda sua percutit: & sic misera illa bestia percutiens semper percutitur: & tormēta animabus inferens, in tormentis omnibus super omnes cruciatur. Tunc ait Angelus ad animam. Hic est Lucifer principium viarum Dei, qui versabatur in deliciis paradisi. Qui si solutus fuerit, cælum simul & terram vsque ad inferos cuncta perturbaret. Hi autem quicumque cū eo sunt, partim sūt Angeli tenebrarum, partim filij Adę; & iam judicati sūt, & multos alios expectant, qui vel Christum negarunt, vel negātium opera fecerunt. Passi sunt autem ea quę vidisti prīus minora tormenta, & post ducti sunt ad ista: de quibus tormentis nullus qui ea semel intrauerit, ampliùs exire poterit. Hi sunt prælati & principes mali, de quibus scriptum est. *Potentes potenter tormenta patientur*; qui non bene vsi sunt potentia sibi à Deo data. Tunc ait anima ad Angelū. Quare potentia non bonis datur, vt bene præsint? Respondit Angelus. Aut subditorum culpæ hoc exigunt, vt bonos rectores non habeant; aut ipsis bonis in hoc parcitur, vt saluti animarum suarum melius provideant. Hic autē infelix princeps tenebrarū dictus est; non propter potentiam, quam habeat, sed propter primatum quem tenet in tenebris. Omnes autē aliæ pęnæ, quamuis maximæ sint, respectu tamen hujus pro nihil computantur. Ad hoc anima. Verum certè est. Nam videre tantummodo istū locum magis me conturbat, & fœtorem eius sustinere plus me grauat, quàm pati omnia, quæ ante patiebar. Vnde rogo, si potest fieri, vt hinc me subtrahas citò, & hic me cruciari ampli' nō permittas. Hic enim video multos cognatos & sodales, & notos meos, quos mecū in sæculo gaudebam habere socios: quorùm hic consortium multùm abhoresco. Scio autē pro certo, quod nisi mihi diuina succurrat misericordia, meritis meis exigentibus non minùs ista patiar, quàm ipsi. Ad quem Angelus. Veni, ô felix anima, cōvertere in requiem tuam; quia Deus bene fecit tibi. Non enim hæc patieris: nec ampliùs, nisi promerueris, ista videbis. Huc vsque vidisti inimicorum Dei carcerem: amodò videbis gloriam amicorū eius. Conversa anima sequebatur Angelum præcedentem; & cùm non longè pergerent, fœtor evanuit, destructisque tenebris lux apparuit; fugatoque timore securitas rediit: & deposita tristitia anima illa repleta est gaudio & lætitia: ita vt se tam citò mutatam miraretur, & diceret. O Domine, quomodo tam citò mutata sum? Cui Angelus. Benedicta sis. Ne mireris, hæc est mutatio dexterę excelsi. Per aliā viam redire debemus in regionem nostram. Tu ergo benedic Deum, & sequere me. Euntes autem viderunt murum nimis altum, & infra murum ex illa parte qua venerāt, erat plurima multitudo virorum ac mulierum, pluviam & ventum sustinentium, & erant valde tristes, famem & sitim sustinentes: lumen tamen habebant, & fœtorem non sentiebant. Tunc ait Angelus. Isti quidem mali fuerūt, sed non valde; honestè vixerunt, sed bona temporalia pauperibus non sunt largiti; & ideo per aliquot patiuntur annos pluviam & ventum, famem & sitim: sed post ducentur ad bonam requiem Et euntes paululum, venerunt ad portā, quæ vltro aperta est eis. Quā cùm intrassent, viderunt campū pulchrū, odoriferum, floribus plenum, lucidum, & satis amœnum; in quo multæ animæ erant vtriusque sexus, exultantes: & nox ibi nunquam fuit, nec sol illis occidit, & est ibi fons aquæ vivæ. Tunc ait, Hic habitāt boni, sed non boni valde: qui de cruciatibus erepti, nondū merentur Sanctorum consortio coujungi. Fons iste vocatur vivens. Si quis ex hac aqua gustauerit, viuet in æternū, nec sitiet vltra. Et procedētes paululū, vidērūt laicos sibi notos; inter quos erant Cantaber & Donat' Reges. Quibus visis, ait anima ad Angelum. Domine, quid est hoc? Isti duo viri erant in vita sua nimis crudeles, & inter se inuicem multum inimici. Quo ergo merito huc venerunt? Respondit Angelus. De hac inimicitia ante mortē pœnituerunt. Contaber autem diu languit, & votum vouit, quod si vixisset, monachus fieret. Donatus autem per multos annos in vinculis religatus, omnia quæcumque habuit dedit pauperibus: & ideo justitia ejus manet in sæculum sæculi. Et tu narrabis viventibus omnia hæc. Cùm autem modicum processerent, viderunt domum mirabiliter ornatā, cuius parietes & omnis structura ex auro & argento erat, & ex omnium lapidum pretiosorum generibus. Sed fenestræ ibi non erant, nec ostium; & tamen omnes qui intrare volebant, intrabant. Erat autem intus tam splendida, ac si non dico vnus sol, sed quasi ibi multi splenderent soles. Eratque nimis ampla & rotunda, & nullis columnis fulta: & totum etiā

Lucifer in inferno ligatus.

Sap. 6.

Quidā cruciatibus erepti nondum beati.

eius vestibulum auro & lapidibus pretiosis erat stratum. Circumspiciens autem Tundalus, vidit vnum sedile aureum cum gemmis & serico, & omnibus ornamentis ornatum, & Regē Chormarcū in ipso throno sedere, vestitū mirabilibus vestimentis, & pretiosissimis, supra omne pretiū terrenum. Et cùm staret admirans, venerūt plurimi in domum illam cum muneribus ad Regem, & offerebāt singuli cum gaudio munera sua. Et dum staret Tundal⁹ diutius ante Dominū suum Regem Chormarcum, erat enim Dominus suus in sæculo, venerunt multi Sacerdotes & Leuitæ, induti, sicut ad missam cantandam, cum sericis casulis, & aliis ornamentis valde pretiosis: & ornabatur vndique domus illa regia mirabili ornamento. Ponebant scyphos & calices aureos & argenteos, & pyxides eburneas super paxillos & tabulas: & sic domus illa ornabatur, vt si maior in regno Dei gloria non esset, ista posse sufficere videretur. Omnes ergo illi, qui ministrabant, ante Regem venientes, & genua flectentes, dicebant: *Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit.* Tunc Tundalus ait ad Angelum. Miror Domine, de tot ministris, inter quos nec vnum de sua familia recognosco. Ad hoc Angelus. Non sunt isti de sua familia, sed pauperes Christi, & peregrini, quibus Rex bona sua largiebatur; & ideo per manus eorum merces retribuitur æterna. Tunc ait Tundal⁹. Dñe, passusne est Dñs me⁹ aliqua tormenta? Passus est, inquit, & adhuc quotidie patitur, & adhuc patietur. Expecta paululum, & videbis. Et cùm paululum expectasset, obscurata est domus, & omnes habitatores ejus illico consternati sūt; & Rex contristatus exiuit cum fletu. Quem cùm Tundalus sequeretur, vidit hanc multitudinem quam ante intus viderat, expāsis in cælum manibus devotissimè deprecātem Deum, & dicentem. Domine Deus Omnipotens, sicut vis, & sicut scis, miserere serui tui. Et respiciens vidit Regem in igne vsque ad vmbilicum; & ab vmbilico sursum cilicio indutum. Hanc pœnam, inquit Angelus, quotidie patitur per tres horas, & per horas viginti & vnam requiescit. Et hoc ideo quia legitimi conjugij maculauit sacramentum. Ideo patitur vsque ad vmbilicum. Cilicium verò portat, quia jussit interfici Comitem juxta S. Patritium, & prævaricatus est jusjurandum. Exceptis his duobus, cuncta ei crimina dimissa sunt. Sed jam ascendam⁹. Et cùm paululum processissent, viderunt murum nimis præclarum. Erat enim argenteus totus, splendid⁹ valde, & decor⁹. Et cùm nulla ibi porta appareret, Tundalus tamen nesciens quomodo intrauit, & circumspiciēns, vidit choros sanctorum exultantium, & dicentium, Gloria tibi, Deus Pater, gloria tibi De⁹ Fili Dei, gloria tibi Spiritus sancte Deus. Erant autem viri & feminæ vestiti candidis vestimentis, & pretiosissimis; sine macula & ruga, jucūdi & hilares, gaudentesque, & sanctam Trinitatem laudantes. Candor autem vestimentorum, sicut nix recens erat, percussa solis radio. Voces verò consonantes, quasi musicum melos reddebant sonos, claritas autem, jucunditas, amœnitas, hilaritas, pulchritudo, honestas, sanitas, æternitas, vnanimitass, omnibus erat æqualis, & charitas. Odor illius campi in quo erāt isti, superabat omnia aromata & odoramēta. Tunc Tūdalus ait ad Angelū. Obsecro, Domine mi, in hac requie maneam⁹. Ad quē Angelus. Bene tibi sit, adhuc majora videbis. Hæc sūt gaudia cōjugatorū, qui fidē conjugij seruauerunt, & familias suas in timore Dei bene & justè rexerūt; & bona sua pauperibus & peregrinis, & Ecclesiis Christi cōmunicauerunt; qui in judicio audituri sunt. Venite benedicti Patris mei, percipite regnū, quod vobis paratū est ab origine mūdi. Tūdalus autē multū rogabat, vt ibi remaneret; sed nō obtinuit. Post hæc profecti sūt. Videbatur autē ei nullus labor in ambulādo, & quacumque pertransibant, inclinatis capitibus & lætis vultibus cum ingenti gaudio occurrebant, & eam proprio nomine salutabant, & Deum, qui eam liberavit glorificabant, dicentes, *Laus tibi Domime, Rex æternæ gloriæ, qui non vis mortem peccatoris, sed vt conuertatur & vivat:* qui secundùm misericordiam tuam ab inferni cruciatibus animam istam eripere dignatus es, & sanctorum tuorum consortio sociare. Cùm autem sic plurimas turbas pertransissent, apparuit alius murus tam altus, vt primus: sed de auro purissimo & præclarissimo; ita vt magis delectaretur quæcumque illum vidisset anima, in solo nitore metalli, quàm in omni gloria quàm ante viderat. Cumque similimodo intrassent illum vt primum, apparuerunt illis plurima sedilia de auro, & gemmis, & vniversis lapidū pretiosorum generibus constructa, & pretiosissimis ornamentis cooperta: in quibus sedebant seniores viri & feminæ, vestiti sericis & stolis candidis & variis, & vniversis ornatibus; qualia nec ante viderat, nec cogitare poterat: & erat facies vni⁹cujusque splendida sicut sol splendens in meridie; & capillos habebant auro simillimos, & coronas aureas iisdem gemmis ornatas. Sed & lectoria posita erant coram eis aurea, quibus superpositi erant libri aureis literis scripti; & cantabant Domino *alleluia* in nouo cantico, & tam dulci melodia, vt cunctorum præteritorum obliuisceretur anima quæ semel audiret voces eorum. Tunc ait Angelus ad Tundalum. *Isti sunt sancti, qui pro testamento Dei sua corpora tradiderunt, & in sanguine agni laverunt stolas suas:* & continentes, qui de seculari vita ad Dei seruitium conversi sunt, & qui semetipsos cum vitiis & concupiscentiis crucifigentes, sobriè, & justè, & piè vixerunt. Cùm autem Tundalus curiosiùs circumspiceret, vidit quasi castra & papiliones plurimos, purpura & bysso, auro & argento & serico mira varietate confectos. In quibus hordas & organa, & citharas cū organistis & cymbalis canentes. Cetera quoque omnium musicorum genera suauissimis sonis audivit concinētes: & quæsivit, quæ hæc essent. Cui Angelus. Ista est Religiosorum requies, Monachorū, Conversorum, Canonicorum, & Sanctimonialium; qui promissam obedientiam his qui præsunt, hilariter & deuotè impēdunt; & qui magis gaudent subesse, quàm præesse: qui voluntatē propriam relinquunt, & alienæ obtemperant: qui dum sunt in corpore, cælestia sapiunt: qui refrænant linguas suas non solùm à malis, sed etiam à bonis propter taciturnitatis amorem. Tunc ait Tundalus. Domine, si tibi placet, volo propiùs accedere, & eos qui intus sunt videre. Placet, inquit, vt videas eos & audias: sed non intrabis ad eos. Isti namque fruuntur præsentia S. Trinitatis, & qui semel ad eos intraverit, omnium immemor præteritorū, vlterius non disiungitur à consortio sanctorum, nisi fortè virgo fuerit, & conjungi mereatur choris Angelorum. Et acce-

Psal. 127.

Anima per tres horas in die cruciata

Mat. 25.

Ezech. 21.

Antiphona Ecclesiæ.

Et accedentes propius viderunt intus vtriusque sexus animas, quæ assimilabantur Angelis: quarũ splendor & odor delectabilis, & sonus suauissimus, omnem gloriam quam antè viderant, superabant. Sed hanc omnem dulcedinem superabant voces ipsorum spirituum, quibus nullus labor erat in exaltatione vocis, nec labia videbantur moveri, nec manus ad instrumenta musica leuare curabant, & tamen ad libitum cujusque melos reddebant. Firmamentum quod erat super capita eorum multum splendebat, de quo catenæ pendebant auri purissimi virgulis argenteis intermixtæ, pulcherrima varietate contextę: de quibus scyphi & phialæ, & tintinnabula, & cymbala, & lilia, & spherulæ pendebant aureæ. Inter quas multitudo maxima versabatur Angelorum volantium, & aureas alas habentium; qui leni volatu inter catenas volantes suavissimũ atque dulcissimum audientibus reddebant sonũ. Cùm ergo Tundalus nimis delectatus vellet ibi stare, dixit ei Angelus. Respice. Et respiciens vidit vnam arborem maximam & latissimam frondibus viridissimam, floribusque pulcherrimam, omniumque fructuum generibus & frugum fertilissimam. In cujus frondibus aues multæ diversorum colorum, & diuersarum vocum generibus cantantes & organizantes morabantur. Sub cujus ramis lilia & rosæ, & cunctarum herbarũ specierumque odoriferarum genera oriebantur: & sub eadem arbore viri multi & feminæ in cellis aureis & eburneis, semper benedicentes & laudantes Deum pro vniuersis beneficiis suis, & donis suis: & habebat vnusquisque coronã auream in capite suo mirabiliter ornatam, & sceptrum aureum in manu sua: & erant vestiti talibus vestimentis, quibus antè visi monachi. Tunc ait Angelus ad Tundalum. Hæc arbor typus est sanctæ Ecclesiæ; hi qui sunt sub ea, sunt constructores & defensores Ecclesiarum; & pro beneficijs quæ sanctæ Ecclesię largiti sunt, fraternitatem ipsorum consecuti sunt: quia per illorum commonitionem sæcularem habitum reliquerunt, & religiosè vixerunt. Cumque profecti fuissent, viderunt murum altitudine, pulchritudine, & splendore ceteris dissimilem. Erat namque ex omnium lapidum pretiosorum generib' constratum, variis coloribus metallis interpositis; ita vt aurum videretur habere pro cæmento; lapides ejus erant chrystallus, chrysolitus, berillus, & iaspis, hyacinthus, & smaragdus, sapphirus, & onichinus, topazius, & sardius, chrysoprassus, & amethistus, turchatus, atque granatus. His & similibus splendebat murus valde, & mẽtes intuentium multum in se provocabat. Ascendentes igitur murum, videre proculdubio, quòd oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se. Viderunt ibi novem ordines Angelorum, & beatorum spirituum cum illis mixtorum; audierunt ibi verba ineffabilia, quæ non potest homo, nec licet homini loqui. Et dixit Angelus ad animam Tundali. *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam: & obliviscere populum tuum, & domum patris tui: & concupiscet Rex decorem tuum.* Ecce patet, quanta sit amœnitas, jucunditas, dignitas, sublimitas; interesse sanctorum choris Angelorum, & omnium sanctorum: & quod omne præcellit gaudium, cum qui panis est Angelorum, & vita omnium, sentire clementem & pium. Ab illo autem loco, in quo tunc stabant, non solùm omnem quam antè viderant gloriam, verùm & prædicta supplicia videbant, & quod magis mirandum est, ipsum orbem terrarum quasi sub vno solis radio videbant, sicut scriptum est. *Cernent terram de longè.* Non enim potest creaturæ visum obtundere, cui semel concessum est, omnium creatorẽ videre. Et miro modo cùm starent in eodem loco, in quo priùs steterant, non se vertentes in aliquam partem, cunctos tamen ex eodem loco antè & retro positos videbant. Non solùm autem visus, verùm omnium rerum scientia dabatur insolita, ita vt non esset ibi opus interrogare amplius aliquem: sed omnia sciebat ibi Tundalus apertè & integrè, quæcumq; volebat. Cùm autem ita esset ibi Tundalus, adfuit ei sanctus Ruadanus Confessor, cum magna lætitia salutans eum, & amplectens, intimæ charitatis visceribus, ait. *Dominus custodiat introitum tuum & exitum tuum, ex hoc nunc & vsque in sæculum.* Ego sum Ruadanus patruus tuus, cui jure debitor es sepulturæ: & cùm hoc dixisset, stetit, nil amplius dicens. Tundalus autem respiciens vidit sanctũ Patritium Hiberniensium Apostolum, cum magna turba Episcoporum; inter quos 4. sibi notos vidit: idest Celestinum, qui fuit Archiepiscopus Ardinachæ, & Malachiam, qui Cęlestino successit: qui Romam veniens tempore Innocentij Papæ, legatus & Archiepiscopus ab ipso est constitutus: qui omnia quæ habere poterat, sanctis & pauperibus dividebat. Hic constructor extitit 44. Cœnobiorum monachorum, Canonicorum, Sanctimonialium, quibus omnia necessaria providebat & nihil omnino sibi retinebat. Ibique vidit Christianum Lundunensem Episcopum, fratrem prædicti Malachiæ vterinum, miræ continentiæ virum; & voluntarię paupertatis amatorem, & Neemiam Cluanensis ciuitatis Antistitem, virum simplicem atque modestum; sapientia quoq; & castitate præ ceteris fulgentem. Hos quatuor cognovit Episcopos. Eratque juxta eos vnum sedile mirabiliter ornatũ, in quo nemo sedebat; & dixit Tundalus. Cujus est istud sedile, & quare sic vacat? Respondit sanctus Malachias. Cujusdam de fratribus nostris, qui nondum migravit à corpore; & cùm migraverit, hic sedebit. Cùm autem in his omnibus anima Tundali valde delectaretur, adfuit Angelus Domini, qui eam antecedebat, & blandè illam alloquens ait. Vidisti hæc omnia? Et illa; video Domine. Obsecro, sine me hic esse. Cui Angelus. Debes ad corpus tuum redire, & omnia quæ vidisti ad vtilitatem proximorum memoriter retinere. Quo audito, anima tristis & flens respondit. Dñe, quid tanti mali egi, vt relicta tanta gloria ad corp' redeã? Et ille. Ad hanc non merentur intrare, nisi virgines, qui corpora sua ab immundo tactu, & corda sua ab omni immundo affectu custodiunt; & aduri magis pro tanta gloria, quàm coinquinari aliqua turpi concupiscentia volunt: quod tu noluisti facere, & verbis meis credere; & ideo non poteris hic manere. Revertere ergo ad corpus tuum, & abstine ab his quæ antè faciebas. Consilium meum, & auxilium tibi non deerit: sed præsentialiter atque fideliter tibi manebit. Et cùm hæc dixisset Angelus, conuersa anima statim sensit se mole corporis esse grauatam. Nullum intervallum nec vllum temporis intercessit momentum: sed in vno eodemque temporis pun-

Arbor Tundalo visa typus Ecclesiæ.

Psal. 44.

Isai. 33.

Psal. 120.

S. Patritius Hiberniæ Apostolus.

cto in cælis loquebatur ad Angelum, & in terris se sensit induere corpus suum. Tunc ipsa debilis corporales aperuit oculos: & suspirans, nihilq; dicens, respexit clericos circũstantes, & sumpsit corpus Domini cum gratiarum actione; & omnia quæ habuit dispersit, & dedit pauperibus: & signum sanctæ crucis vestimentis suis, quibus vestiebatur, superaffigijussit. Cuncta quæ viderat, quę retinere potuit, nobis postmodum recitavit, bonam vitã nos ducere monuit; verbumq; Dei, quod antè nescierat, cũ magna devotione & humilitate, ac scientia prædicabat. Nos autem, quia vitam ejus imitari non possumus, hæc saltem ad vtilitatẽ legentium scribere studuimus. Auctor. Hucusque de visione Tundali, quæ contigit anno, quo mortuus est S. Malachias: cujus Malachiæ vitã miraculis gloriosam, & virtutibus plenam S. Bernardus veraci & eleganti stylo digessit. Nunc ad historiæ seriem redeamus.

1150. Eo tempore florebat multa miraculorum gratia Petrus Tarentasiensis Episcopus. Cujus virtutum fama cùm ad civitatem Lausennam pervenisset, tres viri ibi in carcere clausi, custodib' suis ante ostium carceris obseratum ludentibus, flentes & lugentes, cœperunt nomen ejus suppliciter & fideliter invocare. Adest cõtinuò Pontifex invocatus, solvit compeditos, manum porrigit, aperit ostium, jubet vt exeuntes sequantur se. Sic manifestus apparens illis, & à multis aliis visus, extrahit eos, & deducit. Cumque nulla foret opportunitas divertendi, sequentes prævium ducẽ suum desuper tabulas quibus custodes ludebant, inter illos medios pertransibant. Nec mirum, si videri præsentes ab hostibus ipsi non poterant: qui sic videre sibi videbãtur absentes. Nec ab eis Pontifex antè disparuit, quàm evasisse pericula, & ad locum sese cognoscerent pervenisse securũ. Vnde & voto sese obligantes, non gustavere cibum, donec ad sui liberatoris præsentiam accederent, nova & mira Dei magnalia prædicantes. Implacabiles inimicitias, & odia inveterata frequenter extinxit, & gravia admodum bella compescuit. Desperatas reconciliationes inter maximos etiam principes, Domino cooperante, & sermonem eius confirmante sequẽtibvs signis, effecit. Inter Principem suum Comitem Imbertum, & Raymundum Comitem Tholosanum in regione Gratianopolitana eo tempore dominantem, non sine multis incendiis, & homicidiis guerram diutius agitatam multo labore sedavit. Cujus occasione negotij ad Henricũ Regem Anglorum vehementer desidaratus accessit. In quo itinere miraculum singulare diuina virt' per eum perfecit apud S. Symphorianum, quod est castrum Lugdunensis Ecclesię, paucis ab vrbe leugis distans. Ibi erat vir fidelis Petrus de Fraxineto, notus & honoratus inter convicaneos suos, virorum Religiosorum officiosus sedulusque susceptor, magnæ conuersationis pariter, & opinionis: qui Virum sanctum ad hospitium suum aliquando, quasi vim faciendo, pertraxit. Huic filia juvencula erat, miserabili incommoditate laborans. Egerat enim mulier quædam malefica per nequitiam invidæ socrus inducta, vt languore tabesceret desperato, nec viri sui præsentiam, nec aspectum vllatenus toleraret. Affectione autem muliebri genitrix persuasa, vt Satanas Satanam ejiceret, famosum quemdam maleficum accersiuit. Adfuit exploraũit, agnouit, & juuenculam asserens inferratam, terit arborum cortices: pocula verbis & herbis infecta propinat. Mordet etiam propriis dentibus brachium miseræ mulieris in duobus locis circa fontem brachij: ita vt vtraque morsura, superior & inferior, distaret à fonte brachij quasi palmo vno. Res noua, res mira. Ab illo quidem languore cõualuit: sed interdum velut ex corde sentiens acus procedere, cruciabatur atrociter, donec per superiorem morsuram brachij, quam nulla cicatrix, sicut nec inferiorem, obduxerat, acus educeret vis occulta. Plures jam in hunc modum per temporũ intervalla quã triginta acus prodierant: quædam, vt vulgò dicitur, excapsatæ, quædam admittendis idonea filis foramina pręferentes. Exhibetur ergo Viro sancto à patre filia, cujus lugubrem explicat tragœdiam: & ecce mox juuencula sentiẽs acum, gemebunda deplorat. Quã accedens vnus de fratribus laicis viro Dei serviens cruentam extraxit, annis pluribus ad testimonium conservãdam. Orat Sanctus, & locum vulneris tangens, in virtute fidei pollicetur, nec ferrum, nec chalybem vltra processurũ. Factumq; est ita: sed mutata materia malitia nõdum penitus extincta, per alteram brachij inferiorem morsuram, quam vir sanctus non tetigerat. quia necdum inde aliquid exierat, cœperunt sudes lignei parvuli, quos vulgò brochas vocant, ex quercino robore, vel fraxineo, pro ferreis acub' egredi, grossiores spinis, & modico longiores, nec tamẽ vnius omnes longitudinis vel grossitudinis; sicut nec acus fuerãt. Sexdecim jam infra annum & paucos menses ex muliere ligna prodierant. Adfuit deinde reverẽdus Antistes Petrus, cui diuinitus servabatur tanti miraculi plenitudo. Offertur mulier Missarum solẽnia celebranti, sicut præceperat vespere præcedenti. Eadem hora septimumdecimum ex carne mulieris lignum egreditur: quod sub oculis omnium Capellanus extraxit. Confitentem itaque mulierem præsul absoluit, & sacramentum ei tradens Eucharistiæ, ab omni deinceps cujuscumque materię progressu jubet eam esse securam. Sic ab omnibus præstigiis liberata adhæsit viro suo, liberósque procreavit; virtutem viri sancti postea multis annis prædicavit, quam in seipsa meruit experiri.

Hujusmodi malefici dicuntur vultivoli, qui ad affectus hominum imitandos, in molliori materia, sicut cera vel limo, eorum quos peruertere nituntur, effigies exprimunt: cujus illusionis Virgilus in Pharmaceutia meminit, dicens.

Limus vt hic durescit, & hæc vt cera liquescit. Virg. Ecloga 8.
Vno eodemque igni; sic nostro Daphnis amore.

Nasoquoque in libro Heroid,

Devovet absentes, simulacraque cerea fingit, Ouid. Epistola 6.
Et miserũ tenues in iecur vrget acus. Horum malitia, etiã cùm plurimũ nocent, artificio levi, vt aiunt quidã, dissolvitur, si qui suspecti sunt conventi ab aliquo crimen inficientur: aut si confessi fuerint, rogentur maleficium revocare. Sed si hoc verum est, quomodo famosus ille maleficus, qui maleficium primus agnovit, tam facile remedium non adhibuit?

1151. Assidua & diutina pluviarum inundatio messionem tardauit & impediuit. Sanctus Bernardus tertiam processionem Ascensionis Dominicæ in Ordine nostro constituit. Nam antea nonnisi duæ præcedentes, Purificationis scilicet, & Dominicæ in Ramis Palmarum, fiebant. Sed dignum duxit esse vir ille sanctus, vt Christũ redeũtem de terris ad cælos prosequeremur: sicut An-

S. Petrus Tarentas. maleficiũ solvit.

gelum illum fuerant prosecuti, venientem de cęlis ad nos: & in libro Romani Ordinis ea die intitulatur statio ad sanctam Ierusalem.

1152. Relictam Ludovici Regis Francorum vxorē duxit Henricus Comes Andegavensis, & dux Normanniæ, postea Rex Angliæ. Vnde guerra orta est inter eos. Hanc reliquit Ludovicus, propter incontinentiam ipsius mulieris, quæ non sicut Regina, sed ferè sicut meretrix se habebat.

1153. *Anastas. 4. Papa 173.* Post Eugenium tertium, qui sedit annis 8. sedit Anastasius Papa 173. anno vno. Eodem anno sanctus Bernardus moritur.

1154. *Adrianus 4 Papa 174.* Stephanus Blesensis Rex Anglorum moritur anno regni sui 19. Ludovici Regis Francorum 16. Adrianus natione Anglus fit Papa 174. Obiit Adam 2. Abbas Mortui maris; cui successit Stephanus Prior Vrsicampi. Huic Adriano Papæ familiaris fuit Ioannes Salesberiensis, & ipse Anglicus natione, qui de eodem Adriano talia refert *Audivi Papam Adrianum dicentem,* *Adriani Papæ querimonia.* *quòd Romano Pontifice nemo miserior est, conditione ejus nulla miserabilior. Fatebatur enim se in eadem sede tantas miserias invenisse, vt facta collatione præsentium tota præcedens amaritudo jucūditas & felicitas fuerit. Spinosam dicebat cathedrā Romani Pontificis: mantum acutissimis vsquequaque consertum aculeis, tantaque molis, vt robustissimos terat, & comminuat humeros, Coronam & Phrigium clara meritò videri, quoniam ignea sunt. Seque numquam à natali solo Anglia malle exisse, aut in claustro beati Rufi apud Valentiam perpetuò latuisse, quam tantas intrasse angustias: nisi quia divina dispensationi reluctari non auderet. Hoc etiam mihi sæpissime adjecit, quod cùm de gradu in gradū à Claustrali clerico per omnia officia in summū Pontificem ascendisset, nihil vnquam felicitatis, aut tranquillæ quietis vitæ priori adjectum est ab ascensu: & vt verbis ejus vtar, In incude, inquit, & malleo semper dilatauit me Dominus: sed nunc oneri, quod infirmitati meæ imposuit, si placet, supponat dexteram, quoniā importabile mihi est. Nonne miseria dignus est, qui pro tanta pugnat miseria? Sit ditissimus, qui eligitur, sequenti die pauper erit, & infinitis ferè creditoribus tenebitur obligatus. Ambire ergo ad summum Pontificium, & non sine fraterno sanguine ad illud ascendere est Romulo succedere in parricidijs, non Petro in ovibus pascendis. Bene ergo dicitur, nec tam nuncupatiuè quàm substantiuè, summus Pontifex servus servorum. Seruiat enim servis avaritiæ Romanis necesse est, adeo vt nisi seruierit, fiat aut Expontifex, aut Exromanus.*

1155. Henricus Hērici superioris ex filia nepos, (fuit enim filius Mathildis Imperatricis, cujus pater fuit Henricus filius Guillelmi Nothi, qui Angliam acquisivit, & frater Guillelmi Rufi, qui in venatione sagitta percussus est à milite) regnat in Anglia annis 35. Ab hinc nil inveni de tēporibus Imperatorum Alemaniæ: & ideo pro eis annotandi sunt anni Regum Franciæ. Florebat hoc tempore Theobaldus Cantuariensis Archiepiscopus de Beccensi monasterio assumptus: vita per omnia laudabilis, & magnificus, & tam in secularibus quàm in ecclesiasticis negotiis experientissimus.

1156. Signū crucis apparuit in luna. Albericus miles Belvacensis pro fide Christi martyrium passus est. Non dicitur, vbi, vel quomodò passus sit: ideo hoc negligentissimè est annotatū.

1157. Tres lunæ visæ sunt, & in media signum crucis. Thomas Archidiaconus Cantuariēsis per industriam Archiepiscopi Theobaldi factus est Regis Henrici Cancellarius.

1158. Filia Ludouici Regis Francorum datur filio Henrici Regis Anglorum, vt pax inter eos firmetur.

1159. Nonis Septembris tres soles visi sunt in parte occidentali: sed duobus paulatim deficiētibus, sol diei, qui medius erat, remansit vsque ad occasum.

1160. *S. Maria de Rupe Amatoris.* Huius temporis sunt miracula beatę Marię de Rupe Amatoris. Eo tempore quidam Britannus quadam nocte mortuus est in principio noctis; & mane reuixit. Hic narrabat. Quidam pulcher Angel[us] in veste nitidissima duxit me in vallē profundissimā, quæ ex vna parte plena erat igne magno, ex altera parte niue, grandine, & glacie. Ibi plures animæ per vices alternas transibant ab aquis niuium, ad calorē maximū & è conuerso; cumq; cogitarē, quod ibi esset infern[us], respondit Angel[us] cogitationi meæ. *Visio cuiusdā Britanni.* Non est hic infernus, vt tu putas, adhuc aliud videbis. Et duxit me vlteriùs, & cœperunt ante nos tenebræ inspissari, ita vt nil videre possem pręter fulgorem vestis Angelicæ. Et ecce cœperunt mihi apparere magni globi flammarum, qui de quodam puteo ascendebant vsque ad nubes; & iterum recidebant in puteum illum. Tunc Angelus qui me ducebat reliquit me in illa densitate tenebrarum; in qua vidi magnam multitudinem animarum in modum favillarum ascendentium & recidentium in puteum cum globo flammarum tenebroso: & de ore illius putei exibat fœtor immensus & intolerabilis. Et ecce audiui magnos vlulatus animarum plorantium, & magnos cachinnos dæmonum illas ad tormenta trahentium. Erant autem animæ quinque. Vnus attonsus vt clericus, altera femina, tres laici. Tunc nigerrimi spiritus exibant de inferno, jactantes flammam sulphuream per nares suas, tenentes forcipes, per quas me volebant trahere ad se, & non poterant. Cūque me circumdarent, circumspiciebam, si fortè mihi alicunde veniret auxilium. Et ecce apparuit mihi claritas cujusdam stellæ: quæ cùm appropinquasset, illi tetri spiritus abscesserunt. Et apprehendens me Angelus, reduxit versus Orientem, & venimus ad murum quemdam altum & longum, in quo nullus apparebat introitus; & subitò fuimus super illum. Intra quem erat cāpus quidam pulcherrim[us], floribus odoratissimis plenus; per quorum odorem liberatus sum à fœtore inferni, quem passus fueram. Ibi magna claritas erat, plusquam solaris, vt videbatur. Ibi erant magni greges candidatorum sedentium super sedilia pulcherrima. Et cùm cogitarem ibi esse regnum Dei, respōdit Angelus cogitationi meæ. Non est hic regnum Dei. Post hoc vlteriùs progredimur, & vidi claritatem centuplo majorem quàm prius: & ibi audiui Angelos & animas ineffabili melodia cantantes. Cumq; putarem me ibi esse intraturum, ductor meus restitit; & me per viam, per quam duxerat, reduxit, vsque ad locū prioris claritatis, & dixit. Scis tu, quæ sunt, quæ vidisti? Anima. Nescio, Domine. Ait. Vallis illa plena ardore, & nive, & grādine, locus est animarū se purgantiū; quę cōfessionē & pœnitentiam peccatorum suorum distulerūt vsque ad mortem. *Purgatoriū.* Sed quoniam tunc saltem pœnituerunt, in die judicij per Dei misericordiam liberabuntur. Possunt tamen interim alleviari à pœnis per preces & eleemosynas fidelium, & maximè per celebrationē Missarum. Puteus ille est os infernalis abyssi. Campus iste floridus locus

est animarum sanctarum, quæ in bonis operibus exierunt de corpore, & regnum Dei expectant cum magna lætitia & exultatione: quem & tu ipse, qui ad corpus tuum reversurus es, si de salute animæ tuæ solicitus fueris, cum illis beatis spiritibus recipies. Cumque rogarem eum, vt ibi me remanere permitteret, quia nolebam ad corpus reverti, subitò me inter homines hic viuentē inveni. Hic homo post hanc visionem conuersus est in domo Cisterciensis Ordinis, quæ dicitur Malros, juxta quā erat quædam aqua decurrens: in qua, vt carnem suam domaret, sæpe stabat in frigore hiemis vsque ad mentū: & quando aqua illa glacie durabatur, frangebat crustam glaciei, & cum veste sua ibi stabat, quamdiu sufferre poterat. Inde exiens vestem non mutabat, sed sinebat eam in suo corpore desiccari. Qui autem videbant eum, cōpatientes ei, dicebant. Quomodo frater, tantam asperitatē frigoris tolerare potes? Qui respondebat. Asperiora ego vidi.

1161. Eo tempore fuit in Anglia vir quidā magnarum virium corporis, & propter illas vires magni nominis. Hic post multa peccata reprehensus à sua conscientia proposuit ire Ierosolymam, vt ibi vires suas expenderet in seruitio Dei, juxta illud, *Fortitudinem meam ad te custodiam:* & de hoc voto consuluit Abbatem quemdam Cisterciensis Ordinis: qui persuasit ei, vt crucem Religionis acciperet, & ad cælestem Ierusalem properaret. Et fecit sic: & cœpit esse valde fervens in Religione. Postea tentatus à Satana mutauit propositum, & proposuit se corporaliter iturum in Ierusalem, sicut priùs vouerat. Sed quia tunc Abbas præsens non erat, distulit recessionē contra voluntatem suam vsque crastinum. Eadem nocte cùm de necessariis ad lectū suum rediret, vidit supra quamdam trabē dormitorij dæmonem sedentem in specie simiæ: & cœpit cogitare quòd diabolus esset, quia in illo ordine tales bestiæ non nutriuntur. Diabolus autē sentiens se cognitum, desilit de trabe super illum, & verberauit illum tam fortiter, quod sanguis de naribus eius & ore exibat. Et hoc facto euanuit. Illo clamante fratres exterriti sunt: & vidētes illum nouitium tam grauiter læsum, portauerunt in infirmitorium. Qui jacuit exsensis in lecto suo tribus diebus, & videbatur magis mortuus, quàm vivus, apertisque oculis nihil videbat. Qui cùm ita jaceret, apparuit ei sanctus Benedictus dicens, *Benedicite*, Et ille, *Dominus*. Quæsiuitque dicens. Qui estis, Domine? Ego sum, inquit, frater Benedictus: sequere me. Et secutus est eum in spiritu: & cœperunt ascēdere sublimes gradus, & erant in singulis gradibus duo dæmones, qui incantabant ascendentes, & in singulis gradibus percutiebant illum nouitium. Qui defatigatus ab ictibus dæmonum vix jam sequi poterat ductorem suum. Respiciens autem post se sanctus Benedictus, posuit manum suam super caput nouitij, & confortauit eum. Post illos gradus ascensos vidit nouitius locum magnę claritatis & viriditatis in regione puri ætheris: & vidit ibi capellam in aëre pendentē, tam paruam, vt miraretur, ad quid tam parua capella facta erat. Ad quem sanctus Benedictus. Noli mirari forinsecam capellæ angustiam; quia nescis, quàm lata & ampla, quàm alta & pretiosa sit intus. Mortalis homo non debet mirari opera Dei, qui solus scit rationem operum suorum. Intrans autem sanctus Benedictas, jussit novitium stare post ostium. Ibi erat quidam candidatorum grex, sedentes in circuitu interiori capellæ: & sedebat inter eos Mater misericordiæ, resplendens sicut sol inter stellas. Ad quam accedens S. Benedictus, ait. Benedicite. Et illa, Dominus. Domina, inquit, ecce novitius, quem adduci jussistis. Et illa. Facite illum coràm venire. Qui cùm accessisset, dixit ad eum Domina. Vis morari in domo mea mecum, ad serviendum mihi, sicut promisisti? Ait. Etiam, Domina. Ergo, inquit, jura mihi super illud altare, & vove, quòd mihi servies semper, & opera Domini facies, & custodies. Qui cùm iurasset, dixit Domina nostra ad S. Benedictum. Reducite eum, vnde adduxistis. Tunc S. Benedictus posuit eum post ostium, dicens. Aspice diligenter, & retine firmiter, quod visurus es: quia vtile tibi erit hęc vidisse. Tūc S. Benedictus accepit pelvim, & linteo pręcinxit se, & dedit pelvim Dominæ nostræ: & cœpit illa lavare pedes omniū ibi sedētiū per ordinē, & S. Benedict⁹ post eā extergebat flexis genibus. Facto illo mandato sanctus Benedictus reduxit nouitium per loca florida & delectabilia, & suauiter redolentia: & ecce multitudo monachorum & nouitiorum occurrerunt ei. Ex quibus quidam pulchras coronas habebant in capitibus suis; alij nondum habebāt in capitibus sed cum fiducia expectabant. Inter quos erat quidam monachus, qui per signū petiit à sancto Benedicto licentiā loquendi cum illo nouitio, & accepit. Qua accepta, dixit ad nouitium. Frater Guilhelme, ego fui monachus de domo tua. Precor vt dicas Abbati tuo & meo ex parte mea, quod frater Matthæus monachus quondam suus mandat ei, vt corrigat se, solicitiusque se habeat, quàm huc vsque habuit, custodiendo ordinē suum. His intersignis credat, quod cùm ego migrarem de corpore, vidi quādam coronam descendentem de cælo, quam putaui meam fore, sed data est cuidam monacho, qui ante me mortuus est; pro qua re contristatus fui, inuidens bono fratris mei. De qua re eidem Abbati confessionem feci, & pœnitui. Teipsum admoneo vt in proposito tuo permaneas humilis & obediens, honores fugiens, & tuam propriam voluntatem numquam facere delecteris, & semper Deum timeas. Post hæc verba sanctus Benedictus jussit sancto Raphaëli, vt duceret nouitium, quò ducendus erat. Tunc S. Raphaël duxit eum in paradisum: & cùm appropinquarent, vidit nouitius civitatem quamdā ex auro, cujus porta immensæ pulchritudinis erat. Quā cùm miraretur, Angelus misit eum intra portā; & vidit intra paradisum herbas & arbores pulcherrimas, & aves cātantes. Sub vna arbore erat fons limpidissimus, cujus rivi per mediam civitatem fluebant. Cumque nouitius vellet pausare juxta fontem, duxit eum Angelus ad aliam arborem miræ altitudinis & pulchritudinis: super qua erat homo pulcherrimus, & prægrandis staturæ quasi gigas, vestitus veste diversorum colorum à pedibus vsque ad pectus. Hic est, inquit Angelus, primus pater humani generis protoplastus Adam, per sanguinem IESV Christi filij Dei redemptus. Vestimentum ejus est vestis illa gloriæ, qua spoliauerat eum humani generis inimicus per transgressionem diuini mandati. Ab Abel filio suo primo justo cœpit ipse recuperare vestem suam per bona opera filiorum suorum & filiarum. Quando totus vestitus erit, erit

Psal. 58.

Visio novitii.

Sanctorum numerus consummatus, & finē habebit sæculum. Post hæc venerunt Angelus & nouitius ad regionem vmbræ mortis, & terram tenebrosam; & vidit nouitius quasi turres horribiles; & putauit, quòd ibi esset infernus. Sed Angelus dixit, Non est. Illæ autem turres sunt camini infernales, per quos fumus & flamma ignis æterni exeunt. Post hæc vident hominem in ardente cathedra sedentem, ante quem stabāt quasi pulchræ feminæ, quæ tenebant cereos ardentes, quos impingebant in faciem ejus & in os, & retrahebant similiter ardentes per ejus intertranea, & semper hanc pœnam patiebantur. Hic homo, ait Angelus, amicus fuit carni suæ, & inimicus animæ suæ, gulosus & luxuriosus. Cathedra significat, quod potens fuit in malitia. Amauit mulieres; & ideo maligni spiritus in tali specie torquent eum. Post hæc vident hominem, quem nigerrimi spiritus excoriabant vivum, & fricabant cum sale, & super craticula eum assabant. Hic, inquit Angelus, potens fuit, & crudelis in subditos. Post hæc vident hominem super equum ardentem; clypeum igneum gerentē, & super collum equi capram tenentem, & ad caudam equi sui trahebat habitū monachi. Hic, inquit Angelus, pauper homo fuit, sed de rapina vivens. Capram vnam rapuit à quadam paupere femina. Circa finem vitæ voluit fieri monachus, non verè pœnitendo, sed vt ignominiam suam parumper tegeret. Nam si viueret, cogitabat se rediturum ad priorem vitam: & ideo trahit habitum Religionis, sicut quam paruam æstimabat. Capra & clypeus igneus, sunt tormenta dānationis suæ. Post hæc vident diuersas personas religiosas monachorum, monialium, Episcoporum: quorum quidam ridebant & cachinnabantur, alij conuitiabantur, alij studebant gulæ satiandæ, alij libidini explendæ: non quod istæ voluptates post mortem sint, sed ad majorem confusionem & excruciationem, similitudines præteritorum peccatorum in ipsis suis cruciatibus repræsentant, dæmonibus ad hoc eos cogentibus: qui etiam postea eos percutiebant de fustibus per media capita vsque ad excussionem cerebrorū, & ejectionem oculorum, & hoc incessabiliter. Post hæc Angelus Raphaël duxit novitium vsque ad profundum inferni; vbi vidit rotam horribilem igneam, & hominē extentum desuper: & dum rota volueretur, quædam vox dixit ad novitium territum. Vides rem terribilē; sed adhuc terribiliorem videbis. Et ecce rota tam rapido cursu descendit vsque ad profundū inferni, & tam magnum fasum fecit in cadēdo, vt totus mundus cecidisse videretur, cælū, terra, mare. Et dum rota caderet, omnes animæ captivæ quæ ibi erant, omnesque dæmones pulsabant illum hominem, & maledicebant ei, & excommunicabant eum, Hic erat Iudas traditor. Et dum inde redirent Angelus Raphaël & novitius, apparuit eis Angelus, qui gubernabat solem in humani generis servitutem. Post hæc dixit sanctus Raphaël ad nouitiū. Oportet te redire ad corpus tuum. Visionem istam nulli narres, nisi Abbati tuo, & hoc in confessione. Tūc novitius reuixit, qui tribus diebus jacuerat mortuus: & cœpit oscitare, & gemitus & planctus dare: & oblitus præceptum Angeli, cœpit statim narrare quæ viderat, dicēs circūstantibus & quærentibus quid vidisset. Vidi infernum, vidi paradisum. Et cùm hoc diceret, sanctus Benedictus venit cum baculo ante eum: & percussit os infirmi inobedientis. Infirmus autem opponens manum ictui, percussus est graviter in digito; & quærens causam percussionis, audiuit à sancto Benedicto, quia inobediēs fuisti; & si læsus es in carne, scito quia magis læsus es in anima: & quia peccasti loquendo, loquelam perdes 9. diebus, & injuncta ei pœnitentia disparuit. Per illos 9. dies grauiter infirmatus est, & manus eius intumuit. Post 9. diēs sanus factus est, & dixit Abbati suo soli, quæ viderat. Abbas autem, qui præceptum tacendi non acceperat, ad ædificationem audientium & legentium visionem reuelauit.

Diversæ pœnæ diversis crimminibus inflictæ.

1192. Eo tempore quidam Cenomanensis, nomine Christian*, juvenis conuersus est in eremitorium quoddam in Archiepiscopatu Turonensi, quod dicitur Gastine. Vbi dum fortiter tentaretur à carne sua, affligebat se. In Quadragesima jejunabat abstinens ab omni poto, præter vnum diem in septimana. In hieme stabat vestitus in aqua frigida vsque ad collum. Disciplinam sibimet dabat vsquequo virgę dirumperētur. Quod cùm quadam die faceret, & se cecidisset vsque ad sanguinem, audiuit vocem à parte Occidentis dicentem. Nil prodest tibi, quod facis. Iste Deus, quem inclamas, non dabit tibi quod petis. Sed convertere ad me, & auxiliabor tibi. Quod ille audiens, intellexit vocem esse inimici. Et cùm orasset Deum, vt auxiliaretur sibi contra tentationes, proposuit aggredi peregrinationem ad diversos sanctos, & ita finire vitam suam in peregrinando. Et cùm diu hoc cogitasset, accepto baculo egressus est nudis pedibus: & cùm venisset ante quamdam Ecclesiam, flexis genibus rogauit Deum, vt daret ei bonum consilium. Vix ab oratione surrexerat, & ecce sensit fœtorem magnum; per quem intellexit diabolū prope astare, qui ei suggerebat relinquere habitum Religionis, & locum suum: gratias agens Domino de tali signo, reversus est ad fratres suos, Hic aliquādo in festo sancti Stephani dormiebat ad matutinas, & cùm legeretur illa lectio, vbi legitur, *Et lapidabant Stephanum*, expergefactus ad hoc verbum, reprehendit se de somnolentia, dicens. Væ mihi, qui sic obdormio ad obsequiū Dei. Iste sanctus non dormiebat, quando lapidabatur: & ego miser rogare debueram istum sanctum martyrem vt oraret pro me. Et post hęc cœpit intentissimè vigilare, & rogare sanctū Stephanum, vt oraret pro se. In crastino cùm esset in refectorio, antequam aliquid gustasset, venit ad eum vox dicens. Tu intendis ad accipiendas terrenas escas; & non cogitas de glorioso protomartyre, qui orat pro te. Tunc aperti sunt oculi ejus, & levans oculos in cœlum, vidit martyrē orantem pro se, sicut vox ei dixerat. Quod cùm vidisset, statim surrexit, & petiit locum secretū, in quo oraret, & dixit. Sancte Stephane, quas tibi gratias agam de hoc tanto beneficio tuo? Nihil habeo proprium, quod tibi dem; sed tamen hoc do tibi, quod pro amore tui non induar lineis, sed laneis tantum; quod & fecit. Hic cùm postea moneret ceteros, vt in bono proposito perseverarent, narrabat, dicens. Eram aliquādo in Gastineto jacens in lecto pleno paleis in solario quodam, & cùm vellem repausare, sentiebā nescio quid, quod se mouebat sub renibus meis. Dixi hoc magistro meo, sed illa motio non quievit. Quadā die inspirante mihi Domino cœpi euertere paleam lecti mei: & euersa palea cùm

Conuersio Christiani, eius austeritas vitæ

Actor. 7.

Crimen proprietatis detectum.

nihil inuenirem, leuaui vnū de asseribus solarij sub quo inveni vnum pedulem veterem, & in eodem magnam massam denariorum. Quos cùm inuenissem, relictis illis cucurri ad magistrum nostrum, & confessus sum quid inuenissem. Ille jussit mihi, vt afferrem illos ad se. Quod cùm fecissem omnes fratres jussit congregari; qui omnes excommunicauerunt illum, qui hoc fecerat. Quod cùm audisset carpentarius quidam, dixit se hoc fecisse: & petiuit veniam humiliter, correctionem promittens. Magister autem indulsit ei, & injunxit pœnitentiam: sed denarios malè acquisitos retinere noluit, imò divisit eos pauperibus. Post hæc idem frater Christianus audiens famam de Ordine Cisterciensi, cœpit admonere socios suos, vt ad illum transirent. At illi noluerunt, sed statuerunt inter se, vt qui vellent de ipsis ad Ordinem Cisterciensem transire, transirent: & eundem Christianum miserunt ad Abbatiam de Eleemosyna; cum quo iuit Prior suus cum vno socio. Post annum probationis expletū spiritus maligni sæpe apparebant eidem Christiano in visione noctis, minitantes ei, quòd eum expellerent de domo illa; & in vanum laborare illum dicebant: quia non duraret in Ordine illo. At ille recurrebat ad orationē. Et dum hoc bellum haberet cum dæmonibus, quadam die facta est ad eum quædam vox à capite lecti sui, dicens. Memor esto hujus versiculi de psalterio. *Deus in nomine tuo salvum me fac, & in virtute tua judica me.* Quod audiens ille recitavit & ad omnes tentationes diaboli semper postea de isto versiculo, tamquam clypeo sese muniuit. Cùm autem dæmones viderent eum habere fiduciam in isto versu, dicebant. Stulte, hoc nos te docuimus, hoc volumus vt dicas. Tunc ille, in dubio positus, vtrum hunc dicere deberet, an non, quia simplex erat & illiteratus, quæsivit à clericis, quid hæc vox significaret. A quibus cùm audisset hoc esse principium cujusdam Psalmi, totum illum Psalmum per gatiam Dei didicit; & in hac pugna contra dæmones diu fuit. Quadam nocte dum fratres in hieme post vigilias sederent, & legerent ad lumen in Capitulo, ille remansit in claustro orans. Et cum oraret, dixit ad eum vox de cœlo. Illi boni homines, quos vides in Capitulo, sunt martyres Dei. Eodem anno vidit idem Christianus omnem Conventum circumdari à dæmonibus: qui tantæ multitudinis erant, vt tegere viderētur quidquid erat inter cælum & terram. Quod cùm ille videret, & diceret, Domine Deus, quid hoc potest esse: quis poterit evadere pericula ista? Audiuit vocem dicentem sibi. Qui humilitatem habere potuerit, ab omnibus his laqueis liberabitur. Non multò pòst venit quædam claritas ab Oriente: quam cùm præsentirent maligni spiritus, evanuerunt: & illi gloriosi spiritus, qui erant in illo lumine appropinquauerunt, & illum locum vbi erant sancti illi homines solari claritate repleuerunt: & in eadem claritate apparuit Regina Angelorum. Quam cùm ille aspiceret, & diceret intra se, Deus bone, quò vadit Domina nostra, aduocata nostra, saluatrix mundi; respondit ei eadem Domina. Venio succurrere huic loco, qui meo indiget auxilio. Venio auxiliari huic pauperi Abbatiæ, & aliorum pauperum locis; qui confidunt in me.

Psal. 53.

Humiles laqueos diaboli evadunt.

1163. Stephanus Abbas Mortui maris reuocatus est ad curam Abbatiç Vrsicampi: cui Gaufridus 4. successit in Abbatia Mortui maris.

1164. Hugo Episcopus Rothomagensis obiit: cui Rotholdus Ebroicensis Episcopus in Archiepiscopatu successit.

1165. Philippus Ludouici filius, qui modo regnat, nascitur, anno regni patris 27. Tarentasiensis Episcopus venit apud Calvū montē, qui est in confinio Franciæ & Normanniç pro pace reformanda inter Reges Ludouicū & Henricū: vbi multas virtutes per eum operatus est Dominus in præsentia duorum Regum, & Henrici iunioris Regis Angliæ, & Philippi Comitis Flandrensis. In capite ieiunij imposuit cineres benedictos capiti Regis Angliæ apud Mortuum mare. Eodem anno Thomas Cantuariensis Archiepiscopus exul ab Anglia aufugit in Franciam, & venit Senonas ad Papam Alexandrum 3. afferens secum consuetudines Regis Angliæ scriptas, propter quas exulabat. Eas igitur tenens in manibus chartam explicatam & expansam ante pedes ejus posuit, dicens. Ecce, pater, sacræ, imò sacrilegæ cōsuetudines Regis Angliæ; canonibus & decretis, & etiam ipsorum terrenorum principum legibus aduersç, pro quibus exilium sustinere cogimur: vt eas sanctæ paternitati vestræ ostenderemus, & cōsilium super his haberemus, aduenimus. Iubeat igitur sanctitas vestra, si placet, eas legi, & audiri. Quisquis enim ista audierit, mirum est, si non tinniant ambæ aures eius; audiens à Christianis cōtra legem christianitatis agi: & damnatis sanctorum Patrū venerandis institutis nouas & inauditas veterum tyrannorum præsumptas abusiones in Ecclesiam introduci. Hæc cū flexis genibus dixisset, iubente Papa surrexit, stetitq; in medio, circumstante eum turba clericorum suorum. Cumque ad præceptum Domini Papæ consuetudines illæ legerentur, & qui legebat primum pronuntiasset capitulum, cœpit venerandus Antistes contra propositum capitulum mirabiliter disserere, & Regis intentionē pleniùs elucidare ac detegere: ostendens & conuincēs ex Decretis & Legibus, in quibus, & in quantis, quod pronuntiatum fuerat, sanctorum Patrum Canonibus obviaret: quantumque discrimen Ecclesiæ immineret, si Rex quod intendebat, obtineret. Similiter fecit ad singula capitula, Domino Papa eum libenter audiente, & assertiones eius diligenter per singula notāte. Cardinales tamen, qui accepta à Rege pecunia partem eius fovebant, multam vexationē beato viro in sua causa præstiterunt, præcipuè Guillelmus Papiēsis, qui præ ceteris Regi erat amicior, & familiarior. Hic enim beatum virū modis omnibus impedire satagens, ad singula insurgebat, seque ei objiciebat: multa ei proponens, multa inquirens, quæ vir venerabilis vt fila aranearū sine difficultate & hæsitatione vel soluebat, vel conuincebat. Putabat enim idem Guillelmus, quod Archiepiscopus oratione vteretur aliena, & non propria; & quia si posset eum à tramite sui sermonis deflectere, continuò eum ludibrio & confusioni habendum. Sed & ipse sanctus intelligens Guillelmum sibi ex directo obniti, aliquoties eum reciproco sermonis excursu ita suis intricauit & illaqueauit objectionibus, vt omnibus manifestum fieret, quod non solùm propriis vteretur viribus & disertitudine, verum etiā, quod insuperabilis esset ingenij & eloquentiæ. Cumque tam in expositione causæ suç, quàm in contentione cum aduersariis magna pars diei consumpta fuisset; erant enim 16. capi-

S. Thomas Papam adit Senonas.

tula consuetudinem illarum ad quæ stando responderat, admirans tandem Dominus Papa eius sapientiam, magnificentiam, atque præstantiam, vocauit eum ad se, jubensque eum sedere juxta se, dixit, Bene veneris, frater carissime, cúmque ei congaudens, eum bene venisse sæpius repetiisset: gratias ei agere cœpit, quòd tantum onus, tamque arduum negotium suscepisset; & quod Ecclesiam Dei tam periculosis temporibus contra tyrannorum assultus tueri præsumpsisset, ipse quoque venerandus Antistes cum debito honore & reuerẽtia Domino Papæ multiplices gratias retulit, quòd eum tanto honore dignatus fuerit. Tunc Dominus Papa consuetudines illas perpetuò damnauit, & obseruatores atq; exactores earũ æterno anathemati subdidit. Vir igitur Domini aliquanto tempore in curia demoratus, tandem cum licentia & consilio Domini Papæ Pontiniacum se contulit, ibique ferme per bienniũ fuit. Ibi inter cetera sãctæ æmulationis studia, etiam habitum monachilem concupiuit, & accepit. Misso autem ad Dominum Papam tunc Senonis commorantem secretiùs nuntio, habitum Religionis sibi ab eo fieri, benedici, & transmitti postulauit & impetrauit; Domino Papa inter cetera ita rescribente. *Misimus tibi, frater dilecte, habitum, non qualem voluimus, sed qualem habuimus*. Cognoscens igitur Rex Anglorum in quanto honore venerandus Pontifex à Domino Papa susceptus esset, & quòd in Pontiniaco locum sibi mansionis elegisset; cùm jam in ipsum desæuire non posset; in suos inaudito crudelitatis genere debacchat' est; præcepitque, vt vbicumque aliquis de cognatione eius vir aut mulier inueniri potuisset, exheredatus & spoliatus bonis propriis à regno pelleretur; exacto priùs ab eo sacramento, quòd Pontiniacum contristandi Archiepiscopi gratia perficisceretur, & se ei præsentaret. Tunc ex pulsi sunt senes & juvenes ad cognationem eius pertinentes: sed & mulieres cum pueris lactentib', & quædam gravidę.

S. Thomas Cantuariensis Pontiniacum adit.

Cisterciensẽ habitũ à Papa accipit.

Hoc anno ab aduẽtu Anglorum in Britanniã majorem, 1820. à baptismate eorum 634. ab introitu Normannorum 100. hoc anno in Ruthenensi pago quædam tempestas graui flagello castigauit populum Dei. Nam lupi feroces ab vberibus matrum parvulos rapiebant, & duris morsibus devorabant. Mulier autem quædam, nomine . . phane de Venere, cujus frater tam perniciosa clade jam succubuerat, matre brachium à corpore pueri evulsum duntaxat retinente, vigilia Assumptionis beatæ Mariæ hortum intrauit, vt spicas colligeret. Nebulosum quippe tempus erat. Et ecce duo lupi cum tanto strepitu, vt putarentur equites aduenisse, accurrerũt; quorum vnus illam per guttur, alius sublevatis ad vmbilicum vestibus diuersis & lethalibus vulneribus sauciatam, non villæ recto tramite, quò frequentur fugari solebant, à canibus, sed trans muros duos, & sepe tres velut nihil projicientes, ad siluam pertraxerunt. Silua verò per dimidiũ milliare ab oppido distabat. Mulier autẽ adhuc spirãs spiritũ ex halatura supremũ, in virtute Spiritus sancti & benignitate virginis Mariæ feris præcepit ferocibus, ne corpus suum vlteriùs lacerarẽt; & ne diutius in eam grassarentur, inhibuit. Mox ab eius laceratione desistunt, corpus exangue superuenientium infestatione ferarum diligenter conseruantes. Interea cum canibus requirebatur; & sequenti die, cùm detecta sub algore noctis pernoctasset, inventa, ad villam relata est. Adeo autem erat lacerata, quòd vix in ea agnosci poterat forma humana. De lacero corpore vermes & sanies ebulliebant: aspectu terribilis erat, etiam sanguine propinquis. Qui etiã eam immisericorditer repulerant. Plectrum linguę non movebatur ad aliquod verbum formãdum: victualia ori infusa per foramina gutturis & pectoris exibant, incorporato tenui vel modico sapore. Nervorum contractione & membrorum læsione genua pectori adhærebant; & vulnera, de quibus non modica caro detracta fuerat, cute superduci non poterant. Hanc igitur parentes sui impositam vehiculo nocte ad remotam villam detulerunt: quæ dimissa præ foribus mõstrum ab introeũtibus putabatur; & ne diutius apud eos moraretur, ligatam asino quasi truncum procul duci fecerunt. Descendens autem asinus quoddam montis præcipitium, bibiturus de torrente, qui rapidus deferebatur in vallé, caput deposuit, mulierque quæ laxè vincta fuerat, in aquam lapsa est. Sed beata Maria non passa est eam mergi, imò eam super vndam evectam fluminis in ripa constituit. Abstracta de flumine in horreo cujusdam nobilis, cuius Dominus cor tetigerat, ab hominum sequestrata consortio solitaria jacebat: quia præ fœtore eius & vulnerum immanitate gravabantur intuitus assistentium, & obfactus. Miles autem curã eius agens, vulneribus vinum & oleum infũdi jubebat. Mulier interim cura medentium & adminiculo ciborum reformabatur, sed modicè: & semper genitricem Dei in mente ruminabat, per eam sanari se sperans; signisque & nutibus, & quibus poterat verbulis ad Rochemador se ferri precabatur. Ad quam Ecclesiam tandem miseratione multorum delata est. Vbi cùm incuruata sursum respicere non posset, persistens in oratione, & cordis contritione exaudiri meruit, & sanari.

Miraculum B. Virginis de Roche-Mador.

Ea tempestate Henricus Belvacensis Episcopus transfertur in Archiepiscopatum Remensem. 1167.

Cui in Episcopatu Belvacensi successit Bartholomæus. 1168. Henricus Rex Angliæ majorem filiũ suum Henricum generum Ludovici Regis Francorum in odium S. Thomæ Archiepiscopi Cantuariensis fecit consecrari in Regẽ à Rogero Eboracensi Episcopo: quod solùm ad Cantuariensem pertinebat Archiepiscopum. 1159.

Eo tempore in partibus Orientis, & in terra promissionis, exigẽtibus peccatis hominum, terræmotus multas vrbes, Ecclesias, oppida, & villas subruit, & innumera populorum millia hians terra deglutivit, & ædificiorum casu mortuos operuit. Inter ceteros, qui tam repentino cadebãt excidio, Hermannus quidam, genere Viennensis, educatus Antiochiæ, cùm esset in castro Cęsareo, quod est de jure Patriarchatus Antiocheni, in Ecclesia B. Petri dum videret coruscationes, fulgura, & tonitrua; & hiatus terræ ex his dumtaxat, qui erant in Ecclesia, plusquam 140. vivos deglutisset, ipse quoque collotenus jam delapsus, piissimam matrẽ Domini apud Rochemador patrocinantem invocavit; & preces suas exaudiendas continuò sensit. Nam cùm circumquaq; morientes rugirent, & ad inferiora terrę ruerẽt, hic licet coarctaretur à terra, & penè suffocaretur, auxilio Reginæ virginum à terra extractus evasit vivus. In Natali Apostolorum Petri & Pauli cõ-

1170.

Alterum eiusdẽ Virginis miraculũ. 1151.

1171. tigit hoc opus horrendū. Henricus Rex Angliæ sicut Domino Papæ, & Ludovico Regi Francorum promiserat, pacē facturus cum Archiepiscopo Cantuariensi, fecit Missam cantari pro fidelibus defunctis, sciens quòd ad eam pax non daretur, nolens pacē sumere ab Archiepiscopo. Vnde & idem S. Archiepiscopus eodem anno in Ecclesia, & pro Ecclesia martyrium passus est.

1172. Robertus præpositus de Area Episcopatus duos regebat, Attrebatensem & Tornacensem, filius fabri cujusdam rustici Carnotensis: qui, vt ajunt, familiari dæmone vtebatur: per quem ad tantos honores venerat.

1173. Civitas Rothomagi obsessa est à Ludouico Rege Francorum, & Henrico novo Rege, & Philippo Comite Flandrensi.

1174. Obiit S. Petrus Tarentasiēsis Episcopus: obiit & Gaufridus 4. Abbas Mortuimaris, cui successit Richardus 1. Abbas de Valacia.

1175. Præpositus de Ares à ribaudis occiditur procurante, vt ajunt, necem eius Iacobo de Avénes inclyto milite.

1176. Nō multò pōst, imò eodem anno mortuus est Henricus Remēsis Archiepiscopus. Fuerat autem invidia magna inter eos de potentatu: quia ille dominabatur Flandriæ, iste Franciæ; & ābo in brevi extincti sunt.

1177. Ecclipsis solis hora 6. facta est Idibus Septembris.

LIBER XLIX.

1178. PHilippus Ludouici Regis filius coronatur in Regem anno regni patris sui 40. viuente adhuc patre, qui codē anno mortuus est.

1179. Igitur anno Henrici Regis Anglorum 7. regnat Philippus Ludovici filius: qui anno præcedente coronatus fuerat in Regem Remis à Guillelmo Remensi Archiepiscopo Calendis Nouēbris. Qui videlicet Guillelm' de Archiepiscopatu Senonensi in Archiepiscopum Remensem translatus erat. Post Richardum fit Abbas 6. Mortuimaris Guillelmus Anglicus, 2. Abbas de Valacia.

1180. Philippus filius Roberti de Brena, nepos Ludovici Regis Francorū, & cognatus huius Philippi qui nunc est, qui per industriam patrui sui Henrici Remensis Archiepiscopi electus est in Episcopum Beluacensem, rediens à via Ierosolymitana, 4. anno electionis suæ consecratur.

1181. Obiit Alexander 3. Papa 175. Qui cùm aliquando à quodam appellaretur bonus Papa, respondit. Bonus Papa essem, si scirem prædicare, judicare, & pœnitentiam dare.

Lucius 3. Papa 176. Lucius fit Papa 176.

1182. 1183. Obiit Henricus Rex Anglorū junior, & Rotholdus Rothomagensis Archiepiscopus: cui successit Galterus de Constantia.

1184. Florebat hoc tempore Petrus monoculus Abbas Claræuallensis: qui sublimitatem generis sui semper, quantum potuit, dissimulatione celauit. Igniaci nouitius factus est. In cibo nil vmquam præter commune sumpsit, de ipso cōmuni multum & sæpe sibi subducens.

B. Petri Claraual. Abbatis vita. Cucullam tantum habebat & tunicam. In hieme præter solitū vnam cucullam, vel vnam tunicam habebat. Botis numquam vsus est, nec pedulibus, nisi simplicibus. Vigiliis & jugiter & pertinaciter interfuit. Vilis volebat videri, non humilis prædicari. Gratias sæculares nec habuit, nec habere quæsivit; vt politum eloquium, venustatem personæ, industriam in negotiis sæcularibus, favorabilem largitatem. Bona intima possidebat. In exterioribus se obscurum esse gaudebat. Nec sic obscurus & vilis erat, vt putabat; sed apud rectè judicantes multùm venerabilis & amabilis erat. Nocte quadam antequam veniret Igniacū vidit in visu noctis, quod aulam ingrederetur pulcherrimam, in qua sedes erat posita, & super sedem sedens quædam Domina, vultus admodū reuerendi. Ingredienti aulam occurrebant canes nigri & horribiles, qui impetu facto in eum, lacerare eum volebant. Sed Domina illa magna & venerabilis canes authoritate sua magnificè fugavit, & Petrum ad se vocatum blandis manibus, & dulci demulcens alloquio, securum esse iussit. Erat semper in eodem statu: à quo cùm quidam Abbas familiaris ejus quæreret, quomodo idem semper esse posset, respondit. Cùm essem nouitius quidam spiritus sensibiliter visus est in me intrare. Ex tunc vsque nunc spiritus ille, vis illa, vel affectio mihi quodammodo dominatur, regit me, & deducit velut ouem Ioseph: sparsum per inferiora frequenter introrsū colligit, aliis volentem intendere ad orationem cogit. Ea quę oculis ingrediuntur, aut auribus obstrepunt, facit aliquoties non sentire. Sicut dicit Gregorius. Quem perfectè æternæ vitæ charitas absorbuerit, ad terrena foris desideria velut insensibilem reddit. Cùm adhuc nouitius esset in Ordine, aliquando vigiliis intererat, aliisque psallentibus ipse stans in choro dormiebat: sensitq; quasi tactum alicujus, qui pulsans eū suaviter, excitabat. Putauit Priorem esse, & euigilans apertis oculis neminem vidit. Cumque ei sæpe contigisset, & sæpius excitatorem non videret, intellexit diuinam esse virtutem: & ægrè ferebat, quod se ei offerebat, & non se ei ostendebat. Quadam igitur nocte cùm solitum excitatorem sensisset, excitus oculos citò aperuit, & intentus vidit sibi astare juvenem splendidum & decorum; & quasi aureos habentem capillos. Qui statim ab illo discedens, per medium chorum ibat, morosè & manifestè incedens. Qui postquam ita diu apparuerat, disparuit. Media nocte Dominica fratres psallebant, & ipse cum illis. Tunc dolor capitis eum invasit, tam vehemens, vt chorum egredi cogitaret: & cùm se propter hoc moveret, audivit vocem dicentem sibi. *Laudans inuocabo Dominum, & ab inimicis meis saluus ero.* *Psal. 17.* Hac voce confortatus remansit: & post modicum invalescente iterum dolore, iterum egredi disponebat, & iterum insonuit vox præmissa. Tota illa nocte & sequente Dominica vsque ad finem cōventualis Missæ non cessavit conflictus ille doloris, & confortatio vocis. Cumque in ordine suo accessisset ad cornu altaris, vt communionē acciperet, in ipsa inclinatione visum est ei, quòd lapis magni ponderis de capite suo corrueret, & protinus se erigens, & sanctam communionē sumens ab omni illo dolore sanatus est. Quidam Religiosus eius familiaris aliquando tentatus de nostræ fidei ratione, quæsivit ab eo in confessionem

ne sua, si vnquam talem tentationem sensisset. Qui ait. Non inficior, me plerumque tali cogitatione pulsatum: sed multiplex experimentum fidei omnem meam talem infirmitatem firmavit. Quæsiuit ille, quod esset experimentum. Multa, inquit, de Deo sensi, & aliquando tale aliquid, quod cùm sentire desij, grauiùs tuli, quàm si in clibanum ardentem projicerer. Factus est prior Igniaci, deinde Abbas Vallis Regis. Quam electionem talis visio præcessit. Videbatur Abbati, qui tunc præerat Igniaco, candelabrum ardens & lucens ante altare majus positum subitò per majorem vitream exire: post modicum electus est. Quidam de mercenarijs Vallis Regis mercedem suam à cellerario exigens habere non poterat, cellerario asserente, de jure ei reddendam non esse. Quod cùm mercenarius ad Abbatem referre vellet; qui tunc ægrotabat, non poterat, quia cellerarius eum introire non sinebat. Furens igitur ille ad vnam de grangiis finitimis accessit, ferés prunas ardentes in cacabo, vt eam incenderet. Hoc eo cogitante ecce adfuit Abbas, & quid vellet agere, inquisivit. Expauit ille viso Abbate stupore vehementi; & totũ propositum causamque propositi confessus est. Cui Abbas. Ne facias hoc, cras ad me in infirmitorium veni, & mercedem tibi iubebo restitui. Fecit ille, vt sibi fuerat imperatum. Emissoque homine cum spe certa mercedis habendæ, dixit Abbas servienti sibi fratri Nicolao. Verè frater, si nos de domino cogitaremus, Domin⁹ cogitaret de nobis. Conjiciens ille frater aliquid eum magni vidisse, insecutus est hominem abeuntem, prudenter & ingeniosè pollicens se & celare cõsilium, & accelerare negotium; rei gestæ narrationem extorsit. Morbus, quem fistulam dicunt, eum molestabat. Ille morbũ celabat, sed se morbidum celare non poterat, transivitque per locum illum monachus quidam de Claravalle, celebris in arte medicinæ. Suggesserunt ei fratres de morbo Abbatis, & ipse suasit & persuasit Abbati, vt morbum inspiceret. Vidit, & fratribus fistulam esse respondit, & eo loci, quo secari, ac per hoc sanari non possit, & adjecit. Homo iste si Pascha viderit, numquam amplius morietur. Iste tamen convaluit: multisque postea vixit annis. Vocatus ibat ad electionem Abbatis Igniacensis, cum Roberto quodam monacho Igniaci, religioso & literato, quem secum habebat, vt pote familiarem, ad suam consolationem. Orabat autem intentè Dominum, vt sibi inspiraret, ad cujus electionem aspirare deberet. Hæc eo cogitante & orante, audivit vocem dicentem sibi. Cùm ad illum locum veneris, quod requiris agnosces. Iam locum illum contingebat, & nondum voti cõpos erat. Orante illo attentiùs, vox iterum dixit. Interroga monachum illum, qui tecum vadit. Ipse tibi dicet, quis futurus sit Abbas. Accersito statim Roberto, dixit ei Abbas. Pergimus Igniacum; & credo, quòd ex me plurimũ pendebit electio. Vos, qui fratrum mores cognoscitis, dicite mihi, quem digniorem hoc officio judicatis. At ille incunctanter, Nullum vobis digniorem judico: ideo vos futurum Abbaté prædico. Cui Abbas. Scio, quòd promotionem meã velletis: sed hoc non est positum in vestra potestate. Volo, vt alium quemcumq; eligi dignum nominetis. At ille, Nullum, inquit, alium nominabo. Vos desiderant vniversi, vos eritis Abbas. Ventum est Igniacum; & vnanimi cõsensu omnium absq; vlla contradictione electus est in Abbatem. Porrò antequam eligeretur, quidam frater religiosus, nomine Nicolaus, qui diu functus est officio Cantoris, precabatur jugiter Dominũ, vt eis idoneum provideret Abbatem. Cui aliquãdo oranti vox manifestè sic ait. Nicolae, habebis Abbatem, & ille ostendet tibi, quid te oporteat facere. Ostensurus enim erat omnibus veræ Religionis, & sancti fervoris exemplum. Cumq; Petrus factus fuisset Abbas, Nicolaus supra cõmunem ordinem aliquid attentare volebat: sed quia delicatus & debilis erat, nequaquã præsumebat. In hac fluctuatione positus audivit aliquando vocem dicentem sibi. Nicolae, numquam formides pœnitẽtiam agere. Quidam religiosus familiaris ejus aliquando cum illo comedens, cùm videret pisces coram se positos non gustantem. & eũ nimiæ parcitatis argueret, respondit. Imò parciùs comederem, nisi corpori meo parcerem. De illo dicere solebat Gislebert⁹ Abbas Fusniaci. Neminem vnquam vidi, cui de singularitate min⁹ malè contigerit. Plurimisque eum intimè nescientibus simplex videbatur & hebes, quia tardiloquus erat; & cum loquebatur, quasi laicus. Omnia enim bona sua occultabat. Balduinus miles clarus genere, & dives valdè, nihil mali relinquebat, nisi quod facere non poterat, Petrum tamen Abbatem Igniaci valdè diligebat, & res ejus à quibuslibet iniuriis tuebatur, cùm aliis domibus multa mala inferret. Infirmatus vocauit Abbatem, qui audita ejus confessione monuit eũ, vt renuntiaret seculo, annuit ille, sed licentiam à conjuge habere non potuit. Reversus est Abbas ad monasteriũ. Non multò pòst ille desperatus de vita à parentibus suis ad monasterium adductus est, deputatur in cellam, vestitur sacro habitu, & ei custodes deputantur. Eadem nocte tabula pro eo pulsata excitati fratres accurrunt; persoluit Abbas officium, dicuntur etiam 7. Psalmi, sed nondum migrat. Recollocant se fratres. Interim duo ex fratribus super infirmo duas visiones vident. Vnus videbat, quod totus Conventus ante infirmum stabat, inclinatoque humiliter eo, pacis osculum ei dabat. Alter videbat, quòd infirmus jacens in lecto vellet de lecto surgere, sed non posset. Cumque ei adesset, vt adiuvaret eum, dicebat infirmus. Noli me adiuvare, opera tua non indigeo. Nam beatus Benedictus adjuvat me, qui etiam mandat Abbati, vt ipse mihi coronam faciat. Nec mora, secundò pulsatur tabula; adsunt fratres, migrat infirmus, & portatur in chorum. Vigilatur circa eum, Abbas vadit pausatum, qui tunc paulisper ægrotabat. Qui jacens in lecto, & adhuc vigilans, cœpit cogitare, & secum dicere. Domine Deus, quid erit de homine isto, quem tantorum astringunt vincula peccatorum? Quid ei prodest, quòd mala sua confessus est, & quòd in extremis pœnituit, & quòd habitum Religionis sumpsit? Vbi est modò: bene illi est, an malè? Hæc cogitãs audivit vocem dicentem. Ipse n ultũm indiget auxilio. Hoc audiens Abbas statim ad Ecclesiam ivit in spiritu, & quasi genua flectens ante singula altaria sanctorum, quæ ibi erant, tota devotione qua poterat, eorum patrocinia implorabat, quatenus illi à Domino misericordiam impetrarent. Hoc facto clauduntur Abbatis oculi, & subitò labitur in somnum. Moxque vt dormire cœperat, quasi grandi mole sensit se gravari: intellexitque, quòd malignus spirit⁹

B. Petrus ex Abbate Vallis Regis Abbas Igniaci.

Visio de B. Petro monaculo.

In visione incendiariũ compescit.

Balduini militis conversio.

Visiones de Balduino.

Disceptatio pro anima Balduini.

esset, qui sic eum opprimebat; qui etiam dicebat. Quid est, quod facere conaris? Respondit Abbas, quid est, quod facere intendo ego? Et diabolus. Putas te Balduinū posse auferre mihi, qui in peccatis suis vsque ad finem vitæ permansit? Cui abbas. Nonne peccata sua confessus est: nōne in extremis pœnituit, & ad Dei misericordiā confugit? Etsi cætera omnia taceam, nescis, quia sanguis Christi pro peccatoribus effusus est in remissionem peccatorum? Per pretiosum illum sanguinē, qui de latere dormientis in cruce manauit, te coniuro maledicte, vt hinc protinus abscedas, & in illum nullam potestatem habeas. Victus & confusus diabolus aufugit, & Abbas de victoria exhilaratus, *Te Deum laudamus*, cātare cœpit, & cantavit dormiens, vsque ad illum locum, *Tu Rex gloriæ Christe*: & evigilans totum hymnum in Dei laudem persoluit: & cùm adhuc in ore haberet versum illum, *In te Domine speravi, non confundar in æternum*, horologium cecidit. Surgit Abbas ad vigilias, vocis illius memor, quæ ei dixerat, Balduinum auxilio indigere. Orauit tota nocte pro illo. Mane fratribus in Capitulo congregatis, injunxit singulis tricenale pro eo, quod & ipse facere statuit. Per illos dies 30. Balduinus sæpe apparuit in specie supplicantis, tamquam auxilium postulans, & tunc maximè, quando Abbatis devotio tepida erat & languens. Quadam die ibat Abbas ad grangiam, & ea die Missam cantare non potuit. Apparuit ei Balduin⁹ in via, multò tristior quàm soleret. Tricenario evoluto die sancto Parasceues ante Pascha cùm legeretur secunda lectio vidit Abbas duos homines vestitos purpura, speciosos nimis, venientes ad medium chori Qui fratrem Balduinum vestitum Isembruno medium deducebant. Cumque adduxissent eum ante Abbatem, in loco quo sedebat, præsentauerunt eum illi dicentes. Hic est Balduinus. Cogitante autē abbate, quid de eo essent facturi, ducunt eum ad altare, & sic eum offerunt. Quo facto visio non comparuit. Posthæc Balduinus Abbati non apparuit. Intellexit autem Abbas in oblatione illa, quòd Balduinus erat reconciliatus; sed in nigra veste, quòd adhuc pœnæ subjacebat. Paulò autem antè quàm Balduinus iste moreretur, miles quidā in extremis positus, mandauerat Abbati, vt se visitaret. Veniens Abbas confessionem ejus audivit, & ei consuluit; vt sæculo renuntiaret; & in Valle Regis, quæ domui ejus erat vicinior, habitum Religionis sumeret, quod & fecit. Abbas reuersus Igniacum, cogitare cœpit dicens. Quid proderit militi isti Religionis habitus sic assumptus? Et audivit vocem dicentem. Multùm proderit ei; & scito quòd in isto & in quolibet, qui in Ordine Cisterciensi moritur, nullam habiturus est diabolus potestatem, donec data fuerit de eo sententia.

Balduinus apparet post mortem.

Henricus comes Campaniæ precatus est aliquando servum Dei; vt pro se Dominum precaretur. Celebravit ille Missam, intercessurus pro eo. Expleto mysterio cùm ille dicturus extremam collectam ad suos se convertisset ministros, apparuit ei Comes absens, signum crucis habens in veste, sicut habere solent, qui Ierosolymam ire proponunt. Nondum tamen, vt Comes postea professus est, sibi signum crucis aptaverat; sed eo die post multam fluctuationem hoc se facturum indubitanter firmavit. Sedebat aliquando in Capitulo vir beatus, & erat dies annua obitus cujusdam fratris. Cantor, ad cujus officium hoc pertinebat, suggessit ei, vt fratrem illum, sicut erat consuetudo, absolueret. Abbas autem respondit. Indiget absolutione. Quo dicto absolvit eum. Quidam autem de senioribus, nomine Ioannes, non procul ab eo residens, notavit verbum illud: & causam sermonis ab eo data opportunitate quæsivit. Qui respondit. Nuper mihi vigilanti visibiliter apparuit: interrogatusque à me, an adhuc Dominum videret, respondit. Nondum est tempus. Quo dicto disparuit. Testabatur autem idem Ioannes, quòd diu & religiosè conversatus fuerat in Ordine, biennio ante mortem suam molestissimo morbo, & vt ipse putabat, purgatorio fuerat fatigatus. Sed nimirum non solùm arcta, sed & longa est via, quæ ducit ad videndum Deum; & beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Sed quis gloriabitur mundum se habere cor? Per multas tribulationes, hoc est purgationes, oportet nos intrare in regnum Dei. Ad hoc opus est longo limæ labore. Orabat aliquando sanctus in quadam Ecclesia; & oranti astiterunt sanctus Bernardus & sanctus Malachias. Conversus ad ipsos suam orationem & intentionem direxit. Cui vnus eorum dixit. Tu eris Abbas Claræuallis. Quo dicto disparuerunt, & ille territus remansit, quia numquam hoc fieri voluisset. Non multò pòst Abbas Gerardus Claræ-vallis Igniacum venit: vbi tunc erat Hugo de Basochiis, qui grauiter in Ordine deliquerat: cujus offensam præfatus Gerardus regulari severitate vindicauerat. Et erat ille Hugo cum fratribus ægris corpore, mente jacens infirmus. Et cùm Abbatem disponeret occidere, sedebat in vestibulo domus infirmorum frater quidam religiosus Haymo nomine, natione Remensis. Tunc vidit ille Haymo duas horribilis formæ personas introire in infirmitorium. Abbas autem Gerardus nocte illa vigiliis interfuit; & dum iret propter necessitatem in dormitorium, Hugo in insidiis positus ferro ad facinus præparato illum lethaliter vulneravit; qui vixit vsque in diem sequentem. Circa vesperum positis coram ipso fratribus dixit. *Dirige me Domine, in veritate tua, & doce me: quia tu es Deus, salvator meus, & te sustinui tota die.* Et hoc dicto obdormiuit in Domino. Cuius corpus Petrus vsque Claram-vallem deduxit, valde timens, ne Abbas fieret. Sed tunc Abbas factus est Henricus quidam, vir potens opere & sermone: qui post modicum in Episcopum Cardinalem assumptus est. Tunc erat Prior Claræ-vallis Gislebertus, qui postea fuit Abbas Fusniaci, qui cogitabat Petrum ab Igniaco trāsferre Claram-vallem. Ad quem ita cogitantem frater quidam ait. Videbatur mihi, quòd nuntiabatur nobis, ad hanc domum Christum Dominum aduenire. Occurrebamus obuiam ad fores monasterii. Videbamus eum non habentem speciem, neque decorem; statura breuem, habitu pauperem, aspectu despicabilem. Nulli tamen erat dubium, quin ipse esset Dominus Iesus Christus. Audiens hoc Gislebertus intellexit Christum in forma Petri apparuisse. Petrus autem ad electionē citatus aufugit; qui tamen absens electus est. In eodem itinere cùm monachi Claræ-vallenses deferrent corpus Abbatis Gerardi Claram-vallem, & venissent cum corpore apud Catalaunū, & Petr⁹ tristis deduceret corpus, idē Gerardus apparuit Petro Abbati Igniaci,

Monachus pius à gloria diu dilatus.

B. Gerardus Claravallis perimitur.

Psal. 24.

dicens. Noli contristari de morte mea; quia cum Domino nostro Iesu Christo sum. Cùm veneris apud Claram-vallem, facies obsequium meum, & sepelies me. Cùm ergo idem Petrus rogatus ab aliis Abbatibus cantaret Missam pro defuncto, & esset in Canone Missæ, apparuerũt ei sanctus Bernardus, & sanctus Malachias: vnus ex vna parte altaris, & alius ex alia, dicentes. Noli dubitare, quòd Abbas Girardus sit socius Angelorum, & in gloria æterna. Cùm igitur lateret Petrus, ne fieret Abbas Claræ-vallis, quæsitus inventus est in quadam grangia, inter Conuersos conuersans, & ea die fœna in pratis versans. Inde ductus Igniacum, precibus vinci non potuit: sed Ordinis authoritate coactus regimen suscepit. Crastino die cùm proficisci deberent, Gisslebertus febre correptus est. Ad quem Abbas. Quare me in necessitate relinquitis? Ait. Quia febricito. Cui Abbas, Surgite, eamus hinc, febris vobis vlteriùs non nocebit. Surrexit ille, & post paululum sanatus est. Post aliquod tempus visitabat Abbatias Claræuallis, & Gisslebertus cum eo; qui sedebat in equo suauiter portante, sed sæpius offendẽte. Quod videns Abbas arguit eum, quare tam periculoso equo vteretur. At ille, quia inquit, inuidiosus non est, & suauiter portat. Sed si mihi metuitis, rogate Dominum, vt ampliùs hoc vitio non laboret. Ad quem Abbas. Nunquid de jumentis cura est Deo? Attamen oro Deũ, ne ita corruat, vt vobis malum faciat. Vsus est eo postea Gisslebertus multis annis. Mox autem vt factus est Abbas Fusniaci, equum & Boherias deseruit. Sed quidam Boheriarum frater equum illum ascendit, sub quo, imò super quẽ equus ille tam grauiter corruit, quòd frater ille crus fregerit.

B. Petrus ex Igniaco Claramvallem translatus.

Papa Romanus audita eius fama, vocauit eũ, & peccata sua ei confessus est, & sanctam Eucharistiam de manu eius suscepit; & etiam habitum Cisterciensis Ordinis suscepisset, si vir Dei permisisset: sed sumptus necessarios dedit ei ad faciendam vnam illius Ordinis Abbatiam. In quadam Ecclesia Gallicana orta est dissensio inter clericos de electione Pontificis. Præsens erat Cardinalis Romanus. Compromiserunt in eum clerici, quòd de duobus, quos illi nominauerãt, illum eligerent, quem ille nominaret. Cardinalis virum sanctum consuluit, quis de duobus melior illi videretur, qui respondit. In duobus falsis denariis melior inueniri non potest. Cùm adhuc esset in Valle regis Abbas, ex violentia morbi capitis alter à duobus oculis eius totus liquefactus effluxit, & factus est monoculus. Qui postea jocando dicere solebat, vnum se de inimicis suis euasisse, & se à residuo magis quàm à perdito formidare. Quod ad solatium damna corporis ægre ferentium dicebat, eos per compassionem in se transformans, seque eis per humilitatem similans. Nam à sensibus suis corporeis vir jam cõsummatissimus nõ metuebat. Dum adhuc esset Abbas Igniaci, fratres aliquando Priorem non habebant; cumque differret eum constituere, senior quidam causam dilationis ab eo inquisiuit. Qui respondit. Super hoc Dominum rogare non cesso, nec aliquod ab eo responsum accipio. Nominauit autem ille senior vnum, quem idoneum æstimabat. At ille. Non vult hunc Dominus. Ex hoc satis liquet, quàm familiaris erat Deo. Ferebat equitando scapularia peditum pastorum, cappa pendula, & vetusta indutus. Dixit ei aliquando quidam religiosus familiaris, equitans juxta eum. Præcedam' eos qui nos pręcedunt, vt procellam huius pulueris euadamus. Qui respondit. Si præcedimus, erunt ipsi in sorte in qua sumus, & pœna reuersura est in caput ista suum. Quodam messionis tempore, exierat cum fratribus ad laborem. Dum ergo monachi pausarent in silentio, vidit Abbas tres mulieres pulcherrimas venientes inter fratres, quarum vna ceteris mirabiliter præcellebat. Tunc Abbas iuit obuiam illis, & ait. Certè multùm audaces estis, quæ sic venitis inter nos. Nonne bene scitis, quòd mulier non debet venire inter nos; inter fratres scilicet de Ordine nostro? Tunc illa preclarior ceteris. Ego bene debeo venire inter meos. Ego enim sum mater Domini Iesu Christi Maria, quæ venio visitare messores meos; & ista est Maria Magdelena, & ista est Maria Ægyptiaca. Quo audito cecidit Abbas ad pedes eius; quos cùm vellet amplecti, euanuit. Eo mortuo, quidam frater vnum de dentibus eius pro reliquiis extrahere cogitauit: putans hoc se facilè facturũ, quia mortuus os apertum habebat. Cũque se ad hoc faciendum præpararet, os ita clausum & obstructum reperit, vt propositũ implere non posset. Quidam monachus Prior cuiusdam cellulæ virum sanctum frequentare solebat. Qui graui tentatione pulsatus, & peccatorum vinculis irretitus; eius consilium & auxilium expetebat, jusserat autem eũ bonam spem diuinę consolationis habere. Qui audiens illum mortuum, valde contristari cœpit. Post mortem apparuit ei sanctus in somnis, consolans eum; & asserens, quòd ab omni tentatione sua sanatus esset. Euigilans ille somnium credidit, & sponsionis exitũ expectabat. Post paucos dies persona quædam, cuius amore ligabatur illicito, & qua viuente se sanari posse non sperabat, defuncta est. Quo audito gauisus est ille dicens. Laqueus contritus est, & nos liberati sumus.

Petrus vnde monoculus.

Claravallenses visitat B. Virgo.

Eodem tempore multa sanctitatis gratia florebat Hugo venerabilis Abbas Bonæuallis, qui juvenis relinquens sęculũ conuersus est in domo Cistercensis Ordinis, quæ dicitur Maceriæ; & cœpit valde religiosè conuersari. Et post hæc tẽtatus valde, cogitabat ad seculum redire. Et hoc cogitans, intrauit templum, vt oraret. Et orauit cum lacrymis, & flexis genibus tetendit manus in cœlum, & oculos lacrymis plenos leuauit in cælum. Et vidit super altare matrem misericordiæ vestitam lumine sicut vestimento: & visum est ei, quòd videret Iesum filium eius juxta eam; & quomodo annuntiatus fuerat ab Angelo, & de Virgine natus, & pastoribus annuntiatus: & quomodo circuncisus, & captus à Iudæis, & flagellat', & illusus, & crucifixus, quomodo resurrexit tertia die, & quadragesima ascendit in cælum. Cùm hæc omnia videret, dixit ei Domina nostra. Viriliter age, & confortetur cor tuum in Domino: & certus esto, te amodo talibus tentationibus non pulsandum. Post hæc cœpit nimiis abstinentiis se affligere, ita vt penè sensum & memoriam perdere videretur. Interea sanctus Bernardus, qui tunc adhuc viuebat, venit ad eũ per Dei prouidentiam, & jussit eum mitti in infirmitorium, & vt ei singulis noctibus vigiliæ cantarẽtur, priusquam ceteris infirmis; quatenus postea satis posset dormire; & vt haberet generalem licentiam loquendi vbi vellet: & ita per Dei misericordiam in breui conualuit. Tunc cœpit

1185.

B. Hugonis gesta praeclara.

in eo religio multa feruescere. Nec multò pòst Abbas factꝰ est Bonæuallis. Sub hoc sancto viro factus est quidam juuenis nouitiꝰ valde feruens in suis principiis. Quis postea tentatus valde cogitabat ad seculum redire, & hanc cogitationē confessus est Abbati. Qui cœpit ei suadere, vt remaneret, sed nihil profecit. Nam ille affirmabat omnimodis se recessurum. Tunc Abbas. Fili, miserere animæ tuæ, placens Deo, & ne perdas gloriam tibi paratam. Ego enim spondeo tibi, & fidejussorem huius spōsionis me statuo, quòd si tu remanseris, sanctorum Angelorum æternus socius eris. Ad hæc verba confortatus ille in Domino perstitit, & optimè postea conuersatus est. Qui duobus annis antequam moreretur grauissima infirmitate laborauit; intantum, vt ei fratres valde compaterentur, videntes dolorē eius nimium. Ad quem confortandum missus est sanctus Iob cum maxima claritate, qua ortum infirmitorium repletum est. Cumque infirmus de tanta claritate miraretur, dixit ei sanctus Iob. Scis tu, quis sum ego? Et ille. Nescio, Domine. Ego, inquit, sum Iob, quem pater misericordiarum & Deus totius consolationis misit ad consolandum te. Sicut ego in tali infirmitate patiēs fui, sic & tu: & ideo mecum florebis in gloria mea, & cras eris mecum, & metes quod seminasti. Quod & factum est. Non multò pòst apparuit Abbati suo in gloria magna, reddens ei gratias, quòd per eius admonitionem in Ordine perstiterat. Sub eodem viro sancto facti sunt nouitij clericus vnus, & miles vnus perfidus & dolosus; qui in eodem anno castella duo tradiderat & destruxerat. Huic militi dormienti videbatur in visu noctis, quòd in puteum caderet tam profundum, vt tres dies consumeret in cadendo, donec ad fundum perueniret. Quod cùm Abbati sancto retulisset, ille interpretatus est puteū abyssi infernalis, in quem casurus erat, si Ordinē relinqueret; & ideo monebat eum, vt remaneret. At ille noluit, sed recessit; & tertia die ab inimicis suis interfectus est. Clericus tētatus, sed non victus confessus est Abbati tentationem suam: quem consolans Abbas, promisit ei, quòd si remaneret, Regina mundi pro anima eius veniret, & duceret eam in requiem suam, quod & factū est. Nam pridie quàm moreretur, apparuit ei Domina nostra, dicens se venire propter eum, & quòd in die crastina futurus esset in requie æterna; & ita contigit. In Annuntiatione beatæ Mariæ cùm idē Abbas excitaret fratres in choro ad vigilias, vidit diabolum in medio choro stantem in forma horribili, ita vt ipse Abbas præ timore caderet. Qui leuatus à fratribus signauit se, & rediit ad sedem suam. In crastino narrauit Abbas in Capitulo, quid viderat, & dixit aliquem de fratribus esse in criminali, propter quē diabolus venerat. Quo audito omnes timuerūt; sed qui reus erat celauit conscientiam suam. In altero crastino iterum dixit Abbas, adhuc diabolum esse inter illos: & tunc fratres omnes cōfessi sunt, & acceperunt singuli disciplinas, precantes Dominum, vt rei conscientiam reuelaret Abbati; quod & factum est. Tunc Abbas reum traxit in partem, & dixit ei peccatum suum. Quo audito ille cecidit ad pedes eius, rogans veniam sibi dari, & pœnitentiam secundùm voluntatem Abbatis sibi iniūgi: Quo facto diabolꝰ vltra non comparuit. In quadam filia Bonæuallis Abbas quidam genere nobilis, sed moribus degener, dignis ex causis ab hoc sancto viro depositus est, & alius dignior in loco eius substitutus. Cumque post hoc factum sanctus Hugo discederet, quidam garrulus familiaris depositi cœpit ei detrahere, & publicè dicere, quòd propter inuidiam magis quàm propter justitiam eum deposuerat. Quo audito S. Hugo manibus extensis in cælum rogavit Deum, vt manifestaret, se pura & recta intentione hoc fecisse: & mox ille garrulus insaniens cœpit discurrere per totam curtē Abbatiæ, & comedere stercora pecorum, quæ ibi erant. Quo viso misertus eius vir sanctus, oravit pro eo, & sanatus est. In domo Bonævallis erat quidam monachus fervens, qui cùm esset debilis corpore, semper tamen tenebat Conventū. Tandem incidit in paralysin, & diu lāguit in infirmitorio. Ibi erat magister nouitiorū, Ioannes nomine, infirmus vsque ad mortem: cui serviebat quidam frater, nomine Benedictus; ad quem Ioannes ait. Frater Benedicte, audis, quæ ego audio? Cui ille, Nihil audio: quid auditis? Audio, inquit, voces Angelorum psallentium, tamquam vocē citharœdorum multorum, qui veniunt pro anima nostri paralytici: & ego cras eum sequar. Festina pulsare tabulam: quia anima ejus multū festinat egredi. Tunc frater Benedictus cucurrit pulsare tabulam; & antequam fratres omnes essent cōgregati, migrauit ille paralyticus: in crastino Ioannes. Quidam famulus Cellerarij Bonævallis infirmatus est vsq; ad mortem, & confessus est peccata sua monacho confessori pauperum: & dixit ille quoddam peccatum, quod monachꝰ timuit recipere, & iniunxit infirmo, vt hoc confiteretur Abbati: quod ille concessit, si viveret. Interim famulus ille mortuus est. Abbas autē cùm rediisset de via post Completorium, & sederet in lecto suo, volens se discalceare, vidit illum mortuum ascendentem gradus dormitorij: qui veniens ante illum cecidit ad pedes eius, veniam petens; rogans humiliter, vt suam confessionem audiret, dicens se missum ad eum propter hoc. Et confessus est cum tanta lacrymarū abundantia, vt etiam Abbas motus est ad lacrymas, & ploraverunt ambo; intantum, vt manica cuculle Abbatis valde humectaretur. Post absolutionem mortuus rogat humiliter Abbatem, vt oraret pro se, quia in magnis tormentis erat. Et dum Abbas vellet tactu probare, vtrum in corpore esset, an in spiritu, mortuus euanuit. In crastino Abbas quæsivit à confessore pauperum, si mortuus illi tale crimen confessus fuisset: qui respondit, Etiā. Et quomodo illud nostis? Ab ore, inquit, ejus audivi. Quidam juvenis monachus in eadem domo nuper decesserat: cujus mater postea viso Abbate cœpit anxiè flere de filio suo. Quam ille cōsolans ait. Noli flere; certa esto, quòd filius tuus in magna gloria est. Ego scio, qualiter vixerit, & quàm sanctè. Quo audito mater ejus recepit consolationem. Non multò pòst cùm idem Abbas oraret, apparuit ei monachus ille in vultu clarissimo, & salutavit eum. Quem Abbas recognoscens, ait. Quomodo tibi est, fili? Bene, inquit, Domine, vt videtis. Nōne pridie dixistis matri meæ, quòd in magna gloria eram? Certè verum dixistis. Et hoc dicto euanuit. Quidam Conuersus de alia domo propter culpam suam missus fuerat Bonāvallem, vbi infirmatus est vsq; ad mortem. Abbas autem visitans eum, rogauit, vt securè cōfiteretur peccatum suum, de quo infamabatur: quod ille nūquam cōfiteri voluerat, nec etiā Abbati proprio,

S. Iob ægrotū visitat.

Diabolus ob crimen vnius apparet.

Detractori luit pœnam.

Mortuus cōfitetur peccata Abbati.

Peccati cela tor nō valet Eucharistiam sumere. Ille autem negauit totum; & petiit sibi dari corpus Domini. Abbas autem Hugo suadebat ei, vt non presumeret corpus Domini accipere, nisi bene confessus fuisset. At ille dicens se bene confessū, institit, vt sibi afferretur corp' Domini: quod cùm Presbyter attulisset, & in os ejus posuisset: ille statim cœpit clamare, Quid faciā miser, quid faciam? Tunc Presbyter abstulit ab eo corpus Domini, quod super linguam tenebat, & mox ille expiravit. Idem Abbas aliquando infirmatus intrauit in infirmitorium, & vidit columbā nive candidiorem super humerum monachi infirmarij: quam cùm idem monachus vellet apprehendere, illa volans, venit ad Abbatem; & intrauit in sinum ejus: & postea exiuit per aperturam tunicæ, & fixit rostrum suū in aure Abbatis, dicens ei verbis humanis, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti: para te, para te, para te. Mandat tibi S. Bernardus, vt vadas facere pacē inter Papam & Imperatorem. Quam ille postea fecit.

1186. 1187. *Vrbanus 3. Papa 177.* Vrbanus 3. fit Papa 177. Obiit apud Parisius Gaufridus Comes Britanniæ, tertius filius Regis Anglorum. Salahadinus totum sibi subjicit Orientem. Hoc anno constituta est, & descripta forma visitationis, quæ legitur hodie in visitationibus per singulas domos Ordinis nostri. 1188. 1189. Rex Philippus Turonum cepit. Henricus Rex Anglorum obiit apud Cenomanum, anno regni sui 35. post quē filius eius regnat. 1190. Rex Francorum Philippus, & Rex Anglorum Richardus vadunt Ierosolymam, vterq; cum magno comitatu: & apud Messanā ciuitatem Apuliæ, siue Siciliæ inimicitias inter se contrahunt. 1191. Rex Francorum subiugat sibi Accaronem, quæ alio nomine dicitur Ptolemais, ciuitas maritima. Rex Richardus invidens gloriæ Philippi Regis Francorū, subtrahebat se ab omni auxilio opportuno, & munera accipiebat à Salahadino. Philippus Comes Flādriæ in expeditione Ierosolymitana moritur. Philippus autem Rex Francorum timens dolum Richardi Regis Anglorum, magisque, vt ajunt, cupiditate ductus terræ Flandriarū, contra volūtatem omnium ferè procerum Francorum à terra Ierosolymitana revertitur: confirmans priùs juramento Richardo, ꝙ infra 40. dies, postquā reversus esset in Franciam, terræ ejus non noceret. Rex Philippus subjugare incipit sibi Normaniā. 1192. Rex Richardus rediēs à via Ierosolymitana captus est & incarceratus à Duce Austriæ, & Henrico Imperatori traditus, missus est in custodiā apud Spirim. In qua custodia cùm idem Richard' peccata sua cuidam Episcopo cōfessus, proposuisset se continere de cetero; non multò pòst quidam Episcopus Angliæ visitans eum, & gratiam ejus captans, suadet ei, quasi pro salute corporis conservanda . . . sicq; miserum in sua nequitia confortauit. *Adulatoris impium consilium.* Retulit hoc mihi quidā Episcopus Hispaniæ familiaris meus, vir religiosissimus: qui id audierat à quodam alio Episcopo, cui idem Richardus in extremis confessus est, se ab alio Episcopo sic fuisse deceptū. 1193. Cùm Salahadinus sciret sibi mortem imminere, signiferum suum vocavit, dicens. Tu, qui soles deferre vexilla mea per bella, fer vexillum mortis meæ panniculum vilem per totam Damascum super lanceam, clamitando. Ecce Rex Orientis moriens non feret secum, nisi hunc pannum vilem. Et sic mortuus est. 1194. Rex Richardus spoliatis Ecclesiis Angliæ & Normanniæ calicibus aureis & argenteis, ac ceteris ornamentis, redimit se à captivitate: plus quàm ducenties mille marcis Imperatori & ceteris Baronibus partim datis, partim sub obsidibus promissis. 1195. Rex Richardus recuperare incipit terram Normanniæ. Idē Rex tam muneribus quàm ꝑmissis omnes ferè proceres Galliæ sibi obligat: & Philippo Regi Francorum omne robur militiæ suæ subtrahit. Innocenti' 3. Papa 181. 1198. Ricardus Rex sagitta percussus interiit. Post quem regnat frater eius Ioannes. Obiit Guillelmus Abbas Mortui maris. 1199. Facta est hiēs asperrima per tres menses & ampliùs continuata: vnde secuta est maxima mortalitas animalium; & maximè ovium ac vervecum silvestrium ex rigore frigoris, & fames secuta. 1200. Civitas Rothomagi cum tota Normannia subiugata est Philippo Regi Francorum. Rex Anglorum Ioannes fugit in Angliam: territus, ne à Baronibus traderetur in manus Philippi Regis. Civitas Constantinopolis à Francis capitur.

FINIS CHRONICORVM HELINANDI.

SERMONES EIVSDEM HELINANDI

Sermo In Adventu Domini.

Ose. 6.

Quatuor Aduentus Christi.

QVASI *diluculũ praeparatus est egressus eius, & veniet quasi imber nobis temporaneus & serotinus terrae.* Quatuor adventus Saluatoris ad homines, qui per istas Dominicas hujus tẽporis designantur, fides Catholica in his sanctis diebus annua deuotione celebrare & recolere consuevit. In carne specialiter ad Iudaeos; in monte ad Electos; in morte ad singulos; in fine ad vniuersos. Primo ad redimendũ, secundo ad justificandum, tertio ad retribuendum, quarto ad seculum per ignem judicandum. De primo habes. *Si non venissem, & locutus eis fuissem, peccatum non haberent,* subaudi, tantum, quantum habent. De secundo, *Veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* De tertio. *Vigilate, quia nescitis, qua hora Dominus vester venturus sit.* De quarto, *Veniet Dominus, & illuminabit abscondita tenebrarum.* De omnibus pariter est illud, quod apposuimus. *Quasi diluculum praeparatus est egressus eius,* &c. Horum namque 4. Aduentuum duo extremi corporales sunt, atque visibiles, id est primus & vltimus: duo medij spirituales & invisibiles; idest secundus & tertius. Ideoque duo extremi non inconvenienter egressus appellantur, duo medij imber. Quasi enim de secreto ad publicum egredi est, vel in carne passibili apparere visibilẽ, mansuetum, & humilem: vel in carne immortali visibiliter exhibere se Iudicem. Primus tamen istorum duorum dicitur occultus, propter humilitatis mansuetudinem, in qua diuinitas incarnata latuit: alter verò manifestus, propter ejusdem carnis iudiciariam potestatem, quam filius hominis visibiliter exercebit. De occultatione primi aduentus habes. *Et homo est; & quis cognoscet eum?* id est quis agnoscet in homine Deum? De manifestatione postremi scriptum est. *Deus manifestè veniet; Deus noster, & non silebit.* Iterum. *Videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerũt.* Ideo, sicut dixi, vterque adventus egressus appellatur. De primo. *Egressus es in salutem populi tui; in salutem cum Christo tuo.* Iterum. *Exijt qui seminat seminare semen suum.* De altero scriptum est. *Egredietur Dominus de loco sancto suo.* Locus Dei misericordia est, locus pax est, juxta illud. *Factus est in pace locus eius.* De hoc loco egredietur Dominus in Iudicio, quoniam obliuiscetur misereri Deus, & nemini parcet, quãdo excitabitur tamquam dormiens Dominus; tanquã potens crapulatus à vino, percutere inimicos suos in posteriora, opprobrium sempiternum dare illis: veniet in furore & in ira; ignis in conspectu eius exardescet, & in circuitu eius tempestas valida. De vtroque egressu intelligi potest, quod hic dicitur. *Quasi diliculum praeparatum est,* &c. Diluculum, quare? quia diluculum tenebras noctis solet effugare. Quae sũt tenebrę noctis? Nox in sacra scriptura tripliciter accipitur: pro ignorantia, pro culpa, pro miseria. Prima nox habet tenebras erroris, secunda tenebras iniquitatis, tertia tenebas calamitatis. De 1. *Nox praecessit, dies autẽ appropinquauit.* De 2. *Qui dormiũt, nocte dormiunt.* De 3. *Per diẽ sol non vret te, neque luna per noctẽ.* De omnibus pariter est illud. *In noctibus extollite manus vestras in sancta, & benedicite Dominum*: quod est dicere in nocte ignorantiae contra tenebras erroris, quęrite lumen sapientiae: in nocte culpae contra tenebras iniquitatis, quęrite lumen iustitiae: in nocte miseriae contra tenebras calamitatis quęrite lumen pacis, & laetitiae spiritalis: quod totum est Christus, qui est virtus & sapientia Dei Patris. Quoniam namque sapientia est, potest illuminare vestram ignorantiam: quia verò virtus est, potest sanare infirmitatem vestrã, idest relaxare culpã, & conferre gratiam; & quoniam Christus est id est vnctus & suauis, potest vos vngere oleo lętitiae cum participibus sui; & auferre ab oculis vestris omnẽ omnino lacrymam. Primas tenebras harum trium noctium fugauit Christus, in primo Aduentus verbo, predicando veritatem: secundas, infundendo cordibus fidelium caritatem: tertias, afferendo omnibus pacẽ. De primo *Tempus requirendi Dominum, cùm venerit, qui docebit nos iusta.* De secundo & tertio. *Orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis.* De omnibus pertinet. *Ego sum lux mundi; qui sequitur me, non ambulat in tenebris.* Et bene lux ista diluculo comparatur; quia sicut diluculum paulatim crescit, donec proficiet in splendorẽ, & perueniat ad feruorem; sic fides Incarnationis Dominicę primò paucis admodũ innotuit; deinde per mundum latiùs se diffudit; postremò vsque ad martyrij ardorem incaluit. Diluculum tres habet gradus: ortum surgentis aurorae, qui est ortus Luciferi; splendorem matutini; meridiei feruorem. De primo. *Iam lucis orto sydere.* De secundo & tertio. *Splendore mane instruis, & ignibus merid em.* Sic fides Incarnationis Dominicae cum suis omnibus Sacramentis, primò annuntiata est: deinde probata, tertiò defensa. Primò annunciata est per simplicem prędicationem; deinde probata per rationem; tertiò defensa etiam per sanguinem. Nunciata est per piscatores, probata est per Philosophos cõuersos, & Rethores: defensa est per vtriusque sexus & aetatis martyres. Nunciata est contra errantes ex ignorantia: probata est contra resistentes de industria; defensa est contra persequentes ex inuidia. In primo gradu fuit quasi ortus surgentis aurorae: in secundo quasi splendor matutinus: in tertio quasi feruor meridianus. Vltimus etiã Christi aduentus tres istas noctes illustraturus

Marginalia (left column): Ioan. 15. — Ioa. 14. — Habac. 2. — Osee. 6. — Psal. 49. — Apoca. 1. — Habac. 3. — Luc. 8. — Isai. 26. — Psal. 75.

Marginalia (right column): Rom. 13. — 1. Thesal. 5. — Psal. 120. — Psal. 133. — Ose. 10. — Psal. 71. — Ioan. 8. — Hymnus

est, & earum tenebras expulsurus. Veniens nãq; Christus ad Iudicium, noctem fugabit ignorantiæ, quando liber aperietur, idest secreta cordiũ: noctem culpæ, quãdo omnes operarij iniquitatis mittentur in stagnũ ignis ardentis & sulphuris: noctem miseriæ, quando absterget Deus omnẽ lacrymam ab oculis Sanctorum. Crescet autẽ etiam istud diluculũ per gradus suos. Erit enim quasi ortus surgentis auroræ, quando corpora de puluere suscitabuntur; erit quasi splendor matutinus, quando boni & mali ad dexteram & ad sinistram segregabuntur. Erit quasi feruens meridianus, quando isti assumentur, & illi relinquentur. Ait ergo. *Quasi diluculum preparatus est egressus eius*; ac si apertè dicat. Sicut impossibile est in hoc temporum cursu naturali & legitimo post noctem non lucescere; sic impossibile, in diuinæ dispositionis ordine nostro Incarnandum Dei filium, ad redemptionem humani generis, & ad iudicium non venire. Sequitur. *Et veniet quasi imber nobis temporaneus & serotinus terra.* Sicut illud, quod præmissum est de comparatione diluculi, duos corporales aduentus significat: sic illud quod subjunctum est de comparatione imbris tẽporanei & serotini, duos spirituales designat. Christus namque quasi imber temporaneus est, quando justificat impium: quasi imber serotinus, quando remunerat justũ. Nam, vt ait Hieronymus, quantum ad literam, imber tẽporaneus est, qui jacta semina coalescere facit: imber serotinus, qui fructus ad maturitatem perducit. Fides per dilectionem operans quasi iacta semina facit coalescere: iustitia iustũ remunerans quasi fructum facit ad maturitatem venire: fructum iustitiæ in vita æterna; fructum corruptionis in morte perpetua. Si autem præparatus est egressus Salvatoris ad saluandum nos venturi: quanto magis nos præparare debemus ad occurrendum ei! sicut scriptum est. *Paratus esto Israel in occursum Domini; quoniam venit.* Paremus ergo, sicut ait Ioannes, viam Domini; rectas faciamus semitas Dei nostri. Idem namque & prorsus idem, paratum esse in occursum Domini, & iam parasse viam Domino venienti. Nõ est tamen scriptũ, Parate viam Domino, sed *Viã Domini.* Omnis enim via, per quam venit Deus ad hominem, Dei est, non hominis. Et quæ sunt viæ Domini? *Vniuersa via Domini misericordia & veritas.* Duo primi adventus, qui sunt in carne, & mente, sunt in via misericordiæ: duo secũdi, qui sunt in morte, & in fine facientes, sunt in via veritatis. Redimere namque animas sub diabolo captiuas, iustificare à peccato impias, opus est immensæ misericordiæ, & non nisi diuinæ. Retribuere autem vnicuique secundum merita sua, & iudicare seculum per materialis ignis incẽdium, opus est veritatis & judicij, soliusque omnipotentis Dei. Parandæ sunt istæ duæ viæ. Ipse tibi vis parare viam misericordiæ? Esto tu ipse misericors. Beati enim misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Vis parare viã iudicio? Iustè judica de teipso. Nam si nosmet dijudicaremus, non vtique judicaremur. *In quo,* inquit, *judicio iudicaueritis, judicabimini* apud summum judicem. Nunquam est misericordia sine veritate, sicque veritas sine misericordia. Vt ergo illius misericordia & veritas te salvum faciant; misericordia & veritas non te deserant: misericordia in proximum tuum, veritas in teipsum. Misericordia, vt proximo parcas; veritas, vt teipsum punias: si enim temetipsum punieris, tui ipsius misereberis: sicut scriptum est *Miserere animæ tuæ placens Deo.* Quatuor impedimenta sunt, quæ reddunt vias difficiles; lutum, & lapides, colles, & foueæ; lutum polluit, lapis lædit, collis lassat, fovea precipitat. Per lapides & lutum, facinus & flagitium; per colles & foueã, elatio & simulatio designatur. Contra prima duo scriptum est. *Viæ illius, viæ pulchræ, & omnes semitæ eius pacificæ.* Pulchræ, sine contagio; pacificæ, sine scandalo. Pulchræ, ne polluantur; pacificæ, ne lædantur. Non dat sapientia sancta sua canib⁹, nec margaritas porcis. Odit eam, quę maculatã est, corporis tunicam: & in malevolam animam non intrat. Ideo vasa ministerij nostri jubet beatus Benedictus nos resignare Cellerario munda & sana; munda à flagitio, sana à facinore. De duobus vltimis ait veritas in Euangelio. *Vulpes foueas habent & volucres cæli nidos.* Vulpes sunt dolosi, simulatores, & callidi: volucres, leues, & elati. Nisi ab his quatuor corda & corpora nostra emundauerimus, filius hominis non inveniet in nobis vbi vel pedem ponat, vel caput reclinet.

Ose. 6. | Ibidem. | Amos 4. | Psal. 24. | Luc. 6. | Eccli. 30. | Prouerb. 3. | S. Benedict. c. 35. Regula

---

Sermo primus in Natali Domini.

VERITAS *de terra orta est, & justitia de cælo prospexit.* Beata verè terra, de qua veritas orta est; cęloque beatior ipso, de quo olim falsitas orta est: scilicet quando de cęlo descendit falsus ille Lucifer, qui mane oriebatur, & jam ruinam minabatur, quia superbiam meditabatur, dicens in corde suo. *In cælum cõscendam, super astra cæli exaltabo solium meum: sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis: similis ero Altissimo.* Verè falsus Lucifer, quando sibi mẽtita est iniquitas sibi, falsũ sibi proponens & impossibile. Quis enim in nubibus æquabitur Domino: similis erit Deo in filiis Dei? Deus, quis similis erit tibi? ne taceas, neque cõpescaris Deus, quin Luciferum istũ deiicias: qui ante faciem maiestatis tuæ tot & tales proiicit ampullas, & sesquipedalia verba: qui non fortunã Priami sed gloriam ipsius principij sibi cantat, & nobile bellum tibi indicit. Similis inquit ero Altissimo. Similitudinẽ Divinitatis in honore & gloria, non in bonitatẽ atque justitia malè cupidus ambiebat. Infelicissime, cur non dicis, similis ero justissimo, siue sanctissimo, sicut & altissimo illam similitudinẽ nõn injustè vsurpares, sed justè & feliciter affectares. Siquidem illam omni rationali spiritui imperat Altissimus dicens. *Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum. In cælum,* inquit, *ascendã.* Et in cælo eras, quãdo hoc dicebas. Quare cæli illius fastidiebas fastigium, fastigatius appetebas? Quoniam vera est sentẽtia dicentis. *Hoc habet proprium omnis ambitio, nõ respicit in finem. Nemo agit de Tribunatu gratias: sed queritur, quod ad præfecturam vsque non est perductus.* Tu autem miserrime in præfectura creatus eras, & de illa gratias non agebas; sed ipsius creatoris tui monarchiam inferne insatiabilis appetebas. *In cælum* inquit, *conscendam, super astra cæli exaltabo solium meum: sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis; similis ero Altissimo.* Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu? Parturient montes, nascetur ridiculus, non mus, sed draco, formandus ad illuden-

Psal. 84. | Isai. 14. | Leuit. 11. | Seneca. | Isai. 14. | Horat.

dum ei. Verè falsus Lucifer, qui mendax est, & pater mendacij. Ab initio peccat, & in veritate non stetit: qui cùm totus sit tenebrosus, tamen per antiphrasin dictus est Lucifer; sicut lucus à lucendo quia minimè lucet. Aut certè, vt ex re nomen habeat, Lucifer dicitur, quasi luci vim inferens, lucem auferens, luci semper infestus. Luci quippe vim intulit, idest inferre conatus est, quando comparare se voluit Auctori. Lucem abstulit, seu potius furatus est, quãdo inuidẽdo nocuit homini. Luci semper infestus est; quia percussit fœdus cum morte, & pactum cum inferno: vt ad lucem non redeat; sed quia semel cecidit, non amplius resurgat; Excæcatus quippe fumo ambitionis in altum consurgente, sed in ipsum recidente, tanquam locum non inueniente, quò ascenderet vltrà, ipsam ruinam suam præuidere non valuit; sed repente comprehenderunt eum inquitates suæ, & non potuit, vt videret: in ipso ortu suo experiri coactus illud Dauidicum. *Dejecisti eos, dum allevaretur.* Iustissima planè præsumptoris dejectio, qui dignitatis Angelicę priuilegium paruipendens, & diuinæ subjectionis impatiens, noluit subesse omni creato spiritui, nisi & par esset ipsi Creatori. Novus in Deum Cęsar, in Angelum Pompeius; iuxta illud. *Nec quemquam jam ferre potest Cæsarue priorem, Pompeiusve parem.* Idcirco præsumptionis suæ nimio sub pondere lapsus, de cælo corruit adinstar fulguris, dicente Veritate. *Videbam Satanã, sicut fulgur de cælo cadentem.* Quod ait, *videbam*, & *cadentem* presens tempus jungens cum præterito imperfecto, innuit diabolum nondum totũ excidisse, sed semper adhuc cadere vsque ad diẽ iudicij: & tunc mole suorum criminum prægrauante submergendum, quasi plumbum in aquis vehementibus gehennalis abyssi. Vnde & dictus est cecidisse tanquam fulgur, idest inopinatè & celeriter, impetuosè, grauiter, cum ardore nimio, & fœtore, & fumo, quæ omnia manifesta sunt indicia fulguris & notissima vestigia draconis. Draco enim flammiuomus afflatu suo respirat ignem, vitiat aërem, obscurat lucẽ. Sicut ille serpens fumifer, de quo dicit poëta

Oraque discindens auida, fumantia præstat.

Similiter diabolus priusquam de cælo dejectus est, vt fulgur; dejectus est, vt draco. Triplice pestilentia totum afflauit mundũ: inspirando scilicet ore vipereo primis parentibus concupiscentiam mali, tanquam ardorẽ & fœtorem nimium; & ignorantiam boni, tanquam spargens pulverem, & nebulam, & fumum: qui fumus, & quæ nebula tantũ creuerunt postea, vt in ortu Salvatoris totam terram tegerent, sicut ait propheta. *Aspiciens à longè ecce video potentiam Dei venientem, & nebulam totam terram tegentem.* Et verè nebula totã terram texerat in ortu veritatis, cũm totus ferè mundus adhuc verum & vivum Deũ ignoraret, falsos & mortuos Deos adoraret, idola surda & muta coleret: vera & æterna nec bona quæreret, nec mala fugeret; mundum prouidẽtia regi nõ crederet: omnes actus humanos etiã voluntarios aut fato aut fortunæ falsis allegationibus imputaret. Hinc est error ille Platonis & Pythagoræ de reuolutione animarum; Trismegisti & Mimæ, Socratis & Porphirij, de societate dæmonum; Zenonis & Chrisippi, de morte voluntaria: Aristotelis de curta prouidentia, idest vsque ad lunarẽ regionẽ, non infra; Epicuri de nulla; & de summo corporeæ voluptatis bono; Ptolomæi de fato: omnium ferè simul, & maximè Ciceronis & Senecæ, de animarum supplicio post mortem non timendo. Isti sunt, qui dicunt apud Ezechielem, *Dereliquit Dominus terram, & Dominus non videt.* Et apud Sophoniã. *Non faciet Dominus benè, & non faciet Dominus malè.* Et apud Isaiam. *Comedamus & bibamus, cras enim moriemur.* Hinc est illa querimonia Boëtij lib de consolatione Philosophiæ. *Omnia certo fine gubernans, solos hominum respuis actus. Nam cur lubrica tantas versat fortuna vices?* Propter hoc exclamat Osee dicens. *Non est misericordia, non est veritas, non est scientia Dei in terra.* Et Psalmista quasi vim patiens. *Salvum me fac, Domine, quoniam defecit sanctus; quoniam diminutæ sunt veritates à filiis hominum.* Igitur ad tollendũ de terra nebulas, errores, & fumos ignorantiæ, ardores irarum, & ignes avaritiæ; fœtores libidinum, & sordes idolatriæ, hodie veritas de terra orta est, & justitia de terra prospexit. In cuius rei signum, omnia simulachra Ægypti ad pueri IESV fugientis adventum pariter corruerunt: sicut olim prophetauerat Isaias dicens. *Ecce Dominus ascendet super nubem levem, & ingredietur Ægyptum, & mouebuntur omnia simulachra Ægypti.* Quæ ruina hodie incœpit Romæ à palatio Romuli, & à simulachro vrbis Romæ, & à templo pacis; quæ tria hodiè Romæ corruerunt. Ruina palatij Romulei signum fuit mundanæ gloriæ per Christum ruituræ. Ruina simulachri vrbis Romæ, quod erat in effigie maximę cujusdam mulieris, & corpulentissimæ, signum fuit avaritiæ per Christũ destruendæ. Hui⁹ enim ęrei simulachri corpulentia significabat jamdiu regnantem avaritiam Romanorum, quę velut quoddam inexplebile barathrum & vorago insatiabilis totius mundi opes absorbuerat, nec impleri poterat vniuerso orbe sub vno cẽsu descripto. Nec mirũ Romanos lacte lupino alitos tantę rapacitatis vel olim fuisse, vel adhuc existère. Nam sicut vulgò dicitur, vulpes pilos mutant, non mores. Et *Naturam expellas furcâ, tamen vsque recurret.* Hæc autem avaritia per Christum cœpit destrui; quandò per illum cœperunt pauperes Evangelizari. Hoc autem significauerat illud idem simulachrum, quando primò fuit erectum. Nam cùm quidam causarẽtur, tibias illius tanquam nimis graciles & minùs habiles ad tantum pondus molis æreæ sustinendum, respondisse fertur per artem magicam, Non corruam donec virgo pariat: quod similiter fertur dixisse Romulus de suo palatio, quando primùm factũ est, qui & ipse magus fuit. Propter quę duo responsa dæmonum, tanquam deorum, vocabatur antiquitus æterna Roma. Porro ruina templi pacis significauit voluptatem carnis, in qua sola pax mundi est, per illum ruituram, qui dicit. *Non veni pacem mittere in terrã, sed gladium.* In ejusdem rei signum hodie virgo juvencula in sole sedens apparuit, tenens infantẽ in gremio, significans solos cælibes in cælo regnaturos: & ortũ esse hodie ex vtero virginis magistrum cęlibatus, qui doceat homines semetipsos castrare ferro timoris Domini, propter regnum cælorum. Igitur ruina templi, & simulachri palatij, per quæ & propter quæ falsi dij colebantur, significauit quòd hodie veritas de terra orta est: virgo autẽ sedens in sole significauit, quòd hodie justitia de cęlo prospexit. Quid enim justius, quàm vt vnusquisque, possideat suum vas in sanctificatione & honore,

Psal. 72. *Luc. 10.* *Verba Ecclesiæ.* *Ezech. 8.* *Sopho. 1.* *Isai. 22.* *Boëtius.* *Osee. 4.* *Psal. 11.* *Isai. 19.* *Mat. 10.*

honore, non in passione desiderij; sicut gentes quæ ignorant Deum? *Veritas*, inquit, *de terra orta est*. Quid est veritas? hæc fuit olim Pilati quæstio, qui solutionem suæ quæstionis audire non meruit: quia responsionem non expectauit; sed quæstione proposita, & responsione non expectata, continuò foras ad Iudæos exiit. Et nos ergo fratres, si volumus discere ab ipsa veritate, quid sit veritas, non exeamus foras; idest nō quęramus bona forinseca & transitoria: sed remaneamus intus in prætorio cordis, audientes quid loquatur in nobis Dominus Deus. Prope est enim verbum in corde, & in ore nostro. *Ne te quæsieris extra.* Nauibus atque quadrigis petimus bene viuere; quod petis hoc est. Non egrediamur foras, sicut Satan, qui egressus est à facie Domini; & Cain primus agricola, & postea fratricida; & Ismaël fuit vir ferus & sagittarius, exors & exul ab hereditate paterna; & Esaü venator, fratris simplicis persecutor: sed remaneamus intus, id est cor nostrum omni custodia servemus: primùm quærentes regnum Dei, & institiã eius, & omnia extrinsecùs necessaria satis superq; adjicientur nobis. Væ fatuis virginibus, quæ foris relinquędæ sunt: nec ob aliud, nisi quia cordis custodiam reliquerunt. Quid est veritas? Veritas dicitur quasi verbũ rei existentis ita, subaudi, sicut dicitur. Nã veritas cujuslibet rei nihil aliud est, quàm æqualitas existentiæ eius, quam comprehendens animus intelligit rem, sicut est: nec infrà subsistens, nec vltrà effluens. Quisquis enim verum dicit, id solum, & totum dicit, quod in re est: nec plus, nec minùs. Nã si plus vel minus diceret, non diceret verum, sed falsum: hoc enim diceret, quod non esset de rei existentia, & ideo non de rei veritate. Igitur veritas est æqualitas existentiæ rerũ, id est modus, infra vel vltra quem nihil omnino potest subsistere. Hæc autẽ æqualitas existentiæ rerum nil aliud est, quàm ęqualitas vnitatis. Est enim æqualitas, sicut & vnitas, singulis reb⁹ forma essendi, & causa, per quã vnumquodq; subsistit. Sicut enim quidquid est, idcirco verè est, quia vnum est (nam si non esset vnum, aliquid non esset, & si aliquid non esset, nihil esset) ita quidquid est, ideo verè est, quia æquale vni est. Nam si æquale vni non esset, vnum non esset. Ergo veritas, id est æqualitas, est singulis rebus forma essendi: & causa, per quam vnumquodq; subsistit. Si autem veritas est causa existentiæ rerum, & omnis causa est prior eo, cujus est causa, ergó veritas est prior omni creatura; ergo est ab æterno, ergo est principium rerũ, ergo est Deus. Vnitas ergo, & eius æqualitas sunt vna causa omnium, & vnum principium rerũ, & vnus Deus creator omnium; ejusdẽ prorsus potentiæ, & sapientiæ: ergo ejusdem substãtiæ. Sed vnitas Patris est Filius, qui & Verbum, & veritas, & splendor, & figura substantiæ Dei. Non immeritò nuncupatur Verbum, quia decernit esse, quidquid verum est esse: veritas, quia quidquid semel dicit, confirmat & stabilit, sicut scriptũ est. *Semel loquitur Deus, & secundò idipsum non repetit*: Splendor, quia per ipsum manifestatur nomẽ Patris, ist est notitia Patris habetur; sicut ait Psalmista. *In lumine tuo videbimus lumen.* Vnde & ipse dicit. *Pater, manifestaui nomen tuum hominibus quos dedisti mihi.* Figura verò & imago Patris dicitur, quia Patris pulchritudinẽ perfectè repræsentat. Ipse enim est facies Patris, in quã semper desiderant Angeli prospicere, ist est de procul inspicere: nam de prope non possent, prę claritatis immensitate. Ideo & lucem dicitur inhabitare. Filius autem dicitur, quia revera generatur Sed si quæris, quomodo? vtiq; eo modo, quo æqualitas ab vnitate, splendor à luce, veritas Verbi à Patre, ab æqualitate existentiæ, verbum cordis à corde. Vnitas quippe ex seipsa, & ex sua substãtia nil aliud generat, quàm æqualitatẽ: inæqualitatem verò per alios numeros. Nam semel vnum nihil aliud est, quàm vnum. Hæc autẽ omnia coæva sunt, & coęqualia suis gignentibus: nec substantiis, sed proprietatibus differunt. Ergo Filius per omnia Patri æqualis est, & coæternus. Vbi est ergo infelicis Arij stulta disputatio, Filium Patre minorem asserens, & rationum cõsequentias non attendens? Porrò hæc ipsa veritas cùm sit ęqualitas existentiæ rerum, & modus, infra vel vltra quem nihil potest subsistere, ergo justitia est. Nam justitia nil aliud est, nisi modi tenor. & æqualitas inter plus & minus constituta, nullũ omnino defectum patiens, vel faciens excessum. Et hæc ipsa justitia quid aliud est, quàm summa beatitudo, vel summum bonum? Summam quippe beatitudinem definit Boëtius, esse statum quemdam omnium bonorum aggregatione perfectũ. Hic autem status extra limites justitiæ contineri non potest. Idem verò Boëtius probat, duo summa bona diuersa esse non posse. Nam si vnũ ab altero minus habebit, summum non erit. Igitur alterum duorũ aut erit imperfectum, aut superfluum. Potest igitur summa beatitudo hoc modo aliter definiri, Bonorum vniversitas sub vno cõprehẽsa, cuius sola visio semel acquisita omnem sufficientiã voluptatis, & gaudij plenitudinẽ generat in vidente, omne desiderium sine diminutione superans, sine fastidio satians, sine anxietate innouans, & inflãmans. Veritas igitur est summum bonum, similiter & justitia. Summum ergo bonum de terra ortum est, quando veritas de terra orta est: & summum bonum de cęlo venit, quando justitia de cælo prospexit. Quòd autem Christus se in Evangelio veritatẽ appellat, & nõ justitiam; hoc ideo fecit, vt arbitror, quia nomẽ justitię aliquid innuit rigoris & vindictæ: & quia Christus iudicari venerat, non iudicare; non ministrari, sed ministrare; non ferire, sed parcere; misereri, non vindicare; blandiri, nõ terrere: ideo nil sibi attribuere voluit, quod austeritatem sonaret: sed quod totum esset pacis & indulgentiæ, suauitatis, mansuetudinis, & pietatis: ideo se non justitiam appellauit, sed viam & vitã. Apostolus tamen dicit eum factũ nobis à Deo sapientiã, iustitiã, sanctificationẽ, & redemptionem: q̃ sic exponit. Sapientia in prędicatione, justitia in conversatione, sanctificatio in peccatorum remissione, redemptio in morte. Psalmista vero sciens proprium esse justitiæ & meritũ reddere, & à solo Christo nostrum esse meritum vel premium, ipsum justitiam appellauit. Christus autem pro hoc solo nomine hæc duo posuit, viam & vitam, dicens. *Ego sum via, & veritas, & vita.* Via propter meritum, vita propter pręmium, veritas propter vtriusque complexum. Via justitię, veritas doctrinæ, vita lętitiæ. Via virtutis, veritas sermonis, vita beatitudinis. Via sine offendiculo, veritas sine nubilo, vita sine tædio. Via, quę nec impeditur nec polluitur; veritas, quę nec mentitur nec fallitur; vita, quę nec læditur nec finitur. Via quę dirigit, veritas quę corrigit, vita quæ regit. Dirigit actus, corrigit excessus,

Marginalia: Ioan. 19. — Quid sit veritas. — Persius. — Iob 1. — Genes. 4. — Quidquid est vnum est — Iob 33. — Psal. 35. — Ioan. 17. — Beatitudinis definitio — Ioann. 14. — 1. Corin. 1. — Ioann. 14.

regit affectus. Via justis per exemplum, veritas impiis per judicium, vita Angelis per semetipsũ. *Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio vitam habere in semetipso: & potestatẽ dedit ei judicium facere quia filius hominis est.* Igitur Christus via in hoc sæculo, vita in futuro, veritas in vtroque: hic promittens, illic dans: hic minans, illic feriens. Et hæc dicta sint pro veritate quę de terra orta est: nunc de terra videamᵘˢ de qua ipsa orta est. *Veritas*, inquit, *de terra orta est* O quàm verum est, quod vulgò dici solet, de terra venit bonum! Sed quęnam est hæc terra? Duo namque terrarum genera in scripturis legimus. Est enim terra maledicta, deserta & sterilis: & est terra benedicta, fructifera, & pinguis. De prima est illud. *Maledicta terra in opere tuo*: de 2. *Benedixisti Domine terram tuam.* Primum genus triplex est, nam maledictarum terrarum alia est terra; quam formidamus; alia, quam calcamus; alia, quam portamus. Prima est infernus, qui à propheta dicitur *terra nouissima* idest vltra quam nulla est. Terra verè maledicta, plena peccatis, & tormentis, reatibus & cruciatibus: cujus omnis culpa irremissibilis, omnis pœna interminabilis, omnis fletus inconsolabilis, omnis fœtor intolerabilis, omnis stridor implacabilis, omnis ardor inextinguibilis, omnis vermis immortalis. Hæc est terra mortuorum; in qua quidquid est, contrarium est vitæ. Secunda terra est illa communis, quam terimus; maledicta in opere Adæ: cuius omnis fructus naturaliter est maledictus; sicut testatur Veritas in parabola de seminãte, vbi ait. *Quod autem cecidit inter spinas, hi sunt qui audiunt: & à divitiis & voluptatibus huius vitæ euntes suffocantur, & non referunt fructum.* Constat autem, omnes terrenas divitias de fructibus terræ esse, vt est frumentum, vinum, & oleũ, aurum, & argentum, & lapides pretiosi: & cetera hujusmodi. Si ergo bona terrena spinæ sunt, ipsa mala qualia sunt? Quomodo autem spinæ non sunt: quæ adveniendo, vehementer; manendo, vehementiùs; abeũdo, vehementissimè pungũt? Nam cum multa solicitudine, & labore plurimo acquiruntur, cum timore custodiuntur, cum dolore amittuntur. Et quoniã cunctis terrenis fructibus maledictio originaliter inest, propter peccatum Adæ, idcirco sancta & catholica instituit Ecclesia, quam institutioné ab ipso Domino habet, vt quoties ad mensam accedimus de terrenis fructibus reficiendi, priùs Deo agamus gratias, & nomen eius sanctum super eos invocantes, & signum vivificæ crucis, quasi ligni vitæ contra lignum vetitum facientes, maledictionem benedictione pellamus, & securè iã deinceps jam mundatos & sanctificatos sumamus eos cum timore Domini, post de perceptis diuinis muneribus ipsi largitori gratias acturi. Nam qui sine benedictione & oratione præmissa, tamquam iumenta vel pecudes terrenis fructibus devorandis incumbunt, sæpè mortem corporis & animæ occasionaliter in eis accipiunt: sicut illa Sanctimonialis, quæ mordendo lactucam diabolum momordit sedentem super eam: ex quo morsu mox in furorem versa est: vt testatur beatus Gregorius in libro Dialog. Sic & Tarquinius ille, qui beatum Silvestrum incarcerari iusserat, de osse piscis faucibus hęrente strangulatus est. Sic & ille dives qui sedebat ad mensam regis Angliæ, quem rex suspectum habebat de morte fratris sui, cum teneret offam in manu, & diceret ad regem, Domine mi rex, si ego reus sum vel conscius de nece fratris tui, numquam offam istam possim transglutire, quin suffocer ab ea, quo dicto misit offam in os suum, quæ cùm ad guttur veniret hæsit, mox oculos ille inuertens cecidit mortuus super mensam. Idcirco beatus Benedictus pręcipit in regula, ne quis ante horum statutam aliquid præsumat cibi vel potus. Quod non bene obseruauit infelix ille monachus, qui cùm frixuras quasdam deferret in refectorium, abstractus & illectus à propria gulæ concupiscentia, vnam ex eis tamquam canis rabidus cursim deuorauit; & mox tantam libidinis in carne sua sensit pruriginem, vt quoniam aliter desiderium sordidum implere non poterat, quod dictu quoque nefas est, manuali actu genitalium semen effũderet; quod antea numquam illi contigerat. Verè huic misero conuenienter aptatur illud Iudæ infælicis elogium. *Et post buccellam introiuit in eum Satanas.* Nec mirum si enim protoplasti in fructu paradisi, qui vtique non erat maledictᵘˢ, sed tantummodo interdictus, propter inobedientiam mortem corporis & animæ occasionaliter acceperunt: quantò magis timendum est, ne fructus terrę maledictæ, qui omnes originaliter maledicti sunt, nobis malè vtentibus vtriusque mortis occasio fiant? Porrò tertia terra, videlicet quam portamus, caro nostra est, & ipsa vtique originaliter maledicta, propter illud. *Maledicta terra in opere tuo.* Hæc enim maledictio non solum de terra quam calcamus, sed etiam de illa quam portamus, intelligenda est allegoricè, sic. *Maledicta*, inquit, *terra in opere tuo*, idest maledicta terra, in qua & de qua operaturus es, quærendo in ea vel alimentum vitæ, vel hæredem mortis tuæ. Terra in qua operaturus erat Adam quærendo hæredem, caro erat vxoris propriæ; terra de qua operaturus erat in ea, caro erat ipsius propria. Vtraque ergo caro & masculi & fœminæ vno maledictionis iaculo lethaliter vulnerata est, quando ad Adam dictum est. *Maledicta terra in opere tuo.* Opus istud quid intelligendum est, quàm coitus; qui etiam in cõiugali copula maledictionem non effugit, istam videlicet, quæ sequitur, *Cùm operatus fueris terram, non dabit tibi fructus suos*, idest tales quales datura erat, si etiam obediens permansisses? Omnis enim caro quæ ex te nasceretur, sancta nasceretur, non repugnans spiritui, nec concupiscens adversus eum; sed potius prorsus eum sequens ad omnia quæcumque sancta, quæcumque laudabilia, quæcumque bonæ famæ. Nunc autem spinas & tribulos germinabit tibi, quia cum stimulo carnis & ardore libidinis; & prologo pudoris, & jactura virginitatis irreparabili, germinabis tu & posteri tui; & in sudore vultus tui, idest in repugnantia fortis spiritus tui concupiscentis adversus carnem tuam, vesceris pane tuo, idest mandata mea custodies, justitiam perficies, voluntatem meam implebis, pane lachrymarum cibaberis, panem Angelorum in cælo manducabis. Sic igitur terra quam portamus ex necessitate maledicto subiacet, iuxta illud Apostoli. *Non enim habitat in me, hoc est in carne mea, bonũ.* Et iterum. *Prudentia carnis mors est.* Et, *Sapientia carnis inimica est Deo; legi enim Dei non est subjecta, neque enim potest.* De nulla igitur istarũ trium terrarum potest intelligi, quod dictum est, *veritas de terra orta est*: idest nec de terra mortuorum, quę est infernus; nec de terra morientiũ,

Marginal notes: Ioan. 5. — Gen. 3. — Psal. 88. — *Terra maledicta triplex.* — Luc. 8. — *Benedictio ciborum cur fiat.* — Grego. dial. — S. Benedict. c. 43. Regula. — Ioan. 12. — Gens. 3. — Gens. 3. — Rom. 7. Et 8.

quæ dicitur terra, vel tellus, solum, vel humus: nec de terra mortalium, quæ est mortale corp⁹: sed de terra benedicta, de qua scriptum est. *Benedixisti Domine terram tuam:* quæ & ipsa tripliciter intelligenda est: idest aut de terra desiderabili, aut de terra exorabili, aut de terra adorabili. Terra desiderabilis cælum illud tertium est, quicquid illud est, ad quod Apostolus raptus est; vbi audiuntur verba ineffabilia, & gaudia inenarrabilia abscondūtur. Ista verè terra terra benedicta est, carens omni maledicto, idest pœna & peccato, terra viuentium, in quam quicumque semel introeunt semper vivunt. Terra fructifera de qua multiplex fructus vsque ad nos descendit; idest Angelorum visibiliter apparentium dulcia solatia, diuinę legis mandata saluberrima, Christi visitatio, Patris testificatio, Spiritussancti vnctio. Angeli apparuerunt vt lex ordinaretur, sicut scriptum est. *Lex ordinata est per Angelos in manu mediatoris.* Lex scripta est, vt peccatum morificaretur. Per legem enim notitia peccati: Christus visitauit nos vt peccatum tolleretur, sicut scriptum est. *Ecce Agnus Dei ecce qui tollit peccata mundi.* Pater testificatus est, vt in filium crederetur, sicut scriptum est. *Ego autem habeo testimonium majus Ioanne.* Spiritussanctus missus est, vt pro corporali absentia Domini alius paraclitus credentibus daretur, qui cum eis maneret in æternum, sicut scriptum est. *Rogabo Patrem meum & alium Paraclitum dabit vobis.* Væ illis, qui pro nihilo habent terram istam desiderabilem. Qui sunt autem isti, nisi qui terram istam sterilem quam calcamus, vel quam portamus, pro magno habent? Si autem hujus terræ desiderabilis vilipendium & contemptus pro maximo peccato Iudæis imputatur, quibus specialiter terrena ista bona caduca & transitoria promissa fuerant, quid de nobis fiet, quibus terrena contemni iussa sunt: cælestia desiderari? Desideremus ergo, desideremus, obsecro, terram desiderabilem, quæ omne desideriū superat, omne votum transcendit, omne præcellit meritum, omne pretium ad comparationem sui nihil esse ostendit. Porrò terra exorabilis, id est orari digna, & exorari facilis, Maria virgo est: terra benedicta, sanctificata ab vtero, impregnata à Spiritu sancto; omni maledictione carens, salvo pudore concipiens, sine dolore pariens, sine timore moriens, sine peccato viuens. Hęc est terra promissionis lacte & melle manās, id est promissum nobis Salvatorem generans, humanitate lacteū, & vita cælestem, innocentia candidū, indulgengentia dulcem, misericordia copiosum. justitia insignem, humilitate parvulum, potestate sublimem: parvum in præsepio infantulum, & amabilem nimis; magnum in cælo, & laudabilem nimis. Hæc ergo terra venientē super se bibens imbrem Sancti Spiritus, pluviam voluntariam, quā segregavit Deus hereditati suæ, omni benedictione spirituali repleta est in cęlestibus in Christo, & irrigata tamquā paradisus Dei, de quo produxit nobis Deus omne lignum pulchrum visu, & ad vescendum suave; & nostræ redēptionis pretium in statera crucis appensum, & fructum triplicem, id est formam omnis justitiæ & perfectionis exemplum, tamquam lignum vitæ, quod est in medio paradisi: & valde necessarium potentissimæ intercessionis auxilium, tamquam fontē, qui dividitur in 4. loca vel tēpora: primò in lapsu culpæ, vt statim resurgamus per pœnitentiam 2. in statu innocentiæ, ne denuo corruamus per culpam, 3. in egressu animæ, vt eruamur à rugiētibus præparatis ad escam, 4. in prolatione sententiæ, vt minùs longam vel asperam, quàm meruim⁹, pœnam purgatorij sentiamus O verè terram fertilem! quæ tantos & tales fructus affert. Hæc est terra viuentium, id est pœnitentiū. Sicut enim peccatum cùm consummatū fuerit, generat mortem: sic pœnitentia cùm consummata fuerit, vitam restituit. Nam in quacūque die peccator ingemuerit, salvus erit. Et sicut anima quæ peccaverit, ipsa morietur: sic cùm aversus fuerit impius ab impietate sua quam operatus est, & fecerit judicium & justitiam; vita viuet, & non morietur. Nolò, inquit, mortem peccatoris: sed vt cōvertatur, & vivat. Beati viuentes, qui in hac terra plantati sunt, famem & inopiā deinceps non passuri: beatiores autem, qui de hac terra fecundati sunt, & in ejus possessionem jam missi, nullas deinceps calumnias vel hominum vel dæmonū audituri. In hac terra plantantur Cistercienses, qui magnæ huic Dominæ faciunt homagium, & eius servitutem perpetuam profitentur. Hanc enim solā ordo noster in aduocatam elegit; quæ omnes suas Ecclesias in illius nomine intitulatas decreuit. Hanc autem terram in feodum accipiunt, & in ejus possessionem mittuntur, qui in nostro Ordine cum bona conscientia defunguntur. Sicut autem huic Reginę securitatem facimus de suo seruitio in professione nostra, sic & ipsa nobis securitatem facit de feodo nostro in charta sua, idest in brevibus, quæ fiunt pro defunctis: vbi dulce nomen Mariæ, & ejusdem inuiolabilis sigilli cōfirmatio hoc modo recitatur. Eo die obiit frater ille monachus vel conversus sanctæ Mariæ de Fremont, Hujus solius instrumenti recitatio omnem calumniantis improbitatem reprimit, omne os loquentium iniquitatem obstruit, omnem litem dirimit, omnē possessionem evincit. Et sciendum, quod hæc terra de qua veritas orta est, etiam cœlum illud potest intelligi de quo iustitia nos prospexit. Cælum per sublimitatem vitæ, per munditiam & puritatem corporis & animæ, per serenitatem conscientiæ, per duo magna luminaria, idest magna exempla vtriusque vitæ, actiuę scilicet & cōtemplatiuæ. Solium excelsum per arduam novitatem virginitatis propositi, elevatum per singularitatem spiritualis doni, idest fecunditatem vteri; stellatum tot sydetibus quot illustratum virtutibus, quot gratiarum dotibus picturatū. Sed iam de terra adorabili videamus. Hæc est humanitas Christi, quam adorabilem appello, propter illud Psalmistæ. *Adorate scabellum pedū eius, quoniam sanctum est.* Hæc est terra ab omni maledictione peccati libera, quia peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. Hæc est terra omni benedictione plena, de cujus plenitudine omnes accipimus. Cui datus est spiritus, non ad mensuram, sicut adoptatis; sed ad cumulum, tanquam vnigenito. Tota paternæ vnctionis pyxide super eum effusa, iuxta illud. *Vnguētum effusum nomen tuum.* O nomen odoriferum tota plenitudine cælestis balsami delibutū! ô nares fætidissimas, & mortali polipo obturatas, quę suauitatem hujus odoris tam largè diffusi non sentiunt quam plane quisquis sensit, post eum, vel potius in ea currit, sicut illæ quę dicunt. *Trahe nos post te, curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Hoc est terra promissionis nobis ab initio,

Psal. 98.
Galat. 5.
Ioan. 1.
Ioan. 5.
Ioan. 14.
Cistercienses B. Virginis cultui addictissimi.
Psal. 98.
Cant. 1.

mundi repromissa. Hæc est terra viuentium idest iustorum, in qua triplex fructus permaximus & pernecessarius ab iis percipitur, quos nulla vnquam terra, nisi ista sola potuit offerre. Id est absolutio culpæ, collatio iustitiæ, pignus & arrha fœlicitatis æternæ. Primum nobis contulit effusio sanguinis Christi, secundum infusio Spiritus sancti, tertium confert nobis participatio corporis & sanguinis Domini. De primo habes. *Qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo.* De secundo. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum qui datus est nobis.* Charitas enim ipsa est justitia, quę reddit vnicuique quod suum est; non quærens quod sibi vtile est, sed quod alteri: non sua quęrens, sed quę IesuChristi Vnde. *Nemini quicquã debeatis, nisi vt invicem diligatis.* Et. *Qui diligit proximum, legem impleuit.* Si autem legem, ergo justitiam. De tertio est illud. *Qui manducat meã carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.* Omnia tamen inueniuntur in singulis, & singula in omnibus: quia nec sanguis sine corpore, nec corp' sine sanguine, nec vnctio Christi sine vtroque, nec alterutrum sine vnctione. Hæc ergo triplex veritas de vera humanitate Christi tanquam de terra orta est: veritas scilicet remissionis peccatorum, veritas justificationis impiorum, veritas glorificationis miserorum: lex enim per Moysen data est, sed gratia & veritas per Iesum Christum facta est. Lex hæc omnia pręmonstrabat, pręfigurabat, pręedicabat: sed nihil horũ pręstabat. Nam impossibile erat peccata dimitti vel deleri per sanguinem hircorum aut vitulorum: impossibile quoque erat justitiã per opera legis impleri, quia nihil ad perfectum adduxit lex. Constat etiam claritatem legis Mosaicæ in comparatione claritatis Evangelicæ prorsus evacuari. Nam nec glorificatum est quod claruit in hac parte, propter excellentem gloriã. At quod per sanguinem Christi mundatur, perfectè abluitur. Quas enim veternosissimas maculas non emundet, qui & petras scidit, & monumenta aperuit, & terram concussit, & solem obscurauit? Et quod vnctione spirit' linitur, perfectè sanctificatur. Nam Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi vltra nõ dominabitur: ex qua resurrectione facies eius resplendet vt sol, cùm lucet in virtute sua: & vestimenta eius facta sunt alba sicut nix; qualia fullo no potest facere super terram. Nulla ergo major arrha claritatis æternæ, nullum pignus pretiosius nobis dare potuit beatæ immortalitatis in carne nostra cõplendæ, quàm quotidie sumpta in immortalitatis alimentum, à nobis mortalibus caro immortalis. Quod omnino verũ esse confessus est in Apulia ipse diabolus, coactus inuisibiliter ab ipsa veritate, per os mulieris obsessæ, meritis & precibus sancti Bernardi à dæmonio liberatæ. Quis est autem diues ille tam fælix & beatus, qui de hac terra tres istos fructus veritatis colligit: nisi cujus terra veritatem parit, vt fiat quod scriptum est, *Veritas de terra orta est?* Fratres, benedixit Dominus terram nostrã. Iam ergo etiam de terra nostra potest oriri veritas, quę ab ipsa veritate personaliter potuit assumi. Oriatur igitur de terra cordis nostri vera compunctio, de terra oris nostri vera confessio, de terra corporis nostri vera satisfactio: cui triplici veritati contrarium est triplex mendacium; idest voluntaria consensus peruersitas, locutionis falsitas, simulationis calliditas. Quodlibet autem istorum mendaciorum dupliciter perpetratur. Nam consensus peruersitatis est, quoties aut bonum alienum non placet, aut malum alienum non displicet: istud autem placere debet vsque ad adjutorium totis viribus conferendum: istud displicere vsque ad resistendum similiter pro viribus. Similiter duplex est locutionis falsitas: videlicet cùm aut falsum dicitur, aut verum quod dicendum est tacetur: error enim cui non resistitur approbatur: quod subtiliter intellexit etiã gentilis ille comicus, cùm dixit, *Peierat sæpe qui tacet*: tantum est enim tacere verum, quàm & falsum dicere. Similiter duplex est simulatio: cũ videlicet aut mentis sanitas, aut carnis infirmitas simulatur: pessima est vtraque fictio, nullũ enim maius mendacium, quàm quod non solùm ore, sed & toto corpore confirmatur. Primum genus hypocrisis abundat in claustralibus, secundum in secularibus; quamuis & apud illos spirituales nonnullos hypocritas, & apud istos carnales plurimos perfacile sit inuenire. In vtroque genere mentitur iniquitas sibi: sibi inquã, non alij; quia si sapiens fueris, tibi metipsi erit; si autem illusor, solus portabis malum. Veritas perdet omnes qui loquuntur mendacium, magis autem eos qui etiam operantur iniquitatem: qui contra conscientiam aut simulant, quod non sunt, aut quod sunt, dissimulant. Simulatores & callidi prouocant iram Dei. Porrò istam triplicem veritatem de terra triplex justitia de cælo pro[illegible]ciet: verãm enim satisfactionem respiciet & accipiet æterna corporis glorificatio: veram confessionem æternum canticum, idest æterna mentis in diuinam laudem prorumpens exultatio: veram expectationem beata & æterna Trinitatis cognitio. De prima habes. *Saluatorem expectamus Dominum nostrum I.C. qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratũ corpori claritatis suæ.* De secunda *Beati qui habitant in domo tua in sæc. sæc. laudabũt te.* De tertia. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deũ videbunt.* Ad quam visionem nos perducere dignetur veritas hodie orta de terra, meritis & precibus genitricis suæ Mariæ Amen.

Triplex fructus terræ viuentium. — Apoca. 1. — Rom. 5. — Rom. 12. — Ioan. 6. — Ioa. 1. — Eucharistia pignus immortalitatis. — Psal. 84. — Duplex simulatio. — Philip. 3. — Psal. 83. — Mat. 5.

Sermo 2. in Natali Domini, ad Clericos.

ET pluit illis manna ad manducandum. Opportunè satis post tam longum jejunium pluit nobis Dominus manna ad manducandum. Pluit ad copiam manna, idest cælestem gratiam incarnati Verbi, dulcem & salutarem pręsentiam ad manducandum, idest ad justitiam faciendã. Hæc est enim mãnę abscõditi, idest incarnati verbi Vera comestio, justitiæ videlicet delectabilis & dulcis operatio, juxta illud Augustini, *Crede & manducasti.* Quod est dicere: habe fidem quę per dilectionẽ operatur: & sic sacramenti virtus à te manducabitur. Beati igitur, qui Verbum carnem factum & tanquam verbum audiunt, & tanquã carnem comedunt. Ad hoc enim verbum est, vt salubriter audiatur, ad hoc caro factum, vt suauiter comedatur, sicut ipsum Verbum dicit: *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.* Nimirùm caro cibus est delectabilis: & ideo per carnem delectatio significatur operis. Sicut enim caro manducata cum quadam voluptate trajicitur in corpus, & incorporatur carni & sanguini; sic opus justitiæ volũtariè & perseueranter adimpletum, quodammodo incorporatur spiritui,

Psal. 77. — Aug. in c. 6. Ioan. — Ioan. 6.

in tantum vt ab eo nec post mortem possit separati: sicut scriptum est, Opera enim illorum sequuntur illos. Hinc est quod incarnata Dei sapientia cùm in peregrino carnis hospitio nouam pateretur esuriem, & tentaretur à diabolo de lapide conuertendo in panem, respondit. *Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* Dicens autem nõ simpliciter *in verbo*, sed addens *in omni*; significat plura ferculorum genera sub vno verbi pabulo contineri. Est enim verbum, vt panis confortans; & est verbum, vt caro roborans; & est verbum, vt vinum cor lætificans, & mentem inebrians audientis. In præceptis panis est, in consiliis caro, in promissis vinum. In primis est necessitas, in secundis voluntas, voluptas in tertiis. Sine pane omnis mensa inops est: sine præceptorum obseruatione non constat salus. Sine carne autem potest quidem cœna duci, quamuis ex illa multo sit splendidior. Similiter sine consiliorũ susceptione potest quidem salus acquiri, sed ex illa multo copiosior acquiritur. Solis enim consiliorum susceptoribus promittitur centuplum, præter vitam æternam; quod est quasi quædam carnis pinguedo. Porrò vinum promissorum illud est, de quo dicitur in vulgari prouerbio; *Omnis Religio sentit cum bono vino*: quia omnis verè religiosus illud vinum optimum concupiscit. De quo dicit Architriclinus ad sponsum. *Tu autem seruasti bonum vinum vsque adhuc.* Et de quo dicit Psalmista. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ; & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Cũ igitur verbum Dei verus ille cibus sit, quo nutritur anima, vegetatur, & viuit: profectò cõstat quod ex solo auditu verbi nemo vitam consequitur, sed omnino necesse est, vt verbum mãducetur, sicut ipsa veritas incarnata dicit. *Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinem non habebitis vitam in vobis.* Hoc est enim illud mãna, quod nobis hodie datur ad manducandum. Ad manducandum, inquam, non ad perdendũ, non ad spectandum, non ad portandum, non ad vendendum, non ad reseruandum. Perdit auditor obliuiosus, spectat lector curiosus, portat factor nimiosus, vendit relator ambitiosus, piger & fastidiosus operator reseruat. Quiquid autem de manna reseruatur in crastinum, vermes creat ex seipso: quia quidquid de mandatis Domini in præsenti per negligentiam relinquitur imperfectum, conscientiam torquebit in futuro. Vnde scriptum est, quod nec vnum iota, nec vnus apex preteribit ex lege, quin omnia impleantur: subaudi, vel conferendo vitam factoribus, vel pœnam contemptoribus inferendo. Hinc est, quod Dominus mittens discipulos suos ad prędicandum, & dicens, *Ite docete omnes gentes, baptisantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti*, adjunxit. *Docentes eos seruare omnia, que mandaui vobis.* Omnia, inquit, non autem partem, vel medietatem. Cum igitur quidquid de manna fiat nil prosit facienti, nisi illud comedat, væ omnib' qui colligunt manna nec comedunt: væ qui cõsiderant vultum natiuitatis suæ in speculo, & abeuntes mox obliuiscuntur quales se viderint. Væ qui hodie accedũt sicci ad vnctum, & sicci recedũt: remanentes ad pluuiam aridi, ad solẽ cæci, ad rorem asperi, ad mensam jejuni: & inter Angelicas, quas hodie cęlum mellifluum, imò manifluum rorauit escas, miseri fame pereunt, & inedia consumuntur. Beati autem, qui sic cæleste manna colligunt, vt comedant: beati qui panem Angelorum manducant: beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud. Custodiunt videlicet tamquam panem, qui numquam melius custoditur, quàm cum comeditur; multis enim subiacet periculis antequam comedatur: at postquam in ventrem comedentis receptus est, mox ab omni periculo securus est: nec est jam quod ei timendum sit à fure vel à mure, à cane vel à vetustate; à fure ne surripiatur, à mure ne corrodatur, à cane ne diripiatur, à vetustate ne murco corrumpatur. Fur est tentatoris calliditas, mus est concupiscentiæ carnalis improbitas. Canis adversitas molestans & affligens: superbia & invidia vetustas est consumens. Nec immeritò istà duo vitia sub nomine vetustatis expressi, quibus inter cetera mala nullum vel ad ortum antiquius, vel perniciosius ad corrumpendum. Hæc sunt enim primogenita Ægypti, idest prima vitia diaboli tenebratum principis: quorũ primum ortum est in cœlo contra ipsum creatorẽ, secundum in paradiso contra primum hominẽ. De quorum primo eleganter ait Philosophus. *Superbia, nihil à te accipere libet; quicquid das corrumpis.* Et Poëta.

Inquinat egregios adjuncta superbia mores.

De secundo Salomon. *Vita carnium suauitas cordis: putredo ossium inuidia.* Ad hoc ergo, vt hodiernum manna totũ comedatur, per singula Gomor, idest vt verbum Domini bene custodiatur ab auditoribus, necessarium est quadripertitum remedium contra prædicta quatuor pericula: idest contra furem prudentia vigilans, contra murem temperantia refrænans; contra canem fortis patientia, vel patiens fortitudo: contra duplicem vetustatem caritatis perfectio, quę nec inflatur contra superbiam, nec æmulatur contra invidiam: sed benigna & humilis occidit hãc & illam. Sed jam quod de hoc manna dante Deo collegimus, in panes laicos transformemus. Vulgò dicitur, jejunus stomachus non est fastidiosus; quod Poëta sic dicit.

Iejunus stomachus rarò vulgaria temnit.

Vt enim ait Cicero, omnes cibi & potus desideriis condiuntur. Ptolomeo peragranti Ægyptũ comitibus non consequutis, cùm esurienti panis cibarius in capsa oblatus esset, nil visum est illo pane iucundius. Darius in fuga cùm aquam turbidam & cadaveribus inquinatam bibisset, negavit se vnquam bibisse iucundiùs. Lacedęmonij fame & labore cibos suos condire solebant. Hæc sunt cõdimenta Ordinis nostri. Idcirco sãcta & vniuersalis Ecclesia à Spiritu sãcto edocta, salubriter & sapienter instituit, vt ante Natale Domini per totum Aduentum jeiunia celebrentur: volens nos afferre ventres vacuos ad mensam epulatum cælestium nobis hodiè præparatam. Nam si ventres plenos ad eam afferremus, aut easdem respueremus delicias, aut illas sumẽdo cum fastidio, saporem quem afferunt perderemus; quia vt solet dici tertia mica pastam sapit. Fratres, Deus cùm fecisset Angelum & hominẽ, tantùm dilexit hominem, vt eum exponeret dapibus Angelicis educare: sed quia sapientia sapienter agit, noluit ei à principio cibum dare tam solidum: quia humanæ nouitatis infirmitas adhuc penè edentula exercitatos sensus nondum acceperat ad eum masticandum. Quod & ipse Deus probare per experientiam non distulit: nã cùm dedisset homini mandatum ad portandum

Marginalia: *Apoc. 14.* — *Mat. 4.* — *Quibus centuplum promittatur.* — *Ioan. 2.* — *Psal. 35.* — *Ian. 6.* — *Mat. 5.* — *Mat. 28.* — *Panis optimè custoditur, cùm comeditur.* — *Quæ sunt Ægypti primogenita.* — *Seneca.* — *Claudianus* — *Iejuniũ Aduentus.*

facillimum, ille novitate suæ fælicitatis ebrius, portare illud non potuit: sed diuinæ voluntati, cui obtemperare cibus Angelorum est, voluntatem vxoris præposuit: nec mortis intentatæ minis terribilibus à tanta stultitia reuocatus. Iusto ergo iudicio Dominus hominem priuauit paradisi deliciis: quibus, quamuis magnæ sint, altiores præposuerat, idest diuinam facere volũtatem: Expulsum autem à monte deliciarum in hanc vallem miseriæ, permisit vt misericors ad miseriarum solatium mundanis vti voluptatibus: quas tamen interdum multo calamitatum sale misericorditer aspergebat. Vnde homo redimendus tandem fatigatus suis iniquitatibus cæpit desiderare iustitiam, vicatim eam per ora Prophetarum infatigabilibus desideriis inclamando. Quod pueri nostri significant, cum nocturnis vociferationibus natale Domini tripudiantes inclamant. Horum tandem clamoribus excitat Pater misericordiarum opportuno tempore panem misit Angelicum: tunc scilicet cùm jam mundus cæperat fastidire terrenum. Nam & olim in deserto filij Israël non ante suscipere meruerunt rorulentam pluuiam panis Angelici, donec illis cibi Ægyptij quos secum tulerant defecerunt. Sed & postquam peruenerunt ad terram promissionis, mox vt cæperunt vesci de fructibus terræ, panis cæli eis defecit. Beatus, cui deficit panis terrenus, ne panis Angelicus ei deficiat. Beati, qui terrenis euacuantur dapibus, vt repleri cælestibus mereantur. Nihil enim sic meretur repletionem cælestium, vt voluntariè suscepta propter hanc evacuatio terrenorum. *Beati*, inquit, *pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum calorum. Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur*: è contrario autem. *Va vobis divitibus, qui habetis consolationem vestram.* Hoc ipsũ & Ecclesiastica demõstrat Institutio, quę neminẽ nisi ieiunum ad Sacramẽtũ altaris permittit accedere: nisi fortè repentino alicujus infirmitatis periculo prægrauetur. Nam & Eliseus noster non nisi vasa vacua spiritualis olei largitate perfundit: & Psalmista saturitatem panis Angelici non nisi pauperibus repromittit, dicens. *Edent pauperes & saturabuntur.* Pauperes enim idest sæculi contemptores, ait Glossa interlinearis. Quisquis ergo per hoc aduentuale jejunium à carnalibus desideriis se euacuauit, securus ad delicias panis Angelici nobis hodie applaentis accedat. Hoc est enim manna illud hactenus absconditum, sed hodie in carne manifestatum, Sermo scilicet diuinus, cuius comestione admodum delectabili, idest operatione prędulci, illi beati spiritus & vitam, & beatitudinem consequuntur. Ex tali nimirum edulio cõfirmati ne cadant, roborati ne langueant, animati ne tepescant, & ne vltra esuriant satiati. Huius tamẽ mannæ duplex est pluuia, vna sub specie verbi puri corporaliter ab homine prolati, altera sub regia carnis humanæ trabea. Qualiter ad nos hodie de virginalis aulæ pluvia mannæ secretiore thalamo processit. Pulchrè autem sermo diuinus manna nuncupatur, nomen interrogativum vel potius admirativum loco proprij vel appellatiui sortitus, ex repentinæ scilicet admirationis euẽtu: quia cùm primum filij Israel rorulentã pruinam, vel rorem pruinosum vidissent, dixerunt, *Man hu: quod interpretatur quid est hoc?* quod nomen diuino sermoni tã prolato ab homine, quã nato de virgine, satis conuenienter aptatur: quia

Exod. 16.

Mat. 5.

Luc. 6.

Psal. 21.

Exod. 16.

nunquam sic locutus est homo, sicut vterque loquitur, Galilæus est enim: vnde & vtrumque loquela sua manifestum facit: & ideo bene appellatum est manna, propter admirationem singularis efficaciæ & nouitatis inauditæ. Audi potẽtiam singularem. *Omnipotens sermo tuus Domine, à regalibus sedibus venit.* Et illud. *Dixit & facta sunt, mandauit & creata sunt* Et illud. *Nonne verba mea sunt quasi ignis, & quasi malleus conterens petram?* Audi nouitatem inauditam. *Beati pauperes, Beati qui lugent; Beati qui esuriunt, Beati qui persecutionẽ patiuntur.* Man hu quid est hoc? quis vnquam audiuit talia, speciebus miseriarum imponit nomina beatitudinum. Verè nunquam locutus est homo, sicut hic loquitur. Mundus dicit pauperẽ vbique cadere: ille vero dicit pauperem regem esse, & regem cæli. Mundus dicit, mites terram suam perdituros, iste vero possessuros. Mundus dicit luctum contrarium esse cõsolationi: iste vero meritum esse sempiterni solatij. Mundus dicit esuriem nunquam convenire cum saturitate: iste verò solos esurientes saturandos esse. Mundus dicit persequtionẽ pati etiam propter justitiam summã esse miseriã; ille verò per talem patientiam perueniendum esse ad Beatitudinẽ sempiternam. Man hu, quid est hoc? nunquam sic locutus est homo, sicut hic loquitur. Hominibus tres tantum loquelæ notæ sunt: loquela mundi, carnis, diaboli. Prima suggerit sublimia, 2. suauia, 3. maligna. At sermo Dei cõtra 1. loquelam dicit. *Omnis qui se exaltat humiliabitur; & qui se humiliat exaltabitur.* contra 2. *Agite pœnitentiã: appropinquabit enim regnum cælorum.* Contra 3. *diligite inimicos vestros.* Contra omnes simul. *Nolite diligere mundum, neque ea que in mundo sunt.* Man hu, quid est hoc? vox mundi quasi vox Pytonis de humo sonãtis. Vox autem istius est quasi verè vox Dei de cælo tonãtis. Qui enim de terra est, de terra loquitur: qui autẽ de cælo venit, super omnes est: & quod vidit & audiuit hoc testatur. Bene igitur appellatur manna diuinus sermo, cõtraria loquens carni & mũdo. Dicatur ergo *Et pluit illis manna ad manducandum.* Fratres, non vos terreat nomen istud admiratione plenum. Est enim manna istud ad manducandum suauius, quàm facilius ad intelligendũ. Et revera antequam caro fieret verbum Dei, [illegible]ibile quidem erat, sed non mãducabile, nisi forte quibusdam paucissimis, quia perfectissimis, qui exercitatos sensus habebant ad percipiendum solidum cibum, nec jam tanquam mammotreti succis lacteis indigebant: qualis erat Ieremias ætate puer, sed sensu Presbyter, qui dicebat. *Inuenti sunt mihi sermones tui, & comedi illos.* Et Ezechiel ad quem sermo factus est dicens. *Fili hominis venter tuus comedet, & viscera tua replebuntur volumine isto, quod ego do tibi. Et aperui*, inquit, *os meum, & cibauit me volumine illo: & factum est in ore meo sicut mel dulce.* Potest tamen ista Ezechielis comestio, saluis aliis intelligentiis mysticis Iudæorũ significare duritiem, qui solum corticem rodentes literæ, ad medullam spiritus nunquam pertingere meruerunt: verbum semper in membrana scripta sed cruda, tanquam testam sine nucleo, paleam sine grano, pellem sine carne mandentes. Isti comedunt verbum corticeum, non carneũ verbũ inflans, non verbum infans. Verbũ verberans, non verbum sanans, sicut scriptum est *Misit verbum suum, & sanauit eos.* Quid ergo mirum, si

Sap. 18.

Psal. 148.

Ierem. 23.

Mat. 5.

Luc. 14.

Mat. 3.

Et 5.

1. Ioan. 2.

Psal. 77.

Ierem. 15.

Ezech. 3.

Psal. 106.

semper exangues & pallidi sunt, tam arido cibo refecti? Talis cibus erat lex sine gratia, culpam tantùm describere sciens, delere nesciens: potēs ad puniendum, impotens ad justificandū & indulgendum. At postquam parvulus Dei filius natus est nobis, sciens indulgere, & placari facilis: nesciens percutere, & irasci difficilis: velox ad dandam gratiam, tardus ad sumendam vindictam; gratia & veritas per IESVM facta est, & Verbū caro factū est. Verè māducabile factū est, quia per carnē dulce & suaue, mite & placabile: nec solū manducabile jā adultis, sed etiā potabile: velut vt ita dicā sugibile infātib' recēs natis liberando eos à culpa, quam non sponte contraxerunt, per gratiā, quam non sponte suscipiunt. Manducemus igitur, fratres carissimi, māna verbi Domini, quod nobis pluit Dominus ad manducandum: & manducemus cum aviditate, tamquam famelici: cum suauitate, tamquam panem cæli: nihil inde reservātes vermi & putredini: sed totum comedentes, vel absumentes igni: sicut & de agno paschali præcipitur, vt nihil ex eo vsque mane relinquatur, sed vel totū vicinus assumpt' comedat, vel residuum ignis absumat. Beatus, qui panem Angelorum sic totum manducaverit, vt nihil inde furetur inimicus per eius imprudentiam, nihil inde rodat per intemperantiam, nihil inde mordeat per impatientiā, nihil inde putrefaciat venenū invidiæ, fermentumque superbiæ nihil corrumpat. Beatæ januę cæli, quarum apertio tam pretiosam effundit pluuiam! Quàm gloriosæ nubes illæ, quibus diuina mandat indignatio, ne pluant super indignos hunc imbrē! Ipsæ sunt januæ, quæ & nubes, Doctores scilicet Ecclesiæ, & sancti quilibet prædicatores: qui januę dicūtur, ab exemplo vitæ laudabili; nubes, ab humore suspenso verbi. Istę januæ aperiuntur, quādo eis docendi gratia copiosa confertur, sicut de ipso fōte gratiarum Scriptura protestatur, dicēs. *Et aperiens os suum, docebat eos, dicens, Beati pauperes spiritu*, &c. Clauduntur autem, quando nō reseratis primò portis justitiæ, aut contemptibiliter aliunde profluit. aut omnino non effluit imber doctrinæ: nā cujus vita despicitur, restat, vt prædicatio contemnatur. Sed hæc dicta sunt de prima pluvia cęlestis mannæ, secundùm quod significat rorem viuificum Diuini Verbi humano subministratum obsequio. Nunc de secunda videamus, per quā designatur Incarnati Verbi desiderata præsentia de Virginali vtero hodie adveniens, tamquā roris pluuia de cælo cadens, sicut scriptum est. *Mane jacuit ros per circuitum castrorum: cumque operuisset superficiem terræ, apparuit in solitudine album, in similitudine pruinæ minutum, sicut semen coriandri, & quasi pilo tusum*. Et vide, quàm meritò appellatum sit manna Verbū Incarnatum: quippe positum in signum, cui ferè ab omnibus erat contradicendum. Nam cōceptus est Iesus Christus de Spiritu sancto. Cùm ergo despōsata esset mater Iesu Maria Ioseph, & inventa esset ab eodem habens in vtero de Spiritu sancto, dixit idem Ioseph, Quid est hoc? Ego cō scius sum virginitatis huius: vnde ergo habet in vtero? Natus est idem Iesus de Virgine Maria, & dixit omnis mundus, Quid est hoc? Quando ista virgo & mater est, generationem istā quis enarrabit? Vnde & Ecclesia canit. *Quando natus es ineffabiliter ex Virgine*. Annuntiatus est natus idem Saluator pastoribus ab Angelo, cum tali signo. Inuenietis infantem pannis inuolutum, & positum in præsepio. Et omnes qui audierunt mirati sunt de his, quę dicta erant à pastoribus ad ipsos: & dixerunt, quid est hoc? quomodo potest iste jacens in præsepio Saluator esse mundi? Indicatus est à stella Rex esse Iudæorum, & inquisitus à Magis tamquam Rex eorum. & dixit Herodes, quid est hoc; nonne ego sum Rex Iudæorū? Circumcisus est octauo die, tāquam è ventre matris aliquid attulisset superfluum, & dixit diabolus, quid est hoc; quid pertinet circumcisionis remedium ad filium virginis, ne dicam ad Dei filium? Redemptus est quadragesima die oblatione avium, tamquam ipse in Adam cum ceteris esset vēditus sub peccato, & dixit iterum diabolus: quid est hoc; quomodo iste Redēptor est, sicut ait Simeon, qui vt alij infantes oblatione redēptus est?

Exod. 12. *Mat. 5.* *Exod. 16.* *Luc. 2.*

In hac autem sententia diligenter notanda est multiplex mannæ commendatio, ab opportunitate temporis, à largitate muneris, à suauitate roris, ab vtilitate comestionis. *Mane*, inquit, *jacuit ros*. Mane, id est in initio novæ lucis, post tenebras veteris ignorantiæ & iniquitatis, nondū tamen in plena luce, Iudæorum adhuc populo claudicante. Hinc est illud, *Quasi diluculum præparatus est egressus ejus*. In diluculo est quasi quędam cōmixtio tenebrarum & lucis; ideo Salvatoris adventus pulchrè diluculo cōparatur: quia etsi novam lucem fidelibus attulit, nox tamen ab infidelibus non recessit, juxta illud Isaiæ, *Venit mane & nox*. Quasi enim mane & nox simul venerunt, quando & Gentes accesserunt ad lumen fidei, & Iudæi increduli in suis tenebris remanserunt. Nam lux in tenebris lucet, sed tenebrę eam non comprehenderunt. In hoc ergo mane jacuit, id est pauper & despectus advenit. Pauper enim vbique jacet. Verè iacuit, qui ad nascendum virginem pauperculam in matrem elegit, non Reginam, vel Principissam: rigorem frigoris, & hiemis horrorem: non vernā temperiem, vel æstatis calorem; medium nocturnæ quietis silentiū, non publicum diurnæ actionis tumultum; Bethleem parvulam in millibus Iuda, non vrbem Regiam in tribu Iuda. Verè jacuit, pannis involutus, non sericis: in præsepio reclinatus, nō in palatio: terra contentus pro culcitra, fœno pro pluma, stabulo pro aula, cęlo pro aulæa. Iacuit, inquit, ros, id est contemptibiliter natus Iesus Dei filius, mitis & suavis, benignus & dulcis, mansuetus & patiens, misericors & clemens. Ros, id est tota Sancti Spiritus vnctione delibutus, vnctus præ participibus oleo lætitiæ. Vnde & se inter Christos Christum antonomasticè vocari demonstravit, dicens. *Spiritus Domini super me, eo quod vnxerit me*, subaudi, prę ceteris excellenter. *Ros*. In rore tria consideranda sunt, frigiditas. claritas, suauitas. Frigiditas in sensu, claritas in aspectu, suavitas in gustu & tactu: ad ardorem extinguendum, repellendū tenebras, ad dolorem mitigandum, & tollendum fastidium, vel appetitum provocandum. Ros iste de primo habuit pruinæ similitudinem; de 2. albedinem, de 3. simila cum melle, siue panis oleati saporē. De primo est illud. *Omnē ardorem refrigerabit ros*. De 2. est illud. *Ros lucis ros tuus*, De 3. *Ero quasi ros, Israel germinabit vt liliū*. Ros nocte descendit: Christus nocte natus est. Nox humani generis peccata significat: quæ magis merebantur iram Iudicis, quàm clementiam Saluatoris. Per hoc igitur quod Christus natus est, significatur, quod gratia vocationis Divinæ non ex meritis, sed gratis datur, & indignis

Multiplex commendatio mannæ. *Ose. 6.* *Isai. 21.* *Mane & nox simul in Christi ortu.* *Isai. 61.* *Eccli. 18.* *Isai. 26.* *Osee. 14.*

confertur, juxta illud. [Non secundùm peccata nostra fecit nobis, neq; secundū iniquitates nostras retribuit nobis.] Itē descendit ros quietè & sine strepitu. Similiter omnipotens sermo Dei à Regalibus sedibus venit, cùm medium silentium teneret omnia: per quod significatur, quòd gratia Dei nullam contradictionem patitur, nullum sustinet impedimentū, nullo repelli repagulo, nullo valet obice retardari. Itē ros sparsim descēdit. Similiter natiuitas Christi quasi per mundum sparsa est, quando Christus in Iudæa natus est per carnem; sed non in ea natus per fidem. In Oriente verò Magis annunciatus per stellam, quasi ibidem fide natus, & ignotus carne. Vnde scriptum est de roris hujus pluvia sparsim decidēte. *Plui super vnam ciuitatē, & super aliam non plui: pars vna compluta est, & pars super quam non pluit, aruit.* Cui simile est illud. *Iacob dilexi, Esau autē odio habui.* Et illud. *Ergo cuius vult miseretur, & quem vult indurat.* Ita ros minutatim cadit: quia redemptionis nostræ salutare mysterium nec ipsis Patriachis & Prophetis totum simul & semel, sed particulatim reuelatum est. Vnde & Ioānes percursor & Baptista, qui plusquam Propheta ab ipsa veritate appellatus est, postquam digito eum demonstrauerat dicens, *Ecce Agnus Dei,* tamen postea de ejusdem redemptionis fine quasi dubitans interrogat & dicit. *Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?* Gratia quoque redemptoris nunquam se totā simul & semel alicui contulit: sed per augmenta quædam quotidianorum profectuum in electos descendere cōsueuit, sicut scriptum est. *Iustorum semita quasi lux splendens procedit, & crescit vsque ad perfectū diem.* Nemo enim repente fit summus: per numeros veniunt ista gradusque suos, vnde & Paulus. *Qui autem administrat semen seminanti, & panem ad manducandum præstabit; & augebit incrementa frugum justiciæ vestræ.* Pulchrè autem ros iste ab Isaia ros lucis appellatur: ros vt refrigeret; lucis, vt illuminet, Refrigeret concupiscentiam mali, illuminet ignorantiam boni. Ros lucis irrigans & irradians, impinguās & illustrās, Irrigans siccitatem, irradians cæcitatem; impinguans affectum, illuminās intellectū. Sequitur. *Per circuitum castrorum* idest castè & sobriè & piè viuentium. Nam castrum dicitur à castrando; quod autem dicitur, *Per circuitum,* illud innuit, quod alibi dicitur. *Suauis Dominus vniuersis.* Et iterum. *Propè est Dominus omnibus inuocantibus eum.* Et illud. *Montes in circuitu eius, & Dominus in circuitu populi sui.* Non est enim personarum acceptio apud Deū: sed in omni gente qui timet Deum acceptus est illi. Igitur in *mane* festinatio auxilij, in *jacuit* perutilis, sed contempta facilitas exempli. In rore suauitas remedij, in castrorum circuitu dantis liberalitas, & accepturi dignitas demonstratur. De primo habes. *Medicina omnium in festinatione nebula.* De secundo. *Lampas contempta apud cogitationes diuitum.* De tertio *Iugum meum suaue est, & onus meum leve.* De quarto, *Siquis vestrum indiget sapientia, postulet à Deo; qui dat omnibus affluenter, & non improperat.* Item. *Hoc erit pactum inter me & te, & semen tuum post te. Circumcidetur ex vobis omne masculinum* &c. Ad primum inuitamur, cum dicitur. *Ne dicas amico tuo, vade & revertere, & cras dabo tibi, cùm statim possis dare.* Ne tardes cōuerti ad Dominum, & ne differas de die in diē. Qui non est hodie, cras minùs aptus erit. Qui nō renuntiauerit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. At hodie fæcunda virtutum paupertas fugitur, hoc est manna jacens super faciem terræ. Ad tertium cum dicitur. *Estote misericordes, sicut Pater vester misericors est.* Item. *Beati mites: quoniam ipsi possidebūt terram.* Item. *Habete pacem inter vos.* Ab hac vnctionis suauitate omnes dicuntur Christiani. Porrò ad 4. inuitat nos qui dicit. *Qui parcè seminat, parcè & metet; qui autem seminat in benedictionibus de benedictionibus & metet.* Itē. *Non ex tristitia aut ex necessitate. Hilarem enim datorem diligit Deus.* Fratres, Pater misericordiarum dando nobis filium vnigenitum, in hoc dono quasi valde prodigus extitit, cum de illo pluuiam fecit, effundens illā non in Bethleem, sed in circuitu castrorū, idest Ecclesiæ militantis. Christus enim secundū quod homo, cum in Bethleem natus est, secundum quod Deus vbique nasci incipit, vbi incipit adorari, sicut superius de Magis diximus. Denique per huius mannæ pluuiam fides Catholica, quę est de sacramento altaris, maximè cōmendatur. Idem enim Agnus, qui immolatur in hoc loco, sacrificatur in toto mundo. Idem panis, qui hic comestus est à populo, ipse qui hodiè nihilominus ab eo comeditur, & qui cras similiter comedetur. Ipse enim dixit, *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi.* Quia panis est, comedi potest, atque comedentem reficere: sed quia panis vivus est, nec reficiendo potest deficere, nec comestus consumi. Vnde beatus Andreas de hoc agno dicit, quòd postquam à populo comestus est, integer tamen perseuerat & vivus. Et beatus Ambrosius in orat. quæ inter cantandum Missā à sacerdote sedente dicitur. [Panis pulcher, panis munde, panis viue, panis sancte, panis candidissime, habens omne delectamentum, & omnem suauitatis saporem: qui nos reficis semper, & in te nunquam deficis: comedat te cor meū.] Hæc enim oratio falsò intitulatur in quibusdam Missalibus sub nomine beati Augustini. Nam in exemplari Domini Papæ intitulata est sub nomine beati Ambrosij, cuius & florentem stylum optimè redolet. De hoc pane in altari oblato intelligenda est illa oblatio, de qua dicitur in Propheta. *A solis ortu vsque ad occasum magnum nomen meum in Gentibus, & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda.* Quæ oblatio & agnus dicitur, à summa innocentia, ab immolatione Deo acceptissima, ab expiatione peccatorum perfecta; & panis appellatur à refectione peregrini in via, ciuis in patria. Caro autem non solum à veritate carnis humanæ, sed etiam ab ineffabili humani generis caritate. In hoc igitur pane Verbum, tanquam mica interior, continetur, & latet: caro autem animata, tanquam crusta exterior, circundat, & cōtinet. Panis verò species vera sine substantia, tanquam flos quidā similæ, sed sparsus apparet, non qui extinguendus sit, tanquam gustum impediens: sed magis appetendus, tanquam appetitum refouens, & desiderium reaccendens, figuris discedentibus; non à vilitate, sed à nimia claritate secretū. Beatus omnis qui ab isto rore lucis & illuminatur, vt ita credat; & impinguatur, vt quod credit, diligat, reuereatur, & timeat; & per dilectionem operando comedat, & comedendo viuat. Nam dæmones credunt, nec diligunt: nemo autem diligit qui non credit. Quisquis autē tantæ vnionis Verbi diuini ad humanam carnem luce clariorem

Psal. 102. Amos 4. Malac. 1. Ioa. 1. Mat. 11. Prove. 4. 2. Cor. 9. Exod. 16. Psal. 144. Et 124. Eccli. 43. Iob. 12. Mat. 11. Iac. 1. Genes. 17. Prouerb. 3. Luc. 14. Luc. 6. Mat. 5. Marc. 9. 2. Corin. 9. Ioan. 6. Orat. Ambros. ante Missam. Malac. 1. Christus in Eucharistia agnus & panis.

riorem potentiam non credit, quisquis tantæ caritatis Dei ad hominem beneuolentiam non diligit, & cæcus & siccus est: sine luce & sine rore; nec cæcitatis perpetuas exiturus tenebras, nec ccitatis & famis æternas miserias euasur'. Quis enim vel tenuiter rationis capax non videat, quod Verbum omnipotens humanæ carni inseparabiliter vnitum, sicut in seipso & illocale est, & impassibile: vbique non solum potentialiter, sed etiam substãtialiter existens: sic etiam carni suę, quam induit, hoc conferre potuit, vt illa & sacramentaliter in pluribus locis simul possit existere, & comedentes reficere: & tamen comesta non deficiat, sed viua perseueret, & incorrupta permaneat? sicut dicitur in Canone Missæ *Supplices te rogamus omnipotens Deus, iube hæc perferri per manus sancti Angeli, tui in sublime altare tuum, in conspectu diuinæ majestatis tuæ: vt quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctũ filij tui corpus & sanguinem sumpserimus, omni benedictione cælesti & gratia repleamur.* Ecce carnẽ verbi omnipotentia & in cælum deferri petimus, & tamen nos eadem reficiendos esse nequaquam dubitamus. Non enim, vt quidã malè intelligũt, hoc de sola supplicantiũ deuotione intelligendũ est: sed etiam de carne illius, qui dicit, *Hoc vos scandalizat*, scilicet quod dixi, *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis? Si ergo videritis filium hominis ascendentem vbi erat prius?* Subaudi, tum poteritis non scandalisari ex hoc sermone meo, sed poti' ædificari, & rogare Patrẽ meũ, vt caro mea per viaticum, & verbi omnipotentiam, & deferatur ab Angelo in cælum, & vobis nihilominus in sacramento conuertatur in cibũ. Cibum dico non corporis, sed animæ: nõ mortalis, sed immortalis vitæ. Hæc autẽ pluuia fratres mei carissimi, de vnigenito facta, quid aliud nobis innuit, quàm, vt nemo auarus sit in dãdo, parcus in seminando: quando potest facere imbrem copiosum etiam de obolo, vel de quadrãte vno? *Nulli enim parvus est census, cujus magnus est animus*, ait Leo Papa: *Nec de rei familiaris modo pendet mensura pietatis* Non enim respicit Deus quantum, sed ex quanto detur. Ideo vidua pauper duo minuta mittens in gazophilacium, prælata est diuitibus, qui ex eo quod abundabat mittebant, mittentes sed plura retinentes: illa verò dum totum misit, nihil sibi retinuit. Vę, qui in via Cain abierunt, idest post auaritiam; rectè quidem offerentes, sed non rectè diuidentes, dũ pauca sua & pejora Deo dant: sibi verò meliora & plura, imò se totos mammonæ reseruant. Idcirco non respicit Deus ad eos, nec ad eorum munera: sed eosdem cum suis muneribus maledicit. *Maledictus*, inquiens, *qui opus Domini facit fraudulenter.* Itẽ, *maledictus dolosus qui h bet in grege suo masculinum; & votum faciens, immolat Domino debile.* Fratres omnis largitas præualuit, omnis auaritia siccitatẽ & famem facit. Dico vobis, quod si non esset auaritia, non esset fames in terra. *Deferte*, inquit, *omnem decimam in horreum meũ, & sit cibus in domo mea, & probate me:* sed hoc, si non aperuero vobis catharactas cæli, & effudero vobis benedictionem vsque ad abũdantiam. Quid hic dicent filij Cain, pseudochristiani nostri: qui decimas quas debent, non solum rogati reddere nolunt; sed etiam excommunicati retinere præsumunt: quando putant miseri, quòd Deus acceptet munera eorum gratuita, qui violenter rapiũt illi sua, dum non reddunt debita? Prima namque pars justitiæ est reddere quod debes: secunda verò tribuere largiter ex eo quòd habes. Quòd si rapina quæ fit in res humanas execrabilis est, quantò magis illa quæ fit in diuinas! Illa simplex rapina est, hæc autẽ sacrilegium. Beatus ergo qui cum vidua Sareptana de pugillo farinæ facit panes pluere per largã actionem & de lechyto olei vnctionẽ fluere per largam voluntatem. Hæc autem dicta sint, pro eo quòd manna pluisse dicitur per castrorum circuitum. Castrorum dico, non scortorũ. Casti spiritualiter, sicut castrati naturaliter, frigidi sũt. Ideo ros iste pruinæ assimilatur: quia per factũ eius malus ardor extinguitur, qui duplex est, carnale desideriũ, & odium. Primum incendium restringit ros iste: cum dicit. *Audistis quia dictum est antiquis, non mæchaberis: ego autẽ dico vobis, omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mæchatus est eam in corde suo.* Vnde Hieron. *Væ nobis, qui quoties concupiscimus toties fornicamur.* Secundũ, cũ dicit. *Audistis quia dictũ est, non occides, qui autem occiderit, reus erit judicio. Ego autẽ dico vobis, omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio.* Poterat & hic dicere Hieronym'. Væ nobis, qui quoties irascimur, irã, dico, inueteratã; toties homicidiũ perpetramus. Omnis qui odit fratrem suum homicida est. Sanè omnis ardor mundanus extingui potest, infernalis non potest. Quisquis ergo per huiusmodi comminationes incarnati Verbi ab amore vel odio carnali non restringitur, jam gehennæ incendiis inflãmatur. Sed jam reliqua de hoc rore lucido percurramus. Sequitur. *Minutum quasi semen coriandri, & quasi pilo tunsum apparuit in solitudin.* Minutum dicitur, quasi diminutum, hoc est de magno minus factum, juxta illud. *Minuisti eum paulominus ab Angelis.* Et iterum. *Parvulus natus est nobis* Et iterum. *Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semet ipsum exinaniuit, formam serui accipiens.* Coriandrum est genus oleris, olus autem cibus infirmi, juxta illud. *Qui infirmus est, olus manducet.* Idcircò per semen coriandri humanę carnis infirmitas accipitur, & flos citò marcescens, sicut scriptum est. *Noli æmulari in malignantibus, quoniam vt olera herbarum citò decident.* Igitur in diminutione majestatis exinanitio, in coriandri semine infirmitatis nostræ susceptio, in pili tunsione, crucis passio designatur. Hoc autem tam excellentissimum cunctis proponitur exemplũ, vt qui magnus est dignitate, vel genere, vitâ, vel scientia; per humanitatem se muniat. Qui fortis viribus, vel potens opibus, per compassionem infirmis condescendat: qui justus vel innocens, persecutionem propter justitiam, licet ab inferioribus, pati non renuat. Talis ros & taliter apparuit in solitudine. Apparuit, qui primò latebat; benignus, qui terrebat; humanus & homo, qui Deus erat. Apparuit, non in ciuitate, sed in solitudine; non in oppido, sed in deserto. Hoc est in deserto, Iudæa videlicet, quæ ore tantum appropinquans ad Dominum, & labiis solis eum honorans, ab ipsius cultura lõgè recedebat, corde & opere. Vel in solitudine, hoc est Ecclesia gentium moribus inculta, vt multi essent filij desertæ, magis quàm eius quæ habebat virũ, idest quæ legis portabat jugum. Mulier enim viuente viro alligata est legi. Apparuit itaque cultor animarum in solitudine; vt doceret pigrum agrũ

Caro Christi in pluribus locis.

Ioan. 6.

Leo serm. in Quadra.

Marc. 12.

Ierem. 48.

Malach. 1.

Malach. 2.

3. Reg. 17.

Casti quasi castrati.

Mat. 5.

Exod. 16.

Psalm. 8.

Isaia 9.

Philip. 2.

Rom. 14.

Psalm. 36.

sunm colere, & stultum vineam suam desertam non relinquere, sed quæque noxia inde extirpare: ne terra sæpe superuenientem bibens imbrem & generans spinas & tribulos, maledictioni fiat proxima, & eius consummatio combustio fit.

Tit. 3.

Sermo I. In Epiphania Domini.

APPARVIT *benignitas & humanitas Saluatoris nostri Dei.* Vt testatur Isidorus, duæ sunt Epiphaniæ, idest apparitiones siue manifestationes Domini. Prima facta est pastorib' Iudæis per Angelum, secunda gentibus Magis per stellã. Vnde antiquitus dicebantur dies Epiphaniarũ omnes dies qui sunt à Natali Domini vsque ad octauas Epiphaniæ. Sed jam antiquatum est nomen prioris Epiphaniæ, tum propter honorabile magis vocabulum Natiuitatis Dominicæ, tum propter excellentiã apparitionis hodiernæ. Expressius enim significatur & humanæ carnis assumptio per nomen Natiuitatis, & diuinæ majestatis demonstrata hodiè personalis vnio per nomen Apparitionis, siue Epiphaniæ. In die quippe Natiuitatis Christi de Maria Virgine apparuit assumpta carnis infirmitas, sed non tamen apparuit tam manifestè vt hodie assumentis Verbi majestas. Nuntiat siquidem saluatoris Natiuitatem multò euidentiùs Angelus pastoribus, quàm stella Magis: ille dulci eloquio, ista in silentio. Veruntamen multò deuotiùs & perfectiùs crediderunt Magi minori nuncio, quàm pastores majori. Venerant quippe pastores de proximo priùs ad regem natum, quã Magi de longinquo. Sed contra legis præceptum apparuerunt vacui in conspectu Domini sui, nihil omnino ei offerẽtes: non munus à manu, non munus à lingua, non munus ad obsequia. Quid ergo profuit eis, quòd venerunt festinantes, & quòd priùs inuenerunt infantem pannis inuolutum, & positum in præsepio; qui recesserunt infecto negotio, saluatore non adorato? Quàm vrbanus est sermo proverbialis quo dicitur, Quid quærit rusticus ad curiam? quid quæsierunt rustici isti ad curiam noui regis? *Transeamus*, inquiunt, *vsque Bethlehem*: idest cursim & in transitu eamus & redeamus; non ibi moram faciamus, sed curramus videre nouum infantem, & recurramus ad nostrum gregem. Transeamus & videamus, idest nihil aliud faciamus, nisi tantummodo videre, & statim reuertamur. O infelices, hodie totum est transire & videre infantem! sed nonne visuri & saluatorem? si autem visuri, cur non & adoraturi? cur non munera oblaturi? Sed pauperes inquiunt, sumus. Nihil habemus in marsupio quod offeramus ei. At saluator argentum non quærit, nec auro indiget; vos, non vestra desiderat. Nemo adeò pauper est & tenuis, vt non possit offerre fidem ex corde, laudem ex ore, obsequium ex prostrato in terram corpore. Hæc munera mẽdicat à nostra miseria saluator diues in misericordia. Si igitur Saluatorẽ quæsistis, cur inuentũ non adoratis? si non quæsistis, cur ad hunc puerum, quasi ad eum, qui ab aliis nihil distet, tam alacriter cucurristis? Quid enim magnũ est, videre puerum pannis involutum, & positum in præsepio? & insignia hæc vobis data sunt in signum Saluatoris, non in solum fructum rationis. Sic enim vobis dictum est. *Inuenietis infanten pannis inuolutũ, & positum in præsepio.* Certè vel ex hoc solo cognoscere debueratis, infãtem illũ aliquid habere supra hominem, quod nuntij Natiuitatis eius supra homines erant. Ex iis manifeste colligitur, pastores illos Saluatoris ortum eis ab Angelo nunciatum, aut non credidisse, aut plenè non intellexisse. Nam si plenè intellexissent, proculdubio adorassent, sicut Magi fecerunt; & quidquid illum tanquam verum Saluatorem in Evangelio suscepisse legitur, quod Euangelista breuiter intimavit, cum dixit: *Et videntes cognouerunt de Verbo, quod dictum erat ad illos, de puero hoc.* Cognouerunt, inquit, de verbo: non ait verbum, sed de verbo, idest partem verbi, nõ verbum totum, hanc scilicet partem, *Inuenietis infantem pannis inuolutum, & positum in præsepio:* non autem illam partem verbi, quam Angelus præmiserat dicens. *Natus est vobis hodie Saluator, qui est Christus Dominus.* Aut certè, si illũ creatorem esse crediderunt, non crediderunt illum esse authorem salutis æternæ, sed tantummodo temporalis, & terrenæ. Sicut pharisæi responderunt ad Dominum interrogantem illos, & dicentem. *Quid vobis videtur de Christo, cuius filius est? dicunt ei, David. Ait illis Quomodo ergo David in spiritu vocat eum Dominum dicens, Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis?* Ex quibus colligitur, quod Iudæi moderni, Messiã illum, quem adhuc expectant, non credunt futurum Deum, sed hominem purum: & ideo sic nec Saluatorem: aut si Saluatorem, corporum tantum, non animarum; & ad tempus, non in æternum. Quia tamen de jisdem potest excusari rationabiliter, hyeme namque ista apparitio Saluatoris facta est ad pastores, & frigidissima illorum deuotio, qui apparente solummodo pastoribus, dictum est; quod reuersi sunt *Glorificantes & laudantes Deum in omnibus quæ audierant, & viderant, sicut dictum est ad illos.* Potest excusari hæc illorum tepiditas, quòd non procedentes adorauerunt eum, ad quem videndum cucurrerant, ex ætatis simplicitate, & vitæ rusticitate: quia adhuc pueri erant, & rure semper nutriti fuerant, & ideò necdum verbum adorandi, vel reuerentiam deferendi habebant. Mysticè tamen credendum est, ad significandam de Christo cognitionẽ extrinsecam, quæ nihil supra hominem in eo potuit æstimare, nec etiam adorauerunt, significabat futuram incredulitatem, & duritiam Iudæorum, qui non dico infantem pannis inuolutum & positum in præsepio, sed iuuenem dæmoniis imperantem, & mortuos suscitãtem de sepulchro visuri erant, nec tamen credituri. Adhuc enim Iudæi inueniunt puerum Iesũ pannis inuolutum, & positum in præsepio, idest legunt eum in testamento veteri verbis simplicibus & rusticanis Prophetarum, & pannosis figurarum mysteriis inuolutum: sub quibus nihil aliud credunt latere, quàm infirmæ carnis infãtiam, ignorantes incarnati Verbi virtutem, & sapientiam, sub eiusmodi mysteriorum panniculis obuolui. Idcircò illum primi inueniunt in præsepio, tanquam jumenta irrationalia fœnum vel hordeum: nos autem cum Centurione & Latrone illum cognoscimus in cruce, tanquã mundi pretium; cum duobus discipulis in mensa, tãquam panem vivum, & cibum rationalium; cũ Apostolis in vrbe bajula tanquam Deum verum. Meliùs ergo eruditi sunt Magi per stellam tacẽtem, quàm pastores per Angelũ loquentẽ. Sicut

Olim duæ Epiphaniæ.

Luc. 2.

Christo quæ munera offerenda.

Luc. 2.

Mat. 22.

Pastores Iudæorum designarunt infidelitatem.

Mat. 2.

scriptum est *Magi viderunt stellam, & dixerunt ad inuicem, hoc signum magni regis est*: quod vtique sola vnctione magistra, non arte astrologica cognouerunt, quod breuiter sic probamus. Omnes stellæ, quarũ cursus sub regula redactus est, simul ab initiò quarta die factæ sunt: hæc autem stella tunc nouiter creata est. Non ergo ejus significatio sub regulis aliarum colligi potuit. Itẽ si per artem astrologicam potuit agnosci noua & inusitata Salvatoris Nativitas, ergo ad hanc demonstrandam non oportebat nouam stellam creari. Sed ꝓpter hoc noua stella creata est; ergo aut eius creatio superflua fuit; aut omnino impossibile erat; Nativitatem eius per jam factos canones comprehendi. Sicut ergo illa solis ecclipsis anomala, quæ facta est in passione Domini, rationem turbauit omnium canonum, nec inueniri potuit in omnibus regulis Ptolomæi vel Alcandri, vel ceterorum Astrologorum, quomodo hoc posset contingere, quod tamen contingebat: sic nec illud inueniri, quomodo noua stella Deum natum ex Virgine demonstraret, quem tamen demonstrabat. Et sicut Apollophanes Dionysij Areopagitæ condiscipulus & conscholaris apud Ægyptum, cùm inter se confabularentur, & secum quærerent de ecclipsi quę acciderat, non astrologicè, sed quasi propheticè protulit, illud verbum, aut Deus naturæ patitur, aut elementa mentiuntur; sic Magi non quasi mathematici, sed quasi prophetæ, idest nõ humana ratione, sed diuina inspiratione dixerunt; hoc signum magni Regis est. Veruntamen ex conjecturis artis astrologicæ hoc scire potuerunt, idest vehementer opinari: quia sicut stella illa noua creata erat, sic & puer cuius erat, nouo modo natus erat. Et sicut illa stella omnibus aliis naturaliter erat excellentior, sic ille puer omnes alios mortales excellebat. Erant autem in illa stellâ quinque notabilia, tempus, locus, motus, claritas, & magnitudo. Tempus, quia de die lucebat, non de nocte; prout vtile erat itinerantibus: locus, quia non in firmamento fixa erat cũ cæteris stellis, nec propè firmamentum errabat cum planetis, sed in sublunari regione prope terram iter sibi injunctum peragebat. Motus, quia non mouebatur cum firmamento ab Oriente in Occidentem, nec cum planetis motu contrario ab Occidente in Orientem; sed motu singulari & proprio ab Oriente in Meridiem, secundum situm Persidis ad Ierosolymam. Claritas, quia nõ impediebatur lux eius diurna à lumine solis, sed sola cum sole lucebat. Magnitudo, quia altior erat, & altior apparebat omnibus aliis, præter solem & lunam. Igitur in claritate eius significabatur, quod ille puer clarior, idest famosior futurus erat omnibus mortalibus. In tempore, ꝙ aliunde, idest ex aliis causis & meritis famam sibi facturus erat, quàm cæteri mortales. In magnitudine, quòd altior nõ corpore sed virtute; non statura, sed potẽtia, futurus erat cunctis hominibus. In loco, quòd humillimus hominum futurus erat. In motu, quòd contrario modo cunctis peccatoribus victurus erat, & contrariam vitam docturus. Quòd autem ille puer & de Virgine natus esset, & sine virili semine, quòd filius Dei & filius hominis esset, quòd impassibilis, secundùm Verbi naturam assumentem, & passibilis & mortalis esset, secundum naturam hominis assumptam, nisi docente, vt dixi, Spiritu sancto, omnino per illã stellam sciri non potuit, si stella

Stella Christi supra regulas Astrologiæ.

In stella Christi 5. notabilia.

illa locuta non est; sicut affirmare videtur sanct. Gregorius. Si autem locutá est, & formam pueri habuit, crucem in capite gestantis, vt videtur velle Chrysostomus, qui & ipse tamen non affirmat fuisse; manifestum est hoc singulare miraculum, non ad artẽ Astrologicam, sed ad virtutem referendum divinam. Sic ergo diuinitùs instructi Magi veniunt ad inquirendum puerum, jam pro illo parati mori, quẽ necdum poterant intueri. Quid enim clamant per vicos Ierusalem? *Vbi est*, inquiunt, *qui natus est Rex Iudæorum*? Pastores edocti ab Angelo cùm vidissent puerũ, nihil dixerunt, nec eum adorauerunt; sed tantũ in silentio aspexerunt: significantes Iudæos in confessione laudis Christi mutos & elingues futuros. Isti autem adhuc Dominum inquirentes, jam fide inuenerant, quem tam plena fide quęrebant, & confessione publica honorabant; maximè in loco & tempore tam periculoso. Certè non latebat eos vel Herodis regis parricidæ crudelitas, vel Romanæ legis seueritas; quæ capitali damnat sententia reum quemlibet maiestatis. Et quis tam reus majestatis lęsæ, quàm qui in presentia Regis Regem alium confitetur? O quàm benè conseruabãt hi beati Magi illud saluberrimum Prophetæ consiliũ; *Si quæritis, quærite; conuertimini & venite.* Quærebant planè Saluatorem, & quærentes quærebant, qui inter tot pericula constituti, à quærendi studio non cessabant. Idcircò post stellæ documentum, etiã scripturarum sanctarum testimonio doceri meruerunt. Veniunt ergo, stella precunte, vsque ad locum vbi erat puer, & intrãt domum. Non dicitur, quod pulsauerint ad ostium, quod ostiarium vocauerint, sed quod statim intrauerint; vnde conjicitur, aut nullum ibi fuisse ostium, tanquam in communi diversorio quòd priùs occupanti cedebat; aut certè si ibi erat ostium, semper de die procurante Maria apertũ erat, vt quicumque vellent ad videndum Saluatorem intrarent. Aut fortè tunc diuinitus ita procuratũ est, vt apertum esset, ne tam deuoti nuncij clausum ostium offenderent: ad quos jam Dominus domus intrauerat. Et est valde credibile, quòd etiã puer ipse vagitu suo eos adhuc foris stantes ad se inuitauerit; vt eorum desideriũ velociùs impleret. Intrantes ergo inuenerunt puerum, & matrem eius Mariam. De pastoribus scriptum est, quòd inuenerunt Mariam, & Ioseph, & infantem positum in præsepio: in quibus verbis occultè innuitur, quòd pastores illi vitio curiositatis humanæ priùs circumspexerunt, videre, quis esset in domo cum puero, quàm quis esset puer ipse, propter quem solum venerant. Sed quid necesse fuit, vt Ioseph invenirent? Vtique, ne illi tamquã Iudæi & rustici, id est increduli & garruli, suspicarentur, puerum de adulterio natum, & pudorẽ matris eius blasphemando læderent, si sine marito solam cum puero repperissent: quippe quibus persuasum non fuerat, illum puerum Deum esse. A Magis autẽ, quos plena fides adduxerat, sola Virgo cum puero inuenienda erat: quippe qui de diuinitate pueri nihil dubitabãt. Et vide, quàm plena fides illos adduxit. Statim namque sequitur. *Et procidentes adorauerunt eum.* Verè non tamquã rustici venerunt isti ad curiam Regis magni: sed tamquam nobiles viri, vrbaneq; liberaliter instructi, qui omne genus muneris afferebant: munus ab obsequio, in adoratione prostrati corporis; munus à lingua,

Magi diuinitus edocti.

Mat. 2.

Isai. 21.

Magi ex Scripturis edocti.

Mat. 2.

in oratione devoti cordis; munus à manu in oblatione auri, myrrhæ, & thuris. Quibus mysticis muneribus adorantes honorant, & honorantes adorant in carne deitatem, in infirmitate virtutem, in pannis majestatem, in simplicitate sapientiam, in humilitate potentiam, in infante Dei Verbum, in homine Deum verum. *Et apertis*, inquit, *thesauris suis, obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham*: confitentes in auro summum Imperatorem, cui ab omni mortali tributum solvendum sit: in thure verum Deum, cui ab omni homine supplicandum sit: in myrrha verum Redemptorem, pro cuius amore vsque ad mortem ab omni carne decertandum sit: quippe qui pro amicis suis mortē prior gustaverit. In auro significabatur, eum verum & justum mundi judicem futurum; in thure peccata pœnitētibus dimissurum; in myrrha mortē pro peccatoribus esse passurum, & peccatorum pœnitentia simul & morte martyrum glorificandū. Ex his manifestè colligitur, quòd benignitas & humanitas Salvatoris nostri excellentiùs apparuit Magis, quàm pastoribus: illos docens vnctione intrinseca, istos tantùm sermone Angelico, & infantis extrinseca visione. Sed jam verborum Apostoli, quæ proposuimus, lacteam dulcedinem labellis concurrentibus in facie sugamus: solidiorem in eis cibum exercitatioribus & perfectioribus relinquentes.

Mat. 2.

Apparuit, inquit, *benignitas & humanitas Salvatoris*. Apparere est subitò & inopinatè videri: & propriè cōvenit formis invisibilibus in forma visibili se demonstrantibus. Vnde Ambrosius. *Angeli idcirco apparere dicuntur, quia repente videtur, & prævideri non possunt.* Idcirco Salvatoris nativitas, & eius hodierna manifestatio Apparitio nūcupatur: quia in voluntate apparentis, nō in cernentium potestate fuit, vbi, quando, vel quomodo, vel quibus appareret. Verbum ergo apparēdi apertè significat, Christum antè fuisse, quàm visibilis appareret. Neque enim Angeli tunc esse incipiunt, cùm incipiunt apparere: & hoc significatur vulgari consuetudine, qua vulgus, ac etiā divites singulis annis in vigilia Natalis Domini magnum quemdam stipitem ab humo radicitus evulsum in foco ponūt ad consumendum: cuius reliquias toto anno conservant, quas in æstate ad terrorem tonitrui reaccendunt. Hunc truncum transfocalem appellant: quia ex vtraq; parte foculare transcendit: & significat illum, qui de se dicit, *Ego sum lux mūdi*; *ego alpha & ω*. Focale id est foci locus mundū designat, qui totus in maligno positus est: quia quidquid in eo est, concupiscentia carnis est, aut concupiscentia oculorū, aut superbia vitæ: quod totū nil est aliud, quàm ille ignis triplex, quem Satanas tamquam fulgur cadens de cælo misit in terram. Et hoc fortè significat triplex radius fulguris, quod fætet, vrit, & findit. Similiter luxuria fœtet, vrit auaritia, superbia findit, id est scindit vnitatem, & dirumpit vinculū caritatis. Reliquiæ huius trunci accensæ contra fulgur valent: quia deuota Sanctorum fides, inuicta spes credentium, & perfecta Christi caritas mundi triumphat principem, juxta illud Apostoli. *In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere.* Hoc contra Paulianos, & Photinianos, siue Ebionitas; qui pauperiores sensu, quàm nomine, dicūt Christū à natiuitate carnis habuisse initiū. Quod si est, ergo non ab Apostolo apparuisse, nec à Propheta veraciter & propriè dictus est appariturus fuisse, qui ait. *Apparebit in finem, & non mētietur.* Apparuit, inquit, benignitas. Apparuit, vt videretur oculis; non tamen sonuit, vt audiretur auribus: vt ampliùs placeret, & vehementiùs afficeret visa, quàm audita benignitas, quia

Tit. 3.

Videntur quædam deesse.

Ioan. 8.
Apoca. 1.

Ephes. 6.

Habac. 2.

Segniùs irritant animum demissa per aurem,
Quàm quæ sunt oculis subiecta fidelibus.

Horat.

Apparuit, inquam vt videretur faciens; non sonuit tantùm, vt audiretur jubens: ne jam posset illud ei objici verbum mordacissimum, sed tamē verissimum, *Delicata doctrina est pugnanti ictus dictare de muro: & cùm ipse vnguentis delibutus sis, cruentū militem accusare formidinis.* Sanè antequam Dei filius in carne appareret, dum adhuc sola mundo præcepta, non exempla tribueret, quasi delicatus magister erat, quasi felicitatis otio contentus. Postquam verò factus homo manum suam misit ad fortia, inter esurientes esuriens, & sitientes sitiens, & laborantes collaborans; tunc planè cœpit esse illis jussio tam persuasibilis, quàm commendabilis cōuersatio; implens illud Davidicum *Exurge Domine Deus meus in præcepto quod mandasti: & synagoga populorum circumdabit te.* Quod est dicere. O Domine, imple tu prior humilitatis & patientiæ præceptum, quod mandasti: statim multos inuenies, qui te sequantur. Sanè huius versiculi sententia nusquam meliùs exponitur, quā per illos versus Poëtæ dicētis.

Psal. 7.

In commune jubes si quid, censesque tenendum,
Primus jussa subi, tunc observantior æqui
Fit populus, nec ferre negat, cùm viderit ipsum
Auctorem parere sibi: componitur Orbis
Regis ad exemplum: nec sic inflectere sensus
Humanos edicta valent, vt vita Regentis.
Mobile mutatur semper cum Principe vulgus.

Apparuit benignit. Hoc est, quod ait Lucanus de Catone, *Monstrat tolerare labores, Non jubet.* Sanè antequam Dei Filius nasceretur de Virgine, nil aliud faciebat, quàm jubere. Natus autem infans, & jacens, & vagiens mutus in præsepio, nil aliud fecit, quàm monstrare. *Apparuit benignitas.* Apparere solent Angeli hominibus, tam boni, quàm mali: illi vt doceant, isti vt fallant: illi vt prosint, isti vt noceant. Illorum apparitio consolationi est, istorum formidini. Formator omnium, & reformator hominum; vt se non solùm benignum, sed & ipsam benignitatem esse ostēderet, in forma omnium formatam benignissima apparuit; id est in forma pueri recens nati, ad nocendum inualidi, ad feriendum ignari. Et notandum, quòd in tali forma numquam antè vel postea Angelus apparuisse legitur, nec bonus nec malus. Nec immeritò. Nam in vtroque talis apparitio otiosa esset: quia taliter apparens, nec bonus confortaret, nec malus deciperet: nec ille malitiæ votum perficeret, nec iste caritatis officium expleret. Angelus autem magni consilij, qui est Dei virtus, & Dei sapientia, etiam in tali forma virtutem confortandi potuit non perdere, & docendi scientiam retinere. Neque enim Verbū Dei propter carnis infantiam Verbū esse desiit, nec minùs virtus fuit. Ideo apparuit olim benignitas seductoris diaboli in forma colubri stantis, vt everteret; loquentis, vt hominē supplātaret. Nam serpens ante maledictionē erectus incedebat: quod adhuc advertitur in Parea, de qua Poëta. Et contentus iter cauda sulcare parcas. Nunc autem apparuit benignitas in forma pueri jacentis, vt erigat, tacentis, vt doceat; pa-

Apparitio in forma pueri aptissima.

tientis, vt vincat: jam clamans in silentio, quod postea clamabit & verbo, *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* Et in Isaia. *Nam cultus iustitiæ silentium* Et item. *In silentio & spe erit fortitudo vestra.* Eva quippe mater omnium viuentium quandiu silentium tenuit, tandiu innocentiam cōseruauit. Quod adhuc tota ei⁹ posteritas ætatis beneficio naturaliter cogitur obseruare. Omnis enim infantia tandiu est innocens, quādiu fandi impotens. Postquam verò fari incipit, mox eius innocentia obmutescit. Siquidem lingua membrum modicum in humano corpore constituta, sicut prima silentium soluit in facie, sic & prima meritum tollit innocentiæ, vt omnes experimento discimus. Divina pietas valde misericorditer egit cum homine, quando eius reatum puniuit per silentium, & temeritatis audaciam per imbecillitatis impotentiā, quasi medicinali antidoto curauit: cui⁹ misericordiæ plenitudinem posteriore gratia cumulat, addens & ipse bibere antidotum: qui venenum non biberat; vt eidem antidoto plus authoritatis & efficaciæ conferret in ceteros. Vnde dicit. *Tollite iugum meum super vos; & inuenientes requiem animabus vestris* Et addit. *Iugum meum suaue est* &c. Quasi diceret. Nolite timere exemplo mei mites esse, vel humiles, quia antiquam amaritudinem huius antidoti bibendo dulcem feci. Et reuera quis jam audiens Deum infantem fieri, non magis exhorrescat extolli fastu hominis, quàm humiliari exemplo Dei? O intoleranda superbia, & contumacia non ferenda! ibi regnare velle discipulum, vbi magister seruit: ibi servum quiescere vbi laborat Dominus: ibi honorari reū, vbi iudex iniuriatur. Sic ergo apparuit benignitas. Olim apparuit Iudæis seueritas & diuinitas Iudicis, quando audiebantur voces & tonitrua, & sonitus buccinæ, & videbant lampades & fulgura, montemq; fumantem, vt spiritum seruitutis acciperent in timore. Sed nobis apparuit benignitas & humanitas Saluatoris, quando quicumque voluit, videre potuit Verbum infans, & Deū parvulum, vt spiritum adoptionis acciperemus in amore. O quàm suauior fructus isti⁹ apparitionis, quàm illius! Terrebat Deus, & minabatur, dicēs. *Ego Dominus, leges meas custodite. Ego Dominus.* Et tamen inter ipsos terrores, & vindictas crebras & horribiles, leges eius contēnebantur. At nunc silet, non terret; parcit, non punit; obsecrat, non increpat; patitur, nō vlciscitur: & pro eius amore ad martyrium curritur. Audiant hęc, quicumq; in prælatione sunt constituti, qui cum austeritate & potentia imperant in populo, cum fastu dominantur in Clero: fastuosi in imperio, vultuosi in silentio, in negotio otiosi. Audiant, & cognoscāt, quia quidquid superbè imperatur, perfacilè contemnitur, difficillimè custoditur. Si præcepta ipsius Dei seruari non potuerunt, quādiu cum terrore data sunt: quantominus hominum! Huius rei pulcherrimum nobis præbet exemplum moralis illa fabula de Borea & Sole, qui pignore inter se posito cōtendere cœperunt, vter eorum auferret palliū viatoris. In illo certamine violentia borealis flatus solari cessit benevolētię significans, imperium mansuetudinis multò esse potentius imperio terroris. Nouerat hoc Imperator ille mansuetissimus Iulius Cæsar, de quo legitur, quòd numquam milites suos nisi cōmilitones appellauerit: nec vmquam illis dixerit, ite illuc, sed semper, huc venite, monstrans tolerare labores, non jubens. Sciebat enim nil esse potentius ad persuadendam auditoribus obedientiam, quàm humilitatem illius imperij, quæ magnitudine sustulcitur exēpli. Vnde Bernardus noster. *Viuus sermo & efficax est exemplum boni operis, facilè suadens, quod dicitur; dum monstrat factibile, quod docetur.* Igitur quādiu sine humilitatis exemplo imperauit Dominus mortalibus, quasi flavit, vt Boreas: postquam verò primus humilitatis & patientiæ exēplum præbuit viatori, pallium, vt Laxias, tulit: & hoc est apparuisse benignitatem & humanitatem Dei. O benignitas! apparitio tam potens, quàm mirabilis! in qua iacet potentia, tacet sapientia, silet justitia, eget abundātia, dolet felicitas, infirmitas viget, infantia persuadet, iniustitia quasi obtinet, dum reus nō patitur, sed reatus dimittitur; paupertas regnat, calamitas exultat. *Apparuit benignitas.* O benignitas potens! Quid enim hac infirmitate potērius, quid sapientius hoc infante: qui vagiēs in cunis, vigens in cęlis, tacens in carne, loquens in sidere, mutus ad aures, clamosus ad mentes, sapientiam Chaldæorum infatuat, superbiā Regū humiliat, Gentes humiles de longinquo attrahit, Iudæos indignantes de proximo repellit, Herodis & Satanæ eludit dolum, elidit impetum, perstringit oculum, constringit animū, irritat arma, irridet odia, evadit iram, invadit patriam, conuertit populum, regnū subuertit? Poterat in alia forma Salvator apparere, si vellet: sed in benigniore non poterat. Poterat ex quacumq; materia novū subitò creare hominem perfectę magnitudinis, vocis, & virtutis; in qua etiā sine cibo vitam transigeret. Sed ad hoc vt posteritatē Adæ redimeret, oportebat, vt de ejus posteritate veniret. Deniq; si talis homo fieret, magis confirmaret errorem, quàm fidem instrueret. Nam quis illum crederet veram habere carnem, in quo nullam videret carnis infirmitatem: cùm etiā Ioannes Baptista, pro incredibili abstinentia, dæmonium habuisse creditus sit? Sic ergo, vt ait Augustinus, dum omnia miraculosè faceret, auferret quod misericorditer fecit. Nullam ergo convenientiorem formā assumere potuit, quàm humanæ infantiæ, in qua Deitatis absconderet potentiam, & solita sublimare insolitis, & insolita solitis tēporare. Secūda verò causa est huius apparitionis illa, de qua jam diximus, videlicet diuinæ benignitatis aperta demonstratio; quatenus nemo, quantumlibet reus, ad infantem mansuetissimum timeret accedere; nemo, quantumlibet ære alieno oppressus, vereretur exposcere omnia possidentē, & nihil denegantem. Idcirco in infante apparere voluit benignitas Salvatoris, imò & infans esse. Siquidē benignitas est dandi liberalitas, & facilitas condonandi. Hęc virtus in infante tam naturalis est, vt nec poscentem possit confundere, nec nocenti velle nocere. Ideo jā adultus Salvator infans salvandis adultis sic prędicabat, dicens. *Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum.* Quod quasi exponebat, cùm dicebat. *Dimittite, & dimittemini: date, & dabitur vobis.* Dimittere est vindictam non desiderare: dare est, omni petēti se tribuere. Hęc duo naraliter sunt ꝓpria infantiū, voluntariè sanctorū. Ideo solis parvulorū similib⁹ promittitur cęlum. Tertia ratio hujus apparitionis fuit, vt, sicut jā diximus, doceret Deus hominem, assumendo infantem, per silentium & infantiā, de hoste quolibet triumphare. Nam, vt ait Orator egregius,

Mat. 11. Isai. 32. Et. 30. Mat. 11. Christi infantis exēplum. Leuit. 19. Bern. ser. 2. in Pascha. Mat. 18. Luc. 6.

duæ sunt partes injustitiæ, quibus nocent nobis, quicumque nocent, fraus & truculentia. Sed fraus, inquit, nobis odio digna majore. De prima dicitur diabolus draco, de secũda leo. Sub fraude continentur omnes illecebrosi blanditiarum doli: sub truculentia omnes molesti adversitatum stimuli. Hæc est illa duplex acies, quã producit aduersum nos mundus, blandiendo, vt decipiat; terrendo, vt frangat. Fraus autem silentium non decipit, truculentia patientiã non vincit. Silentium ego intelligo non tantùm linguarum, sed etiam affectuum. Nam, vt ait Philosophus, quid prodest totius regionis silentiũ, si affectus strepunt? Silent autem affectus, cùm nil extra necessitatem appetunt, nil extra rationem. In hoc silentio est pax hominibus bonę voluntatis. In tali silentio conseruatur innocentia, cùm refrænatur lingua à maliloquio, cor à prauo desiderio. In patientia verò consummatur iustitia, quando per illam, & pax cordis acquiritur, & anima possidetur. Et fortasse hæc sunt illa duo secreta; de quibus est in Propheta. *Secretum meũ mihi, secretum meum mihi.* Vnde quidam sanctus cùm laboraret in extremis, & ab Abbate suo interrogaretur. Quid tu vides, fili? Respondit. Nihil melius quàm tacere, Pater. Potest quarta causa reddi diuinæ apparitionis in forma infantuli: quia justissimum prorsus erat, vt ætas illa, quæ per Dei justitiam priùs portauerat peccatũ alienum, per ejus misericordiam priùs reportaret redemptionis gaudium, & eodem ordine restauraret secundus Adam salutem alienam, quo primus violarat. Porrò quinta causa est illa, quã superiùs in primo loco posuimus, videlicet priuilegium noui testamenti, cui Dominus ampliorem gratiam conferre volens quàm veteri, apparere voluit in forma parvuli, non ignis, aut tonitrui, aut nebulæ, vel fumi. Hæc ergo dicta sint pro his duobus verbis. *Apparuit benignitas:* & quoniam in longum jam sermonem duxim⁹, reliqua in tempus aliud relinquamus.

Duæ acies mundi contra justos.

Isai. 24.

Sermo 2. De Epiphania Domini.

Antiphona Ecclesiæ.

HOdie cælesti sponso juncta est Ecclesia. Inter solemnes ferias Romanorum legibus institutas, solemniùs ceteris agi solebant natalis Imperatoris, & natalis Imperij ejus, & natalis vrbis ejus. Porrò diuina quadam prouidentia sub Augusto Cæsare tres istæ solemnitates in hanc diem, quasi in vnum solemnitatis alueum confluxere, non secundum prima solemnitatum initia, sed secundum augmenta. Nam Cæsar Augustus hodie primùm Imperator appellatus est; & ita ipse quodammodo hodie natus est Imperator. Nam cùm reuerteretur ab vrbe Apollonia post cædem interfectorum avunculi sui Iulij, eo intrante Romam circulus aureus ad splendorem cælestis arcus orbem solis ambiuit. De quo consulti Augures & Aruspices, responderunt, hodie nasci quoddam Imperium, quod finem non esset habiturum; & Imperatorem hujus Imperij cælo & sideribus diuinari. Quod responsum Senatus populusque Romanus super Augustum interpretatus, ipsum Imperatorem appellavit. Postea cùm Antonium, Orienti cum Cleopatra dominantem, qui propter eamdẽ Cleopatram sororem Augusti repudiauerat, navali & terrestri prælio vicisset, eosq; ad mortem voluntariam coëgisset; tantum terrorem vniuerso intulit Orienti, vt nulla gens cõtra eum auderet arma mouere. Hodie ergo, id est sexta die Ianuarij, ab Actiaca rediens victoria, victor in curru triumphali Romam intrauit: viginti autem & 5. Reges more captivorũ manib⁹ post terga revinctis currum eius præibant: 15. verò de amicis ej⁹ Regibus post & circa eum equitabant. Porrò inter captivos pertrahebãtur liberi Antonij & Cleopatræ, Sol & Luna: ipse autem in cathedra aurea sedebat, quod ante eum facere nemo triumphantium prǽsumpserat: sed in ipso curru triumphali ad repagulum eius aureum omnes stabant. Claudi item jussit templum Iani, in quo reposita erant arma Reipublicæ: significans, quòd profundam pacem, & otium ab omnibus bellis populo Romano parasset: & constituit hunc diem celebrari in vniverso orbe Romano religione perpetua: ꝙ festũ vsq; ad Constantinũ duravit. Hodie ergo natum est Imperium Romanorum, non secundùm initium, sed secundùm augmentum: ex quo augmento ipse Augustus appellatus est. Quod cognomen primus Imperatorum Romanorum habuit. Ex hujus solemnitatis gaudio exiit edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis. Ex qua descriptione factum est, tantam esse vrbem, quantum & orbem. Nã quicumque censum Romanis solvebat, ciuis Romanus erat. Vnde orbis vniuersus in legibus appellatur orbis Romanus. Vnde Virgilius in epitaphio Iulij Cæsaris.

Triumphi Augusti descriptio.

Luc. 2.

> *Cæsar tantus eras, quantus & orbis,*
> *At nunc exigua clauderis vrna.*
> *Post hunc quisque sciat, se ruiturum,*
> *Et jam nulla mori gloria tollat.*

Sic igitur hodie nata est ciuitas Romana, non quantum ad ædificationem murorum; sed quãtum ad vniuersalem descriptionem ciuium per orbem vniuersum: & ita factum est, vt istæ tres maximæ festiuitates in vnam & eandem diem cõuenirent, non secundùm earum, vt diximus, initia: sed secundùm augmenta. Apud nos quoque solemnitates istæ hodie quodammodo in eandẽ diem concurrunt. Natalis quippe Imperatoris est natalis Christi: natalis Imperij eius est natalis fidei; natalis vrbis est natalis Ecclesiæ. Est autem triplex natiuitas, Prima æternalis est, secundùm quam Deus de Deo natus est. Secunda temporalis, secundùm quam in fine temporis de Virgine natus est. Tertia mysterialis, secũdùm quam in mysterio caput & corpus vnus est Christus. In prima nascitur lumen de lumine: & qualis Pater, talis Filius. In secunda homo de homine, & caro de carne: & qualis mater, talis filius. In terra nascitur homo, cùm sit senex; & quod nascitur, de Spiritu sancto est. Tres sunt differentiæ naturaliter ad vitam temporalẽ nascentium. Aut enim præeuntibus pedibus, iunctis ad latera brachiis similiter dispositis nascũtur: aut præeunte capite, brachiis similiter dispositis, aut certè brachiis super ipsum præcedẽs caput cancellatis. Sanctus autem Iacob, vt eius singulari natiuitate supra naturam author naturæ aliquid significaret, natus est extenso ante caput brachio, prioris fratris plantam manu complectens. Hinc Iacob significat Christum, secũdùm quod caput & corpus vnus Christus est, nõ secundùm singularem Christi personam. Brachium ante caput elatum priorem significat Electorum populum ante temporalem Saluatoris natiuitatem ipsa gratia præuentum, 5. mundi

Natales Christi, & Imperij eius & Ecclesiæ.

ætatibus, tanquam 5. manus digitis Christum complectentem: vel tanquam 5. libris Moysi eundem populum constringentem: reliquum autem corpus plenitudini Gentium cum paucis ex Israële credentibus per vtrumque latus compaginatur. Caput verò medium nascitur, cui tamen jam nato brachium, quod antè egressum fuerat, suo cum reliquis membris subordinatur loco, vt ipse agnoscatur totius Ecclesiæ caput: cui data est omnis potestas in cœlo, & in terra. Hæc mysterialis Christi nativitas ab initio mūdi vsque adfinem celebratur: & sicut teste Paulō qui ea quæ de passionibus Christi deerant supplebat in corpore suo, Christus nondum totus natus est. Toties enim nascitur Christus, quoties fit aliquis Christianus. Fiunt enim vt ait Hieronymus, non nascuntur Christiani. Hodie autem primùm nata est fides Christi in Gentibus, quarum primitiæ fuerunt Magi. Hodie etiam primùm in Iudæis, quorum primitiæ fuerunt Apostoli, qui ad miraculum vini de aqua facti ad nuptias, hodie primùm, vt testatur Euangelista, crediderunt in Christū: quia hodie fides Christiana nata est in corde hominis, per quam Christus regnat in nobis. Hodie non incongruè dicitur esse natalis Imperij Christi. Hodie namque primò Regem eum confessi sunt Magi, dicentes, *Vbi est, qui natus est Rex Iudaeorum?* Porrò ciuitas huius magni Regis ipsa est Ecclesia ex Iudæis & Gentibus congregata, & in ipso angulari lapide coniuncta. Hodie verò ciuitas hæc ædificata est per fidē credentium in vtroque pariete: & idcirco non incongruè dicitur esse hodie natalis vrbis orbis totius dominæ: non illius vrbis, de qua dictum est, *Fraterno primi maduerunt sanguine muri:* quamvis & hoc non inconuenienter Ecclesiæ possit aptari, in qua Cain Abel fratrem suum interfecit, & Iudæi Christum. Sanè natalem huius Imperij significauit ille circulus aurei coloris, qui sub Augusto Romam intrāte orbem solis ambierat. Fides enim Christi mundo coæva est, à principio mundi incipiens, & vsque ad finem mundi duratura. Liberi autem Antonij & Cleopatræ, qui propter plenitudinem vtriusque sexus Sol & Luna appellati sunt, rectiùs significant Christum quàm Augustum cælo & sideribus dominantem. Orbis autem descriptio sub Cyrino præside facta, veriùs designat Ecclesiā, quàm Romā, sine fine regnaturam. Deinde Cyrinus, qui heres interpretatur, apertè Christum demonstrat, cui à Patre dicitur *Postula à me; & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Viginti quinque Reges, qui ante currum Augusti captiui ducti sunt vinctis post tergum manibus, significant regnū peccati, mundi, & sensuum carnis Christo subjugandum, & ab eo captiuandum per Resurrectionis victoriam, & Ascensionis triumphū, sicut scriptum est, *Ascendens Christus in altum, captiuam duxit captiuitatē, dedit dona hominibus.* Numerus iste, id est viginti quinque, qui ex quinario quadrato surgit in superficiē, significat mūdanorum circuitum, qui in seipsum reuertitur, sicut scriptum est, *Quid est, quod fuit? Ipsum, quod futurum est.* Significat & impiorum circuitum: de quo est illud. *In circuitu impij ambulant.* Et illud. *Deus meus pone illos vt rotam.* Idcirco & numerus iste circularis appellatur, quia semper in quinarium reuertitur, siue quadretur, siue cubicetur. Et fortassis hi sunt illi 25. viri, de quib⁹

Ioan. 2.
Natalis Imperij Christi.
Mat. 2.
Psal. 2.
Ephes. 4.
Eccle. 1.
Psal. 11.
Et 82.

scriptum est in Ezechiële, qui habebant dorsum ad templum, & adorabant ad ortum solis: quod quasi exponit Apostolus, cùm dicit, *Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem: hæc enim sibi inuicem aduersantur vt nō quæcumque vultis, illa faciatis.* Si autem viginti duo Reges fuerunt, significant regnum vel potiùs tyrannidem superbiæ transgredientis naturalem legem, & scriptam, & ideo per Reges bis vndecim designatæ, destruendam per crucē Christi, sicut dicit Apostolus *Chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, tulit de medio, affigens cruci.* Porrò 15. de amicis Augusti Regibus illi triumphanti collateraliter obequitātes, significant vtriusque testamenti, id est totius legis adimpletores per solius caritatis præceptum. Omnis enim lex in hoc verbo instauratur, *Diliges proximum tuū, sicut teipsum.* Hæc autem caritas in membris quindecim ab Apostolo cōprehensa, apertè demōstrat se Iudaicæ legis heptadem, & ogdoadem Evangelicæ continere; de quibus est illud. *Da partes 7. nec non & octo.* Ait philosophus, Multos reges, si ratio te rexerit: & pueri ludentes, Rex eris, aiunt, si rectè facias. Quid autem rectius, aut rationi conuenientius, quàm, vt quod tibi malum fieri non vis, alij ne feceris: & quod tibi bonum vis fieri, alij facere ne cunctēris? In quibus duobus tota naturalis lex continetur. Lex autem scripta nihil est aliud, quàm legis naturalis obliteratæ in peccatoribus plena cum expositione recordatio. Igitur cùm Regem esse, sit viuere rectè, & secundùm fidei rationē seipsum regere, meritò per Reges designātur, qui diuinis imperiis obsequuntur. Hi sunt illi amici magni Augusti, de quibus scriptum est *Nimis honorati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum.* Augustus in curru sedens significat Christum, qui est pax nostra & requies sanctorum: currus aureus doctrinam Evangelicam, cælestis sapientiæ splendore refulgentem. Igitur circul⁹ aureus orbem solis ambiens, natalem Christi secundùm carnem, triumphus Augusti spiritualem eius natiuitatem significat secundùm fidem. Orbis autem vniuersi descriptio, vrbis, id est Ecclesiæ præfigurat natalem, cui dicitur. *Dilataberis ad Orientem & Occidentem, ad Septentrionem & Meridiem.* Et de qua rursus dicitur. *Fundatur exultatione vniuersæ terræ mōs Syon, latera Aquilonis, ciuitas Regis magni.* Hæc autem ciuitas etiam sponsa est: ciuitas à capacitate, sponsa à caritate. Ciuitas, quia colligitur: sponsa, quia diligitur. Ciuitas à numero, sponsa à merito. De hac ergo dicitur. *Hodie cælesti sponso juncta est Ecclesia.* De longinquis vtique finibus miseriæ, funibus attracta miserationis, vt impleretur illud Ieremiæ. *In caritate perpetua dilexi te miserans.* Cui simile est illud Isaiæ. *Apprehendi te ab extremis terræ; & à longinquis eius vocaui te.* Longinqua terræ, sunt remota: extrema, maiora. Longiùs à Deo sunt, qui in extremis terræ sunt, quàm qui in longinquis. Isti vocantur, illi apprehenduntur. Plus est apprehendi, quàm vocari: quia vbi abundauit peccatum, superabundauit & gratia. Vocati sūt Apostoli, aprehensi publicani & meretrices. Vocamur per præcepta, apprehendimur per flagella. Ideo scriptum est. *Apprehendite disciplinam.* Quasi, Apprehendite apprehendentem, amplectimini amplectentem. Nam apprehensio disciplinæ nil est aliud, quàm sanctus & jucundus am-

Ezech 8.
Galat 5.
Colloss. 2.
Rom. 13.
Eccle. 11.
Quid sit esse Regem.
Psal. 138.
Isai. 54.
Psal. 47.
Ierem. 31.
Isai. 41.
Psal. 2.

plexus sapientiæ, & nexus caritatis. Et hinc est illud Oseę. *In funiculis Adam traham eos, in vinculis caritatis*, Funiculi Adam, id est hominum, intelligendi sunt secundùm triplicem eorum vsum. Vtimur enim funiculis ad ligandum, ad trahendum, ad metiendum. Ligat necessitas, trahit cupiditas, mortalitas metitur. Necessitas triplex est, naturalis, volūtaria, casualis. Naturalis est, vt fames & sitis, sõnus & vigilia, labor & quies, Hęc naturaliter omnino sunt involuntaria. Voluntaria peccatum est, sine quo mortalis vita transigi non pòtest. Omne enim peccatum voluntarium est: sed quia omnino vitari non potest, necessitas appellatur. Casualis necessitas est tribulatio à Deo vel à proximo nobis immissa, vel ab hoste antiquo. Duæ primæ intrinsecæ sunt, tertia verò extrinsecùs accedit. De naturalibus est illud. *Vnusquisq; vestrum sabbato non soluit bouem aut asinũ à præsepio, & ducit adaquare?* Similiter enim in diebus festis naturalib⁹ necessitatibus satisfacimus, sicut & in profestis. De voluntariis est illud. *Funes peccatorum circumplexi sunt me.* Item. *Funibus peccatorum suorum constringitur impius.* De casualibus est istud. *Hanc, quã alligavit Satanas jam 18. annis, non oportuit solvi die sabbati?* Molestiùs namqus affligit casualis necessitas, quàm naturalis: & ideo nõ minùs licitum est illi quàm isti remedium quærere. De omnibus simul est illud. *Tribulationes cordis mei multiplicatæ sut: de necessitatibus meis erue me.* Hæc de ligantibus funiculis. De trahentibus autem est illud. *Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus.* Et, *Nemo venit ad me, nisi Pater traxerit eum.* Trahit quippe Deus & diabolus: ille sursum, iste deorsũ: ille ad cælos, iste ad inferos.: ille ad gloriam, iste ad pœnam. Trahit autem Deus solus: sed cum diabolo trahit caro, trahit mundus; caro per famẽ gulæ & libidinis, mundus per sitim pecuniæ & honoris. Timor mundanus à bono retrahit: cupiditas temporalium ad malum trahit. Hi sunt duo funiculi, quibus cauda draconis trahit ad se tertiam partem stellarum, & illam solam: nam duabus non prævalet, illis, qui vel conservant innocentiam, vel agunt pœnitentiã. Illis autem præualet, qui nec timore frigidi, nec charitate fervidi, tepore languent mortifero; nec Angelorum carmen considerant, nec væ reproborum formidant. Hæc de singulis trahentibus. Portò de metientibus est illud. *Et diuisit eis terram in funiculo distributionis.* Et alibi. *Et mensus est duos funiculos, vnum ad occidendum, alterum ad viuificandum.* Hi duo funiculi significant aut electionem Dei, & reprobationnem; aut illam duplicem & diuersam sententiam judicialem: *Venite benedicti; discedite maledicti:* aut mortem & judicium; de quibus Apostolus. *Statutum est hominibus semel mori, post hoc autem iudicium.* Funiculus mortis vitam præsentem metitur, funiculus iudicij vitam futuram. Quòd enim mors sit, testatur Iob. *Constituisti*, inquit *terminos eius, qui præteriri non poterunt.* Possunt autem hi duo funiculi mensorij significare illud bonum figuræ Pythagoricæ, quod humanæ discretionis arbitrium bifurcat; cuius dexter ramus funiculus viuificans appellari potest, sinister occidens. De quibus Poëta.

Et tibi quæ Samos deducit litera ramos,
Surgentem dextro designat limite callem.

Igitur Verbum caro factum funiculis Adam seipsum ligauit, vt nos ligatos solveret; similẽ se nobis fecit, vt pro similitudine tantæ dignationis affectus ad se nostros vehementiùs raperet. Mortalitate nostra se mensurauit: vt nos suæ participes immortalitatis efficeret. Et in his omnibus similitudinis eius ad nos dignatio cõmendatur. Quàm similis enim nobis esse voluit, qui præter peccatum & ignorantiam naturam nostram assũpsit, passibilitatis funiculo ligatus & mensus: & hoc quare, nisi vt dignantissima similitudine nos ad sui dilectionem traheret, qui noluimus eum diligere, quamdiu se nobis similem noluit facere? Scriptum est autem, omne animal diligit simile sibi: sic omnis homo proximo sibi sociatur; omnis caro ad similẽ sibi iungitur: sic omnis homo similis. Hinc illa est fortissima prophetæ consolatio ad animam suam. *Quare tristis es anima mea & quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei, & Deus meus.* Quod est dicere, O anima mea ne timeas accedere ad Deum meum: qui similis mei vultum meum gerit; in quo & factus est salutare meum; idest Salvator meus, homo ipse sicut ego; passibilis sicut & ego: esuriens & sitiens sicut & ego; vigiliis & labore fatiscens, sicut ego: carnem suam non odiens, nec mortem diligens, sicut nec ego. O similitudo omni dilectione dignissima! quam diuina miseratio caritatis induit, quam sola dignatio summæ dignitatis assumpsit. Et vide, quàm dignanter De⁹ factus sit in similitudinem hominum, & habitu inventus vt homo. Nec enim dedignatus est, assumendo hominem, fœnum se facere, & lutũ, & cadauer. Hoc enim totum factum est Verbum, cùm caro factum est. Nam omnis caro fœnum, & omnis caro lutũ, & omnis caro cadauer. Fœnum à decore, lutum ab origine, cadaver à morte. Fœnum à transcursu, lutum ab introitu, cadauer à casu. Fœnum à forma, lutum à materia, cadauer à ruina. De primo est illud. *Omnis caro fœnum*, & illud. *Homo sicut fœnum dies eius, tamquam flos agri sic efflorescit.* De secundo. *Memento, quæso, quòd sicut lutum feceris me.* De tertio. *Vbicumque fuerit cadauer, illic congregabuntur & aquilæ.* Sic enim transtulit Origenes super illud Matthæi, Hebræi sermonis scientissimus. Igitur cùm Deus homo factus est, & fœnum, & lutum, & cadauer. Sed fœnum semper floridũ, lutum numquam sordidum, cadaver numquam putridum. Fœnum, vt foueat; lutum, vt abluat: cadauer, vt pascat. Est enim quoddam genus luti aptum ad tollendas maculas de vestibus, & sordes abluendas. Fœnum factus est Christus in flore, lutum in sanguine, cadauer in carne. Floruit & florebit in æternum eius conuersatio simul & sermo: lauit, & lauabit semper ejus passio: pauit, & pascit & pascet semper in perpetuum illius caro. In hoc fæno nidificauerunt sancti Confessores; in hoc luto stolas suas candidas fecerunt gloriosi Martyres: ad hoc cadauer congregatæ sunt aquilæ volantes, idest animæ Sanctorum, jam de carceribus egressæ corporum; quæ de valle lacrymarum ascenderunt in montem Domini, & securè requiescunt sub altare Dei: inuenientes in hoc monte præparatum conuiuium pinguium, conuiuiũ vindemiæ; pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ. Pingues medullati sunt ordines illi beatorum spirituum, qui de intima visione Dei assiduè pascuntur, quia faciem Patris semper intuentur. Horũ conviuium est gloriosissima caro Filii Dei, sedens ad

Marginalia: Oseæ. 11. — Triplex necessitas hominum. — Psalm. 118. — Prouer. 5. — Luc. 13. — Psalm. 24. — Iac. 1. — Ioan. 5. — Trahunt Deus & diabolus. — Psalm. 77. — 2. Reg. 8. — Mat. 25. — Hebr. 9. — Iob. 14. — Christus nostris funiculis ligatus. — Eccli. 13. — Psalm. 41. — Isai. 40. — Psalm. 102. — Iob 10. — Matth. 24.

dens ad dexteram paternæ maiestatis, in quam desiderant Angeli prospicere. Vindemia defæcata est beatissima & superexcellens ipsius anima in diuinæ felicitatis bonis potioribus collocata. Quàm veraciter ergo ait Apostolus. *Apparuit benignitas & humanitas Saluatoris nostri Dei.* (Tit. 3.) Benignitas Dei maximè in humanitate apparuit, id est in benignissima hominis assumptione. Nũquam enim meliùs ostendere potuit Deus, quàm benignus esset erga hominem, & quantum eum diligeret, quàm assumendo carnem, sicut iam demonstrauimus. Igitur necessitates nostræ, quas suscepit in se Christus, iniquitates nostræ, quas vt nubem deleuit; passiones innumeræ, quas pro nobis sustinuit, compassiones immensæ, quas ex corde nobis exhibuit; sũt illi funiculi Adam, (*Qui funiculi Adam.*) quibus ad se hodie Ecclesiam attraxit, tanquã spõsus sponsam, sed cælestis terrestrẽ, nobilis ignobilem, diues pauperem, speciosus turpem. Planè non sic solent eligere viri vxores. Nam, vt ait Isidorus, in eligenda vxore quatuor inquirũtur, genus, pulchritudo, mores, & diuitiæ. At sponsa Christi antequam illi conjungeretur, pro ignobilitate generis Chananæa dicta est, Æthiopissa pro turpitudine, pro paupertate nuda, pro fœditate sanguinolenta, idest facinoribus & flagitiis plena. Porrò in eligendo marito, juxta præfatum Isidorum, quatuor solent inquiri, virtus & genus, mores & sapientia. Et notandum, quòd in vtraque electione mores circa finem ponuntur: quia apud huius seculi amatores vix de moribus fit quæstio, & vtinã vel vltima fieret: nam apud plerosque nulla est. Porrò sponsus Ecclesiæ Christus tantæ virtutis est, vt ad eius tactum conualescant languidi, ad eius odorem reuiuiscant mortui, ad illius clamorem exiliant sepulti. (*Ecclesia Spõsus quanta virtutis.*) Generosus autem est, vt filius Altissimi; sapiens, vt Angelus magni consilij; speciosus, vt filius Dei; diues & opulentus, vt creator mundi. O quàm diues est, cuius est terra, & plenitudo eius, orbis terrarum, & qui habitant in eo! Cuius ciuitatis plateæ sternuntur auro mundo. O quàm pulcher, cuius pulchritudinem sol & luna mirantur! in quẽ desiderant Angeli prospicere. O quàm sapiens, qui comprehendit sapientes in astutia eorum, qui perdit sapientiam sapientum, & prudentiam prudentium reprobat! cuius sapientia fundauit terram, cuius prudentia stabiliuit cælos: cuius stultum sapientius est hominibus. Generositas autem eius tam enarrari non potest, quàm ipsa generatio. *Generationẽ* inquit, *eius quis enarrabit?* (Isai. 53.) multo minus generositatem. O quantæ virtutis est, qui viuendo vicit peccatum, prædicãdo mundum, moriendo diabolum, resurgendo infernum! At suauitatem morũ eius quis explicet: quã certè nec ipse melius aut plenius explicare potuit, quàm cùm dixit, *Delicia mea esse cum filiis hominum?* (Proverb. 8.) Quid ad hoc dicis, ô sponsa, non turpis, sed speciosa; non ignobilis, sed generosa; non exilis, sed opulenta; non infelix, sed beata? Ecce habes sponsum votis omnibus respondentẽ: quem cùm amaueris, casta es, cùm tetigeris mũda es; cùm acceperis virgo es: cùm illi nupseris, felix es. Certè nec humiliùs vxorem ducere poterat, nec tu nubere gloriosiùs. Curramus ergo, fratres, curramus obsecro, cum Magis ad regales nuptias; sed curramus vt Magi, idest vt sapientes, hoc est cum muneribus, Nam insipientis est manu vacua postulare. Currere est quærere, petere, pulsare. *Omnis,* ait Scriptura, *qui quærit inuenit, & qui petit accipit, & pulsanti aperitur.* (Luc. 11.) Multi quærunt, sed non inueniunt, quia insipienter quærunt: multi petunt, sed non accipiunt, quia insipienter petunt: multi pulsant, sed non intrant, quia insipienter pulsant. Quærendum est, sed cum lumine; petendũ, sed cum munere: pulsandum est, sed cum clamore. Lumen cum quo quærendum est, pœnitentia est, quæ per contritionem ardet, per confessionem lucet. Hæc est lucerna, quam mulier accendit, vt euertat domum, & dragmam perditam inueniat. (Luc 15.) Euertere domum est conuersationem mutare: inuenire dragmam est dignitatẽ diuinæ similitudinis in conscientia restaurare. Quæ in decem præceptis continentur, tanquam in decem dragmis, quarum qui vnã perdit, omnes perdit; quia qui in vno offendit, fit omnium reus: & qui vnam inuenit, omnes inuenit: nam qui vnam virtutem habet, omnes habet. Petendũ est, sed cum munere; quia juxta vulgare prouerbium, vacuæ manus cassa est petitio. Offeramus ergo Saluatori munera, quæ ipse prior nobis, tanquam seruus, dominus obtulit. Aurũ nobis obtulit in verbis gratiæ, thus in factis potẽtiæ, myrrham in amaritudine patientiæ. Aurum in præceptis, thus in miraculis, myrrhã in pressoris. Et nos igitur offeramus ei aurum eleemosynæ, thus orationis, myrrham continentię, quæ per jejunium solet designari. (*Munera à nobis Christo offerenda*) Vel aurum fidei, thus desiderij, myrrham martyrij. Pulsandum est cum claue, cum improbitate & perseuerantia. Hæc sola intrat, quia sola saluat: sola impetrat, quia sola coronat. Labor improbus omnia vincit. Nihil adeo clausum est, ad quod non intrat pulsator importunus. Beati quibus sic currentibus & pulsantibus datum est intrare ad nuptias agni, vt lætentur conuiuæ ex aqua vino facto, idest timore penitus in amorẽ conuerso, vel potiùs ab amore absorpto: quia timor non est in caritate, sed perfecta caritas foras mittit timorẽ. Vel vinum ex aqua factum est requies post laborem, abundantia post pauperiẽ, satietas post esuriem, gaudium post mœrorem. Sicut scriptum est, *Mœror in corde viri humiliabit eum, & sermone boni lætificabitur;* (Proverb. 12) illo scilicet, *Beati qui nunc fletis, quia ridebitis.* Hoc est vinum bonum, quod sponsus Ecclesiæ, nobis seruat adhuc, sicut scriptum est. *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te!* (Psal. 30.) Ad quã nos perducat, qui sine fine viuit & regnat.

Sermo I. In Purificatione B. Mariæ.

SVSCEPIMVS *Deus misericordiam tuam in medio templi tui.* (Psal. 47.) Duplex est susceptio huius misericordiæ; mentalis, vt ita dicam, in Verbo, sacramentalis in carne. Prima Simeoni, secunda Annæ conuenit; idest Simeõ primæ susceptionis insegerit mysterium; Anna verò vidua secundæ susceptionis continet sacramentum. Simeon interpretatur exauditio tristitiæ. Duplicem tristitiam annũtiat nobis verbum Dei; æternalem gehennæ miseriam, & temporalem pœnitentiæ disciplinam. *Omnis enim disciplina in præsenti non videtur esse gaudij, sed mœroris.* (Hebr. 12.) Primã nobis nuntiat, qui dicit. *Quis poterit habitare de vobis cum igne deuorante: aut quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* (Isai. 33.) Et Dominus in Euangelio,

Mat. 10. *Timete eum, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam.* Est autem gehenna duplex, caloris & frigoris, juxta illud, *Ibi erit fletus & stridor dentiū.* Quàm timenda verò & horrenda sit illa gehenna, ostendit Dominus, cùm tam crebrò repetit sempiternitatem illius, dicens, *Matth. 18.* *Bonum est tibi, oculum habentem in vitam intrare: quàm duos oculos habentem mitti in gehennā ignis.* Vbi vermis eorum non moritur; & ignis non extinguetur. Repetitio confirmatio sermonis est, vt nos terreret ab æterna damnatione certissimè secutura. Hanc tristitiam exaudit, qui futurum judiciū certissimè credit, & semper metuit. Quidquid de pœnis infernalibus fictum est à Poëtis, fabula creditur esse à Philosophis. Sed nec fallere caritas, nec fingere veritas, nec solui potest Scriptura. Et ideo quidquid in ea de inferno scriptum est, verum esse credendum est, quia sine dubio verum est. Non enim à Spiritu sancto hæc ad terrorem tantum dicta sunt, sicut à Poëtis ficta sunt, vt Origenistæ mentiuntur; sed potiùs ita est, vt scriptum est. Alioqui si non est æterna impiorum pœna, nec æterna credenda sunt justorum præmia. Sed verum est, quod scriptum est. *Matth. 25.* *Ibunt justi in vitam æternam.* Ergo etiā verum est, quod præcedit, *Et ibunt hi in supplicium æternū.* *Ethnici infernum crediderunt.* Hieronymus autem tradit Zenonē Stoicorum principem credidisse inferos, & animas immortales. Iuvenalis quoque Satyricus contra generalem opinionem Gentilium sic affirmat esse credendum, dicens,

Iuvenal. Satyra. 2.

Esse aliquos manes, & subterranea regna,
Et contum & Stigio nigras in gurgite ranas,
Atque vnâ transire vadum tot millia cymba,
Nec pueri credunt, nisi qui nondum ære lauātur,
Sed tu vera puta.

Igitur, vt diximus, exaudire gehēnæ tristitiam, est firmiter credere, esse gehennam, & semper eam metuere. Audiunt hanc tristitiam, sed non exaudiunt, qui sic opinantur, non firmiter credunt. Nemo autem firmiter credit, efficaciter exaudit istam tristitiam; pro qua exauditione afficitur Simeonis nomine. Porrò exauditio secundæ tristitiæ est susceptio pœnitentiæ, & perseuerans executio susceptæ. Per iniustitiam diuidit, sed non exaudit, qui injunctam suscepit, sed projicit susceptā. Igitur istarum duarum tristitiarum neutra sine altera potest exaudiri: quia nec gehenna salubriter timeri potest sine executione pœnitentiæ, nec pœnitentia perfici sine timore gehennæ. Hæc ergo duo conjuncta Simeonem faciunt, idest tristitiæ duplicis bonum exauditorem. Hic est senex, idest sapiens, quia in antiquis est sapientia. Scriptum est autem. *Job 28.* *Ecce timor Domini ipse est sapientia.* Vnde idem Simeon dicitur justus, & timoratus. Timoratus propter assiduum timorem Domini; justus propter justitiæ continuum feruorem. Nihil est justius, quā perenniter à nobis omnibus, & omnium Iudicē semper timere. Hic Simeon semper habitat in Ierusalem, & consolationē Israël expectat: quia iustitia cōfœderatur paci, & consolatio promittitur lugenti. *Psalm. 84.* *Iustitia*, inquit *& pax osculatæ sunt.* *Mat. 5.* *Et beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Hic responsum accepit à Spiritu sancto, idest à sua conscientia bene sibi respondente spirituali testimonio, non visurum mortem, nisi priùs videret Christum Domini, idest nisi priùs dimissa fuerint peccata sua, & computruerit eorum jugum à facie olei, idest ab vnctuosa misericordia Dei. Et ideo venit in spiritu in templum. In spiritu, idest in spirituali voluntate, in proposito audiendi verbum Dei, & retinendi memoriter, & fideliter conseruandi, id est efficaciter adimplendi; tanquam sciens veraciter scriptum esse, *Luc. 11.* *Beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.* Nemo potest in templo proficere, qui nescit in spiritu in templum venire. Nemo autem in spiritu venit, quem spiritualis voluntas non adducit. Sunt, quos in templū ducit petulantia; sunt quos perducit cupiditas; sūt, quos inducit ambitio; sunt, quos curiositas introducit. Fur non venit, nisi vt furetur; petulans, nisi vt videatur, aut videat; tangatur, aut tangat; ambitiosus, vt honoretur; curiosus, vt rimetur. Templum est domus orationis; sed primi faciunt de ista domo speluncam latronū, secundi lupanar meretricum, tertij forum venale, quarti forum causarum. Nam etiam eorum qui audiunt verbū Dei, quidam audiunt tantùm vt laudentur; alij vt vituperent; pauci, vt suscipiant; pauciores, vt conseruēt. At vituperare malum est, laudare parum, suscipere necessarium, conseruare & custodire optimum & perfectum. Vtinam quotiens in tēplum venimus, in spiritu veniamus: vtinam ad audiendum verbum Dei nos adducat deuotio, non libido detrahendi seducat. Quo tamē quisque spiritu adueniat, susceptio demonstrat. Quā bene deuotum Simeonis deuotissimus ille demonstrauit affectus, quo amplexatus est puerum oblatum. Denique impatientissimū illius desiderium non expectauit quousque Maria portās in suis brachiis incarnatam Dei misericordiam perueniisset ad altare; sed cùm adhuc inducerent puerum Iesum parentes eius, occurrit eis in medio templi, & suscepit ibi puerum, imò quadam auiditate festinationis rapuit eum de vlnis Mariæ in vlnas suas, & amplexatus est & osculatus. Planè sic custodiendum est verbum Dei, occurrendum est prædicatori ab auditore mente alacri, prompto animo, parato corde, vt possit dicere cum Propheta. *Psal. 107.* Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum. Non expectare debet, donec prædicator acutas proferat sententias, & verba penetrabilia, idest persuasibilia: sed mox vt Deo loqui incipit, debet ei cordis aperire ostium: & vt ait Augustinus, verbo Domini facere nidum, vbi ponat pullos suos, & foueat. *Domiciliū verbi Dei cor humanum.* Sermonis quippe Domini proprium domicilium nil est aliud, quā cor humanum: hæc est eius domus propria, hęc eius mansio, hoc eius hospitium, hic nidus. Hoc hospitium petit à nobis verbum Dei. Vnde dicit. *Proverb. 23.* Fili, præbe cor tuum mihi. Si quis puer paruulus foris staret ad ostium domus vestræ, & pro amore Dei peteret à vobis hospitium, nonne crudelis & inhumanus esset, qui illum hospitio non colligeret? At puerum istum, qui dicitur Iesus Christus, tantò crudelius & infelicius est hospitium petentem repellere, quantò ipse dignior est, & dulcior: & quantò illius maior dignatio est, hospitium ab homine petere, sine quo non potest homini bene esse. Et quid dulcius misericordia, quid sapientia dignius: quid salute dulcius, quid dignius Salvatore? At quid eo dignantius, apud indignitatis nostræ miseriā hospitate? *Ioan. 14.* *Si quis*, inquit, *diligit me, sermonem meum seruabit; & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Itē. *Apoca. 3.* *Ecce ego sto ad ostium, & pulso. Si quis aperuerit mihi, intrabo ad eum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum.*

O felicem tanto hospite hominem. Pulsat autẽ Dominus ad ostium vestrum, quotiens offert vobis à prædicatore salutis verbum. Suscipite ergo illud in medio templi, idest cordis vestri, sicut scriptum est. *Vt facerem voluntatem tuam, Deus & legem tuam in medio cordis mei.* Si enim iuxta Apostolum corpora nostra templum sunt Spiritus sancti, quid aliud est huius templi medium, quàm cor nostrum? Cor enim animalis in medio eius est. Porro puer iste non solùm hospitio suscipiendus est, sed etiam in manibus gestandus. Quid est autem IESVM puerum in manibus gestare, nisi verbum salutis operibus adimplere? Pauciora verò possunt gestari in manibus, quàm brachiis amplexari: ideo non solũ gestandus, sed & amplexandus est, & pectori dulciter astringendus. Quod tantum gestare consueuimus, suos plerumque gestantes gravat. Quod autem amplectimur, & nobis appectoramus, sẽper sine dubio nos delectat. Igitur puerum Iesum in manibus gestare, est facere quod iubetur: amplexari verò est, plusquam iubetur, adimplere. Ad susceptionem prohibitiones pertinent, ad gestationem præcepta, consilia ad amplexum. Porrò duo brachia quibus amplexandus est, sũt hilaris obediẽtia, & patientia fortis: vel temperantia in prosperis, & patientia in aduersis. Isti sunt ambidextri, sic pugnantes sinistra, vt dextera: quos nec prosperitas illudit, nec elidit adversitas. Væ illis, qui ad amplexandũ hunc puerum vtroque brachio manci existunt: in prosperitate luxuriosi, in aduersitate murmurosi; intẽperantes in voluptatibus, in calamitatibus impatientes: nescientes, imò non volentes vel bona facere, vel mala tolerare. Amplexus autem & appectoratio huius pueri deuotionem significat in bono opere, & gloriationem in tribulatione. Nõ possumus oneratis brachiis diu incedere, nisi ipsa brachiorum onera nostris pectoribus astringi curemus. Onerata quippe brachia quàm longius remouẽtur à pectore, tanto facilius labore lassantur. Similiter nemo potest diu esse vel strenuus ad obedientiam, vel longanimis ad patientiam, nisi spontaneus & deuotus extiterit ad vtramq;. Nam quod inuiti facimus, citò intermittimus. Et quod inuiti ferimus, quam citò possumus ferre cessamus. Sola ergo devotio est, quæ inceptum opus absoluit; sola acedia, quæ dissoluit. Illa graues etiam labores alleviat, ista leues aggrauat, juxta illud Comici. *Nulla res adeo facilis est, quin difficilis fit, quàm inuitus facias.* Sed è contrario potest adjici, nulla res adeo difficilis est, quin facilis sit, quam libens & devotus facias. Hoc est libamen, quod semper sacrificium debet comitari, juxta illud propheticum, *Sacrificium & libamen Domino Deo nostro* Sacrificium sine libamine est opus vanum sine deuotione Deinde osculandus est puer, non in sui ipsius labiis, sed in solis plantarum vestigiis. Illud enim summum osculum singularis muneris est priuilegio relinquendum. Numquam legitur puer iste osculatus in ore suo, nisi vel à matre, vel à proditore. Summa præsumptio est, ad summi labia os inquinatũ velle porrigere. At cui non cõtingit illud væ propheticũ, vt se possit dicere labiis pollutũ? Omnis homo mendax. Suis ergo immundis labiis osculabitur labia ipsius veritatis? Sufficiat nobis peccatoribus plantarum eius osculũ; à quibus altius osculari, est, quod nec S. Simeon ille præsumpsit. Numquid non magnũ est hoc? Quis enim altior illo æstimabitur, qui pedes sedentis in cælo osculatur! O verè hominem giganteæ celsitudinis, cui datum est osculari vestigia tam excelsæ majestatis! Sed quid est osculari plantas verbi Domini, nisi omnia bona nostra in conspectu nostro despicere, & pro nihilo reputare? Sicut scriptum est, *Cùm feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite, Serui inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus.* Ille reuera pedes Domini osculatur, qui semper se minorem aliis existimat, & aliorum bene facta & dicta laudãs, & magnificãs, comparatione illorum se nihil fecisse reputat, se nihil esse putat. Pedes Dei osculatur, qui omnia bona nõ suæ industriæ, sed Dei gratiæ attribuit: mala autem sua sibi soli imputat & ascribit. Pedes Domini osculatur, qui bona sua à conspectu suo projiciens, mala sua cum lacrymis sẽper recordatur. Ad hoc pulcherrima similitudine nos beatus inuitat Bernardus; qui dicit nos sic facere debere, sicut pauperes & infirmos sedentes in semitis magnis, vel templorum porticibus, vt petant eleemosynam à viatoribus vel introeũtibus in templum. Nam quod in eis sanum & robustum est, occultant potius quàm demõstrant: quod autem vlcerosum & putridum, & aspectu fœtidum, & miserabile, hoc ostentare potiùs quàm occultare laborant; vt inde magis ad compatiendum videntes prouocent, & ad erogandum inuitent. Sic & nos in cõspectu Dei non nostra, siqua bona sunt, jactitare & magnificare debemus, sicut Pharisæus ille faciebat: sed nostra potius denudare vulnera, sicut humilis publicanus. Sola ergo humilitas est, quę pedes Domini meretur osculari. Superbia verò summis semper astans arroganter & se vltra mensuram propriam turgidis inflationibus attollens & erigens, tanto magis scissioni & ruinæ approximat, quanto magis familiare osculum sibi prorsus indebitum apud amatorem humilium vsurpat. Osculari quoque plantas Domini, est Incarnationi Dominicæ deuotissimis affectionibus medullatas gratiarum actiones referre. Ecce qualiter suscipiendum est verbũ Dei, Sed reuera ipsius est, vt bene suscipiatur verbum ꝙ offertur. Sicut autẽ à S. Simeone formã suscipiendi cognouim*, sic à B. Maria virgine formã offerẽdi cognoscere debemus: in cuius oblatione tria precipuè cõsideranda sunt; tempus, modus & locus. Tempus, quando; modus, quomodo; locus, vbi. Non enim Verbũ istud mox vt natum de matre est, continò oblatum est; sed tunc primò, quando impleti sunt dies purgationis Mariæ. Oblatum est autem, non in majestate terribili, nec in nuditate contemptibili; sed indutum membris teneris, & pannis mundissimis inuolutum. Oblatum quoque est, non extra templũ, non ad fores templi, sed in ipso medio. Similiter prędicator futurus, qui diuini verbi mater spiritualis est, non statim vt aliqua scripturarum sanctarum mysteria summatim perleviter attigerit, publicè in Ecclesia prędicare debebit; sed tunc primò, cùm purgata fuerit eius conscientia, & vetus conuersatio plenissimè mũdata. Ab immũdo enim quis mundabitur? Tunc autem offerat verbum, non in majestate philosophica, sed nec in simplicitate rustica; sed affectuosissimis adornatũ sententiis, & dulcissimis sermonibus inuolutum. Oportet enim, vt lingua eius nõ tantùm foris perstrepat ad aures populi, tanquã Iesum offerẽs ad fores templi: sed magis intus penetret

Psalm. 39.

Cor templi m. diũ est.

Iesum portare & amplecti quid sit.

Ioël. 2.

Luc. 17.

Quis pedes Dei osculetur.

Bernard.

Sola humilitas Christi pedes osculatur.

autem fit duobus modis: vel cùm fiunt, quæ ibi vsque ad cordis intimum, tanquam Iesum offerens in templi medium, vt possint dicere auditores, *Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui.* Sic enim præcipitur prædicatoribus. *Loquimini ad cor Ierusalem.* Quasi diceret. Nolite loqui ad bursas, ad linguas, ad aures, sed potius ad corda populi. Sanè hæc sunt quatuor genera prædicantium. Sunt enim prædicatores bursarum, sunt prædicatores linguarum, sunt prædicatores aurium, sunt & cordium: sed istorum magna valde paucitas, ceterorum verò noxia multitudo. Primi nihil quærunt, nisi pecuniam, secundi nihil expetunt nisi famam, tertij nihil sciunt quærere, quarti nihil volunt perdere. Primis ergo tribus reprobatis generibus, quartum assequi laboremus; laboremus dico, quia hoc opus, hic labor est. Nam ad tantam loquendi efficaciam, quę cor hominis non solum pungat, sed etiam perforet, omnimodis necessaria est lingua eucharis; quæ non nisi in bono homine habet abundare. Reuera enim verbi salutaris & persuasorij sacrosancta eucharistia, sicut non nisi etiá in altari mundi cordis conficitur, sic non nisi per linguam eucharim ministratur. Sicut enim mulier quę in peccato cōcipit, naturali natiuitate in peccato parit: ita proculdubio qui divini verbi conceptor immundus est, necessariò tam sancti seminis & indignus sator est, & inutilis dispensator. Non sufficit autē sola vitę sanctitas, nisi adsit etiam fœcunditas doctrinæ. Quæ semper infœcunda est, nisi eam fœcundet linguę facundia. Non est autem lingua eucharis artificiosè docens mendacium, & facilè quodlibet illicitum persuadens. Cùm enim hoc nomen eucharis idem Græcè signet, quod Latinè vel bona gratia, vel bene gratiosa; manifestum est, nullam linguam tam gratiosum promereri vocabulum, nisi quam gratiosam constat esse ad bonum. Quasi ergo à Maria Virgine, & matre, & plena gratiarum, de puero Iesu noua fit oblatio in medio templi, pergrata occurrentibus, suscipientib' peraccepta, quādo prædicator Ecclesiasticus mundus vita, fœcundus scientia, eloquentia perfacundus, persuadet hominibus incedere per viam salutis, & ambulare in saluationem; vtens ad eos verbo puro & simplici, honesto & vtili, sancto & salutari, gratioso & dulci: sicut scriptum est de puero hoc. *Diffusa est gratia in labijs tuis.* Sanè si fit, qui illum sic offerat, erit qui oblatum bene suscipiat. Ideo enim hodie ad suscipiendum puerū Iesum nemo accedit, vt Simeon; quia ad illum offerendum nemo procedit, vt Maria.

Psalm. 47. *Isai. 40.* *Prædicantium diversa genera.* *Vt fiat oblatio Christi à prædicatore.* *Psal. 44.*

Sermo 2. In Purificatione B. Mariæ.

Galat 4.

QVANDO *venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum in terris, factum ex muliere, factum sub lege; vt eos qui sub lege erant redimeret.* Hæc sententia Pauli scribentis ad Galatas, sicut ad Nativitatem Domini referri solet, propter illud, *Misit Deus filium suum factum ex muliere,* sic ad hodiernam solemnitatem, propter illud, quod subditur, *Factum sub lege.* Hic enim sermo brevissimè quidem, sed tamen plenissimè comprehendit, quidquid hodierna lectio sancti Evangelij de Purificatione B. Mariæ loquitur, & de inductione pueri Iesu à parentibus eius in templum, vt facerent secundùm consuetudinem legis pro eo. Propter quod & hodie ad Sextam horam in Ordine nostro capitellum de hac sententia factum est. Et fortassis hac eadē puer Iesus hodie in templo est præsentatus. Huius ergo sermonis gratia, ex quo festivitas hodierna tota pendet, & ideo quoque totam Pauli sententiam breviter & planè, prout Deus dederit, & hora permiserit, vestræ caritati proposuimus explanandam. In ejus explanatione quinque consideranda sunt, scilicet tempus, author, opus, causa & modus. Tempus plenitudinis, author vniuersitatis, opus divinæ Incarnationis, causa nostræ redemptionis, modus operis, idest formatio Redemtoris ex muliere, & subjectio eius sub lege. Singula per ordinem latiùs explicemus. *Vbi venit plenitudo temporis &c.* Omne tempus ante Saluatoris aduentum, quasi vacuum & inane permansit, tanquam tempus egestatis, & tempus inopiæ; quippe in quo nūquā & nusquā inueniri potuit, vnde vel vnus homo redimere posset animā suam de manu inferi. Redemptio autem animæ viri proprię diuitiæ. Illud autem tempus verè fuit plenissimum, in quo Salvator attulit plenum salutis donum, id est copiosæ redemptionis pretiū, sicut hodie canit per orbem vniuersum Ecclesia. *Secundùm nomen tuū Deus, ita & laus tua in fines terræ.* Nomen Domini Iesus Christus: Iesus à salute, Christus ab vnctione. Opus Iesu salus, & salus vera: qui operatus est salutem in medio terræ. Opus Christi redemptio, & redemptio copiosa; quę mundum à morte perpetua redemit. Quia ergo secundùm nomen eius, ita & opus ejus; ideo secundùm nomē ejus, ita & laus ejus in fines terræ: vt vbique laudetur, sicut verus Salvator & Redemptor: Salvator à peccatis, Redemptor à pœnis; restitutor innocentiæ, justitiæ retributor. Vnde sequitur. *Iustitia plena est dextera tua.* Iustitia tua, Iesu, qui totum habes dextrum, nil sinistrum; totum prosperum, nil adversum; totum forte, nil infirmū. Nam quod infirmum est tuum, fortius est hominibus. Tu totus nil aliud es, nisi misericordia iustificans impium, & justitia remunerans justū, exaltans humilem, dejiciens superbum. Opus tuum multitudo misericordiæ, & justitiæ plenitudo. Sanè non poterat venire, nisi cum plenitudine & cumulo salutis ille, in quo habitat plenitudo divinitatis corporaliter: in quo sunt thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi: qui fons bonitatis est, fons luminis, fons vitæ, flumen pacis, & torrens gloriæ, sicut scriptum est. *Ecce ego declino in eos, vt flumen pacis, & torrens inundans gloria gentium.* Ideo dicebat olim Iudæis. *Meus est orbis, & plenitudo ejus. Quò mihi multitudinem victimarū vestrarum? Plenus sum.* O quàm plenus est, qui bonorum nostrorum non eget! qui solus sibi sufficit, de cuius plenitudine omnes accepimus, quicumque boni aliquid habemus: à quo bona cuncta procedunt, & ad quem cuncta redeunt, tamquam flumina ad locum vnde exeunt, vt iterum fluant. Vnde Ioannes dicit eum esse plenum gratiæ & veritatis. Plenum gratiæ, vt per abundantem gratiā mandata legis impleret, & ab alijs impleri faceret. Plenum veritatis; vt per veritatem redditam quidquid lex prophetauerat, impleret. Vnde dicit. *Non veni soluere legem, sed adimplere.* Super quem locum Augustinus contra Faustum. Ille adimplet legem, qui sic viuit, vt præcipit lex: plenitudo enim legis est caritas. Impletur

Tempus egestatis ante Christi adventum. *Psalm. 47.* *Isai. 66.* *Psal. 49.* *Isaia 1.* *Ioan. 1.* *Mat. 5.*

præcepta sunt: vel cùm exhibentur, quæ ibi prophetata sunt. Quæ cùm impleta est, gratia & veritas facta est. Gratia pertinet ad caritatis plenitudinem, veritas ad prophetiarum impletionẽ: quorum vtrumque fit per Iesum. Vnde. Lex per Moysen data est, gratia & veritas per Iesũ Christum facta est. Hæc est laus eius in fines terræ. Augustinus ad Volusianum. In Christo Iesu eo tempore, quòd oportunissimum nouerat, & ꝙ ante secula disposuerat, venit hominibus magisterium, & ad jutorium ad capessendam sempiternam salutem. Nam magisterium nobis attulit caritatis, tanquam magni consilij Angelus, vel admirabilis consiliarius, tanquam Dei sapientia, & doctor justitiæ. Adjutorium tamquam Deus fortis, vel Dei virtus, & gratiæ largitor, remittendo peccata, & conferendo merita. Nam sapientia eius nostram illuminat ignorantiam, virtus eius adjuuat & roborat infirmitatem nostram. Hac de causa appellauit Apostolus Salvatoris in carne præsentiam plenitudinem temporis, idest tempus plenitudinis, per hypallagen. Vel plenitudinem, idest adimpletionem tẽporis in lege repromissi. Quando ergo venit hęc plenitudo temporis, misit Deus filium suũ. Ecce Author, ecce opus. Author excellentissimus, opus excellẽtissimum. Author Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis: opus Filius Dei missus ad salutem hominum, & consolationem miserorũ, sicut ipse dicit. *Spiritus Domini super me, eo quod vnxit me, ad Evangelizandum pauperibus misit me, vt mederer contritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiam, & clausis apertionem.* Misit, inquit, filium suum. Misit, non vt esset, vbi antè non erat, sed vt appareret, vbi latebat. Misit tamquam legatum, & tamquam donum. Tamquam legatum ad inimicos, tamquã donum ad amicos. Ad illos reconciliandos, ad istos honorandos. De hac legatione Abdias, *Auditum audiuimus à Domino, & legatum misit ad gentes.* Et apertiùs Paulus, *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non imputans eis delicta eorum; & posuit in nobis verbũ reconciliationis. Pro Christo ergo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos Obsecramus pro Christo reconciliamini Deo.* Quid hac prece dulcius, quid hac legatione sublimius, quid hac reconciliatione facilius? Facere debueramus hoc etiam non rogati; quanto magis tam dulciter à Deo rogati! Rogat nos, cùm legatos mittit ad rogandum nos. De dono habemus in Isaia. *Paruulus natus est nobis, filius datus est nobis.* Et in Evangelio *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret,* scilicet mundo, in pretium & cibum: in pretium captiuis, vt à morte redimerẽtur æterna; in cibũ famelicis, vt ad vitam nutriantur æternam. Empti enim sumꝰ pretio magno ab eo, qui dicit. *Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi.* O pretium pretiosissimũ quo totus mundus redemptus est. O cibum deliciosissimum, qui Angelorum cibus est. Vnde Ambrosius in laudem crucis. *Beata cujus brachiis, Secli pependit pretium, prædamque tulit tartari.* Et Psalmista. *Panem Angelorum manducauit homo.* Quid hic dicis, ô ingratitudo humana, tanto donatori & muneri ingrata? Quis hoc munus magnificentissimũ festinanter venit videre cum pastoribus, desideranter curat adorare cum Magis, inhianter expectat & expetit cũ Simeone obviis illud excipere manibus, & lætis brachiis amplexari? Quis denique de tanti muneris susceptione felici lætus & alacer cũ Anna vidua confitetur Domino, gratiarum actionis holocaustum offerẽs medullitus tanti datoris libertati gratuitæ? Decem leprosi à Domino mũdantur, sed nouem ingrati ab eo nesciuntur: qui quaternarium gratiæ ipsius, qui factus est nobis à Deo sapientia & justitia, sanctificatio & redẽptio, malè jungunt quinario sensuum; & dragmam decimam sapienter non possunt quærere nec feliciter inuenire; nec per illud vnum, quod necessarium est, ad æterni remunerationem denarij peruenire. Ideo gratus vnus est, & alienigena, à seculi actibus se faciens alienum; tanquã peregrinus & aduena non habens hic civitatem manentem, sed futuram inquirens, ad vnum tendens, & vnam petens: non circa multa solicitus, quia vnum est necessarium, vnitatem spiritus in vinculo pacis conservans. Sola est, quæ nos in defectu nouenarij citra perfectioné denarij remanere facit ingratitudo, conversionem nostrã à profectu alacritatis & fervore spiritus impediens, quodam tepore & torpore mortifero nostræ fidei calorem primitiuum extinguens. Ideo vni leproso redeunti, & de mundatione sua mũdatori gratias agenti, ab eodem mundatore dicitur. *Vade, quia fides tua te saluum fecit,* idest fidei deuotio. Patres nostri olim proficiebant de die in diem: hodie apud nos, qui eadem habuimus conuersionis initia, magnus æstimaretur, si vel ipsa conversationis suæ primordia conseruaret. Numquid abbreviata est manus Domini, aut thesauri gratiæ defecerunt? Numquid eius voluntas saluandi nos immutata est, vel facultas imminuta est? Absit. Sed ingratitudo nostrã gratiæ ipsius augmentum à nobis tepidis, elógauit. Quæ videlicet ingratitudo gratiæ tempus opportunum reddit ingratis pessimum: quia nõ tantæ felicitatis est sub tempore gratiæ viuere, quantæ infelicitatis oblatam non suscipere gratiam, vel susceptam non servare. Sed & misericordiæ res est, vt B. Bernardus asserit, ingratis subtrahere gratiam, sicut è contrario indignationis & iræ misericordiam talibus exhibere, juxta illud. *Misereamur impio, & non discet facere justitiã.* Sed jam cetera videamus. Misit, inquit, Deus filium suum factum ex muliere. Ecce modus operandi. Missio enim Filij, ejus est incarnatio, cujus Incarnationis modus est, quòd ex muliere factus est. Sed dices. None & alij homines ex muliere facti sunt? Non certè, imò principaliter ex virili semine. Sicut enim nullus homo constare dicitur ex anima vel carne tantùm, sed ex carne & anima; sic nullus homo rectè dici potest factus ex muliere tantùm, sine additamento, cùm sit factus ex viro & femina. Hoc igitur genus facturæ soli Christo appropriatum est; nec breuiùs, nec planiùs potuit Apostolus describere facturam huiusmodi hominis, qui factus est in justitia & sanctitate veritatis, quàm, vt diceret, factum ex muliere. Primus enim homo factus est de terra, prima mulier facta est de costa; omnes alij viri & mulieres de viro & fœmina, solus Christus ex matre sola. Hæc est illa factura nobilis, de qua dicit Psalmista. *Delectasti me, Domine in factura tua.* Verè in hac sola factura delectari debemus. Nam prima & secunda factura hominis per peccatum ruerunt, in tertia de ruina peccati generamur ad ruinam mortis naturaliter destinati. In hac autem quarta factura de ruina peccati regeneramur ad ju-

Ioan. 1.
Aug. epist. 3
Isai. 61.
Abdias.
2. Cor. 5.
Isai. 9.
Ioan. 3.
Ioan. 5.
Psalm. 77.
Luc. 17.
Luc. 17.
Ser. contra vit. ingrat.
Ioan. 26.
Psal. 91.

stitiam, & de ruina mortis suscitamur ad vitam. In hac igitur factura delectari debemus, cum Psalmista; & simul expavescere cum Habacuc dicente. *Consideravi opera tua & expavi.* Delectandum est de exhibitione tantæ mansuetudinis, expauescendum de exinanitione tantæ majestatis. Quantum enim pondus beatitudinis collatura est hæc gratia suis susceptoribus, tantum onus calamitatis hæc eadem majestas suis est contemptoribus illatura. Vnde Augustinus homilia de Incarnatione Domini. *Tantùm te pressit humana superbia, vt te non posset, nisi humilitas sublevare diuina.* Idem in alia homelia de eodem. *Hinc intelligimus, quàm graves æstimet apud se Deus noster humanorum criminum causas. propter quas non Angelum, non Archangelum, sed Deum misit ad terras.* Et addit. Quàm grauis sit peccati, & quàm dura conditio, prodit remedij magnitudo: quanta malorum discussio erit, qua damnabuntur, solicitudo indicat, qua redimuntur. Quid hic dicis, ingratitudo humana? Quomodo tantum beneficium benignè non accipis? quod potiùs tanto beneficio & benefactori ingrata contra consilium Salomonis stultam querimoniā mouesde pręsenti dicens. Quid causę est, quòd tempora præterita meliora fuere, quàm nunc sunt? Stulta est, inquit, talis interrogatio. Verè stulta, quia falsa talis locutio. Meliora namque sunt modo tempora sub leui Ecclesiæ & suaui jugo Christi, quàm olim fuerunt sub grauissimo onere legis Moysi, quod, vt ait Petrus, nec Patres nostri, nec nos portare potuimus. Vel etiam quàm fuerunt olim ante legem temporibus Patriarcharum; quando florebat mundus abundantia bonorum temporalium: quando erat vita longa, salus continua, opulentia in rebus, fecunditas in propagine, tranquillitas in diuturna pace. Hæc omnia tam non faciebant tempus bonum, quàm nec hominem bonum. Sabbatum ait veritas in Evangelio, propter hominem factum est, non homo propter sabbatum. Si autem sabbatum, ergo & omnis alia dies. Nam alij dies facti sunt propter hominis operationem, sabbatum propter illius requiem. Si ergo tempus factum est propter hominem, ergo à malitia vel bonitate hominis æstimanda est bonitas vel malitia temporis. Non enim facit tempus hominis bonum, nisi quod facit hominem bonum. Vnde Hieronymus super Ecclesiaste. *Vivents virtutes dies bonos faciunt, vitia malos.* Sic ergo, inquit, viuere debemus, vt semper præsentes dies, meliores sint præteritis: ne, cùm decrescere cœperimus, dicatur nobis illud Apostoli. *Currebatis bene, quis vos impedivit veritati non obedire?* Et illud. *Cùm spiritu cœperitis, nunc carne consummamini.* Bonum ergo tempus hominis non facit abundantia bonorum temporalium, sed magis spiritualium; vt est plenitudo fidei, & honestas morum. Hanc bonitatem temporis attulit ad nos, vt suprà dictum est, filius Dei missus ad nos, factus ex muliere, factus sub lege. Quòd factus est ex matre, diuinæ virtutis fuit miraculum, iuxta illud. *Videte miraculum matris Domini.* Quòd factus est sub lege, summæ humilitatis fuit magisteriū, juxta illud. *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Sub lege Moysi fuit vsque ad annum vitæ tricesimum; sub lege Domini vsque ad vitæ terminum. Vnde Chrysostomus. *Post 30. annos Iesus venit ad baptismum, legem veterem solutu-rus.* Et infrà. *Per 30. annos institiam legis impleuerat; & tunc venit ad baptismum, Evangelium docturus, cumulū cunctis obseruationibus legis imponens* Sic ergo sub lege Moysi fuit vsque ad annum 30. vitæ suæ: sub lege autem Domini tota vita sua. Sub illa inquam lege Domini, de qua dicit Psalmista. *Lex Domini immaculata, conuertens animas.* De qua lege dicit sic beatus Bernardus in Epistola ad Carthusienses. [Est, qui confitetur Domino, quoniam potens est: & est, qui confitetur Domino, quoniam sibi bonus est: est verò qui confitetur Domino, quoniam simpliciter bonus est. Primus seruus est, & timet sibi; secundus mercenarius, & cupit sibi: tertius filius, & defert patri. Itaque & qui timet, & qui cupit, vtique pro se agunt: sola, quæ in filio est, caritas non quærit quæ sua sunt. Hæc autem lex Domini immaculata conuertens animas, quæ sola potest auertere animum ab amore mundi, & in Deum dirigere. Nam nec amor, nec timor priuatus conuertit animum; interdum mutant vultum vel actum, affectum numquam. Facit seruus nonnumquam opus Dei, sed non sponte; facit & mercenarius, sed non gratis. Vbi autem proprietas, ibi singularitas; vbi singularitas, ibi angulus: vbi angulus, ibi sordes, siue rubigo. Itaque nec lex serui, idest timor; nec lex mercenarij, idest cupiditas, immaculata est, nec animas conuertere potest. Caritas autem lex est immaculata; quia nil sibi de suo retinet: quippe cui de proprio nihil est, sed totum quod habet, Dei. Qui autem Dei est, immundus esse non potest. Lex ergo immaculata caritas; quia non quęrit quod sibi vtile est, sed quod multis. Lex autem Domini, quia ipse ex ea vivit, vel quia eam nullus, nisi dono ipsius possidet. Caritas autem ipsam Trinitatem in vnitate cohibet, & colligat in vinculo pacis. Caritas autem, non qualitas, vel accidens, sed subbstantia. Dicitur enim rectè caritas, & Deus, & Dei donum. Itaque caritas dat caritatem, substantia accidentalem. Vbi dantem significat, nomen est substantiæ; vbi donū, qualitas.] Item idem in eadem Epistola. [Servus & mercenarius habent legem, non à Domino, sed quam sibi ipsi fecerunt: ille Deum non amando: iste verò aliud amando.] Et post pauca. [Qui autem faciunt, quod ait Apostolus, *Nemini quidquam debeatis, nisi vt invicem diligatis,* profectò sicut Deus est, & ipsi sunt in hoc mundo, nec serui aut mercenarij sunt, sed filij.] Et post pauca. Istis non est lex posita, sed voluntariis eò liberaliter data, quo suauiter inspirata. Vnde Dominus. *Tollite jugum meum super vos.* Ac si diceret. Non impono invitis; sed tollite, si vultis. Alioqui non requiem, sed laborem invenietis animabus vestris. Bona itaque lex caritas, & suauis; quæ non solùm leniter suaviterque portatur: sed etiam servorum & mercenariorum lege portabiles ac leves reddit; quas vtique non destruit, sed facit vt impleantur, dicente Domino. *Non veni soluere legem, sed adimplere.* Illam temperat, istam ordinat, vtramque leuigat, neutram annulat. Numquam erit caritas sine timore, sed casto: numquam sine cupiditate, sed ordinata. Implet ergo caritas legem serui, cùm infundit deuotionem; implet & mercenarij, cùm ordinat cupiditatem. Timori autem permixta deuotio ipsum non annullat, sed castificat. Cupiditas autem tunc rectè ordinatur, cùm mala penitus respuuntur, & bonis meliora

Habac. 3.
Au. tom. 10
Eccle. 7.
Act. 15.
Quid faciat tempus bonum, vel malum.
Galat. 1.
Responsoriū Ecclesiæ.
Matth. 11.
Chrisost. Hom. 10 in Nat.
Psalm. 18.
Bernard. epist. 11.
Rom. 13.
Mat. 11.
Matth. 5.

præferũtur, nec bona nisi propter meliora appetuntur. Quod cùm fit, & per Dei gratiam sic fieri assuescit, diligitur corpus & omnia corporis bona propter animam, anima propter Deum, Deus propter seipsum. In primis ergo diligit homo se propter se, in 2. gradu Deum propter se, in 3. Deum propter Deum. In hoc gradu statur. Vtrum autem in hac vita quartus perfectè possit apprehendi, scilicet, vt se diligat homo propter Deum, ignoro. Erit autem hoc, cùm introductus fuerit bonus servus in gaudiũ domini sui.] Hæc S. Bernardus de lege Dei immaculata, quæ est caritas. Caritas sibi ipsi lex est, & lex æterna: quia Deus caritas est, & Deus æternus est, & caritas æterna. Hæc lex fecit Christum facere quidquid fecit, & pati quidquid passus est. Hæc fecit eum hominẽ fieri, qui Deus erat; pauperem, qui diues erat; servum, qui dominus erat: circũcidi, qui nil superfluum; oblatione redimi, qui nihil habebat sub peccato venundatum; baptizari, qui nil habebat immundũ; accusari, flagellari, & illudi sine culpa, sine causa damnari, & hoc totum, vt eos qui sub lege erant, id est sub jugo & onere legis, redimeret. Christus itaq; redemit nos ab onere legis Mosaicæ, quando ritum cæremoniarum legaliũ de medio tulit, & sacramẽta novæ legis instituit, virtute, vt ait Augustinus, majora, vtilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora: tamquam justitia fidei jam revelata. Deus bone, quàm onerosa erãt sacramenta illa legalia, in variis baptismatibus & justificationibus carnis, in circumcisione parvulorum, in mactatione pecudũ, in excoriatione pellium, in dilaceratione mẽbrorum! Carnificum opus est hoc, non sacerdotale. Sanè omnes Sacerdotes veteris legis lictores erant, carnifices, & coci. Gratias illi, qui nos redemit ab hoc maledicto legis, factus pro nobis maledictũ. Redemit nos ab onerosa lege Moysi, sacramenta novæ legis instituẽdo; ab onerosissima lege mortis & peccati, pro nobis moriendo, & à mortuis resurgendo. O quàm bene mutatũ est sacramentum circumcisionis in sacramentum baptismatis! Illud masculos valde lædebat, istud neminem lędit: vtrumq; sexum, omnem ætatem abluit, januam paradisi confestim aperit, & baptizatũ, si statim moriatur, intromittit. Quàm bene mutatum est sacramentum victimarum in immortalis Agni sacrificium sub specie panis & vini, facilitate honestissima, & nihilominus potentissima virtute constitutum. Illud vetus sacrificium Sacerdotes ipsos, qui alios mundare debebant, polluebat, & cruentabat, infumabat, incinerabat. Vbique occurrebat pollutio corporis, mũdatio animæ nusquam. Impossibile enim erat, teste Apostolo, sanguine hircorum & taurorum auferri peccata. In hoc autem sacrificio novo mundatio animarum est efficacissima, inquinatio corporum nulla, sed vtriusq; hominis, interioris & exterioris, refectio sancta & sobria. Sic redempti sumus ab importabili jugo legis Mosaicæ per sacramenta novæ legis, seu veritatis evangelicæ, fidei Christianæ, & per eamdem legem à lege peccati & mortis. Ipsa enim est lex spiritus vitæ, id est lex gratiæ spiritualis, & viuificantis, quæ est in Christo Iesu, fides scilicet incarnationis Christi cũ sacramentis suis, quæ mortuum viuificat, dum justificat impium. Quiquis ergo vult redimi ab hac lege damnabili peccati & mortis, necesse est, vt fiat sub lege Redemptoris: sicut ipse sub lege factus est. Nam si ipse nos non redimeret, id est non sub lege fieret, quomodo ab eo redimi potuimus, vt eius fidẽ suscipiamus, præcepta servemus, promissa speremus: Iustus autem ex fide viuit. Sicut autem vita animæ fides, sic vita fidei dilectio operans. Nam fides sine operibus mortua est. Vita autẽ dilectionis humilitas se nihil reputans. Caritas enim nõ inflatur. Porrò vita humilitatis obedientia prõpta & hilaris, non in rebus suauibus, & carni placentibus; sed in laboriosis & difficilibus: & ideo vita obedientiæ patientia est, in qua anima possidetur: vita patientię perseuerantia, cui soli salus æterna promittitur, & datur. Totum ergo sacramentum festiuitatis hodiernæ virtus humilitatis est. Nã ideo purgata est Maria, quæ purgatione non eguit; & oblatio pro Christo facta est secũdùm legem, qui legi nil debuit: vt celaretur diabolo redemptionis humanę mysterium, & mundo dedicaretur in matre & filio summæ humilitatis exemplum. Quæ humilitas, quantum in se est, bona sua abscõdit; mala sua, si habet, per humilem confessionem detegit; si autem non habet, & habere putatur, purgationem legitimã subire nõ renuit. Hujus humilitatis duæ filiæ sunt obedientia & patientia: quæ sunt quasi duo brachia caritatis, quib' hodie suscipiendus est puer Iesus à virgine Maria. Sic suscepit eum hodie beatissimus senex ille Simeon, justus & timoratus, expectans consolationem Israël. Iustus per obedientiam implens mandata: timoratus per humilitatem, verens omnia opera sua; expectans consolationem Israël per patientiam, mundanas & temporales cõsolationes respuens, ad æternas & cælestes avidissima expectatione suspensus. Caritas enim Spiritus sanctus erat in eo: qui sic eum suspenderat per responsũ, quod dederat supplicãti. Tota summa salutis humanę in humilitate est. Facit enim hæc timoratum, id est in timore assiduũ: & beatus homo, qui semper est pavid'. Qui enim timet, & Deum timet, nihil negligit; nec magna, nec minima. Vtinam tantam humilitatem haberemus in peccatis nostris, quantam sancti & perfecti in rectè factis. Augustinus ad Dioscorum. *Nobis de aliquo bono facto gaudentibus totum extorquet de manu superbia. Nam cetera vitia in peccatis, superbia in rectè factis timenda est.* Et postea ait, quemdam Rhetorem nobilissimum interrogatum, quid ei primũ videretur in præceptis eloquentiæ observandum, respondisse, Pronuntiationem: quid secundò, idem; quid tertiò, idem. Sic, inquit, respondendum est de humilitate, in omnibus præceptis Christianę religionis hæc in primis necessaria est, in secundis, in tertiis. Hæc est enim virtutum principium, profectus, & perfectio. Qui hanc habet, totum habet. Hanc nobis dare dignetur magister humilitatis & mãsuetudinis, puer Iesus; per intercessionem humillimæ matris suæ virginis Mariæ, & justi Simeonis: cujus hodie desiderũ implevit ipse desideratus omnibus gentibus, Amen.

Gradus dilectionis hominis.

August. lib. 19. cont. Faust. c. 13.

Humilitatis proprietas.

Aug. epist. 56. post med.

Sermo 1. In Ramis Palmarum.

Mat. 16.

[Hic Sermo totus Gallicè pronuntiatus est, & vltimus fuit authoris; vt hic habet autographũ.]

SI QVIS *vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Vulgò dicitur. Qui bene est, non se moueat. Sed quis bene est, quando in mundo est, qui totus in maligno positus est, idest in potestate maligni, vt ab eo non possit tentari? Quomodo à tentando se abstinebit, qui nec à Saluatore abstinuit? Dies etiam mali sunt, & quotidie posterior dies fit deterior. Vnde Dominus. *Nolite soliciti esse de crastino. Ipse enim crastinus solicitus erit. Sufficit diei malitia sua.* Idest afflictio sua. Hinc est illud filij Sirach. *Numerus dierum hominis, vt multũ, centum anni: & quasi gutta aquæ maris reputati sũt. Parui & amaritudine pleni.* Et Iacob ad Pharaonem. *Dies peregrinationis vitæ meæ super terram 130. anni, parui & mali.* Si ergo etiã locus in quo sumus, in maligno positus est, & dies nostri mali, & tempus pessimum, quis bene hic est? Nõ ergo ad nos pertinet, quod dicitur, Qui bene stat, non se moueat Sed tunc planè, & tunc primò bene erimus, quando in gaudium Domini nostri introducti fuerimus; vt jam inde nõ moveamur. Interim movendum nobis est: quia migrandum à labore in requiem, à bello in pacem. Vnde Michæas. *Surgite, & ite: quia non habetis hic requiem.* Quasi dicat. Non estis hic bene. Timenti Dominum bene erit in extremis; & in die defunctionis suæ benedicetur. Vita præsens via est. In via hac quam ambulabam, posuerunt laqueum mihi. Ex quo nascimur, imus: quis enim stat? Quis non, ex quo vitam intrauit, cogitur ambulare? Infans natus est, crescendo ambulat. Via ista periculosa est; quia sunt viæ, quæ videntur hominibus rectæ, quarũ finis vsque ad profundũ inferni demergit. *Imitatores mei,* ait Apostolus, *estote: & obseruate eos qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram.* Quasi dicat. Habete prudentiam lupi, qui communiter sequitur hominum vestigia, non luporum: persuasit enim sibi, quòd meliùs sibi cavere sciat in dubiis homo, quàm lupus. Vnde sequitur in Apostolo. *Multi enim ãbulant, quos sæpe dicebam vobis, & nunc flens dico, inimicos crucis Christi, quorum finis interitus,* &c. Qui bene viuit, bene vadit, quia ad regnum cælorum vadit: & nusquam alibi beatitudo est. Qui autem malè viuit, malè vadit: quia ad carcerem inferni vadit, vbi summa & æterna calamitas est. Quid est bene viuere? Vt ait B. Bernardus, bene viuere est bona agere, & mala tolerare. Mentita est illorũ iniquitas sibi qui dicunt eos bene viuere, qui se bene pascunt, qui suis voluptatibus obsequuntur, juxta illud terentianum in Hecyra. *Quid reliquit Phania consobrinus noster?* ait Laches. Cui respondet Pamphilus. *Homo voluptati obsequens, Fuit, dum vixit, & qui sic sunt, haud multùm heredem adjuvant, Sibi verò hanc laudem reliquit: vixit, dum vixit, bene.* Vnde Sidonius de quodam parasito, quem non tam pascebat suus panis, quàm panis alienus, laudabilem non de bene vincente, sed de bene pascente profert sẽtẽtiam. Igitur qui bona agunt, & mala tolerãt, ipsi bene viuunt, & bene vadũt, & recti ambulãt. Duæ nãque sunt tantum viæ: vna quæ ducit ad cęlũ, altera quę ad infernũ. Qui in prima non est: in secunda est. Prima via recta est, quæ ducit hominem ad patriam suam, non in qua natus est, sed ad quam creatus est: propter quam in baptismo renatus. Nam vt ait Hieronymus, præsenti sæculo nascimur, futuro renascimur. De hac via dicit Psalmista. *Et deduxit eos in viam rectã, vt irent in ciuitatem habitationis.* Via quæ ducit ad infernum, quamvis rectè ducat ad eum, tamen recta dici non potest; quia facit hominem errare, & in latronũ manus incidere, juxta illud Evangelicum *Homo quidam descendebat ab Ierusalem, in Iericho: & incidit in latrones.* Vtraque via ducem suum habet, & antesignanum. Viæ infernalis dux est diabolus, qui primus illam inuenit; qui est rex super omnes filios superbiæ. Signũ ejus superbia est; quę facit contemnere Deum in flagellis, in præceptis sapientem, in beneficiis benignum & dulcem. Primus contemptus facit impauidum, & ideo infelicem. Beatus enim homo, qui sẽper est pauidus. Qui verò mentis est duræ, idest impauidæ, corruet in malum. Secundus contemptus facit inobedientem, tertius ingratum. Et quis illo infelicior, qui impauidus est ad pericula, inobediens ad præcepta, ingratus ad beneficia? Sequitur enim, vt idem sit inuerecundus ad turpia, inhumanus ad humana, & incredulus ad consilia, incredulus ad hortamenta. Vnde legitur de diabolo. *Cor ejus indurabitur vt lapis; quasi stipulam æstimabit malleum; non fugabit eum vir sagittarius: in stipulam versi sunt ei lapides funda.* Et certè quãdo sanctus Iob ista dicebat, jam cor diaboli induratum erat vt lapis, imò plusquam lapis. Cùm hoc dixit, verbo futuri tẽporis vsus est dicens, indurabitur, & non, induratum est; vt ostenderet se non de capite diabolo tantum, sed de membris eius loqui. Cor enim diaboli est, quicumque scienter facit & perficit ejus voluntatem. Voluntas diaboli mala, & malè placens, & in malo posita, est, vt peccator à via sua mala numquam cõuertatur, vt sic æternæ damnationis heres cum eo efficiatur. Cor lapideũ est, (quod à nobis auferat Deus per suam clementiã,) quod futuri iudicij comminationem non timet: hunc autem nõ timere vel parvipendere, est malleum iudicialis sententiæ quasi stipulam æstimare. Tripliciter punit Deus peccatores, virga, baculo, malleo. Virga in præsenti, baculo in pœnis purgatoriis, malleo in supplicio gehennali. Virga erudiuntur filij, baculo percutiuntur servi, malleo conteruntur inimici. Hunc malleum quasi stipulã æstimat, qui damnationem æternam aut numquam futuram credit, aut leuem futuram putat. Istum de loco suo numquam fugabit vir sagittarius, idest prædicator ecclesiasticus. Locus enim hujus peccatoris rectè situs est in ipso ictu petrariæ, idest comminationis diuinæ mortem intentantis æternam. Hæc enim comminatio & de longe iacit, ac etiam horrendè ferit, tamquam petraria, & tamquam malleus omnia conterens. Quisquis ergo exaudito sæpius sermone diuino minimè corrigitur, cor ejus sicut & cor diaboli, vt lapis induratur. Hic igitur triplex contemptus superbię character est bestiæ, de quo loquitur Apocalypsis. [Et factum est vulnus sævum ac pessimum, in homines qui habebãt characterẽ bestiæ.] Character bestiæ, idest Antichristi, sive diaboli, superbia est: vulnus sęvum ac pessimum, inobedientia,

Marginalia: *Nulli bene est in mũdo.* — *Mat. 6.* — *Eccli. 18.* — *Genes. 47.* — *Michæ. 2.* — *Eccli. 1.* — *Philip. 3.* — *Ibidem.* — *Quid sit bene viuere.* — *Berna. ser. in festo Petri & Pauli.* — *Terentius. in Hecyra act. 3.* — *Duæ tantũ sunt viæ.* — *Psalm. 106.* — *Luc. 10.* — *Prou. 28.* — *Iob 41.* — *Quis sit cor diaboli.* — *Apoc. 16.*

inobedientia, & impœnitentia. Inobedientia est, quasi aurium præcisio; impœnitentia, quasi ferri candentis inustio: contemptus mandatorum Dei, est quasi oculorum effossio. Hujusmodi signa solent fieri in latronibus prima vice deprehensis, quando eis parcitur à suspendio, vt si denuo deprehensi fuerint, justiùs suspendantur. Sic facit Dominus peccatoribus, qui admoniti pœnitere nolunt, & quos ipse longanimiter expectat, vt tandem aliquando convertantur. Isto quippe, sed terribili & occulto judicio permittit eos exauriculari per inobedientiam, inuri per impudentiam, excæcari per contemptum. Cùm enim dicat Augustinus, Qui incipit credere, incipit judicium timere; proculdubio qui nō timet, non credit. Vnde. *Quasi peccatum ariolandi est repugnare: & quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere.* Qui autem non credit, non videt. Sicut enim fides lux est, sic infidelitas nox. Vnde Apostolus. *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Isti justissimè suspendendi sunt: quādo illi in judicio omnes fuerint deprehensi, tamquam in retiaculo Domini, juxta illud. *Cadent in retiaculo eius peccatores.* Dies enim Domini tamquam fur in nocte, ita veniet: & ideo sicut pisces capiūntur hamo, & aves laqueo, sic homines capientur in tempore malo, cùm eis extemplo superueniet. Non est ergo sequendus antesignanus iste, nec character eius sumend⁹. Magis sequamur Christum ad patrem suum, qui in cælis est, euntem, & signum crucis portantem, imò crucem ipsam baiulantem, & dicentem. *Si quis vult* &c. Hic est autem signifer noster; qui tamquam pastor bonus cùm oves suas emiserit, ante eas vadit. Signum ejus crux est Quod signū ipse de cælo attulit, non in terra primùm sumpsit. In cruce siquidem forma duplex ostenditur, hominis & Dei. Hominis visibiliter, Dei invisibiliter. Forma hominis ibi apparet in binaria divisione longitudinis & latitudinis: propter geminam substantiam animæ & corporis, quæ sine mediatore ad Trinitatis conformationem occursura non erat, quando de limo terræ homo in forma crucis manu formabatur artificis longus & latus, vt semper viueret & feliciter tamquam Deus. Sic enim ipse Mediator attestatus est, qui ait. *Nemo venit ad patrē, nisi per me.* Medius hic hominum stetit, quem Iudæi nesciērūt. Ideo in diuisionis binario remāserūt; lati, in quibus multiplicata est ruina; longi, vt eorum miseria sit æterna. Ipsi sunt enim populus, cui iratus est Dominus in æternum. Forma Dei in illo quaternario intelligitur, de quo dixit Apostolus. *In charitate radicati & fundati, vt possitis comprehēdere cum omnibus sanctis, quæ sit longitudo & latitudo, sublimitas & profundum.* Radix naturæ pater est, fundamentū Ecclesiæ Christ⁹; charitas Patris & Filij & Spiritusancti credere, idest firmissima dilectione tendere in Deum Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum. Sic enim comprehenditur, quæ sit latitudo dilectionis diuinæ, lōgitudo æternitatis, sublimitas potestatis, profūdum sapientiæ. Quorum primum maximè apparuit in passione Domini, quando manus suas expandit in cruce: secundū in Resurrectione, tertiū in Ascensione, quartum in missione Spiritus sancti. De primo *Ierusalem, Ierusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, & noluisti!* De secundo. *Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur.* De tertio *Deus cuius Filius in alta calorum potenter ascendens, captivitatem nostram sua duxit virtute captivā.* De quarto *Paraclitus Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnem veritatem.* Vnde Leo Papa. *O quàm velox est sermo sapientiæ, & vbi Deus magister est, quā citò discitur, quod docetur!* At Spirit⁹ sanctus missus nō fuisset, nisi Christus in cælum corporaliter ascēdisset, iuxta illud. *Si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos.* Similiter nūquā in cælum cū glorificato corpore ascēdisset, nisi prius mortuus surrexisset. Vnde Ioannes ipsā resurrectionem & ascensionē significans causam fuisse missionis Spiritussancti. ait *Spiritussanctus nondum erat datus, quia Iesus nondum erat glorificatus.* Porrò nunquam surrexisset à mortuis, nisi prius mortuus fuisset. Sed nullo mortis genere melius suam poterat latitudinem dilectionis ostendere, quàm brachiis extensis moriendo in cruce. Ideo Apostolus prius latitudinem nominauit. Hoc igitur signum felicitatis æternæ factus ante nos antesignanus noster, sic nos inuitat ad bellum. *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum: & tollat crucem suam, & sequatur me.* Neminem cogit, sed in voluntate cujuslibet dimittit, vtrum se sequi velit. Deus enim coacta non admittit obsequia, tanta est libertas humani arbitrij, vt nemo inuitus malus esse possit vel bonus. Denique nullus tunc temporis hoc perficere volebat. Nā ille qui prius dixerat, *Eamus & moriamur cum eo;* & ille qui promiserat dicens, *Etsi oportuerit me mori tecum, non te negabo,* cùm ad id ventum est, noluerunt. Sed nec necesse erat, vt quis cum eo moreretur. Mors enim eius solius ad redemptionem omniū sufficiebat, vnde, *Singulariter sum ego donec transeam.* Et *torcular calcaui solus.* Vir enim nullus cum eo mori paratus fuit, sed femina vna mater ejus parata erat. Mors tamen ejus etsi tunc oblata est ex desiderio, suscepta non est in passionis cōseruo, tamquam nō necessaria in redemptionis mysterio. Ideo autem non dixit. Siquis venit post me, sed *Siquis vult venire post me,* vt ostenderet bonę volūtatis propositum Deo penitus persoluendum, nullaque minoris boni commutatione implendum. Vnde Gregorius *quisquis aliquod majus bonum proposuit, minus bonum, quod prius licuerat, illicitum sibi fecit.* Cùm prima nostri Ordinis jacerentur fundamenta, erat in Ecclesia Lugdunensi clericus honestus & honorabilis Ioannes, qui rumore bono & odorifero nostri Ordinis compunct⁹, tacitus secum proposuit in nostro se collegio sociandum. Quod propositum post paucos dies subeunte alia cogitatione mutauit; & pro quadam recōpensatione peregrinationē sancti Iacobi arripuit. Qua deuotè completa rediens gratulabundè susceptus à domesticis, & fatigatus ex itinere, in cubiculum se recepit. Quiescenti illi mox adfuit Deus & Domin⁹ noster Iesus Christus cum duobus beatis Apostolis Petro & Iacobo. Quorum Petrus librum manu tenebat, quē præcepit Dominus aperiri. Erat autem scriptus litteris aureis, continens nomina prædestinatorum. Iussus ergo Apostolus cœpit legere; & cùm ibi legeret nomen Ioannis illius, Tolle, ait Dominus, tolle, dele eum, dele; qui meum se futurum promiserat, & resiliit à promisso. Accedens autem propius sanctus Iacobus, & obsecrans, dicebat. Domine, meus est peregrinus, ne deleas obsecro nomen eius. Cui Dominus: meus,

Obduratio peccatoris. — *1. Reg. 15.* — *Ephes. 5.* — *Psal. 40.* — *Ioan. 14.* — *Ephes. 3.* — *Mat. 23.* — *Rom. 6.* — *Oratio Ecclesiæ.* — *Ioa. 14.* — *Leo serm. in Penteco.* — *Ioa. 16.* — *Mat. 10.* — *Liberum arbit. ad bonū & malum.* — *Ioa. 11.* — *Mirabilis visio & conversio.* — *Peregrinatio ad loca sancta.*

inquit, non peregrinus, sed ciuis esse debuerat. Nonne maius est, ciuem meum esse, quàm tuum peregrinum? Apostolus autem Iacobus persistens in supplicatione, ne deleas, inquit, Domine piissime, ne deleas eum, obsecro. Ego tibi pro eo fideiubeo, quod faciet, quod promiserat. Et Dominus ad eum. Quando faciet? Apostolus autem, Infra 15. dies. Excitatus ad hæc verba Ioannes solo prosternitur, & fideiussori suo cum vberrima lachrymarũ effusione gratias agit dicens. Faciam prorsus, Apostole sancte, faciam quod tam misericorditer pro me pollicitus es. Non multò post fletum magnum iterum obdormiuit: iterumque Dominus cum prædictis Apostolis adfuit, jussitque iterum librum aperiri; in quo audiuit idem Ioannes beatum Petrum legẽtẽ, [Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento.] Mox Ioannes surgens, & præfixum diem præueniens, adimplevit votum. Hic fuit primus Abbas cænobij Bonævallis, & pòst Ecclesiæ Valentinę antistes: cuius vita & mors multis meritis & miraculis claruit. Planè meritò Israelitis impròperatur, quod corde redierint in Ægyptum: quando iste Ioannes, quia à Cistercio corde resiliebat, jussus est deleri de libro vitæ. Simulque considerandum nobis est, quanta deuotione sanctorum nobis sunt imploranda suffragia: qui tam amicabiliter spondent pro nobis, & tam efficaciter intercedũt. Erubescant igitur canes Albigenses, qui contra veritatẽ latrando, mentiuntur, eorum orationẽ nihil nobis prodesse: qui nõn solum tamquã canes improbi & importuni lapidibus & baculis abigendi sunt: sed etiam tamquam canes rabidi confodiendi gladijs, vel ignibus comburendi. Igitur velle venire post Iesum, est proponere viuere ad illius exemplum. Quod quicumque proponit, ad hoc vt solvat votum, oportet, vt abneget se, idest reputet se nil esse, nil posse, nil fore, nil valere, nisi inquantum timet Deum, & mandata eius obseruat; hoc est enim omnis homo: idest intantũ est omnis homo aliquid, inquantum hoc agit ad quod creat' est. Alioqui qui se putat aliquid esse, cùm nihil sit, ipse se seducit. In baptismate abnegat homo diabolum, in conuersatione abnegare debet semetipsum. Abnegat diabolum, qui firmissimè credit eũ nil posse, nil sapere, nil valere, idest nihil boni velle, quia nihil factus est; & non erit in perpetuum. Similiter abnegat semetipsum, qui quidquid habet potentiæ, quidquid sapientiæ, & gratiæ, nihil esse reputat, quantum ad suum meritum, sed tantummodo quantum ad gratuitum Dei donum. Quid enim habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Sic se abnegabat, qui dicebat. *Gratia Dei sum id quod sum.* Istam abnegationem generat cognitio infirmitatis humanæ, quę in quatuor gradibus consistit: duobus in consideratione mali; & duobus in cõsideratione boni: vt sciamus nos nullum malũ nostra virtute cauere posse, & à nullo malo post lapsum nostra virtute posse resurgere: vt cognoscamus nos ad nullum bonum nostra sola industria posse conualescere. Vnde Abraham ad Dominum. *Loquar ad Dominum meum, cùm sim pulvis & cinis.* Pulvis ad omnem flatum de suo loco excutitur, quocumque deiectus numquam nisi alieno leuatur. Ecce in his duobus est forma defectus humani, quantum pertinet ad considerationem boni. Cuius ex se nullum omnino granum producit, & aliunde susceptum nulla pinguedine nutrire sufficit: ecce forma defectus humani; quantum pertinet ad considerationem boni. Facile semetipsum abnegat, qui defectum suum ita considerat. Nullum defectũ in se habebat Dei filius, qui tamen semetipsum quodammodo abnegauit, quando cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se ęqualem Deo: sed semetipsum exinanivit formã serui accipiens: in similitudinem hominum factus, & habitu inventus vt homo. Quantomagis debet semetipsum abnegare, qui in semetipso ex toto deficit, & ad nullum bonum exseipso sufficit? Porrò in tribus gradibus constat abnegatio sui ipsius. Prius est enim abnegare sua, deinde suos, deinde semetipsum. Abnegat sua, qui vendit omnia quæ habet, & dat pauperibus. Abnegat suos, qui relinquit omnia, domũ, patrẽ, & matrem, fratres & sorores, & ceteros parentes, agros, & vineas, & cæteras possessiones, vt centuplum in spiritualibus recipiat, & vitam æternã in extremis possideat. Multi infelices in religione sunt, qui cùm omnia bona sua in professione abnegaverint, parentes tamen suos abnegare nõ possunt: sed propter eos furta perpetrant & sacrilegia: dantes eis de rebus monasterij quidquid possunt. Abnegare se est corpus suum castigare, mundi huius delicias non amplecti, sed potius respuere & subtrahere corpori suo omnes voluptates non necessarias. Abnegare semetipsum est voluntatem propriam odire. Abnegat sua charitas, quę non quærit quæ sua sunt: abnegat castitas, quæ castigat corpus suum, & in seruitutem redigit. Abnegat semetipsam obediens humilitas, quę non facit voluntatem suam, sed voluntatem eius qui misit illam, idest qui præest ei. Sic se abnegabat Apostolus dicens. *Viuo, jam non ego, viuit vero in me Christus.* Et ille qui ad mulierem olim malè sibi cognitã, & dicentem, Ego sum, respondebat. Et si tu es tu, sed ego non sum ego. Sic cùm omnia vitia nostra vetera & per Dei gratiam iam à nobis expulsa, cùm iterum ad nos improbè & importunè pulsant, debemus respondere, Ego iam non sum ego. Sequitur. *Et tollat crucem suam.* Superius dictum est, quod bene viuere est bona agere, & mala tolerare. Prima pars continetur in abnegatione sui ipsius, quæ facit largum, & paupertatis amatorem, castum, & sobrium, obedientem, & humilem. Secunda pars continetur in eo quod sequitur. Tollat crucem suam. Crux eo tempore quo passus est Christus, contumeliosissimum genus erat supplicij, & accerbissimum, & maximo apud Iudæos & Romanos habebatur in vsu. Vnde Poëta.

Non fugi, si mihi dicit seruus, habes præmium loris, non vteris, annuo. Non feci furtum, non pasces in cruce corvos. Crucem ergo post Christum tollere, est omnes contumelias, iniurias, & molestias pro Christo tolerare. Non omnes qui cruciantur, crucem suam ferunt. Est qui crucem portat, sed non suam, vt Simon Cyrenæus; est qui crucem suam patitur, idest quam peccando inuenit, sed tamen non eam tollit; quia cruciatum suum non æquanimiter accipit, nec pœnitet de malo facto suo, sed murmurat de justo judicio, & contra stimulum calcitrat, vt latro ille pessimus impœnitens & blasphemans. Est qui crucem suam tollit, quia cruciatum quem velut æquanimiter accipit, & seipsum accusando, & justè condemnatum confitẽdo leviorem reddit,

Sanctorum preces pro nobis.

Cant. 1.

Act. 7.

1. Corin. 15.

Genes. 18.

Philip. 2.

Abnegatio in tribus cõsistit.

Galat. 2.

Mat. 10.

Quid sit crucem tollere post Christũ.

vt beatus ille latro pœnitens & confitens, qui & seipsum accusabat, & blasphemantem socium arguebat, & innocēti Christo compatiebatur, & eum metuebat: judicem reus deprecabatur, & regem servus dicens, *Nos quidem justè digna factis recipimus: hic autem quid fecit.* Quare ergo neque tu miser times Deum, quoniam in eadem damnatione es, qua & ego? Et conversus ad Dominum qui pendebat medius, tamquam in lance media pensans merita vtriusque, dicebat. *Memento mei Domine, du veneris in regnū tuum.* Mira confessio hæc latronis, & mira petitio. Iesus patibulo tenebatur affixus clauis, sicut & ipse latro, & aliu' pendens cum eo. Ibant tamen omnes, sed solus IESVS per supplicium ibat ad regnum. Exultauit enim vt gigas ad currendam viam. Et licet confixus clauis currebat ad gloriā: illi autem per supplicium ibant ad judicium: sed blasphemus latro ad judicium sine misericordia, qui nec sibi ipsi faciebat misericordiam, vt misereretur animæ suæ placens Deo, vt seipsum judicans judicaretur: latroni autem confitēti, qui seipsum judicabat, tamquam humili & exiguo concessa est misericordia, & ideo statim audiuit ab ore misericordię. *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso.* Est autem *qui crucem suam tollit,* suam dico, nō quam ipse meruit, sed quam sibi imposuit, vt Christus, quæ nō rapuerat pro aliis exsoluens. Similiter crucem suam tulerunt martyres, vt sequerentur agnum quocumque vadit, innocentiam simul & patientiam conseruando. Est item, qui crucem meretur, sed eam non patitur: vt Barrabas dimissus injusta petitione Iudæorum, & injusto judicio Pilati. Talis est omnis peccator impunitus, quo nihil infelicius. Nā vt ait Augustin', nihil est infelicius felicitate peccantium. Hæc prosperitas stultorum perdit illos. Isti sunt Barrabas, idest filij magistri, quia diabolum magistrum habent in scelere, Barrabas idest filij patris, quia eundem diabolum patrem habent in hereditate infelicissimi omniū, siue Symones Cyrenei idest hypocritæ, qui crucem alienam portant in angaria, bonum opus per studium vanitatis agentes, & rem justi sine fructu justitiæ operantes; qui videntur esse obedientes, sed non sunt: & hereditatem consecuturi, sed non consequentur, quia mercedem suam hic recipiunt. Tollamus ergo crucem nostram, aut cū Christo persecutionem patiendo propter justitiam: aut cum beato latrone vindicando Deum de nobis per patientiam. Gregorius duobus modis dicit crucem tolli, *Cùm aut per abstinentiam afficitur corpus, aut per compassionem affligitur animus.* Augustinus ad Lętum scribens inter cætera sic ait. Crucem nostram quam ferre jubemur à Domino, quid aliud debemus intelligere, quam mortalitatem carnis hujus? Ipsa autem nos vexat donec absorbeatur mors à victoria. Crux ergo hęc ipsa crucifigenda, & transfigenda clauis timoris Domini, ne saluis & liberis membris reluctantē portare non possis. Sequi autem Dominum nisi eam portans omnino non vales. Nam quomodo eum sequeris, si non es eius? qui autē Christi sunt carnem suam crucifixerunt cum passionibus & desideriis, hæc Augusti. Tollat inquit crucem suā & sequatur me: idest in sequendo me perseveret. Sic sequatur vt consequatur. Non enim sequi dicitur aliquem qui modo vadit post eum, modo recedit ab eo. Sed dicit aliquis; difficile est sequi crucifixum. Quid enim est homo, vt possit sequi regem factorem suum? Fratres, Christus ad sequendum se non solum nos inuitat, sed etiam adjuuat. Est enim pastor bonus, non mercenari', non fugiens à lupis, sed lupos in fugam vertens, qui oues suas vocat nominatim, & emittit eas; & cum eas emiserit, ante illas vadit, tanquā dux itineris; sed & post eas tamquam custos gregis, & circuit eas tamquam defensor earum, juxta illud. *Montes in circuitu eius & Dominus in circuitu populi sui,* & in medio ipsarum deambulat tāquam adiutor omnium, juxta illud. *Vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi sū in medio eorum.* Adjutor in opportunitatibus in tribulatione, voluntatem timentium se faciens, & deprecationem earum exaudiet, & salvos faciet eos: quis sperauit in eum & confusus est? adjutoriū nostrum in nomine Domini, qui fecit Cælum & Terram. Sine illo nil possumus facere, & omnia possumus in eo qui nos confortat. In principio nostri Ordinis erat quidā clericus de Vandopera studens in schola apud Lugdunum. Hic vidit in visione noctis quandā vallis planiciem sub quodam monte, super quem montem civitas quædā sita erat, tantæ pulchritudinis, vt nemo aspectu illius posset satiari: & quisquis eam videbat, modis omnibus laborabat, quomodo ad eam peruenire posset. Interea vidit clericus ille fluvium quemdā circa pedem montis decurrentē, quem dum circuiret quærens artem quomodo illum transmeare posset, vidit super ripā fluminis duodecim, siue quatuordecim pauperes lauantes tunicas suas in flumine, inter quos erat quidam vir veste candidissima in[illegible]s, multum aliis dissimilis, & longe cunctos [illegible]cellens, qui adjuuabat illos ad suas tunicas abluendas. Et postquā adjuverat vnum, ibat adjuuare alium, sic omnes per ordinem percurrens. Tunc clericus qui hæc videbat, iuit ad illum qui cæteros adiuvabat, & dicit ei. Quæ gens estis vos? qui respondit. Isti pauperes, homines sunt pœnitentiam agentes, qui se lauant & purgant à peccatis sui; Ego sum Iesus Christus filius Dei; sine cujus auxilio nec isti nec alij possunt bene facere: qui auxilium meum nulli petenti denego, sed omnibus libenter impendo. Civitas hæc pulcherrima quam vides, paradisus est vbi ego maneo: quæ multo pulchrior est intus quam foris appareat. Ibi manent mecum, qui jam tunicas suas laverūt, idest qui se ab omnibus peccatis jam penitus purgauerunt. Quilibet istorum quando tunicam suam lauerit, idest quando pœnitentiam peregerit, in illam ciuitatem intrabit: nec est alia via quę ducat ad illam, quam pœnitentia. Tu ipse satis diu quæsisti viam, qua peruenire possis ad illā, sed aliam numquam invenies, nec tu, nec alius, quā viam pœnitentiæ, idest tunicæ abluendæ. Ad hęc verba excitus clericus à somno, cougratulari cæpit visioni, & significationem eius cum timore quodam mirari. Cumque non multo post reuersus esset à schola in patriam, narrauit visionem Episcopo Cabilonensi, cui familiaris erat. Qua audita Episcopus suasit ei seculū relinquere: dicens quod Dominus piissimus eum ad Religionem vocaret: commendans ei super omnes ordines Cistrciensem, qui nuper incœperat. Venit ergo Cistercium, & inuenit locum incultum & desertum, & fratres inter bestias conuersantes. Ad portam monasterij quæ de vimine facta erat, pendebat malleus ferreus, cuius sonitu portari' vocabatur. Qui citatus hoc sonitu venit ad eum

Luc. 23.
Ibidem.
Greg. hom. 32. in Euāg.
August. epist. 38.
Crux mortalitas carnis est.
Psal. 124.
Matth. 18.
Visio de Ordine Cistercienst.
Pœnitentia comēdatio.

foras, & inclinans salutauit eum. Quem clericus intuens, statim recognouit eum se vidisse inter illos pauperes, qui tunicas suas in flumine lauabant. Clericus autem rogauit eum vt adduceret ad se Abbatem. Portarius autem respondit. Iã exibit cum aliis ad laborem, & poteritis omnes videre. Nec multo post egressus est Abbas cum conuentu. Clericus autem omnes intuens, recognouit esse illos pauperes, quos viderat tunicas suas in flumine lauare. Statimque cecidit ad pedes Abbatis, rogans cum lacrymis, vt susciperent eum in suo collegio. Cumque Abbas responderet ordinem difficillimum esse ad portandum, ait clericus, Bonum adjutorem habetis, & spero in Deum, quod me adjuvabit, sicut & cæteros; referensque visionem valde confortauit omnes, & ita susceptus est: qui & non multo post Prior factus est. Nolite ergo fratres, nolite obsecro pusillanimes fieri: nolite timere sequi crucifixum ante signanum nostrum, & tollere crucem vestram post eum: quia reuera eundem habemus adjutorem, quem & ductorem, Iesum Christum Dominum nostrum. Amen.

Obiit Elinandus post Sermonem istum.

Sermo 2. In Ramis Palmarum,

Habac. 3.

EQVITATIO *tua salus.* Salvatoris adventum à monte Oliveti in civitatem David tam mirabilem, quàm mirabiliter humilem, alacritate satis admirabili suscepit hodie [illegible]ciosissima puerorum simplicitas, & obsequentissima turbarum multitudo. Quid mirabilius, quàm quòd ad adventũ huius pauperis in asino sedentis via certatim sternitur à pueris, & tam ramis arborum, quàm vestibus ipsorum, etiam eidem pauperi, tamquã vero Salvatori, Osanna Dauidicum festivo, & vnanimi conclamatur applausu? O verè noua & insolita Regis equitatio, & talis Regis! cùm, qui sedet super Cherubim, consessor Patris, assessor equitatis: possessor cæli sessor aselli fieri dignatus est. O iterum nova & stupenda Regis salvatio ita equitantis! quãdo pauper sedens super asinum, tamquam vilis & abjectus, ac risui exponendus, honoratur vt Imperator, adoratur vt Redẽptor, suscipitur vt Saluator. Verè magna opera Domini: exquisita in omnes voluntates ejus. Verè sapientia semper sapienter agit. Non poterat Rex gloriæ, & humilitatis magister gloriosiùs suscipi, vel humiliùs aduenire. Iam tunc in illi⁹ exempli formula illa judicialis regula cælestis sapientiæ formabatur, Omnis qui se humiliat, exaltabitur. Quantomagis humiliabatur Deus in seipso, tantò magis exaltabatur à populo: & contentione pulcherrima quantò promptior erat humilitas ad fugiendam gloriam, tantò pernicior erat gloria ad humilitatem persequendam. Legimus sanè nonnullos gloriosos terræ olim à quibusdam regiis civitatibus ambitiosissimè fuisse susceptos. Sed quid mirum, quando ipsi ad eos ambitiosiùs veniebant? Non enim sedebant in asinis; sed in equis & curribus, quadrigis & nauibus pompaticè incedebant: multùm præ se ferentes pulveris, virtutis minimũ, salutis nihil; destructionis plurimum, vanitatis totum. Sic susceptus est olim à Syris Holofernes, Antiochus à Iasone, Cecilianus à templorum pontificibus. Sic susceptus est olim Alexander Philopompus à Ierosolymitanis, Plato philosophus à Syracusanis, Cæsar Iulius à Romanis. Primus propter terrorem potentiæ, secundus propter honorem sapientiæ, tertius autẽ non solum propter favorem victoriæ, quam de Gallis habuerat; sed etiam propter amorem benignitatis & indulgentiæ, qua milites suos tractare consueuerat, quos commilitones appellabat; quo nomine ipse primus omnium in concione vsus est ad suos milites Imperator. Sed ecce plusquã Alexander hic, quia potentior: ecce plusquam Plato hic, quia sapientior: ecce plusquam Cæsar hic, quia benignior. Si ergo illi misertimi peccatores, & infernalis miseriæ perpetui heredes in tanta gloria suscepti sunt, quàm gloriosè suscipiẽd⁹ est à nobis hodie Iesus meus Deus verus, & Dei filius: sine peccato conceptus, sine tædio portatus, sine dolore parientis natus! qui, tamquam verus sol justitiæ, ortu suo mundum illuminauit, paupertate ditavit, verbo curauit, exemplo docuit, morte redemit. Quàm meritò ergo illi acclamatur à Propheta. *Equitatio tua salus.* Sic legitur in antiqua translatione, vbi nos habemus, *Quadriga tua salvatio.* Salvis autem aliis intellectibus sanis & catholicis, hanc equitationem in hoc loco non incõvenienter accipere possumus hodiernam Domini super asinũ sessionem. Equus enim speciale quidem vocabulũ est: equitare verò generale verbum est, ad quẽlibet similem modũ vectitandi, juxta illud Flacci, *Ludere par impar, equitare in arũdine longa.* Ait ergo sub persona turbæ obviam Domino venientis. *Equitatio tua salus.* Et sciendum, quòd abundantiori honore circumdat⁹ est hodie Dominus super terram, quàm vmquam fuerat. Quando enim annuntiatus est ab Angelis, soli pastores hoc audierunt: quando requisitus à pastoribus, nulli alij cum eis perrexerunt: quando nuntiatus à stella, soli tres magi hoc intellexerunt: quando adoratus à magis, nulli cũ eis adoraverunt: quando oblatus est in templo à parentibus, nulli cum eis tunc perrexerunt: quando susceptus à Simeone & Anna, ipsi soli devotionem fidei ei obtulerunt. Hodie verò turbæ magnæ quæ præcedebãt, & quæ sequebantur, clamabant, dicentes. *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Quæritur ergo, qua ratione tam humiliter aduenien, tã gloriosè susceptus sit; vel tam gloriosè suscipiẽdus, tam humiliter advenerit. Primã quæstionem nobis absolvit, dicens *Propterea exivit ei obuiam turba, quia audiuit eum hoc signum fecisse*: scilicet, de quo dixerat *Testimonium perhibebat turba, quæ fuerat cum eo, quando Lazarum vocauit à monumento, & suscitauit eum à mortuis.* Maximè quidem Dominus quatriduanum mortuum jam fœtentẽ potentissimi verbi virtute ad vitã reuocauerat de sepulchro. Hujus celeberrimi celeberrima famã miraculi aures hominum novitate gaudentes noуę admirationis clarissimo tinnitu circumsonans ęmulos ad odium, humiles ad obsequium stimulabat. Hinc enim collegerunt Pontifices & Pharisæi concilium, vt Iesum dolo tenerent, & occiderent. Cogitauerunt quoq;, vt & Lazarum interficerent: quia multi propter ipsum abibant ex Iudæis, & credebant in Iesum. Turbæ verò, quia audierant eum fecisse hoc signum, cum florib⁹ & palmis Salvatori obviam occurrerunt. O infelicissimũ genus morbi inuidia! quæ causam mortis habet odorem bonum, qui est aliis causa vitæ. O genus morbi, omni genere tormenti parientẽ

Humilitas Christi gloria coniuncta.

Habac. 3.

Maximus honor Christo hic exhibitus.

Ioan. 12.

excrucias! cui ipsa est clavus in oculo, lancea in latere, phtisis in pulmone, cancer in corde, erisipela in hepate, ictericia in facie, noli me tangere in toto corpore, juxta illud.

Horatius lib. 1. epist.

Inuidia Siculi non inuenere tyranni
Tormentum majus. Hęc est arbor vniversaliter mala, & æternaliter maledicta: cuius radix superbia, truncus malevolentia, rami rancor, & odium, folia detractio, & mendacium, flores pallor & macies, fructus dolor & gaudium: sed dolor, quem non extorquet, nisi gaudium alterius; gaudium, quod non extorquet nisi dolor alteri⁹ juxta illud. *Insultare malis, rebusq; ægrescere latis.* Et iterū. *Semper abest risus, nisi quē fecere dolores.*

Ouid 2. Metamor.

Quid est inuidia? Fraus illa potentissima, quæ spoliauit cælum, ditauit infernum, hereditauit mūdum, prostrauit Satanam, substrauit Evam, infecit Cain, interfecit Abel, vendidit Ioseph, perdidit Saül, concussit Ioab, percussit Abner, exclusit Hilarium, Danielem inclusit, confixit Iudaismū, Dei Filium crucifixit, iuxta illud. *Sciebat enim, quòd per inuidiam tradidissent eum summi Sacerdotes.* Quid est inuidia? Fera pessima, & pestilentissima; pestis feralissima, & ferocissima. Omne bonum alterius, quod audit odit, quod videt invidet, quod aspicit despicit, quod tangit extinguit, quod inficit interficit, quod corripit corrūpit. Quid est invidia? Robur malitiæ, virtus nequitiæ, vitiorum satio, virtutum rubigo, lues sæcularium, tabes claustraliū, vita diaboli, mors Christiani, juxta illud, *Inuidia diaboli mors intrauit in orbem terrarum.* Quid est inuidia? Fortissimū & inexpugnabile iniquitatis præsidium omni artificio nocendi compositum, omni telo malignitatis armatum, dente minatur vt aper, lingua vt coluber, cornu vt taurus, fronte vt aries, pede vt equus, cauda vt scorpius, visu vocē tollit, vt lupus, vitam vt regulus, juxta illud, *Lupi Mœrin videre priores.* Et iterum. *Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos.* O quàm fascinatores habebat oculos, qui de Iesu nostro dicebat. *Gravis est nobis etiam ad videndum.* Sic nimirum solis iustitiæ visus, & idem radius, in diversas materias dissimiliter operans, lutum inuidiæ indurabat ad odium, & ceram pietatis ad devotionis obsequium molliebat. Nam cogitantibus Pharisæis de morte Christi, turbæ illi occurrentes ambitiosissima eum devotione suscipiunt; vt qui in sordibus sunt, sordescant adhuc, & justi justificētur adhuc. Sed rursus quæritur, quare tam gloriosè suscipiendus, tam inglorius advenerit, super asinum videlicet equitando. Quid est enim hoc, quod hic ipse qui pridie suscitauit Lazarum tamquam Dei virtus, nunc sedet super asinum, tamquam quidam Lazarus? Nam leprosi est sic equitare. Forsassis ideo dictum est, *Et nos putauimus eū quasi leprosum.* Ad hæc sic respondendum est. Duo sunt, quę in hoc aduentu suo probare volebat Dominus, videlicet se esse Regem gloriæ, & humilitatis magistrum. Primum probat per testimonia puerorum mentiri nescientium, vel adulari. Nihil enim vt ait Orator egregius, puero teste certius, qui ad eos annos peruenit, quibus intelligat; nondum ad eos, quibus fingat. Secundum probauit per modum equitandi personę regiæ indecentissimum. Nullus enim genus procedendi in publicum minus Regi congruebat, quàm sic equitare. Abiectiùs & contemptibiliùs sic procedit, quàm si pedes incederet. Nam pedibus incedere tam nobilibus quam ignobilibus commune est. In asino verò equitare, secundum sæculi consuetudinem, nōnisi ad ignobiles & despectos pertinet. Prævidens ergo Dominus turbam sibi honorificè occursuram, & se Regis nomine salutandum, noluit equum vel currum ascendere, quia non consueuerat: sed nec eum decebat vti tali vehiculo; ne dignitatis fastum, & extollentiam affectare videretur. Noluit ergo pedes ad eos procedere, sicut solitus fuerat, ne fortè videretur eis occasionem dedisse rapiendi se, & ad honorem regiū vel coactum sublimandi. Hoc enim priùs facere voluerant. Sed dices. Poterat fugere, sicut prius fecerat. Vtique, sed propositū habebat tūc temporis honorari, vt Rex, sed non vt Rex apparere: sicut è contrario in passione sua voluit apparere vt Rex, sed non vt Rex honorari. Vt igitur abscinderet à se omnia signa elationis & superbiæ, humilium genus equitandi sponte sibi præripuit, ne fortè altius ascendere cogeretur; ascenditque super asinum, vt ostenderet regnū suum non esse de hoc mundo. Neque enim regiæ majestatis est, asina vehi, vel asino: sed aut equo feroci, aut curru triumphali, aut aliquo superbiæ titulo solemni. Hic poterant dicere Pharisæi. O hominem calamitosissimum, nescit vivere. Sed possunt hic respondere Christiani, O dominū mitissimum! nescit ferocire. O Regem humillimū! nescit superbire. In hoc igitur facto clamat, quod priùs verbo dixerat. *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Quid hic dicit nostra superbia, qui non dico asinis & burdonibus, quis enim hoc auderet? qui nec equis mediocribus vti jam dignamur? Cernere est quosdam prælatos Ecclesiæ, vsque ad teneritudinē delicatissimarū Reginarum impudentissima effeminati mollitie, & omnem ambulaturam equi respuere, præter illam solam, quæ suauis & quieta passibus incedit æqualibus, vsque ad capillum capitis non mouendum; adeo nihil interesse volunt inter ambulationem & nauigationē. Alij quos oportuerat esse, non quasi dominantes in clero, sed formam gregis facti, nec ipsos palefridos suauiter ambulantes sua sessione dignos existimant, nisi forma & decore alteros repræsentent Bucephalos, ostentantes videlicet nobilitatem generis, vt quasi Alexandrino sanguine respersi videantur. O superbia, quousque ascendisti! sed si in cœlo posueris nidum tuum, inde te detraham, dicit Dominus. Quid dicam de phaleris & ornatu superfluo? Hodie pomposius incedūt clerici, quàm milites, Episcopi quàm duces; algente & esuriente Christo ad eorum ostia. Equi eorum in medio platearum de patrimonio crucifixi pannis operiuntur sericis, & fulvum mandunt sub dentibus aurum. Dicite pontifices, in fræno quid facit aurum; aut in pectorali, aut in cella, aut in calcari? An equi vestri calcaria sentire non possunt, nisi auro fulserint, aut fræno regi nequeunt, nisi sub dentibus aurum masticauerint? Parcite, quæso, parcite divitiis, quas amatis. Si juxta Plautinam sententiam melius est istos efferre, quàm lædere, ad æquitationis dominicæ mysterium reuertamur. Ascensurus ergo Dominus ad ciuitatem regiam perstringendus erat coruscatione honoris ante grandinem confusionis, iuxta illud, *Ante grandinem præibit coruscatio.* Constrictis ergo nobis cum gemino hoste, honoris scilicet & contumeliæ, geminum nobis præbuit auxilium, vi-

Marc. 15.

Inuidia descriptio.

Sap. 2.

Virgil. in Bucol.

Sap. 2.

Isai. 53.

Mat. 11.

Ambitio sorum mores perstringuntur.

Eccli. 32.

delicet exemplũ humilitatis & patientiæ: quod sanctificare voluit ascendendo super asinum animal mansuetum & humilem, oneriferum & quietum: vt per hoc nobis demonstraret humilitatem seruandam in prosperis, & patientiã in aduersis. Hæc est enim duplex acies, quam producit aduersus nos mundus: Blanditur, vt decipiat; terret vt frangat. Isti sol & boreas, qui juxta parabolã sapientis posito inter se pignore certamen ineunt de tollendo spolio viatori; in quo quidem certamine sol fortior fuisse quàm Boreas memoratur: quia reuera fortiùs, faciliùs, frequentius nos subuertunt læta, quàm tristia; minusque nocet homini calamitas quàm successus, Vnde noster ille Claravallensis orator. *Facilius inveniꝰ, qui sapientiam retinnerit contraria sibi fortuna, quàm qui propitia non perdiderit.* Habet autẽ hæc equitatio Dñi etiã significationẽ corporis castigandi. Asinus enim corpus humanũ significat, ꝗ ita subjici debet nostro rationali, sicut subjugale homini. vnde Salusti*. *Animi imperio, corporis seruitio magis vtimur.* Hinc illud in Cãtico Debboræ. *Qui ascenditis super nitentes asinos, benedicite Dominum.* Ascendere super nitẽtem asinum, est inuenite corpus dilicatẽ à pueritia enutritum; & juxta illud Comici, solidum & succi plenum, & splendore circundatum, naturali amore fræno temperantiæ regere, & castitatis legibus edomare. Asinus iste soluitur, quando homo noster exterior à vinculis vetustę conversationis absoluitur. Scriptum est enim. *Funibus peccatorum suorum vnusquisque constringitur.* Hunc asinum soluunt duo dicipuli, idest fides & spes, Fides soluit asinam idest carnem à vinculo prauo delectationis. Primus quippe gradus fidei est timor futuri judicij. Nam vt ait Augustinus, qui incipit credere, incipit judicium timere. Spes soluit pullum, idest opus à consuetudine peccandi. Sic soluti adducuntur ad Iesum, idest ad quemlibet salutaris obseruantiæ pręceptorem; imponunt Apostoli vestimenta sua, idest sanctæ conversationis exempla. Sicut enim vestis se habet ad corpus, sic conversatio corporalis ad animam. Super hæc sedet Iesus, idest requiescit salus. Cujus itinerarium ad supernam Ierusalẽ ostendit processio, quam facimus per claustrum. Prius autem videndum est, quid sit, quod turba processit ei obuiam: quorum quædam pars, ante pedes hujus asini flores spargit, alia ramos jacit, 3. vestẽ substernit. Certum est autem, flores pedibus asini non nocere, sed passus eius facere minores. Rami autem gressus eius impediunt, vestes inuoluunt. Turba igitur occurrens obviã, significat turbidas cogitationes nostre conversationis principiis occurrentes. Hæ sunt immissiones, quæ fiunt per angelos malos. In primis autem objectat nobis diabolus voluptates, quas reliquimus; & honorem & gloriam mundi, in quo florere solebamus. Taliũ cogitationũ immissio est velut suauium & suaue olentium florum aspersio. Sed facile est ista cõtemnere, consideranti, de contemptu temporalis gloriæ, & pręsentium voluptatum nos mercari beatitudinem sempiternam. Cùm autem videt diabolus se in huiusmodi suggestionibus nihil proficere, addit & tentare de molestiis Ordinis servandi, de austeritate ciborum, de continuatione jejuniorum, de prolixitate vigiliarũ, de grossitudine & vilitate vestimemtorum, de instantia laboris, de censura silentij, de tædio claustri, de tolerãtia contra inuidos & detractores necessaria; de voto obedientiæ vix aut numquã persoluendo. Hæc & similia suggerere, est quasi in via ramos sternere, & offendicula transituri pedibus offerre. Qualia & eorũ exempla, qui tot victi molestiis perseuerare non potuerunt, sed velut canis reuertens ad vomitum, ad sæculum redierunt. Sed facilè superatur terror illatus ex consideratione molestiarum temporalium, si respiciat animus ad acerbitatem & longitudinẽ æternarum; nec multum valet ad dissuadendum exeuntiũ paucitas, si consideretur perseuerãtiũ multitudo. O jumentum infelicissimum, quod aut illectum floribus, aut impeditum ramis, aut inuolutum vestibus, Salvatorem projicit, quẽ portabat! Potens est Iesus noster in momento, in ictu oculi, de via jumenti sui omne offendiculum remouere. Tantum non projiciat onus leuissimum, & suum magis allevians quam congrauans portitorem. Sic autem Saluator jumentum suum ducit in cælestem Ierusalem. Prima statio procedentis fit ante Capitulũ, & ante dormitorium. In Capitulo confitemur, in dormitorio quiescimus, in auditorio tacentes auscultamus, quid nobis Prior aut Abbas injungat, juxta illud. *Tacitus cittùs audies.* Auditorium vnàque dicitur, ab officio discipuli, locutorium ab officio magistri: non quia ibi passim omnes loqui debeant: sed quia ibi prior & Abbas de necessariis disponunt. Sicut discipulo tacere & audire conuenit, sic magistrum prouidè & justè condecet cuncta disponere. Igitur primùm stallum peccatori necessarium confessio est, iuxta illud, *Praeoccupemus faciẽ eius in confes.* vel juxta aliã titulationẽ, *Incipite Domino in confessione.* Est autẽ confessio duplex, priuata de occultis, publica de manifestis. Post confessionẽ verò prima debet sequi cessatio à peccatis iuxta illud, *peccasti, quiesce.* Hæc est prima pars pœnitentiæ peccatori iniungendæ. Ideó statim post Capitulũ sequitur dormitorium, quod significat requiem à malis operibus. Ad hoc autẽ vt suauiter & salubriter quiescamus, oculi claudendi sunt: quia prima lex verecundię imponi debet oculis. Hæc est fenestrarũ domus nostræ prima & maxima, per quã mox ad animã accessum debet habere nõ difficilem. Idcirco præcipitur, vt in dormitorio caputia in nostris capitibus semper profundè demissa ante oculos habeamus. Quinque sunt, de quibus præcipuè tacere debemus; mendacium, iuramentũ, detractio, adulatio, verbum scurrile & otiosum. Est quoddam Capitulum velut quædam fabriferrarij officina; in qua equus ille nobilis, qui de sella regis est, ferratur. Iam enim equi vocabulo dignus est asinus, postquã ad Saluatorem adductus, vehiculum esse meruit tanti Regis. Quatuor ferra quæ in pedibus accipit, sunt illæ 4. austeritates pœnitentiæ grauioris, quæ consistunt in vigilis, & in jeiuniis, in castigatione verberum, & prolixa decantatione Psalmorum. Claui sunt doloris punctiones multiplices, quæ cor pœnitentis excruciant. Porrò verecundiæ color rubeus est, quasi stramentũ purpureum, quo palefridus regius operitur. Censura verò regularis silentij est quasi frænum ejusdem palefridi decoratum auro sapientiæ, quæ in verbis innotescit paucis, rationabiliter & opportunè, & sine risu & clamosa voce prolatis. In quo auro tamquam gemmæ quædam includuntur istæ quinque virtutes, quas modo enu-

Bernar. | Iudic. 5. | Proverb. 5. | Fides & spes asinum ad Iesũ adducunt. | Trasstationes processionis. | Psalm. 94.

avimus. Post custodiam oculorum & linguæ, sequitur custodia ventris & manuum, quam significat secunda statio, quæ fit ante lauatorium & refectorium. In lauatorio manus abluimus, in refectorio ventrem reficimus. Ablutio manuum significat omnem immunditiam ab omni tactu corporis repellendam. Hæc est tertia linea, in qua & duæ sequentes continentur. Nam in visu & alloquio & contactu omnes amoris blanditiæ consistunt. Est autem tactus duplex. Est tactus de proximo, & est tactus de longinquo. Tactus de proximo est, qui fit membro ad membrum: tactus de longinquo est, qui fit permutuā missionem & acceptionem donorum. Ab vtriusque tactus immunditia abluēdæ sunt manus nostræ. Illa non est pudica, quæ se tangi ab alia carne permittit: & vt ait S. Hieronymus, non est casta matrona, quæ munera accipit. In sobrietate & refectione, 4. consideranda sunt: tempus statutum, ne ante horam, vel extra comedamus: qualitas victualium, ne nimis sumptuosa vel delicata sumamus: quantitas sumēdorum, ne ventrem ciborum onere distendamus; apparatus eorum, ne cibos vulgares more notabili parari faciam⁹. Hac abstinentia & & sobrietate infrænandus est equus noster: & illa quæ prædiximus duplici tactus continentia, tamquam duobus fortissimis cingulis astringendus. Post hoc sequitur tertia statio, quæ non fit in tertio latere claustri, sed in quarto. In tertio enim non consistimus sed illud pertransimus, quod non sine ratione fit. Nam tertium latus claustri, quod est juxta viā publicam, significat viam seculi, quam reliquimus, & ad quam vlteriùs redire non debemus; sed ab ea corpore & corde recedere Ideo in eo nō stam⁹, sed in quarto. In quo plusquā in aliis solēt esse monachi in lectione & meditatione, quibus itur in Ierusalem; quam significat Oratoriū, in quod post tertiam stationem intramus. Omnes autem stationes juxta Oratorium limitantur. Nam in prima statione stat Abbas juxta Oratorium, in secunda laici, qui processionem sequuntur, in tertia monachi, qui processionem faciunt. Quia ergo, vt ait Apostolus, nihil boni, non dico facere, sed nec cogitare possumus à nobis, quasi ex nobis, sed omnis sufficientia nostra ex Deo est; rogemus Deum, vt nos sic in mandatis suis incedere & procedere faciat, quatenus ordinatè incedentes, & de virtute in virtutem, de bonis ad meliora procedentes, ad supernam Ierusalem cum gaudio perducamur, Amen.

In sobrietate 4. spectāda.

2. Cor. 3.

Sermo 3. In Ramis Palmarum.

Ezech. 9.

TRANSI *per medium civitatem in medio Ierusalem, & signa Tau super frontes virorum gementiū, & dolentium super cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio eius.* Hæc dicit Dominus ad virum lineis indutum, id est Pater ad Filium mundissimę carnis multiplici pressura circumdatum, & adhuc multipharię circumdandum Sicut enim linum, quod de terra nascitur; multis tunsionibus prius oportet atteri, quàm pervenire ad perfecti candoris munditiam: sic, teste ipsa veritate, prius oportuit Christum pati, quàm intraret in gloriam suam, Christum autē dico totaliter, idest caput cum corpore, Christum cum Ecclesia, Nam caput & corpus vnus est Christus, Sic enim exponit Apostolus, cùm dicit. *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei* Hinc quod in Apocalypsi idem Agnus Dei dicitur esse occisus ab origine mundi: quia in membris suis ex tunc occidi cœpit. Eadem quoque ratione potest dici occidendus vsque ad finem mundi, qua in seipso in Petro confessus est venire Romam, iterum crucifigi. Denique & Paulus dicit se supplere in corpore suo ea quæ desunt passionibus Christi: per quod manifestè ostendit, quòd Christus nondū totus passus est, sed vsque ad finem seculi passurus est in membris suis. Omnes enim qui piè volunt viuere in Christo, persecutionem patiūtur: & quoniam nondum totus passus est, nondū totus intrauit in gloriam suam. Oportet illum pri⁹ pati, quàm glorificetur. Facienda est vis in verbo *Oportet*: quia sic omninò necesse est, & aliter impossibile est, aliquē intrare in regnum Dei, quàm per multas tribulationes. Angusta est via, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui intrant per eam. Omnibus quoque dicitur. Cōtendite intrare per angustam portam. Et notandū est, quòd duplex est candoris species; naturalis, & artificialis. Naturalis, vt in lilio: artificialis, vt in lino: Primus candor ad Christum pertinet, secundus ad Christianum. Christus enim sine labore perfectā semper munditiam possedit cordis & corporis, quia nullos sensit in carne stimulos, sicut nos ex corruptionis semine procreati: qui ex pœna Originalis peccati naturalem repugnantiam carnis ac spiritus sēper conferim⁹ ad exercitiū pugnę spiritualis. Christus autē conceptus ex Spiritu sancto, & Maria virgine, venit ad corpus incoinquinatum, in quo Sapientia ædificauit sibi domum tali habitatore dignam; & arcam de lignis Sethim tanto thesauro dignam. Vnde dicit in Canticis. *Ego flos campi, & lilium conuallium* Porrò artificialis candor linearum vestium, candorem duplicem designat animarum: sanctitatis laboriosæ, & claritatis æternæ. Primus meritorius est, secundus retributorius: neuter autē sine magnis laboribus acquiri potest, neuter sine magnis difficultatibus obtineri. Quis enim vnquam mortaliū virtutem castitatis obtinuit, nisi corpus castigavit; quis humilitatem sine contumelia, mansuetudinem sine injuria, paupertatem sine indigentia; quis deniq; vel minimam justitiæ portionem sine disciplina. Quid hic dicent infelices & miseri, quibus à Spiritu sancto væ dicitur; quia terram ingrediuntur duabus viis? Hi sunt, qui sine laboribus virtutes obtinere volunt; omnia relinquere, & nullo indigere; castitatem habere, & satis comedere; pauperes appellari, & mollibus vestiri; humiles reputari, & contumeliam nullā pati; in præsenti florere cum mundo, & in æternū regnare cum Christo: illic mentē, & hic ventrē pascere: de deliciis trāsire ad delicias, & in vtroque seculo apparere gloriosi. Hi sunt, qui cōtra legem induuntur veste ex lana linoq; contexta: sectantes mollia, & aspera professi. Non sic Iacobus frater Domini, qui lineis non est vsus, sicut nec balneis, requiem carnalē in nullo quæritans; sed cum beato Baptista vestiri mollibus in omnib⁹ aspernans Si caput eorū qui sine peccato mūdum intrauit, sine peccato in mundo vixit, sine peccato de mundo exiit, cùm Domin⁹ esset virtutum & Rex gloriæ, tamen sine passionibus non intrauit in gloriam suam, idest quę ipsius erat, antequam ad eam intraret; quomodo nos peccatores & impij de perditionis miseri-

Luc. 24.

Act. 14.

Apoc. 13.

Colloss. 1.

In mem'ris suis Christus patitur.

Cant. 2.

Non possumus hic & in futuro deliciis frui.

corditer extracti, & ab ea separati, sine obseruantiis disciplinæ, & passionum purgationibus putamus nos peccatores posse venire ad eã? *Gloriam*, inquit, *meam alteri non dabo*, alteri idest mihi dissimili, meas semitas non ambulanti. Vestes sacerdotales vestes lineæ sunt: per quod ostenditur, maximè pastores & doctores Ecclesiasticos laborare debere præ ceteris ad munditiam carnis & spiritus obtinendam. Nam ab immundo quis mundabitur? Solent etiam fures, qui ad tormenta trahuntur, antequã suspendãtur, omnibus suis vestimentis exui, & in lineis tantum dimitti: ne illorum nuditas publici aspectus incestet reuerentiam, sed in ipsis damnatis salua sit verecundia, & pudoris dignitas non damnetur. Igitur per hoc quod vir iste in lineis apparuit, significatur, Christum quidẽ semper fuisse paratũ ad crucem sustinendam; sed expectasse tempus, quod opportunius ad hoc ipse providerat, & pater præ definierat ab æterno. Tempus enim nascendi, & tempus moriendi. De quo tempore moriendi ipse dicit. *Tempus meum nondum advenit*. Sicut enim in eius potestate fuit, quo genere mortis animam suam poneret; ita etiam quo tempore hoc faceret. Idcirco vsque hodie mortem fugit, hodie vero ad eam cucurrit. Nam multoties ante hunc diem voluerunt eum Iudæi apprehendere, sed nemo misit super eum man⁹; quia nondum venerat hora eius. Aliquando etiam duxerant eum in supercilium montis, vt eũ præcipitarent: ipse autem transiens per mediũ illorum ibat. A principio etiam vitæ suæ Herodes quæsierat eum ad perdendum: sed in ipsa nocte qua in crastinum perdendus erat, *Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph, dicens. Surge, & accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Ægyptum*. Has igitur fugas & absconsiones Domini significare mihi videntur cruces & crucifixi, qui per totam quadragesimam velorum appensione teguntur. Quid est enim absconsio Christi, & ipsa gemina, prior à facie persequentiũ, secunda à cognitione videntium? Nam videbant illum, nec tamen cognoscebant, sicut de illis Prophetatum erat. *Obscurentur oculi eorum, ne videant*. Et iterum. *Ego autem cùm molesti mihi essent, induebar cilicio*, idest molestas, insidiosas, & subdolas inquisitiones eorum de diuinitate mea, per humanitatis assumptæ defect⁹ visibiles eludebã, vt non solam similitudinem carnis peccati habere me crederent, sed & ipsam carnem peccati. Hinc est illud S. Ieremiæ Prophetæ. *Dabis eis scutum cordis laborem tuum*. Labor enim multiplex, per quem Christus humanitatis assumptæ mysterium dispensabat in oculis Iudæorum, esuriens post inediam, sitiens post calorem, dormiens post vigiliam, fatigatus post laborem, perfusus opprobriis, circumfusus etiam conuitijs, opportunus iniuriis, expositus flagellis: hæc inquam & similia, corda Iudæorum, quasi scuto septemplici crassioris ignorantiæ cõtegebant. Cuius scuti spissitudo atque durities omnia divinorum verborum jacula & miraculorum fulgura repellebat, ne ad illorum intima penetrarent. Potest tamen prædicta velorum oppansio ante cruces & crucifixos in quadragesima illud significare; idem scilicet, quod significãt illæ duæ cortinæ: quarum prima appenditur inter laicos & clericos, secunda inter clericos & altare. Significat autem prima obscuritatem legis Iudaicæ, quæ ante passionem Domini numquam plenè potuit reuelari; & cujus figuras & cæremonias necesse erat auferri de medio, postquam pascha nostrum immolatus est Christus. In cuius rei significationem mox vt Christus in cruce spiritum exhalavit, velum templi scissum est à summo vsque deorsum. Cur autem magis scissum est, quàm vel convolutum in vnum locum, vel in quamdam partem retractum: cùm vtrumque, diuinæ virtuti æquè foret facile, sicut & illud scindere: nisi quia apertè per hoc significabat Spiritussanctus, legales cęremonias auferendas esse de medio, tamquam ad nihilum iam vtiles, postquam in illo singulari sacrificio omnis vtilitas completa fuerat; in quo Christus sacerdos & hostia semetipsum obtulerat? In huius rei significationem cortinas non retrahimus, sed ex toto auferimus quarta feria septimanæ pœnosæ. Porrò secunda cortina, quæ appenditur inter chorum, & presbyterium, inter clericos & altare, significat obstaculum carnis nostrę, quod nos impedit ab æternorum intuitu; ne videamus interim vel sanctorum gloriam, vel pœnam reproborum. Ideo in Dominicis & Festis Sanctorũ cortinas retrahimus; significantes quod in generali resurrectione nobis nuda & aperta erunt, quæ nunc occulta: & quòd animæ Sanctorum corporibus exutæ iam vident quod crediderant, & tenent quod sperauerant, q concupierant iã habent; Christo quẽ amauerant inhærent, sicut sine periculo & sine termino, sic etiam sine obstaculo inhærendi, sine periculo relabendi, sine termino perfruendi. In huius etiam rei significationem cruces omnes detegimus in Parasceue, & cortinã retrahimus ad missam pręsentis defuncti, & ad illius exequias crucem deferimus non velatam; significantes vtique defuncti animam jã transisse carnis parietem, & videre locum sibi pro vitæ merito deputatum. Hinc est illud in Canticis. *En ipse stat post parietem nostrũ, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos*. Ipse scilicet personaliter, non tantum per nuntium, stat paratus ad adiuuandum, & expectans pœnitentem, post parietem continuò, scilicet post mortem inueniendus. Sic Ezechiel vidit eum stantem in porta; idest nec totum foris, nec totum intus. Respiciens per fenestras, idest plenè cognoscens: prospiciens per cancellos, idest diligenter intẽdens. Auris enim zeli audit omnia; & oculus similiter zeli videt omnia. Per fenestras pręsentia, per cancellos futura. Per fenestras videt futura opera; per cancellos intricatos cogitatus, vel sermones perplexos. Videt quædam intuitu cancellato, vt væ divitibus, & qui nunc rident: beati pauperes, & qui nunc lugent. Vnde, *Recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala Nunc autem consolatur, tu verò cruciaris*. Sic Iacob cancellatis manibus filios Ioseph benedixit: latro currit ad paradisum, Iudas ad infernũ. Nec tantum per cancellum videt, sed etiam per parietem, qui clausis intrat januis. Frustra ergo dicent, parietes sunt vndique, quis nos videbit? Vel per fenestras, Apostolos; per cancellos, prophetas. Felix, cui tantum post vnum parietem stat Dominus; quẽ sola ab eo separat lex peccati, quæ est in mẽbris. Nam qui addit consensũ, actum, consuetudinem, & contemptũ, post parietes 5. stat illi Dominus, & tardè ei subuenit, si primò soluatur corporis paries, & ante rapiatur a fugientibus præparatis ad escam. Igitur oppansio velorum ante cruces & crucifixos triplicẽ significationem

Isai. 42.

Pastores præcipuè mundi esse debent.

Ioa. 7.

Mat. 2.

Psal. 68. & 34.

Thren. 3.

Cur velum templi scissum.

Cant. 2.

Ezec. 46.

Luc. 16.

significationem prætendit, ideſt velamen figurarum legis Iudaicæ, velamen tenebrarum mortalis vitæ, velamen latentis abſconſionis Dominicæ. In cuius abſconſionis reuelatæ ſignifitionem hodie crucem detectâ ferimus ad proceſſionem. Nam qui à facie mortis vſque hodie declinauit, hodie ad eam non minori alacritate quàm humilitate currit: oſtendens ſe nec timore mortis hactenus detrectaſſe pugnam, nec amore laudis ſuam deinceps patientiam oſtentaturū. Sciens ergo Pater tempus adueniſſe redemptionis humanæ, dicit ad filium ſuum. *Tranſi per medium ciuitatis*, & *ſigna Tau* &c. ideſt appropinqua Ieroſolymis ad inuidos Iudeos, quos hactenus declinaſti, qui quærebant te interficere. Nam oportet te per medias eorū manus ad mortem & infernum vſque tranſire. Sufficit, quòd hactenus infirmioribus dediſti exemplum fugiendi perſecutionem, quandiu ſalua conſcientia eam fugere poſſunt: nunc oportet, vt peſfectioribus des exemplum decertandi pro juſtitia vſque ad mortem. Tranſi ergo per mediam ciuitatem; ego te ad inferni ciuitatem deducam, vt inde reducam ſalvum & incolumem: ſed per mortem mediam, & per manus Iudæorum qui quærunt animam tuam oportet te tranſire. Volo autem, vt ſolus ad infernum tranſeas; ſed nolo, vt ſolus inde redeas: imò volo, vt tecum triūphantes ab inferno redeant, quicumque triumphātis tuæ crucis ab initio ſeculi portauere vexillum. Tranſi ergo per mediam ciuitatem; ideſt amodo ne quæras latebras contra mortem: neque tuam à Iudæis perfidis abſcondas deitatem; ſed in trāſitu manifeſtate illis: vt te quaſi verum Saluatorem hodie ſuſcipiant, quem poſtea tamquam latronem ſunt ſuſpenſuri. Et hoc eſt quod addit, *In medio Ieruſalem* ideſt in aperto & publico hodie te ſuſcipiat infelix illa ciuitas: nec ſolùm pacificè tamquam amicum, ſed etiam pompaticè tamquam Dominum: vt honoris trāſitorij præmiſſa coruſcatio ante ſecuturam grandinem paſſionis & tibi patientiæ pondus accumulet; & illis aggrauet onus vindictæ. Sicut enim gaudia præmiſſi cumulant inopina dolores; ſic omnis cōtumelia de præmiſſi honoris magnitudine cumulatur. Sequitur. *Et ſigna Tau ſuper frontes virorum gementium*, &c. Regiæ conſuetudinis eſt, regalia ſigna Reges ſingulos procedentes ad bellum præcedere; à quibus hoſtes territi fugiant, ſecuri milites non recedant. Sic Pater Filium mittens ad bellum, ſignum proprium jubet cōferre, & ſuorum ſingulis illud imponere, vel imprimere: per quod agnoſci valeat, qui ſint eius. Quod eſt autem hoc ſignum, niſi illud, de quo dicit Apoſtolus, *Qui ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis?* Signa Tau, ideſt ſigna ſignum, nam Tau ſignum interpretatur: ſed ſignum antonomaſticè & excellēter, tamquam ſignum principale, regium, ſeu imperiale, ſingulare & excellens, tamquam ſignum ſignorum. Sicut enim Rex cuius eſt hoc ſignum dicitur Rex Regum, & Dominus dominantium: ſic & ſignum eius ſignū ſignorū. Quid enim potentius iſto ſigno; quod ſolo aſpectu adverſarium vertit in fugam, & ſignifero confert victoriam? Non ſolùm ſi à ciue, ſed etiam ſi ab hoſte feratur: ſicut legitur de Iudæo ſigno crucis exteriùs ſignato, cui dæmones crucis inimici nocere volentes, ſed non valentes exterriti fugerunt, dicentes, Vas vacuum, ſed ſignatū. Quaſi diceret. In hoc vaſe poſſemus habitare vt in vaſe vacuo, niſi clauſum vndique, & fortiter munitū ſigno terribili, tamquam muro impenetrabili, nobis omnem aditum denegaret. Sic dæmones qui capitulum tenuerant de culpis non delendis, ſed ſcribendis, pro eo quod in fine capituli ſolemus dicere, Adjutorium noſtrum in nomine Dñi, compulſi ſunt clamare, Deſtructorium noſtrū in ſigno Domini. O ſignum ſingularis potentiæ, & virtutis pluſquam humanæ, quod non ſolùm ſignum, ſed & ſcutum eſt, & gladius, arbor & ſceptrum. Signum, vt diſcernat; ſcutum, vt protegat; gladius, vt perimat; arbor, vt paſcat; ſceptrum, vt regat. Signum fidei. ſcutū auxilij, gladius vindictæ, arbor vitæ, ſceptrum juſtitiæ, pignus & arrha felicitatis æternæ. Vnde legitur de ſignifero Conſtantini, qui ex legitimæ dignitatis officio ſignum crucis aureum præferebat in bello, quòd numquam vulneratus ſit, numquam in bello captus, vel in captiuitatem ductus, nec vllum infortunij genus pertulerit. Neque enim ſignum victoriæ ſine felicitatis auſpicio poteſt ab aliquo circumferri. Ac de hoc ſigno dictum fuerat priùs Regi Conſtantino, *In hoc vince*. Adhuc ſignum ſanctæ Crucis nimis ignobiliter latebat in terra, & jam virtus eiuſdem ſigni valde mirabiliter coruſcabat è cælo: quando ſignum crucis velut in radio ſolis Conſtantino apparuit literis pulcherrimis, in ſetantùm continens hanc ſcripturam, Ἐν τούτῳ νίκα ideſt In hoc vince. Ideo ſapientia ſemper ſapienter agens, priùs ſanctæ Crucis adorari voluit ſignum, quàm lignū: ne ſolum lignum illud adorabile putaretur, in quo corpus eius extenſum fuerat; & non ſignū, quod corporis eius extenſio in ſalutem credentium diuinitus conſecrarat. Sicut enim in arte Geometrica figurarum virtus & veritas magis attenditur ſecundùm abſtractam quantitatem; quàm ſecundùm concretam: ſic virtus & dimēſio ſanctæ Crucis magis æſtimanda eſt ſecundū formam, quàm ſecundùm materiam. Neque enim dæmones terrentur ad aſpectum lapidis, vel ligni, vel metalli, cuiuſcumque materiæ crucis; ſed potiùs ad virtutem inuiſibilem formæ inviſibilis de crucifixi corpore in arte expreſſa inuiſibiliter, in cruce viſibiliter. Et ſciendum, quòd ſignum Tau numquam tantæ virtutis extitit, quādiu tantùm tres dimenſiones habuit; hoc eſt longū latum, & profundum: nam quartā dimēſionem, ideſt altitudinem tunc primò habere cœpit, cùm Filius Altiſſimi in ligno crucifixus eſt. Hanc enim tribus antiquis dimenſionibus Pilatus ſuperaddidit, vt in ea deſcriberet Imperatoriæ maieſtatis & regalis victoriæ triumphalem titulum inſcriptione trium linguarum. Bene autem ſignum crucis per vltimam Alphabeti Hebraici deſignatum eſt literam, quæ figuris legalibus terminum impoſuit, & virtutem caritatis, quæ totam legem continet, confirmauit. Omne ſiquidem redemptionis humanæ myſterium, quod in viginti duobus libris veteris teſtamenti latebat occultatum, in cruce reuelatum eſt, & plenè conſummatum. Vnde Dominus in cruce poſitus cùm accepiſſet acetum dixit, Conſummatum eſt. Eſt aliud ſacramentum, quod in iſto myſteriali numero 22. literarum ſecretiùs latebat. Nā numerus iſte duos vndenarios continens, duplicem tranſgreſſionem ſignificat. legis naturalis, & legis ſcriptæ. Homo quippe ad imaginem & ſimilitudinem Dei factus; ad imaginem in ſapientia,

Ezech. 9.

Galat. 5. Crux eſt ſignum antonomaſticè.

Signo crucis etiam infideles tuti.

Signi ſanctæ crucis vſus.

ad similitudinem in justitia: ad imaginem in ratione, ad similitudinem in electione boni & reprobatione mali, decalogum legis accepit in tabulis cordis carnalibus indelebili memoria conseruandum, ad hanc breuitatē redactum. Quod tibi non vis fieri malum, alij ne feceris: & quod tibi vis fieri bonum, alij facias. Adam verò transgrediens mandatum Domini, primus omnium mutuatus est à fœneratore diabolo vndecim pro duodecim ludo vanitatis. Sicut enim vndenarius mādati trāsgressionem significat, sic duodenarius peccati vltionem. Continet enim senarium geminatum; qui numerus est operis & laboris, juxta illud *Sex dies sunt, in quibus oportet operari*. Quid est ergo geminatus senarius, nisi labor geminatus? Cùm igitur peccator post laborem huius vitę transit, non ad requiem, sed ad laborem futuræ, non facit transitum de senario ad septenarium, quasi de sexta feria ad sabbatum: sed potiùs redit ad alterum senarium, idest ad laborem iteratum. Sic igitur soluit duodecim pro vndecim, vltionem peccati per transgressionem mandati, pœnam pro culpa, judiciū pro injustitia. Ergo, sicut ostensum est, primus vndenarius à diabolo mutuatus, idest mutuo nobis datus, fuit legis naturalis transgressio, secūdus autem legis scriptæ præuaricatio. Idcirco in eius Alphabeto viginti duæ literæ continentur; quarum postrema est Tau figura crucis Dominicæ: quia Christus in cruce positus exoluit quod non rapuerat, sed quod nos rapueramus. Et quidem in antiquis libris Samaritanorum, teste B. Hieronymo Tau figuram crucis exprimere solet: sed in nouis Hebræorum, quas Esdras reperit, quarta illi deest dimensio, idest altitudo; quæ in Christi passione reperta est & superaddita. Crucis enim supplicium, quod apud Romanos & Iudæos præcipuè in vsu habebatur, ex duobus lignis compactum erat, vno in terram fixo, & in sublime erecto, altero in transuersum posito; ita quòd suspensi caput reclinatoriū non habebat. In hoc supplicio lignum rectum erat pro longitudine, lignum transuersum pro latitudine. Id verò in quo fixum stabat lignum erectum, quidquid illud esset, siue lapis, siue lignum, siue ipsa terra, profundum appellabatur. Filius autem Altissimi exaltatus in cruce, crucem suam non potuit non exaltare: perficiens in ea dimensionem altitudinis, ex altitudine diuinitatis. Quod significauit causa ipsius super caput eius scripta. *Hic est Iesus Nazarenus Rex Iudæorū*. Cuius scripturæ simplex sensus est. Iste nomine IESVS, patria Nazarenus, gente Iudæus, non ob aliud crucifixus est, nisi quia dixe[illegible]se Regem Iudæorum, sicut & reuera est. Hoc enim significat illa Iudicis affirmatio, *Quod scripsi, scripsi*. Ex tunc ergo signum crucis cunctis suis partibus absolutum cœpit esse tam terribile cateruis dęmonum, & tam venerabile choris Angelorum, quàm salutare filiis hominum. Tunc enim primò comprehendi cœpit ab homine, quomodo consultū esset humano generi in illius hominis crucifixione. Totum quippe genus humanū cruce signatum est, cùm Verbum caro factum est. Nam forma diuinitatis nil aliud est, quàm forma crucis. Est enim diuinitatis forma simplicissima, indiuisibilis, sicut inuisibilis, æternitate tamen longa, caritate lata, potestate sublimis, sapientia profunda. Quid enim æternitate longius, caritate latius, sapiētia profundius, sublimius potestate? Propter æternitatem dictum est *Longitudine dierum replebo eum*. Propter caritatem, *Latum mandatum tuum nimis*. Propter sapientiam, *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei: quàm incomprehensibilia sunt judicia eius*, &c. In quo loco ponitur altitudo pro profundo, sicut cùm dicitur, puteus altus est. Propter potentiam autem dictum est. *Quoniam Dominus excelsus terribilis super omnem terram*. In his 4. dimensionibus continentur sex species linearis motus. Nam in longitudine sunt ante & retro, in latitudine dextrorsum & sinistrorsum, in profunditate & altitudine sursum & deorsum. Æternitas longa est ante, quia caret fine; longa retro, quia caret principio; quæ duo notantur in Apocalypsi per Alpha & ω. Hæc longitudo crucis duo climata continet orbis, Orientem & Occidentem. Oriens enim ante nos est, Occidens retro. Caritas lata est à dextris, & à sinistris: à dextris per amicitiam, à sinistris per patientiā. Hæc duo notantur ibi, *Caritas patiens est, benigna est*: idest lata in immensum, ex vtraque parte; omnia largiens, & omnia patiens. Hæc latitudo crucis duo continet climata orbis, septentrionem & meridiem, per Aquilonē & Austrū designata: quorum ille sinister est, iste autem dexter. Humillima potestas est, quę non nisi ex aliena infirmitate vires accipit. Talis est potestas dæmonū, quos potentes efficiūt sola peccata nostra. Tantū est enim potens aduersū te diabol⁹, quantùm illi cōsenseris, & nihil ampli⁹. Cur ergo Christianus diabolum timeat, cùm nil omnino aduersus eum possit aduersarius, si ille non consentiat? Denique omnis potentia tantum habet altitudinis, quantum justitiæ. Nam posse malum facere, & non bonum, non potentiæ est, sed infirmitatis; non virtutis, sed impotentiæ. Cur ergo superbiunt principes huius mundi de potestate nocendi, quæ communis est bestiis & serpentibus, muscis & pulicibus, & propria dæmonibus? Nil prodest, quod non lædere possit idem: sed non è conuerso. Posse & non prodesse, & non velle, tam omnino nihil est, quā ꝙ omnino non prodest: & ideo, sicut dixi, omnis potestas tam excelsa est, quàm justa voluntas. Sed quoniam voluntas hominis, etiam justa, plerumque effectu caret, parua & humilis est omnis potestas hominis, magna verò & alta potestas Angeli, summa Dei, nulla diaboli. Vnde ad eum dicitur. *Nihil factus es*. Sapientia Dei tam profunda est, quàm vbique attingens propter suam munditiam. Profundum est cor hominis, quis cognoscet illud, nisi Deus, qui solus nouit corda filiorum hominum? O profundam illam sapientiam; quæ vsq; ad hoc profundum attingit cordis humani, & vsque ad profundum inferni. Propter has quatuor dimensiones signum crucis factum est, attingens à fine vsque ad finem fortiter, per longitudinem ęternitatis, & ideo terribile dæmonibus fugitiuis, disponensque omnia suauiter per latitudinem caritatis, & ideo salutare hominibus miseris: trahens sursum vsque ad cœlos per sublimitatem potentiæ, & ideo venerabile virtutibus Angelicis: penetrans deorsum vsque ad inferos per profunditatem sapientiæ, & ideo rursus intolerabile spiritibus immundis. Periit ab eis fuga; non est enim quò fugiant à facie lōgitudinis crucis Dominicæ. Frustra exardescit eorum inuidia; non est quā nocendi aditum inueniant altitudine caritatis diuinæ. Frustra in-

Marginalia: Luc 13. — Litera T. figura crucis. — Mat. 27. Ioan. 19. — Psal. 90. — Et 118. — Rom. 11. — Psal. 46. — Dimēsiones crucis quæ climata cōtineant. — 1. Cor. 13. — Ezech. 28.

tumescit eorum superbia: non est, quò ascendát à sublimi potentia illos comprimente. Frustra delitescit eorum timor & ignauia: non est, vbi se abscondant à profunditate vbique attingentis sapientiæ. Hac igitur quadam fide diuinitatis forma figurata est humana natura, quando incarnata est Dei sapientia. Sed ejusdem formæ mirabile mysterium, nisi per crucem Christi hominibus non quam esset reuelatum: quamvis in conversatione Christi, qua inter homines tamquam homo conuersari dignatus est, apparuit hujus formæ quoddam superficiale vestigium in obedientia, caritate, patientia, & iustitia. Nam longanimitatem crucis demonstrauit ejus obedientia vsque ad mortem: latitudinem dilectio suorum vsque in finem: profundum patientia vsque ad crucem, altum zelans iustitia vsque ad sanguinem. Sic igitur viuendo & deinde moriendo monstrauit Christus humano generi, quomodo crucis signaculo debeant signari: videlicet obediendo, diligendo, patiendo, zelando. Est autem primum ejus præceptum, quod in terra præcepit homo inter homines, istud. *Pœnitentiam agite.* Hæc nostræ crucis longitudo, si longa sit ante & retro. Retro sunt peccata pręterita, antè futura. Perfectus ergo dolor peccati præteriti, perfecta cautela futuri nos longos efficit ante & retro. Qui de perpetrato præterito dolet, sed non cauet ne iterum peccet, longus est retro, sed curtus ante. Et ideo necesse est, vt incidat in manus inimicorum crucis Christi; quia eius longitudini non cõmensuratur. Sicut ille miser homo apud Abrincatensem ciuitatem qui doluit se tentatum à spiritu fornicationis, sed non cauens ab illius impetu, quasi Deo satisfaciens de crebra ruina, nouies ivit Romam orationis causa, & cùm de nona peregrinatione rediret, securior factus de tantis laboribus reuersus est ad vomitum, idest versus ad coitum, & in ipsa emissione seminis spiritum exhalauit. Qui cauet ne aliena rapiat, sed tamen aliena retentat, longus est ante, sed curtus est retro. Sic comes ille Teutonicus, qui cùm alias iustissimus fuisset, tamen pro eo solo quod iniustè detinuerat quoddam ius Ecclesiæ Metensis beati Stephani protomartyris, quod parentes eius longi temporis præscriptione sibi vsurpauerát, ardere visus est in inferno. Caritas autẽ nos latos facit à dextris & à sinistris; à dextris dando, à sinistris dimittendo. His duobus brachiis amplectimur Christum in cruce clamanté ad nos voce & opere. *Dimittite, & dimittiemini, date, & dabitur vobis.* Dimittite peccanti, date indigenti. Prius autẽ dixit, Dimittite, quàm date; quia qui petitor est venię, priùs debet esse dimissor culpę, iuxta illud. [Homo homini seruat iram, & à Deo quærit medelam.] Qui dare sciunt, & dimittere nesciunt, lati sunt à dextris, sed à sinistris stricti. Qui dimittere sciunt, & dare nesciunt, econtrario. Odium & invidia nos strictos faciunt à sinistris, à dextris cupiditas & tenacitas; cupiditas alieni, tenacitas proprii. Invidia nil dimittit, tenacitas nil tribuit. Vtraque est inimica latitudini Christi. Profũdum crucis Christi humilitas est omnia tolerans, vsque ad mortem, & ipsam mortem: sublimitas iustitiæ zelans vsque ad sanguinem. Sicut omnis baptizatus per aquam abluitur, sic per aquæ iudicium examinatur: in quo examinationis genere fluctuantes damnantur, mersi saluantur. Aqua tribulatio est. In hac aqua fluctuat qui vel recalcitrat, vel tacitus submurmurat: mergitur autem, qui æquanimiter omnia tolerat; & hic solus saluatur, si tamen habeat quartam dimensionem, idest zelum iustitiæ vsque ad fundendum pro ea sanguinem. Sic enim scriptum est. *Signa Tau super frontes virorũ gementiũ super abominat. quæ fiunt in medio Ierus.* Quibus verbis ostenditur, quod isti signandi iam à peccatis propriis abstinabant, qui de alienis dolebant; & ita jam longum crucis habebatur per cautelam peccati, latum per compassionem, fundum etiam habebant per humilitatem latendi. Sed quoniam sublime non habebant per zelum corripiendi; idcirco adhuc signo Tau signandi erant in fronte. Væ illis, qui signum hoc victoriæ & honoris non in fronte ferunt, sed sub pede abscondunt. Væ prelatis, laminam laneam, in qua nomen Domini tetragrammaton scriptum est, non in fronte gestantibus, sed sub pedes calcantibus. Hi sunt pastores mercenarij, qui videntes lupum venientem, dimittunt oves, & fugiunt. Sex viri qui securim gestabant, sunt sex ordines nuntiorum, quos Deus in mundum per sex ætates misit: viri, idest viriliter loquentes. Vas interitus, quod 70. Interpretes securim appellant, significat gladium spiritus, quod est verbum Dei, quod est vas interitus illi, qui auditor est tantum, & non factor. Nota, quod isti viri non dicũtur ferre lyram vel citharam, sed securim; quia prædicator verbi Dei non palpare peccata debet, sed ferire & pungere, sicut scriptum est. [Verba sapientũ quasi stimuli, & quasi clavi in altũ defixi.] Nemo enim secures virorũ illorum evadere poterit, quæ jam ad radices arborum positæ sunt, nisi signum Tau in fronte statuerit. Sic enim signatus venit hodie Dominus in Ierusalem, non solum appropinquaturus ad Iudęos, sed etiam prouocaturus eos, ejiciendo de templo vendentes & ementes, euersurus mẽsas nummulariorũ, & nummos effusurus; vehementer inimicos suos corripiens, quos sciebat nullatenus corrigendos. Sic Ioannes Baptista Herodem de adulterio corripuit, quem tamen non dimissurum adulteram nequaquam dubitauit. Non est autem quod æstimet aliquis has omnes crucis dimensiones nimis esse asperas, aut graues ad portandum. Sicut enim crux olim terribilis ad videndum, jam delectabilis aspectu facta est, quia decorem de membris Domini suscepit singularem: sic etiam leuis ad portandum facta est, quia lenitatem lucrata est ex caritatis onere, vnctionem ex signo, suauitatem ex vnctione. Nihil enim Christo lenius, qui portantem se portat, nihil vnctione suauius, quæ non solum lenit asperum, sed etiam recreat fatigatũ. Caritas autem tota in cruce extensa est, & ejus vnctio per totam crucem diffusa, pretiosissimo Redemptoris sanguine riuis largissimis per singulas ejus demensiones currente. Vncta est siquidem crucis profunditas sanguine currente de pedibus Christi, latitudo de manibus, altitudo de vulneribus capitis per spineam coronam, lõgitudo de fonte lateris facto per lanceam. O quàm mali æstimatores rerum sunt, qui crucem Christi tam leuem, tam suauem, vel asperam, vel grauem reputant! Verè nimis infirmum palatum gerunt, qui dulcedinem ejus non sentiunt. De qua dulcedine feliciter crapulatus erat sanctissimus ille Mammertus Episcopus Viennensis, cùm metricè canebat. *Crux fidelis inter omnes arbor*

Marginalia: *Dimensiones crucis Christi.* — *Mat. 3.* — *Fornicator recidiuans perit.* — *Luc. 6.* — *Ecclis 28.* — *Ezech. 9.* — *Eccle. 12.* — *Crucis dimensiones non sunt asperæ.*

vna nobilis, nulla silva talem profert fronde flore germine: dulce lignum dulces clauos, dulce pondus sustinens. Sanè qui gustauit istam dulcedinem, non erubescit in fronte sua portare crucem, idest certare pro iustitia vsque ad mortem. Quod est signum præcipuum seruorum crucifixi, iuxta illud. *Nolite nocere terræ & mari neque arboribus: quoadusque signemus servos Dei nostri in frontibus eorum.* Quo nos omnes signare dignetur De⁹ & Dominus noster Iesus Christus: qui cum Patre & Spiritu Sancto viuit & regnat per omnia sæcula sæculorum Amen.

Apocal. 7.

Sermo 4. In Ramis Palmarum.

Mat. 21. Luc 19.

OSanna filio David, Benedictus qui venit in nomine Domini Rex Israël Osanna in excelsis. Vulgo dicitur, Domino omnes honores, supple debentur. Proverbium istud verum est, sed non generaliter intelligendum. Non enim omni Domino debetur omnis honor. Sed quãti hodie Domini sunt, qui vel nullo, vel modico honore digni sunt. Vnus solus Dominus est, cui convenit istud prouerbium. Quis ille? Qui est Rex regum, & Dominus dominantium, idest Dominus noster Iesus Christus filius Dei, & filius David. Filius Dei secundũ divinitatẽ; filius David secundũ humanitatẽ: qui secundũ quod filius Dei creator est omnium; & secundũ quod filius David, hominum Redemptor, non tamen omnium, sed tantum fidelium. Huic Domino omnis honor debetur, quia ab eo omnis honor proficiscitur: sicut scriptum est. *Ad locum, vnde exeunt flumina, reuertũtur, vt iterum fluant.* Quòd autem omnis honor ei debeatur, testantur hodie pueri Hebræorum, non solum in platea ludentes, sed etiam ad vbera matrum pendentes: quorum puerile decus hodie Domino sedenti super asinum, & per viam transeunti prompsit osanna pium. Non autem ex naturali sensu hanc laudem ei dixerunt. Sicut nec maior ætas, quæ voces easdem promebat; sed potius ex dono Spiritus Sancti: qui hodie ad laudẽ Christi linguas infantium fecit disertas. Dicunt ergo. *Osanna filio David*, idest salus sit filio David. Sic glossat Hieronymus super Marcum. Tale est illud in Apocalypsi. *Salus Deo nostro, qui sedet super thronum, & agno.* Cùm autem hoc dicimus, non optamus, vt Deus noster, vel vt filius David salvus sit, quod idem est, sed sensus est; Quicumque salutem sperat vel expectat, à filio David tamquam à Saluatore illam sperare & expectare debet. Ipse est enim Saluator in imis, & in excelsis, in cælo & in terra, Angelorum & hominum, animarum, & corporum. Iesus autem filius David appellatus est, antequam natus. Sic enim ait Angelus ad Mariam. *Hic erit magnus & Filius Altissimi vocabitur. Et dabit illi Dominus sedem David patris ejus; & regni eius non erit finis.* Nullus filiorum David regnare potuit in æternum, præter Christum; de quo dicit Daniël. *Potestas ejus potestas æterna, quæ non auferetur: & regnum ejus, quod non corrumpetur.* Et de quo dicit Apostolus. *Qui factus est ei ex semine David, secundum carnem.* Soli ex omnibus Patriarchis Abraham & David appellati sunt patres Christi secundũ carnẽ: quia illis solis specialiter facta est promissio, quod Christus ex eorum semine nasceretur; & idcirco eorum filius in principio nũcupatur, cùm dicitur. *Liber generationis Iesu Christi filij David, filij Abraham.* David autem ideo primus ponitur, quia propinquior fuit Christo, quam Abraham. Prius tamen facta est promissio Abraham, quàm David; quia in hereditate Christi primum locum accipiunt iusti, secundum pœnitentes. Verumtamen semel tantum legitur in Evangelio Christus appellari filius Abraham, sed sæpissime filius David; quia paucissimi sunt, qui post primam vocationem suam perfectissimè conseruent iustitiam: plurimi vero, qui post lapsum ad priorem gratiam per pœnitentiã revertãtur. In hoc ergo quod Christus sæpius appellatur filius David, quam filius Abraham, magna spes indulgentiæ peccatoribus posita est, non solum indulgentiæ, sed etiam totius gratiæ, vel etiam plenioris, quã vmquam habuit, recuperandæ: sicut apparet in David post trinum lapsum adulterij, homicidij, & proditionis: & in Petro Apostolo post trinæ negationis abyssum. Vterque enim pœnitendo pleniorem recuperauit gratiam, quã peccando amiserat. Denique adeo deleta sunt peccata David per pœnitentiam, quod etiam dicitur non peccasse. Sic enim legitur in libro Iesu filij Sirach. Præter David, & Ezechiam, & Iosiam, omnes peccaverunt. Quid est hoc Domine? Ergo David non peccavit, qui hæc & illa fecit? Hic planè respõsurus est Deus, non memini quid fecit, & quis hoc mihi probare poterit? quod omnino deletum est, omnino nõ est. Ego omnium peccatorum testis sum & judex, & quis testificari poterit, quod ego non memini: quis ue rescribere; quod ego delevi? Impius si conversus egerit pœnitentiam: omnium iniquitatum ejus quas fecit non recordabor. Non peccavit ergo David, non enim ipse est qui peccauit, sed alius juxta illud. *Verte impium, & non erit,* subaudi, impius, sed pius: quia versus est de impio in piũ. Hinc est illud Salomonis. *Talis est via adulteræ, quæ comedens, & tergens os suũ, dicit; non sũ operata malũ.* Mulier adultera est peccatrix anima, alij adhærens quàm vero sponso. Hæc mulier adultera comedit, quando carnis desideria perficit: sic enim pascit sterilem, quæ non parit, & sibi ipsi quæ vidua est bene non facit. Tergit autem os suum, quando confitetur peccatum. O quanta vrbanitas est tergere os, postquam comederis, idest pœnitere, postquam peccaveris! Tergendum est autem os cordis per veram contritionem, os corporis per puram & integram confessionem; & vt ita dicam, os operis per dignam & congruam satisfactionem. Beatus qui sic tergit os suum, vt à Domino sibi repropitiato recipi jam mereatur in pacis osculum; qui humanarum animarum æternus amator est, & amator non fastidiosus, sed facilè indulgens, amatamque post delicta suscipiens, nec improperans quod deliquit, juxta illud Ieremiæ. *Si dimiserit vir vxorem suam, & recedens ab eo duxerit virũ alterum: numquid reuertetur ad eam vltra? numquid non polluta & contaminata erit mulier illa? tu autem fornicata es cum amatoribus multis: tamen revertere ad me, dicit Dominus, & ego suscipiam te.* O benignitas incomparabilis! Dicit ergo mulier adultera; jam non adultera, sed altera, postquam tersit os suum post comestionem, non sũ operata malũ. Super quem locum eleganter Ambrosius ait. *Non dicit soluta sum, dimissa sum, tecta sum, lota sum, sed confidenter loquitur, non sum*

Eccle. 1. Apocal. 7. Luc. 1. Daniel. 7. Rom. 1. Mat. 1. Mat. 1. Quo sensu David non peccarit. Eccli. 49. Proverb. 12 Prove. 30. Ierem. 3.

Eccli. 49. operata malum: non sum qua fueram, alia facta per te, qui vertis impium & non erit. Sanè tale est illud. Præter David, & Ezechiam, & Iosiam, omnes peccauerunt. Non enim David iste est ille qui peccauit, sed alius sine dubio per illum fact', qui vertit impium & non erit. Nec solum annumeratur David illis qui non peccauerũt, sed etiã præponitur: vt etiam quodammodo dignior ostendatur. Sic & in sanctorum invocationibus Maria Magdalena non solum connumeratur virginibus, sed etiam præponitur vniuersis: pro eo videlicet quod tam eleganter tersit os suum, vt pateat tam Deo quàm hominibus, numquam antea comedisse. O quàm bene tergebat os suũ, quando osculabatur pedes Domini, rigabat lacrymis, tergebat capillis, & vnguento vngebat! *Luc. 7.* Ecce quare filius Dei maluit in Scripturis sæpius appellari filius David, quam filius Abraham: vt videlicet ex hac appellatione spem certissimam peccatores conciperent, plenissimam veniam cõsequendi. Propterea meritò bene dicitur filius David, & tamquam Rex & Salvator suscipitur, non solum à puerili innocentia, sed etiam à turba vtriusq; sexus, & omnis ætatis, vocibus Propheticis exclamante. *Matth. 21.* *O sanna filio David, Benedictus qui venit in nomine Domini, Rex Israel.* Omnis Rex Dominus est, sed non omnis Dominus Rex. Omnis autem Dominus tantum debet esse saluator, quantum & dominator. Omnis enim Dominus statuitur ad saluandum pro posse suo illos, vel illa, quibus dominatur: excepto tamen regno Satanæ, in quo omnes præpositi & omnes satellites constituũtur ad perdendum. Nã vt ait Tertulianus, dæmonum operatio est hominis euersio. Malitia spiritualis à primordiis auspicata est in hominis exitium. Quanto magis autem nobis, tantò magis etiam sibimetipsis adversantur; quia quantus in eis est conatus deceptionis humanæ, tantus & profectus est damnationis propriæ: sed tantus in eis est furor in Iudicem, vt parui ducant quantumlibet onus supplicij, dummodo videant homines ad paria supplicia perurgeri: & idcirco desperata conditio illorum ex prædamnatione solatium reputat fruendæ interim malignitatis occasionẽ de pœnæ mora; quamuis nec interim sine pœna sint, & ipsa multiplici & grauissima: sed leue æstimãt quidquid tolerant, dummodo ad decipiendos homines ex libitu discurrant. Igitur omnes homines qui suos subditos lædunt, de regno Satanæ sunt. Non est enim potestas, nisi à Deo, quæ autem sunt à Deo, ordinata sunt. Omnis autem divina ordinatio in rebus humanis humanæ salutis est procuratio; qui omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Nemini mandat Deus impiè agere: facit tamen, idest permittit, aliquando regnare hypocritam propter peccata populi: vel quia talem Regem tales merentur subditi: vel quia tale regnum, tales peruersi. Igitur omnis Dñs à Deo super homines cõstituitur ad salvandũ, idest ad disponẽdam subditorum salutẽ. Vę autẽ illis, qui sua dominatione abutũtur in alios, ad illorũ vel ppriã perniciem, vt Alexander, qui nil salvare nouerat, sed omnia destruere; quod etiam natiuitatis ejus certissimum præmõstrauit præsagium. Ea namque nocte qua natus est, non solùm terra mota est, & tonitrua magna facta sunt, sed etiam de cælo veri lapides cecidere: significantes vtique, quòd ille puer qui natus erat, lapidare homines

Malitia dæmonũ quanta.

veniebat. Tales sunt hodie multi dominantes in clero vel in populo, turbatores pacis, hostes justitiæ, dilapidatores rerum, lapidatores hominum: qui sic in prouinciis debacchantur, ac si ad flagellandum Iob egressus sit Satan à facie Domini. Sic conuersantur inter eos quibus præpositi sunt, ac si ad tædas in facinus excitandas mittantur ab inferis Thesiphone vel Megæra. Apud hos judicium nihil est nisi publica merces, vixque tenẽt lacrymas, cùm nil lacrymabile cernunt. Omnium sanè dominorum nomen venerabile esset in populo, si tanta impleretur solicitudine, quanta petitur ambitione: si justè judicarent, si prodesse quàm præesse mallent, si exactionibus parcerent, si projicerent auaritiã ex calumnia, & excuterẽt manus suas ab omni munere; nec omnem quæstum pietatem putarẽt. Omnis Dominus subditorum suorum & res & corpora saluare & seruare debet. Vbi tamẽ inuenietur inter mortales Dominus, qui vel ista semper saluare possit? *Non domus aut fundus, non æris aceruus & auri, Ægroto domini deduxit corpore febres.* Ponatur tamen quòd omni homini salua sint hæc duo, scilicet corpus & possessio, quid proficit homo, si vniversum mundũ lucretur; animæ verò suæ detrimentum patiatur? Solus ergo ille verus Dominus est, qui verus Saluator est, idest qui animas, & corpora, & res in æternum seruare potest. Nam si de animabus constat, ergo & de corporibus & rebus. Nonne anima plus est quàm esca: & corpus plusquam vestimentum? Qui potest quod maius est, vtique & q̃ minus. Seruat Christus animas Eliæ & Enoch, ne corpora sua relinquant; qui jam per tot annorum millia in eisdem corporib' sine vlla perturbatiõne vixerunt. Saluauit olim in deserto 40. annis Iudæorum corpora & indumenta: & per tantum temporis spatium non fuit in tribubus eorum infirmus, & vestimenta eorum non sunt attrita. Hic autem non temporalem nobis, sed æternam salutem attulit, & animas nostras saluari docuit per fidem & obedientiam mandatorum: corpora per mortificationem membrorũ, res per sustentationem pauperum. De primo, *Fides tua te salvum fecit* Et, *Si vis venire ad vitam, serua mandata* De secundo. *Nisi granum frumẽti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum erit. Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Et Apostolus. *Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram.* Et rursus *Quod seminas, nõ viuificatur, nisi prius moriatur.* Augustinus. *Frumentum si seruas. perdis; si seminas renouas.* De tertio. *Thesaurizate vobis thesauros in cælo, vbi nec ærugo, nec tinea demolitur: & vbi fures non effodiunt, nec furantur.* Item Augustinus. *Manus pauperum gazophylacium Christi sunt.* Anima per fidem viuit, corpus per pœnitentiæ sationem resurgit, res per eleemosynæ largitionem non perit. Benedictus ille Dominus, qui sic saluari docuit nos, & nostra. Benedictus qui venit in nomine Domini. Hoc nomen Dominus, significat quasi dans munus. Quod munus, vel quantum dat iste Dominus? Omne bonum, & summũ bonũ. *Ego*, inquit, *ostendam tibi omne bonum: Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est.* Benedictus ergo qui venit in nomine Domini Rex Israël. Super hunc locum ait Augustinus in Ioannem scribens. *Quid magnum est Christo Regi Angelorum, Regem esse Iudæorum?* Neque enim Rex est Christus ad exigenda tributa, aut con-

In dominos malos.

Officium boni Domini.

Luc. 18. *Mat. 19.* *Ioan 12.* *Coloss. 3.* *Corin. 15.* *Aug. Ioann.* *Mat. 6.* *Deuter. 33.* *Ioan. 1.*

gregandos exercitus, hostesque debellandos: sed Rex Israël est, quia mentes regat, & ad regna cęlorum credentes, sperantes, amantesque perducat. Quòd ergo Filius Dei æqualis Patri Rex Israël voluit esse, dignatio fuit, non promotio: miserationis indiciū, non potestatis augmentū. Notandum tamen, quòd tribus in locis legitur in Evangelio Christus Rex appellatus; & ibi maximè, vbi minimè secundum homines apparebat eiusdem regiæ maiestatis insigne. Vt enim paucis omnia comprehendam, appellatus est Rex jacens in præsepio, sedens in asino, pēdens in patibulo: & hæc omnia quid ad Regem, Deus bone? Quid Regi & præsepi? Quid Principi & subjugali? Quid Imperatori & cruci? Nonne primū jumentis, secundum infirmis, tertium parari solet maleficis? Vbique tamen, si sit qui bene considerer, vera regiæ maiestatis insignia monstrata sūt. Superiùs diximus, quòd omnis Dominus & Rex salvator debet esse eorum quæ sub eius dominio constituta sunt: quoniam ad ea servanda pro jure constituitur. Nunc igitur videamus, quæ signa Salvatoris fuerint jacentis in præsepio, sedentis in asino, ejusdemq; pendentis in patibulo.

Christus in Evangelio Rex ter appellatus.

De primo signo dicit Angelus ad pastores *Natus est vobis Salvator, qui est Christus Dominus in ciuitate David. Inuenietis infantem positū in præsepio.* Ecce quale signū Salvatoris, infantia in pręsepi. Infantile silentium neminem accusat, infantilis imbecillitas neminem percutit, fœnum in pręsepio jumenta reficit. Significabat ergo infans iste positus in præsepio, quòd non venerat peccatores accusare, vel punire: sed tolerare, & eis parcere, & animas pœnitentium fœno carnis suæ reficere. Et hoc est Salvatorem esse, verè regere, & esse dominatorem. Magi tamen aliud signum regiæ majestatis eius protulerunt, dicentes. *Vbi est, qui natus est Rex Iudæorum? Vidimus enim stellam eius in Oriente.* Et vt demonstrarent, quātus Rex esset, subsequuntur, & dicunt. *Venimus adorare eum.* Verè enim stella noviter creata, & noua claritate, & regia magnitudine novum hominem significabat, & novum Regē non solùm dominatorem hominum, sed & creatorem stellarum, & ideo ab omnibus hominibus, etiā à Regibus adorandum. Clementiæ verò maximum signum fuit in sessione asini: juxta illud propheticū. *Exulta filia Sion, jubila filia Ierusalem, Ecce Rex tuus venit tibi justus, & Saluator. ipse pauper, & ascendens super asinam, & super pullum filium subjugalis.* Hinc est illud Ambrosianum, *O quàm stupenda pietas! Mira Dei clementia, Sessor aselli fieri, Dignatur Auctor seculi.* Planè ista sessio significauit & sessoris Regis mansuetudinem, & mansuetorum salutem. Ad hoc veniebat, vt mansuetorum & humilium sessor fieret: vt jugum suū suave, & onus suum leve mansuetis imponeret: quaten' sub jugo Christi suauiter & recti incederet, qui sub jugo diaboli priùs infeliciter curuabantur, vt scriptum est. *Incuruare, vt transeamus.* Beatus planè, qui potest dicere cum Psalmista. *Vt jumentum factus sum apud te: & ego semper tecum.* Beatum jumentum, quod saluatorem portat, quod Iesus equitat, quod Christus insidet, quod Messiam sustinet, quod vnctionem suauitatis & sanitatis redolet, quod Apostolorum vestimentis tegitur; cuius pedibus flores sternuntur, quod à seruitute plurimorum dominorum iugum peccati excussit, quodà vinculis peccatorum manus Apostolica jam exoluit, quod vni Deo se subjicit, quod ad æternæ pacis visionem perducit. Signum quoque dominatricis potentiæ erat clamor ille repentinus, atque propheticus, ex ore infantium & lactentium laudem perficiens Saluatoris; quorum linguas in laudem Regis nostri faciebat disertas, non humana doctrina, vel naturalis industria, sed gratia Spirit' sancti per illorum testimonia credibilia virus inimicum destruens, & vltoré, idest Scribas & Pharisæos mirabiliter confundens: qui quasi in vltionem legis Iudaicæ inimici veritatis & hostes justitiæ facti erant. Denique signum illud magnum omnipotentiæ, quod nuper factum fuerat in suscitatione Lazari quadriduani de sepulchro ad vitam mirabiliter reuocati, precipua causa erat propter quā turba cum veneratione & deuotione Christo obviam veniebat. Sic enim dicit Evangelista. *Propterea & obuiam venit ei turba: quia audierunt eum fecisse hoc signum.* O vere signum magnę potentiæ, mortuum in sepulchro iacentem; & per dies quatuor in fœtore saniei suæ manentem non solum vitæ, sed etiam incolumitati perfectæ subitò restituere; & hoc sola virtute vocis huius qua clamauit, voce magna, Lazare veni foras de claustris sepulchri, vbi homines te posuerunt, & statim, inquit, prodiit qui erat mortuus, ligatus manus & pedes institis. Sed quid mirum, quando ille iusserat, qui claues habebat mortis & inferni? Ecce quæ signa regalis potentiæ, quæ regiæ majestatis insignia secum deferebat, qui tā mansuetus & humilis super asinū veniebat. Nam se Dñm majestatis esse non tacuit, qui se templi Dñm appellauit dicens. Scriptū est *quia domus mea domus orationis vocabitur vos autem fecistis illam speluncam latronū.* Factoq; flagello de funiculis, omnes vendentes & ementes eiecit de templo: significans vnūquemque suorum peccatorum funibus constringendum; & non alio flagello quàm suorum ipsius peccatorum meritò de cœtu sanctorum ejiciendum. Super quem locum dicit Hieronymus. Inter omnia signa videtur hoc mirabilius, quod vnus homo ad flagelli verbera tantam ejecerit multitudinem illorum, quorum lucra destruebat in eum sæviētium. Et addit. Igneum enim quiddam atque sidereū radiabat ex oculis eius, & divinitatis majestas lucebat in facie, Porrò in die passionis suę ter appellatus est Dominus Rex, & ter ei est regi' honor exhibitus. semel irrisoriè, & bis assertinè. Irrisoriè à militibus Pilati præsidis, deferentibus ei cum irrisione honorem regium; assertinè ab ipso Pilato scribente titulum, & à latrone pœnitente & confitente: *Memento mei Domine, dū veneris in regnum tuum.* Vterque enim Pilatus & latro Christum regem esse testatus est; ille scribendo titulum triumphalem, & scripturam cōfirmando dicens, *quod scripsi scripsi*: iste confitēdo, & regiam clementiam implorando dicens. *Memento mei Domine, dum veneris in regnum tuum.* Sciendum tamen, quod illa militum illusio huic eidem veritati testimoniū triplex, quāuis ignoranter perhibuit. In illa enim illusione duo valde magna, & ad nostram eruditionem omnino necessaria significabāt milites nesciētes, idest honorem mundi vanum esse, & honorem Christi verum esse. Omne regnum & imperium huius mundi caducum est & fragile breuitate temporis, pungitiuum & triste molestia solicitudinis, igneum & terribile expectatione judicij grauioris. De primò scriptum est. *Omnis poten-*

Marginalia: Luc. 2. — Luc. 2. — Zachar. 9. — Ambros. in hymno. — Isaia 51. — Psal. 72. — Ioan. 12. — Ioan. 11. — Luc 19. — Ioan. 19. — Luc 23. — Eccli. 10.

Eccli. 10. *tatis breuis vitæ.* Ecce reuera sceptrum arundineum, quod leuiter frangitur. De secundo, Reges & principes huius seculi moles rex mediocriter malos esse non finit. Ecce reuera diadema spineum, quo caput gestantis molestissimè pungitur. Sap. 6. De tertio *Potentes potenter tormenta patientur, & fortioribus fortior instat cruciatio* Ecce reuera chlamis coccinea, & vestimētū igneū, quo corpus induti totum comburitur. Hæc autē omnia honorem Christi regium veraciter exprimebant. Nā sceptrum arundineum significabat ipsum esse, qui scripsit in cordibus hominum legē iustitiæ; & qui redditurus est vnicuique, iuxta opera sua: nam arundine scribere solem' & mēsurare. Corona spinea significabat Christum esse, qui perfectè peccatum vicerat, & perfectā de peccatis victoriam reportabat, Nam peccatū non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. Nec solùm peccata, sed etiam peccatores semper triumphat Dominus: aut ipsos conuertendo misericorditer, aut justè ęternaliter puniendo. Porrò vestimentum eius purpureū tria significabat: immortalitatis decorem præcipuum, summæ potestatis honorem regium, quo resurgens à mortuis caro eius ornata est, & similis decoris commune participium, quo sancta Ecclesia in die judicij circumornanda est, & præcipuè sanguinis eius pretiosissimi roseum lauatorium, quo in die passionis eius redempta, & abluta: sicut prædictum fuerat in præclara prophetia Iacob, in benedictione filij sui Iudæ. Genes. 49. *Lauabit in vino stolam suam: & in sanguine vuæ pallium suum.* Stola ornamentū, vt ajunt, matronale significat corpus Christi, scilicet Ecclesiam, quod & per pallium designatur: quia Ecclesia ornamentum Christi est, atq; vestimentum. Isai. 49. Vnde scriptū est. *His omnibus velut ornamento vestieris.* Sanguis autem vuæ sanguinem Christi significat, qui secundùm humanitatē vitis vera est, in qua palmites manentes ferunt fructum multum: secundùm Diuinitatem agricola non exteriùs culturam adhibens, sed interiùs dās incrementum. Et bene sanguis Christi vinum dicitur, & lauacrum: vinum, quia lætificat; lauacrum, quia mundat, abluit; & sanctificat: juxta illud, Apocal. 1. *Qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo.* Isai. 4. Albi dicitur *Si abluerit Dominus sordes filiarum Sion, & sanguinem Ierusalem lauerit* &c. Hic per sanguinem peccatum designatur, O sanguinem virtutis eximiæ, potentiæ singularis! Omnis alius sanguis sordidat & maculat: hic solus à sordibus abluit, à maculis emūdat. O nouum fullonis genus, qui sanguinem sanguine lavat! Quid non poterit sanguis Creatoris omniū, si tantum potest sanguis quorumdam animaliū. Legim' tres species sanguinū potētissimas: hirci, mulieris menstruatæ, & muricis. Primus scindit adamantem lapidem durissimum: secundus dissolvit bitumen gluten tenacissimum: tertius tingit purpurā colorem optimum. Sanè nil minus ab his, imò multò plus his habere debuit sanguis illius Agni, qui tollit peccata mundi; juxta illud Apostoli. Hebr. 9. *Si sanguis hircorum & vitulorum inquinatos sanctificat,* &c. *quanto magis sanguis Christi!* Ideo in huius sanguinis effusione, ad designandā eius abluendi & sanctificandi potentiā terra tremuit, infernus crepuit, sol expauit, petræ scissæ sunt. Et vt aliquid morale sanguines isti nobis eliciant, sciendum est, quòd toties in virtute sanguinis Christi adamas scinditur, quoties peccator obstinatus ad pœnitentiam emollitur; bitumen dissolvitur, cùm inveterata injustæ libidinis consuetudo violenter dirumpitur: purpura tingitur, cùm in tribulationibus & persecutionibus vsque ad mortem pro justitia certatur Adamas scissus est in conversione magorum, vt Cypriani & Dariæ: bitumen dissolutum in continentia fornicatorum, vt Bonifacij & Pelagiæ: purpura tincta in constantia martyrum, vt Laurentij, & nostri Thomæ.

Sceptrum Christi & corona quid significarint

Sermo 5. In Ramis Palmarum.

EMPTI *enim estis pretio magno: glorificate & portate Deum in corpore vestro.* 1. Cor. 6. Prædicator egregius tamquam iuris peritus cōvenientissimè nostro iure nos conuenit; sciens nimirum, hoc in vsu esse apud omnes homines, vt tantò servus in opere Domini sit instantior, quantò altiori fuerit peculio comparatus. Idcirco nos hortaturus ad glorificandum Deum in præcepti custodia, & ad eum portandum, in flagelli disciplina, præmonere nos voluit de semper cogitanda magnitudine pretij, quo sumus à Domino miserante redempti, dicens *Empti enim estis pretio magno.* Sic Petrus 1. Petri. 1. *Non corruptibilibus auro & argento redempti estis: sed pretioso sanguine Agni immaculati Christi Iesu* Isaias. Isai. 52. *Gratis venūdati estis & sine argento redimemini.* Non ait, & gratis redimemini; sed sine argento, idest non corruptibili pecunia numquam Deo placita: sed agni mansueti salutari victima ab eo singulariter acceptanda. Empti estis pretio magno. Paulus dicit. *Empti* Petrus *Redempti.* Vtrumque verum est. Redempti sumus de manu inimici: empti de manu Dei. Redempti sumus de vana nostra conversatione, vt non in illa remaneamus: Empti sumus à Domino, vt iustitiæ seruiamus. Redēpti sumus; quia priùs venditi fuimus: empti sumus, ne ampliùs vendamur. Verè enim liber est, quē Filius veritas liberat. Primus nos vendidit Adā, quando per culpam suæ inobedientiæ nos omnes constituit filios iræ, sicut scriptum est. Rom. 5. *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit & per peccatum mors.* Deinde nosmetipsos vendidimus, quando diabolo sponte consēsimus, sicut dicit Dominus per Isaiam. Isaia 50. *Quis est creditor meus, cui vendidi vos? Ecce in iniquitatibus vestris venditi estis; & in sceleribus vestris dimisi matrem vestram.* Pulchrè autem dictum est, *Gratis venundati esti,* idest sine pretio & fructu aliquo: nihil enim peccando lucramur, nisi servitutem & mortem, quæ peccati stipendium est, merces, & fructus. Nihil aliud habet diabolus, quod dare possit: adeo pauper est & inops, vt omni bono careat; adeo miser, vt omni malo abundet. O quanta stultitia, quanta infelicitas, tali Domino se vendere, qui nec se, nec alium potest adjuvare, nec sibi prodesse, nec alij. Nemo autem semel sub peccato venundatus semetipsum redimere potest; quia peccati se servum fecit, sicut scriptum est, Ioan. 8. *Qui facit peccatum, seruus est peccati,* & adeo servus, vt & si mente legi Dei consentiat, carne tamen contradicat: ideo non potest evadere peccati servitutem, idest, cōcupiscentiam, nec peccati stipendiū, idest mortem & gehennam. Vnde Augustinus super illum locum, *Virtus verò peccati lex,* Auget inquit, *prohibitio desiderium operis illiciti; quādo iustitia nō sic diligitur, vt peccandi cupiditas eius delectatione*

Prelium redemptionis cogitandum

Dibolus nisi dare potest.

vincatur. *Vt autem sic diligatur, & delectet vera justitia, nō nisi diuina subvenit gratia. Solus ergo ille potuit nos redimere, quē nemo alius potuit vendere; in quem peccatum non potest cadere, Mediator scilicet Dei & hominum homo Christus* IESVS *qui sic solus impleuit omnem justitiam, vt cùm de peccato non posset argui, pro peccatoribus non recusarit mori.* Idem Augustinus hom. de Incarnatione Domini. *Tantùm te pressit humana superbia, vt te non posset nisi humilitas sublevare divina.* Empti ergo fuimus à diabolo pretio nullo, sed redēpti à Christo pretio magno; qui dedit semetipsum pro nobis pretium; non diabolo, qui nos gratis emerat, & gratis possidebat: sed Deo Patri suo, qui nos justè vendiderat, idest vendi permiserat; iuxta illud Psalmistæ. *Vendidisti populum tuum sine pretio*, idest vendi permisisti. Et Moyses. *Nonne ideo, quia Deus suus vendidit eos: & Dominus conclusit illos?* Sic enim dicitur Deus nos vendidisse, sicut Pharaonem indurasse, & convertisse cor Ægyptiorum, vt odirent populum suum. Sicut autem à carne & sanguine vēditi fuimus, idest hominis carnali voluptate: sic carne & sanguine redempti sumus, idest secundi hominis pia oblatione: qui idcirco naturam nostræ mortalitatis assumpsit, vt haberet, quod ꝓ nobis Patri offerret. Omnis Pontifex, sicut ait Apostolus, ad offerenda munera & hostias constituitur: & ideo necesse est hunc habere aliquid, quod offerat. Sed dicit hæreticus. Quid pertinet oblatio carnis & sanguinis ad redemptionem animæ substantia spiritualis? Quid est enim quælibet caro & sāguis, nisi caro & sāguis? Audi miser. Non omnis caro eadem caro. Alia est caro volucrum, alia caro piscium, alia jumentorum, alia pecorum, alia bestiarum, alia reptilium. Omnis caro humana ex immundo concepta semine naturaliter immunda est, & sordida. Caro autem Christi. quia sine virili semine sumpta est, & de virgine, naturaliter purissima est: quia vero personaliter Deo cōjuncta, etiam purgatissima. Vnde Ambrosius. *Culpat caro purgat caro, regnat Deus Dei caro. Quis potest facere mundū de immūdo conceptū semine. Nonne tu qui solus es?* Subaudi, conceptus sine semine. Qui enim facit aliquid de nihilo, potest facere mundum de immundo. Omnis sanguis humanus eo ipso quod est humor sanguineus inquinat & polluit. Sanguis autem Christi, quia sanguis Dei est; potentissime lauat & abluit, non dico maculas vestium, aut corporum, sed quod incomparabiliter majus est, animarum. Est enim sanguis agni illius, qui tollit peccata mundi. Vnde Ioannes in Apocalypsi. *Qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo.* Vnde Apostolus ad Hebræos optimè argumētatur à minori, dicens. *Si enim sanguis hircorū, & taurorum, & cinis vitulæ aspersus, inquinátos sanctíficat ad emundatiónem carnis: quantò magis sanguis Christi, qui per Spiritum Sanctum semetipsum óbtulit immaculátum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mórtuis, ad serviendum Deo viventi?* Et ne cui forte tanta virtus carnis & sanguinis incredibilis videatur, consideret ob secro carnem tiri serpentis, & hirci sanguinem. Nonne de carne tiri tiriaca conficitur, quæ veneni perniciem depellit à carne humana? Ergone de carne Dei non potuit confici medicina, quæ venenum serpentis antiqui, idest peccati putredinem depellere possit ab omni anima? Vnde scriptum est. [Medicina omnium in festinatione nebulæ;] idest antidotum salutis humanæ vere confectū est in triduana morte Christi; cuius caligo festinanter pertransiens, & acceleratæ resurrectionis illustri miraculo velociter evanuit, & potenter exsufflata est à cordibus fidelium: tenebras palpabiles crassioris ignorantiæ relinquens in cordibus superborum. Hæc enim nebula tam crassa fuit, vt etiam in cordibus discipulorum tempore passionis pene totum fidei lumen extinxerit. Vnde dicebant. *Nos autem sperabamus, quia ipse esset redēpturus Israël.* Sed vt dixi, ista caligo Domino post resurrectionem illis apparente cito pertransijt, & in solis cordibus superborum remansit, qui Scripturis sanctis non volunt credere; & ideo ad scientiam veritatis non possunt peruenire. Sicut scriptum est. [Nisi credideritis, non intelligetis.] Nonne per hircinum cruorem frangitur adamantis inuicta durities? Ergone per Christi filij Dei sanguinem resolui non poterit peccatorum nostrorum quālibet indurata glacies? Vnde: & sicut in sereno glacies, solvuntur peccata tua. Idcirco Dominus ipse per serpentem æneum & hircum emissarium designari voluit: quorum serpens levatus in pertica, & respectus à turba sanabat percussis morsus serpentium: hircus autem, cùm in precatione Pontificis peccata populi portabat in desertum. Serpens æneus nullam prorsus habebat veneni perniciem, sed solam serpentis figuram & imaginem. Sic & Christus nullam habebat peccati corruptionē, sed solam carnis peccati similitudinem. Caro quoque ejus quia ænea fuit, quia sēper incorrupta permansit: ante passionem sine corruptione culpæ, post passionem sine corruptione pœnæ. Propter quod dicebat Iob. *Nec fortitudo lapidis fortitudo mea, nec caro mea ænea est.* Si figura passionis Christi tantum potuit in serpente æneo, quantum poterit veritas in sanguine patientis effuso? Respectus illius sanabat morsꝰ serpentium, respectus huius sanat peccata confitentium, & eis aperit paradisum: sicut dictum est ad latronem, culpam suā, & ejus innocentiam simul & potentiam confitentem. *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso.* Dicat ergo Apostolus. *Empti enim estis pretio magno.* Ac si aperte dicat. Nemo magnitudinem huius pretij paruipendat: quia quanto altiori solicitudine redempti sumus à mansuetudine Christi pēdentis in patibulo, tanto acriori districtione iudicandi sumus ab eius maiestate jam regnantis in cælo. Vnde Augustinus in quadam homelia. de Incarnatione Domini. Hinc intelligimus, quàm graves æstimet apud se Deus humanorum criminum causas; propter quas non Angelum, non Archangelum, sed Deum Dei filium misit ad terras. Et addit. Quàm gravis, & quam dura sit peccati conditio, prodit remedij magnitudo. Quanta malorum discussio erit qua damnabuntur, solicitudo indicat, qua redimūtur. Hoc ipsum terribiliter probat Apostolus argumento à minori in Epistola ad Hebræos dicens. *Irritam quis faciens legem Moysi, sine vlla miseratione duobus vel tribus testibus moritur: quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcaverit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & spiritui gratiæ contumeliam fecerit?* Non ergo filiū Dei conculcemus, nec sanguinem testamēti pollutum ducamus, in quo sanctificati sumus, nec spiritui

Marginal notes: *Psalm. 43.* — *Deuter. 32.* — *Quomodo Deus nos vendiderit.* — *Ambros. in hymno.* — *Iob 14.* — *Apocal. 1.* — *Hebr. 9.* — *Eccli. 43.* — *Luc. 24.* — *Isaiæ 7.* — *Eccli. 3.* — *Iob 12.* — *Luc. 23.* — *1. Corint. 6.*

spiritui gratiæ contumeliã faciamus voluntarie peccando, & nos iterum diabolo vendendo: sed glorificemus & portemus Deum in corpore nostro. Glorificandus est autẽ Deus tripliciter; corde, ore, opere. Corde, credendo; ore, confitendo; opere, viuendo. De primo genere glorificationis dixit Dominus ad Moysen. *Quia non credidistis mihi, vt glorificaretis me in conspectu filiorum Israël, non introducetis populum istum in terram, quam dabo eis.* Est confessio duplex: criminis, & laudis. Vnde. *Confitebimur tibi Deus, confitebimur tibi.* Confitebimur peccata nostra, confitebimur beneficia tua: nã per vtraque glorificatur Deus. Vnde Iosue ad Achan, qui furtum fecerat in anathemate. *Fili mi da gloriam Deo, & confitere quid feceris.* Hoc de confessione criminis. De confessione laudis est hymnus ille Angelicus, *Gloria in excelsis Deo.* De glorificatione operis ait Dominus in Euangelio. *Videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cælis est.* Et Apostolus. *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Sine ista tertia glorificatione operis aliæ duæ nihil sunt: quia & fides sine operibus otiosa & mortua est; nec est speciosa laus in ore peccatoris; qui opere blasphemat. De talibus laudatoribus ait Dominus ad Pharisæos. *Hypocritæ, bene prophetauit de vobis Isaias dicens. Populus hic labiis me honorat; cor autem eorum longè est à me.* Cui simile est illud Ieremiæ. *Prope es tu ori eorum, & longè à renibus eorum;* qui in luxuria vel pecunia delectãtur. Nihil turpius in Dei laudatore. Quale est enim ore Deum laudare, quasi cælibem; & renes suos super terram trahere, quasi bufonem? Quale est, magnis vocibus prædicare cælestem patriam, & totis viribus congregare terrestrem pecuniam? Illud faciũt clerici summis labiis, hoc autẽ imis medullis. Idcirco ne quis putaret glorificationem vocis illud magnis vocibus, hoc autem totis viribus sermonis sufficientia; subjunxit Apostolus dicens. *Et portate Deum in corpore vestro.* Glorificare Deum, sicut suprà diximus, pertinet ad præcepti custodiam: portare verò ad flagelli disciplinam. Nam portare Deum est flagella eius, & correptiones paternas non solùm patienter, sed & libenter suscipere; & ex eis mores reprobos emendare. Nam qui flagellati à Domino se non corrigunt, disciplinam eius non recipiunt. Vnde Dominus de talibus per Ieremiam conqueritur, dicens. *Frustra percussi filios vestros, disciplinam non receperũt.* Hinc est illud Apostoli ad Hebræos. *In disciplina perseuerate: tamquam filiis vobis se offert Deus. Quis enim est filius, quem non corripiat pater?* &c. Et ostendens pulcherrima ratione, quare hanc disciplinam libenter suscipere debeamus, subdit deinde. *Patres quidem carnis nostræ habuimus eruditores, & verebamur eos: non multo magis obtemperabimus patri spirituum, & viuemus?* Et paulò pòst, *Omnis disciplina in præsenti videtur non esse gaudij, sed mœroris; postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam, reddet iustitiæ.* Vt ait B. Cyprianus duodecimus abusionis gradus est plebs sine disciplina, quam sic describit ipse. *Disciplina est morum ordinata correctio, & maiorum præcedentium regularum obseruatio.* Et addit. *Corporis Christi tunica disciplina est Ecclesiæ. Qui extra ista est, alienus est à corpore Christi. Non scindamus eam; sed sortiamur cuius sit. Non soluamus quidquam de mandatis Christi: sed vnusquisque in quo vocatus est, in eo permaneat.* Optimè tunica Christi disciplina Ecclesiæ dicta est. Nam semper Christus disciplinę tunica indutus fuit, & totus, vt ita dicam, inuolutus. Vnde puer & servus Domini nuncupatur. Pueri enim & serui sẽper in disciplina sunt. Vnde B. Benedictus pueris custodiam & disciplinam adhiberi præcipit, vsque dum ad intelligibilem ætatem perueniant. Et de servo scriptum est in Ecclesiastico. *Cibaria & virga & onus asino: panis & disciplina, & opus seruo.* De Domino autem scriptum est. *Ecce puer meus electus, quem elegi: posui super eum spiritum meum.* Item. *Servus meus es tu, quia in te gloriabor.* Item. *Parum est, vt sis mihi servus, ad suscitandas tribus Iacob,* &c. Seruo maleuolo tortura & compedes. Nihil hoc seruo melius, vel beneuolentius, nil obedientius: & tamen contumelia & tormento interrogatus est super omnes seruos, & morte turpissima ac iniustissima condemnatus. Servus sciens voluntatem Domini sui, & non faciens digna, plagis vapulabit multis. Iste servus omnia digna fecit, nihil egit perperam, nihil indignum; & tamen nemo alius tantis plagis vapulauit. Verberat⁹ est enim non solùm tamquam servus ad quæstionem: sed etiam, vt vulgò dicitur, tamquam asinus ad põtem; quamuis ipsum pontem, idest mortis angustiam libentissimè pertransiret: pedetentim tamen, quia caro passibilis & infirma naturaliter horrebat mortem: sed spiritus promptus eam tamquam asinum mansuetissimũ, & nimis oneratum onere peccatorum nostrorum prudentissimè maturis passibus deducebat per pontem. Ex qua tarditate, idest maturitate factum est, vt iste asinus amplius grauaretur in suo corpore, vt nos meliùs ab onere leuemur. Cibaria hui⁹ asini, vel panis huius serui fuit obedientia. Vnde. *Meus cibus est, vt faciam volũtatem Patris mei, qui misit me: & perficiam opus eius.* Virga disciplinę patientia. Vnde. *Disciplina pacis nostræ super eum, & liuore eius sanati sumus.* Onus eius & opus est, iniquitatum nostrarum portatio. Vnde. *Posuit in eo Deus iniquitates omnium nostrũm.* Denique ideo hodie Rex virtutum, Rex gloriæ appropinquans loco passionis, cuius tempus appropinquabat; super asinum venire dignatus est: ostendens se per hanc mansuetudinem non tam exhibiturum seruis suis severitatem Domini, quã seruitutem & vtilitatem domestici iumenti. Ipse est enim Samaritanus, qui vulneratum à latronibus miserans, & infusione vini & olei vulnera eius alligans, imposuit eum super iumentum suum, & duxit in stabulum. Asinus est iumentũ nimis brutum; & ideo hoc genus iumenti insidere voluit humillimus hominum veniens nobis in auxilium contra Regem superborum, debellaturus eum mansuetudine & obedientia; infirmitate carnis & stultitia crucis: cuius infirmum & stultum sapientius est & fortius non solùm hominibus, sed etiam dæmonibus vniuersis. Venit ergo servus noster, asinus noster, vt dorsum suum ponat ad flagella; disciplinam pro nobis suscepturus. Septem disciplinas pro nobis recepit, in flagellis, in colaphis facie velatus, in sputis, in spinis, in clauis, in confossione lateris, in gustu fellis & aceti; quando dixit. *Consummatum est,* idest consummata sunt quæ de meorum passionum tolerantia prædicta fuerant: consummatæ sunt disciplinæ corporales, quæ mihi pro fratribus meis injunctę erant. Sic ergo Christ⁹ quasi jumentum tulit iugum nostrum, onus nostrum;

Marginal notes: *Num. 20.* — *Psal. 74.* — *Iosue. 7.* — *Mat. 5.* — *1. Cor. 10.* — *Matth. 15.* — *Ierem. 12.* — *1. Cor. 5.* — *Ierem. 2.* — *Hebr. 12.* — *Ibidem* — *Lib. de 12. abusion. sec.* — *Eccli. 33.* — *Isai. 42.* — *Idem c.* — *Et 49.* — *Ioan. 4.* — *Isai. 53.* — *Luc. 10.* — *Christus humilitate diabolum vicit.* — *Ioan. 19.*

Galat. 5.

implens prior illud mandatum, quod dedit per Apostolum suum. *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legē Christi.* Quid ergo magnum est, si portamus Christum in corpore nostro, qui priùs nos portauit in suo? Pro magno tamen habe:, si dignemur eum ferre sessorem tamquam subiugales, quem primum habuimus subjugalē, idest iugi & oneris nostri portitorem. Iugum nostrum pœnalis mortalitas, & necessitas moriendi. Vnde. *Graue iugum super filios Adam, à die exitus de ventre matris, vsque ad diem reuersionis in matrem omnium.* Onus nostrum iniquitas nostra. Vnde. *Iniquitates meæ sicut onus graue grauatæ sunt super me.* Vtrumque portauit Christus mortalis pro nobis fact', & pro peccatis nostris mortu', iust' pro injustis, vt nos offerret Deo, vulnerat' propter peccata nostra, & attritus propter scelera nostra. Vult ergo vt etiā ipsi jugum & on' eius feramus. *Tollite*, inquit, *jugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Iugum enim meum suaue est & onus meum leue.* Tollite, inquit, jugum meum, sicut ego tuli vestrum: portate onus meū, sicut portaui vestrū. Iugum vestrum asperrimum, onus vestrum grauissimum. Denique sub jugo & onere vestro toto corpore sanguinem sudaui, pertuli crucem, fudi cruorem, cruentaui carnem, animam exhalaui. At jugum, inquit, meum suaue est, & onus meū leue. Iugum meum lex mea, onus meū crux mea; lex mea dilectio. Iugum dicitur à jungēdo, lex à ligando; dilectio est quasi duorum ligatio. Omnis enim dilectio ad minus inter duos est. Caritas non solùm ligat hominem homini, & Angelum Angelo: sed etiam Deum Angelo & homini, & Angelum & hominem Deo. Deum ligauit homini per Incarnationis mysterium: hominem ligat Deo per veræ fidei sacramentum, & hilaris obedientiæ suaue vinculum: Quidquid enim hilaritas facit, suaue est. Vnde Hieronymus, *Nihil amanti durum; nullus difficilis cupienti labor est.* Ideo caritas ab Apostolo dicitur vinculum perfectionis; quia perfectè ligat, idest fortiter & suauiter. Cetera vincula quantò fortiora, tantò minus suauia: quantò suauiora, tantò minus fortia. Ferrum ligat fortiter, sed non suauiter: filum suauiter, sed non fortiter. Caritas autem quantò ligat fortiùs, tantò suauius: quantò suauiùs, tantò fortiùs; ideo vinculum perfectionis est, quia perfectissimè ligat idest fortissimè & suauissimè. *Quis nos*, inquit, *separabit à caritate Christi?* Quasi dicat, Nullus. *Certus sum, quia neque mors, neque vita, &c. nec alia creatura poterit nos separare à caritate Dei.* Ecce vinculi fortitudo insuperabilis. Ecce & delectatio incomparabilis. *Quid mihi est in cælo, & à te quid volui super terram? Mihi adhærere Deo bonum est*, supra omne bonum optabile, quia delectabile tamquā summum bonum. Bene lex caritatis dicitur jugū & vinculum; quia ligat & iungit spiritum creatū suo creatori. Dicitur etiam onus & crux, quia premit & cruciat carnem rebellem, & eam subjicit & subiugat suo spiritui. Sed hoc totum leniter & suauiter, tamquam onus leue, & crux suauis: quippe inuncta per totum sancti liquoris vnguine, idest roseo Christi cruore, qui per omnes crucis dimēsiones riuis largissimis emanauit. Non potest esse aspera neque grauis ad portandum crux inuncta, quam sacer cruor perunxit, fusus agni corpore. In dedicatione Ecclesiarum cruces chrismate liniuntur, quia spiritus adjuuat infirmitatem nostram, vt quantoslibet cruciatus pro Christo cum gaudio patiamur. Quod est autem gaudium vel glorificatio in tribulatione, nisi vnctio in cruce? Vide 12. cruces chrismate inunctas. *Ibant Apostoli gaudentes* &c. Huius crucis latitudo est largitas dandi, & facilitas dimittendi; vt omni petenti se tribuat, & omnem injuriam pœnitenti remittat. His duobus brachiis amplexatur nos Christus, & à nobis amplexari desiderat. Deus enim proprio filio non pepercit, sed pro omnibus nobis tradidit illum. Quomodo non cum illo omnia nobis donauit? Ecce donandi largitas. De dimittendi facilitate est illud. *Donantes vobismetipsis, sicut & Dominus donauit vobis. Venite, ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* Omnes allicit, neminem repellit. Omnem donat iniuriā, nil reseruat ad vindictam. Ideo clamat ad nos. *Date, & dabitur vobis: dimittite, & dimittemini. Eadem quippe mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis.* Longitudo crucis est longanimis expectatio, omnia sufferens, omnia sustinens. Suffert enim caritas omnia, quæ crudeliter inferuntur; omnia sustinet, quæ fideliter promittuntur. Vnde. *Vsque in finem sustinebit patiens, & postea redditio iucunditatis. Sufferentiam Iob audistis, & finem Domini vidistis. Ecce beatificamus eos, qui sustinuerunt. Væ, qui sustinentiam perdiderūt.* Sublimitas huius crucis est celeste desiderium corda nostra sursum levans; profundum timor castus corda nostra penetrās, & nos semper in humilitate conseruans. Deum ergo in corpore nostro portabimus, si illud Apostoli præceptum impleamus, *Alter alterius onera portate.* Quod nobis præstare dignetur, qui hanc legem primus adimplendo, onera nostra portare dignatus est Iesus Christus Dominus noster, Amen.

Eccli. 40.

Psal. 37.

Mat. 11.

Christus jugum nostrū portauit.

Rom. 8.

Psal. 72.

Act. 5.

Coloss. 3.

Matth. 11.

Luc. 6.

Eccli. 1.

Iac. 5.

Galat. 5.

Sermo In Pascha.

Exurge gloria mea, exurge psalterium & cithara: exurgam diluculo. Exurgamus ergo tandem aliquando: Scriptura nos hortante, ac dicente. *Hora est jam nos de somno surgere, : nunc enim propior est nostra salus, quàm cùm credidimus.* Verè propior est: quando ostensa est jam nobis via, aperta est janua, parata est mensa, vox turturis audita est. Ostensa est via peregrinis, aperta est janua mendicis, parata est mēsa famelicis, vox turturis facta est amicis. Ostensa est via disciplinæ, siue obedientiæ, aperta est ianua misericordiæ, siue indulgentiæ, parata est mensa epulantis, & ad epulas inuitantis Sapientiæ, vox turturis audita, vt jucundemur. Via trium dictū professio est Ordinis, in qua tria profitemur: stabilitatē in loco, conuersionem, hoc est correctionem morum, obedientiam secundùm Regulam. Stabilitas in loco, est non moueri de loco sine præsidentis imperio. Nam qui iussus locum mutat, non perdit stabilitatem, quia obedientiam seruat. Cōuersio morum est euersio vitiorum, & virtutū plantatio. Obedientia secundùm Regulam, est non tarda, non trepida, non murmurosa, nō tepida: sed velox, serena, hilaris, & feruida: & hoc tantùm in duris & contrariis rebus, & carni non placentibus. Nam in voluptuosis, & nihil in se pœnitentialis amaritudinis habentibus, & tardè, ac tepidè obediendum est, si res ipsa citra peccatum est.

Psalm. 56. & 107.

Rom. 13.

Tria in professione promittuntur.

Si autem sine peccato transigi non potest, obediendum est Deo, magis quàm hominibus. Nihil enim homo debet homini, nisi salva innocentia. Hæc igitur est via, ambulate in ea. Via in principiis arcta & ardua, sed post principia lata & spatiosa, facilis & plana: in vtrisque autem pulchra & recta. Vt enim ait Legislator noster, via vitæ non nisi angusto initio incipienda est: at deinde dilatato corde inenarrabili dulcedine curritur, juxta illud Psalmistæ. *Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatasti cor meum.* Porrò arcta via jumentum nimis incrassatū non vehit; ardua viatorem oneratum non provehit; via pulchra inquinatum nil admittit, recta non transmittit erroneum. Equus incrassatus citò recalcitrat: uiator oneratus citò fatigatus ab itineris labore cessat. Vir immundus quidquid tangit polluit, & tamquam ouis morbida omnem gregem contaminat; erroneus autem cum ratione numquam concordat. Incrassantur gulosi, onerantur auari, polluuntur luxuriosi, errant vagabundi, & vagantur errabundi omnes hæretici, & inconstantis animi. Hæc via nobis ostensa est in itineratio Iesu Christi dupliciter, verbo & exemplo. Verbo nobis ostensa est arcta via, cùm dixit. *Videte, ne grauentur corda vestra in crapula & ebrietate, & curis hujus vitæ.* Exemplo; cum ieiunat quadraginta diebus & quadraginta noctibus, & cùm discipuli ejus tanta arctabantur esurie, vt ambulantes per sata spicas vellerent, & vulsas & confricatas ambulando manducarent. Via ardua nobis ostensa est verbo, cùm dixit. *Si quis non renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus:* Et iterum. *Si quis non bajulat crucem suam quotidie, & sequitur me, non est meus discipulus.* Ecce solam crucem ferre iubemur, & quidquid est aliud, habere prohibemur. Quæsitū est aliquando à quodam dæmone per hominem obsessum loquente de monacho proprietatem habente, quid de tali monacho sibi videretur. Qui respondit. Monachus qui habet obolum, non valet obolum. Nemo ait Phylosophus quidam cum sarcinis enatat. Ego autem dico, quod multo magis nemo cum sarcinis volat. Omnis pecunia, omnis terrena possessio quidquid habetur supra victum & vestitū, quo contenti esse jubemur, onus est. Via pulchra nobis ostensa est per Verbum; quando ab incarnata Dei sapientia datum est mundo perpetuę virginitatis consilium, dicente Domino. *Sunt Eunuchi, qui se castrauerunt propter regnum Dei, qui potest capere capiat.* Et Apostolus præcipuus. *De virginibus autem præceptum Domini non habeo: consiliū autem do.* Ostensa est nobis hæc eadem via per Christum, quando ipse Dei filius dignatus est nasci de virgine; ac dilecto virgini discipulo etiam commendare dilectam matrem & virginem moriendo in cruce. Hæc pulchritudo viæ nihil patitur immundum. Si ergo omnis immūdus secundū legem Moysi à sanctorum castris ejicitur; quàm meritò secundū seueritatē patrum nostrorum omnis immunditia non solum in opere, sed etiam in quolibet signo aut verbo à conventu sanctorum corporaliter eliminari iubetur! Via recta nobis ostensa est verbo, quando dictum est. *Hæc autem scripta sunt, vt credatis, quia Iesus est Christus Filius Dei: & vt credentes, vitam habeatis in nomine ejus.* Ostensa est nobis per exemplum; quando ille qui sic vixerat, & sic docuerat, videntibus discipulis eleuatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum. Hæc igitur est via, ambulare in ea. Beati immaculati in via qui ambulant in lege Domini. In hoc loco sub nomine maculæ omne impedimentum comprehenditur, idest crassitudo & onus, immunditia & error. Beati, inquit, immaculati in via. Quā viam dixerit, exposuit, cùm subjunxit, qui ambulant in lege Domini. Immaculati ergo in via sunt, qui nec incrassantur per gulam, nec onerantur per avaritiam, nec polluuntur per luxuriam, nec per hæresim errabundi vagantur. Sicut autem ostensa est nobis via, sic aperta est nobis ianua. Quibus aperta? Latroni, neganti, peccatrici, homicidæ, apostatæ, septem dæmoniis subjectæ. Sed latroni confitenti, apostatæ amote flenti, peccatrici valde diligenti. In latrone confessio, in Petro contritio, in peccatrice diligens satisfactio, vel satisfaciens dilectio cōmendatur. Idcirco autē tres istos maximos peccatores maximè numeraui, vt nullus peccator quantumlibet maximus, de aperienda sibi misericordiæ ianua desperaret. Parata est etiam nobis mensa, idest sacrosanctum altare, in quo agnum Paschalem comedamus. Sic autem comedendus est. *Renes,* inquit, *vestros accingetis, calceamenta habentes in pedibus, baculos tenentes in manibus, & comedetis festinanter. Est enim Phase, idest transitus Domini.* Caput cùm pedibus & intestinis vorabitis. In accinctis renibus carnis castigatio, in calceatis pedibus mortis appetitio, vel affectuum nostrorum munitio; in baculis in manib[us] operis rectitudo, aut certè judicij æterni assidua meditatio. Quod iudicium quasi baculus est, quia regit & percutit, sustentat, & prosternit. Vtrobiq; baculus rectus, quia reddetur vnicuique, quod rectum est. Caput huius agni est potestatis divinæ sublimitas: pedes humanæ dispensationis humilitas; intestina in vtraque natura viscera pietatis. Hæc omnia voranda sunt, idest credenda firmiter, adoranda simpliciter, devotè & medullitus honoranda. Vox turturis audita est in terra nostra: hæc scilicet. *Exurge gloria mea,* &c. Vox turturis est, idest vox patris suū comparem, idest sibi coæqualem filium, velut plangentis, dicentisque. Fili mi, gloria mea, cecidisti in contumeliam, exurge in honorem; fili mi, psalterium meum, idest laudem meam sonās à superiori, cecidisti in confusionem, exurge in gloriam: fili mi; cithara mea, idest laudem meam sonans ab inferiori, cecidisti in passionē & mortem, exurge in immortalitatem impassibilem. *Catulus leonis Iuda: ad predā ascendisti fili mi: quis suscitabit eum?* Quis de Angelis, vel Archangelis? Non Michaël, non Gabriel, non Raphaël: non alius vllus. At seipsum potuit suscitare; jubente, ac dicente Patre, Exurge gloria mea, exurge psalterium, & cithara: ipsoque respondente, Exurgā diluculo. Dixit ergo, & fecit: quia eius dicere facere est. Ecce resurrexit, & adhuc non solùm cū Patre est, sed etiam nobiscum fratribus suis, & erit omnibus diebus, vsque ad consummationem seculi. Possunt etiam verba ista Patris non solùm de filio eius vnigenito, sed etiam de vltimogenito intelligi. Habet enim filios tres; vnum vnigenitum, alterum primogenitum, tertiū vltimogenitum. Vnigenitus est Dñus noster Iesus Christus; primogenitus populus Israeliticus in electis Patribus; vltimogenitus populus Christianus. Ad nos ergo loquitur dicens. O fili mi popule Christiane, gloria mea per remissionem peccatorum

Isai. 30.
S. Bened. in prolog. Regulæ.
Psal. 118.
Luc. 21.
Luc. 14.
Ibid.
Quid valeat monachus propriū habens.
Mat. 19.
1. Cor. 7.
Ioann. 20.
Psal. 118.
Quibus aperta ianua indulgentiæ
Exod. 12.
Psal. 107.
Gen. 49.
Christus se ipse suscitauit.

gratuitam; psalterium meum, annuntiando laudem meam; cithara mea, confitendo iniquitatẽ tuam. *Omnes*, inquit Apostolus, *peccauerunt & egent gloria Dei, justificati gratis per gratiam ipsius.* [*Rom.* 3.] Vel *gloria mea*, viuendo sapienter; quia gloria patris est filius sapiens: *psalterium* meum, viuendo concorditer; nam pacem summa tenent: *cithara* mea, agendo viriliter, & sustinẽdo patienter. Vel gloria mea per redemptionem, psalterium meum per dilectionem, cithara mea per carnis mortificationem. Nam redempti sumus in gloriã & laudem eius. In psalterio decachordo psallimus, cũ proximum diligimus. Omnis enim lex in hoc sermone instauratur, *Diliges proximũ tuũ, sicut teipsũ.* [*Rom.* 13.] Igitur monachordũ dilectionis valet decachordũ legis. Citharizam*, cùm carnẽ mortificamus. Exurge, id est ex terra vsq; ad cælum surge: quęrendo quæ sursum sunt, sapiẽdo quę sursum sunt Respõdet Christianus, Exurgam diluculo, id est mox vt sol justitiæ mihi ortus fuerit, & radiis gratiæ suæ mentem meam afflauerit: vt à terra mẽ suspendat, vt post se me trahat, vt ad cælum me pertrahat, & ad seipsum me tandem accipiat. Sic ipse discipulis promisit, dicens. *Veniam ad vos, & accipiã vos ad me ipsum: vt vbi ego sum, & vos sitis.* [*Ioan.* 14.] Quod ipse nobis omnibus præstare dignetur: qui hodie novus author resurrectionis, ab inferis resurrexit, Amen.

Sermo I. *In Ascensione Domini.*

IN *velamento alarum tuarum exultabo.* [*Psalm.* 62.] Bone IESV, qui me sub vmbra alarum tuarum protegis, qui mihi obumbras scapulis tuis, qui in odore vnguentorum tuorum me trahis, qui obviis manibus & in vlnis tuis me suscipis: tu me hodie doces sublimiter in cælum post te volare: qui me prius docuisti humiliter in terra post te ambulare. Cùm essem parvulus, sapiebam vt parvulus, cogitabam vt parvulus: [1. *Cor.* 13.] nunc autem de profectu sapientiæ & ætatis, & gratiæ grandescens, sapientiam loquor & audio inter perfectos. Ad vtraque nos Domine instituisti, tunc gallina, nunc aquila: [*Christus vt gallina, & aquila.*] tunc parvulus cum parvulis dixisti de parvulis, *Sinite parvulos ad me venire; talium est enim regnum cælorum:* [*Marc.* 10.] & puerum statuisti temetipsum in medio, & sic venisti quærere quod perierat, sic solicitus mei. Quæsivit me diabolus, & inuenit, & circũvenit. Quęsivit me Christus; invenit, & subvenit. Quæsivit me diabolus per serpentem non diabolum, sed diabolo nescienter plenum: & in luce me inuenit, & seduxit. Quæsivit me Deus per Angelum non Deum, sed Dei bonum nuntium; & in vmbra me inuenit, sed non reduxit. Postea Deus per hominem non Deum, sed hominem purum, quamvis Prophetam magnum, scilicet Moysen, quæsiuit me, & invenit me in luto & latere laborantem molli & effeminata luxuria, dura & obstinata malitia diabolo seruientem; & inuenit & eduxit, sed ad quietem non perduxit. Tandẽ Deus per hominem Deum, idest per Iesum Christum me quæsivit, inuenit, duxit, & induxit in montem sanctificationis suæ. Sed duxit vt gallina pullos suos congregans sub alas & fovens, quæsivit scalpuriens, & domũ subuertens, & vniuersum stratũ eius in infirmitate versans: quasi Abbas scrutans lectos monachorum, non qui jã erant, sed qui esse debebant, propter opus peculiare, vt inveniretur: sic gallina super pullos suos contracta, docuit nos sobriè, & justè, & piè viuere in terra sub alis suis, quæ sunt exemplum vitæ, & verbum doctrinæ, humilis vtriusque. Vt parvulus cum parvulis conuersabatur, vt parvulus cum parvulis loquebatur, terrena docens, idest vsum sacramentorum, in terra dumtaxat exercenda; nondum fructum terræ sublimem, & in cœlo percipiendum proponens, quibus dixit. *Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò.* [*Ioan.* 16.] Sic quæsivit in pulvere puluerem, & in puluere margaritam: puluerem, qui apparebat; margaritam, quæ latebat: [*Vbi Christum hominẽ inuenit.*] & tandẽ quem quæsivit, inuenit in terra deserta, in loco horroris, & vastæ solitudinis; idest in carne corrupta, sed ineuitabili necessitate mortis, in sensuũ interiorũ corruptione verè solitudo vasta, in qua solus erat vastatus homo; solus sine vero, sine bono, sine seipso, sine Deo; nesciens vnde veniat, aut quò vadat, tam principij sui, quàm finis ignorans. Hinc eius consilium infatuatum, iudicium reprobum vel falsatum, desideriũ corruptum. Consilij est discernere inter bonum & malum, commodum & incommodum; iudicij inter iustum & iniustum, verum & falsum, tamquam inter lucem & tenebras: desiderij inter jucunda & tristia, amara & dulcia: & sic in se retorsit triplex væ Propheticum, Væ qui dicunt bonum malum, &c. [*Isaia* 5.] Sic ignorans seipsum abiit post gregem sodalium suorum, præsentibus intendens, non ad futura se extendens; primum bonum vinum ponens, non rerum exitus prudenter metiens: quia cuius finis bonus vel malus est; ipsum quoque bonum vel malum. In his invenit homo Deus hominem non Deum, & more gallinæ circumduxit eum, & docuit, & custodiuit quasi pupillam oculi sui. Circumduxit vndique naturam purgans, adjectiua tamquam superflua amputans & circumcidens; circuiens & immolans carnis vitia, & impiorum qui in circuitu ambulant vestigia delens. Sapientia namque non solùm terram circuit, sed & gyrũ cæli: circumduxit eum, & circumduci docuit, & custodiuit carnem, vt gallina; mentem, vt aquila. Ignis autem eum præcedit, & inflammat in circuitu inimicos ejus: ignis videlicet terroris, qui semper in sensu cogitat circumspectionem Dei; quem caritas foras mittit ad custodiam, quo securè quiescat intus in lectulo cum Salomone suo. In hunc modum circumduxit per timorem, docuit per spem, custodiuit per fidem. Docet mortem non timendam, sed per eam potiùs transeundum ad vitam; vt iustus gaudeat vehementer, cùm inuenerit sepulcrum: quia cum se consumptum putauerit, orietur vt Lucifer. Quàm dulcis somn*, vbi hereditas Domini, cùm de curru transfertur ad currum more regio, de sub alis gallinæ super humeros aquilæ. Egredietur de prælio mortis dolore percussus, & ipsi morti moriturus reuertetur in regnum suum, iuxta illud. *In lætitia egrediemini, & in pace deducemini.* [*Isai.* 55.] In hac spe docet Deus hominem scientiam, quę tandem custodit per fidem, sicut pupillam oculi sui. Sine fide virtutes oculos habent, sed pupillam non habent: nesciunt quò dirigant intentionem, quò deuotionem, quò orationem: sed sic currunt quasi in incertum; & sic pugnant, quasi aërem verberantes. Idola oculos habent, sed non vident, quia pupillam non habent. Sic De*

per fidem custodit & dirigit consilia, iudicia, & desideria; ne deuient & exorbitent à bono & vero, vtroque iucundo. Sicsic gallina nostra pullis suis terram desertam, in qua non inuenit Apostolus bonum, sed spinis & tribulis obsitam conuertit in hortum deliciarũ, juxta illud, *Terra illa deserta facta est vt hortus voluptatis*; locum horroris conuertit in portum salutis; vbi Christus stat in littore. Tũc erit mors tua pretiosa, & mori lucrum; cùm suscipientes te Angeli sancti reuertentem de mari, priùs in conuersione tua gauisi, merces exoticas & pretiosissimas exponentes de manu tua, & in fluctibus acquisitas stabilient in consp ctu Domini, cujus multiplicasti pecuniam: & propter pauca stabiliet te super multa. Navis istà regularis est disciplina. Sic Dominus in humilitate nos circumduxit, & docuit, & custodiuit, quasi dicens. Terrena tamquã paruulis dixi vobis: amodo cælestia dicam vobis, & credetis, dicetisque; Etsi cognouimus Christum secundùm carnem; sed nunc iam non novimus. Vnde sequitur. *Sicut aquila prouocans ad volandũ pullos suos, & super eos volitans*. Hæc aquila filios habet, de quibus. *Oculum, qui subsannat patrem, & despicit partum matris suæ, effodiant eum corvi de torrente, & comedant eum filij aquilæ*. Hic oculus voluntatis propriæ & peruersæ contra Deum obstinatæ: non enim timet Deum, nec hominem reueretur: per quẽ mors ingreditur & egreditur, alios per ipsum, & ipsum per alios fascinans, & fatuans. Hic subsannat patrem, vitam Christi contemnens humilem & laboriosam; mortemq; sanctorum pretiosam: & hic partus Ecclesiæ, quæ cũm parit tristitiam habet. Hunc effodiant, & de loco suo, de proposito expellant corvi de torrẽtibus, id est Sancti corpora sua mortificantes, & de torrẽte in via cum Christo bibentes, stigmata Iesu in suo corpore circumferentes. Tales corvi pascunt Eliã in torrente pane & carne, id est deuotione cordis, & mortificatione carnis, mane & vespere, in principio conversionis & fine. Filij aquilæ Sanctorum animæ, quos sol justitiæ foris denigrat, intus illuminat & decorat. Sic justi peccatores authoritatis exemplo corrigunt, & zelo charitatis in se trajiciunt. Hos filios suos hodie Christus aquila prouocat ad volandum, vt quo tendit, intendant. Super eos volitat, imò & super Cherubim, & super pennas ventorum, super omnia Sanctorum merita, & super omnes Ordines Angelorum, longè transcendens illorum vitam & gloriam, sicut & scientiam. Prælati est, super pullos suos volare: vt omnes præcellat merito, sicut & loco. Iuxta eos volitat, si æqualis est vita illius vitæ subditorum: infrà, si inferior est vita eius vitâ illorũ; suprà, si major. Expandit Christus alas suas, quæ sunt remissio, ab inferioribus expediens, & emissio ad superiora contendens. In velamento alarum istarum nobis est exultandum: sicut exultabat, qui dicebat. *Adhæsit anima mea post te*. Adhæreat auarus & cupidus, & terrenus, imò terra & pulvis, pulveri suo, id est diuitiis suis terrenis, cuius anima humiliata est in puluere. Quid enim sunt diuitiæ terrenæ, nisi puluis; leues, instabiles, incertæ? *Præcipe*, inquit, *diuitibus hujus seculi, non sperare in incerto diuitiarum*. Adhæreat carnalis & luxuriosus meretrici suæ, imò stercori suo. Omnis enim mulier quæ est fornicaria, quasi stercus in via conculcabitur. Qui ergo adhæret meretrici, efficitur non solum vnum corpus, sed etiam vnum stercus. Dicat animalis & acediosus. *Adhæsit pauimento anima mea*, quod est durum & insensibile, boni fastidium, juxta ꝙ sequitur *Dormitauit anima mea præ tædio*. Et hoc illius est expositio. Non sic spiritualis dicens. Adhæsit anima mea glutino amoris sancti post te Mihi adhærere Deo bonum est. Quis me separabit à charitate Christi? Trahit sua quemque voluptas, sic & me mea. Dextera tua suscepit me Manus Christi operatio Christi, læua eius operatio humilitatis ejus, caput meum levans, quod nequaquam, sine illa levarem, etiam si justus essem. O pulchra læuæ traiectio, ignominia glorificans, paupertas locupletans, dolor exhilarans, stultitia sensificans, infirmitas corroborans, sitis inebrians, miseria felicitans, mors ipsa tandem vegetans animas & viuificans Hæc læua nos leuat, ab hac scilicet captiuitate ad libertatem gloriæ filiorũ Dei. Mittit enim radices deorsum, & facit fructum sursum. Læua leuat ad dexteram. Dextera ejus nos amplexatur, assumendo nos in gratiam & gloriam. Hæc dextera est operatio Trinitatis, quæ tripliciter nos suscepit, juxta illud. *Dextera Domini fecit virtutem*, me liberans: *Dextera Domini exaltauit me*, ad alta intelligenda & operanda me illuminans, & confortans, & coadiuvans, *Dextera Domini fecit virtutem*, me beatificans. Liberauit ab Ægypto, illuminauit in Sinai sancto; glorificauit in regno. Prima nos suscipit operatio potentiæ in sacramẽto sanctitatis, deinde operatio sapientiæ in documento veritatis, tandem operatio benignitatis & beneuolentiæ in experimento beatitudinis. In hac tertia susceptum non est qui de manu Dei possit eruere: nam de duabus primis evelli possunt etiam, si fieri potest, electi. Nam & post sacramentum sancti nonnumquam prophanãtur, & post documentum sapientes nonnumquam infatuantur, iuxta illud. *Si fuerit Iechonias filius Ioachim Regis Iuda annulus in manu dextra mea, inde evellam eum*. Quod est Si fuerit justus in operatione sacramenti, & documenti diuini, quasi signaculum cæteros exemplo & verbo insigniẽs & informãs, & errauerit à iustitia & fecerit iniquitatem; inde evellam eum: quia nec lauacrum baptismi, nec verbum fidei proderit ei. In hæreditate vero Domini fixa sunt omnia, nec cõmovebitur in æternum, qui habitat in Ierusalem illa quæ vocatur Adonai samma, id est Dominus ibidem. Iesus ipse Deus meus, & salutaris meus, non mouebor amplius. Sic Dominus Iesus terram conuertit in hortum voluptatis; locum horroris in portum salutis, vastitatem solitudinis in ciuitatem habitationis Ciuitas illa munita virtus & sanctificatio. Suscipe me Domine Iesu post hoc meritum & gratiam in illam potentiæ tuæ lætitiam, quæ tuis erit sufficiens prœmiũ, & gaudium plenum in secula seculorum, Amen.

Ezech. 36. | Deuter. 32. | Prove. 30. | *Quis oculus Patrem subsannans, & matrẽ.* | 3. Reg. 17. | Psal. 62. | 1. Tim. 6. | Psal. 118. | Psal. 117. *Deus nos tripliciter suscipit.* | Ierem. 22. | Ezech. 48.

Sermo 2. In Ascensione Domini: Tholosæ habitus ad clericos scholares in Ecclesia B. Iacobi.

QVIS *ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius? innocẽs manibus, & mundo corde*. Cùm sermonem hunc facere coactus sum, tam iustæ reprehensioni expositum, quàm præmeditatione legitima non exsculptũ, occurrit illud Poëticum. *Carmen reprehendite*,

Psal. 23.

quod non multa dies litura coercuit, usque perfectum decies non castigavit ad unguem. Cui sententiæ consentit Quintilianus in libro Constitutionum Oratoriarũ, dicens. *Sit modo tardior, dum diligens stylus. Nihil enim magnarum rerum natura citò effici voluit, præposuitque cuilibet magno operi difficultatem.* Verùm istud periculum sæpe mihi accidit ex temerario plebis judicio; qui sicut ait Salustius de fortuna, cunctas res magis ex libidine quàm ex vero celebrat, obscuratque; facitq; vt aliquis nomẽ habeat quòd viuat, & mortuº est; quòd eleganter de omnibus disserat, & balbutit. Hinc est, quòd à deuotione vestra laudabili sic ad me concurritur quasi ad vocem jucundam, & carmen amicæ Thebaidis, cuius author Statius, cognomento Surculus, huius ciuitatis oriundº. Vbi, vt Hieronymus asserit, recitationis dulcedine adeo placebat Romanis, vt teste Satyrico subsellia frangeret auditorũ. Verùm multos alios authores celebri laude dignissimos legimus quantùm ad notitiam popularem supervixisse ignobiles, & quasi nati non essent, penè vniuersis ignotos: adeo leue & friuolum & fortuitum est placere hominibus, vt, sicut ait Orator egregius, in quibusdam etiam ipsæ virtutes gratiam habeant, in aliis vitia ipsa delectent. Væ igitur fauori humano à temeritate judicij; quando explorata facultate virium humeris debilibus sæpius imponit onus grauissimum, & negotium magni conaminis & multi operis ab infirmo, & in breui desiderat absolui. Sed ista lectio iam loquatur. *Quis ascendet in montem Domini?* &c. *Scandere celsa iuuat, pudor est descendere celsis*; ait quidam & alius, *Vnicus est, de quo sollicitantur, honor.* Omnis enim rationalis spiritus quasi naturaliter in arduum nitens, & honoris appetens satis indicat & generositatem suæ originis, & honorem pristinæ dignitatis. De primo est illud Arati Poëtæ. *Ipsius enim & genus sumus.* De secundo illud Psalmistæ. *Homo cùm in honore esset, non intellexit.* Hinc est, quòd homo requiem non inuenit in loco terreno & humili, quia principium trahit à sublimi, idest regione cælesti. Author enim eius in cælis est, juxta illud. *Pater noster, qui es in cælis.* Illuc igitur oportet ipsum recurrere, vt ibi veram requiẽ possit inuenire. Vnde Michæas. *Surgite, & ite; quia non habetis hic requiem.* Et Apostolus. *Quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est,* &c. Certè quidquid in Deo est, in excelso est: nihil enim Deo excelsius. In excelso igitur est fides nostra, salus, & pax, & requies. Hinc est, quòd Hebræorum pueri cùm Saluatori obuiarent, se saluari postulabant in excelsis: scientes ibi esse, & ibi tantùm, veram & plenam animarum requiem, corporum salutem, amborum pacem, locum & ciuitatem omnium saluandorum: juxta quod Christus in cælũ ascẽsurus discipulis suis promittebat, dicens. *Vado parare vobis locum. Et si abiero, & parauero vobis locum, iterum veniam ad vos, & accipiam vos ad meipsum; vt vbi ego sum, & vos sitis.* Ad hanc ergo assumptionẽ, vel huius assumptionis præparationem inuitatur omnis homo, cùm dicitur. *Quis ascendet in montem Domini?* &c. *Innocens manibus, & mundo corde.* Audiant filij Adã ascensionis cupidi, venatores gloriæ, potestatis aucupes, altitudinis amatores. Audiant, & gaudeant, se non solùm ab ascensu non esse prohibitos, sed magis ad ascensum nunc esse prouocatos, juxta illud Ambrosij. *Nunc prouocatis actibus, Christum expectare nos decet, Vitaque tali viuere, Qua possit cælos scandere.* Et ne quis fortè causaretur, iter ad cælum aut penitus impossibile homini, aut nimis arduũ: ecce ascensor cæli, tamquàm via, & veritas & vita, manifestè monstrauit hodie se esse viam ad cælum in exemplo innocentiæ, veritatem viæ in verbo doctrinæ, vitam veritatis in iucundo spectaculo ascensionis suæ. Væ, qui vocati exemplo, non veniunt; reuocati verbo, non audiunt; prouocati miraculo, non accurrunt. Nihil enim excusationis remanenti relinquitur: quando tanta merces innocentiæ demonstratur. Certè seruanda erat à nobis innocentia, etiam si nulla merces speraretur innocentiæ, nulla pœna iniquitatis timeretur. Sufficiebat enim vt faceret seruus, quia præcepit Dominus; ille præsertim Dominus, cuius natura bonitas, cuius voluntas potentia, cuius opº misericordia est. Nunc autem cùm tantum gloriæ pondus innocenti promissũ sit, & tantũ miseriæ onº sit repositũ nocenti; vt & illud omne desiderium superet, & istud exuperet omnẽ metũ, justissimè quidẽ, sed districtissimè arguẽdus erit, quisquis non ascenderit, de peccato, de justitia, & de iudicio. De peccato quod commisit, innocentiam non seruans; de justitia quã omisit mercedem iustitiæ non desiderans: de iudicio quod non timuit, damnationem diaboli non ignorans. Veniet certè, veniet magister innocentiæ, nocentiæ vindex, veniet ad judicium, sicut iuit in cœlum: quantum desiderabilis ad dexteram, tantum intolerabilis ad sinistram; idest ineffabilia redditurus innocentibus præmia, nocentibus tormenta: illis ascensuris ad cæli palatia, istis in tartara ruituris. Sed dicit aliquis. Quis potest ascendere in cælum? Audi quis. Innocens manibus, & mundo corde. Cælum namque dicitur mons Domini; quia nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, filius hominis qui est in cælo: subaudi integer, idest caput cum corpore. Nam caput & corpus vnus est Christus. Cælum igitur dicitur mons Domini, vel propter habitationem iuxta illud. *Ad te leuaui oculos meos qui habitas in cælis*: vel propter ascensionẽ, juxta illud. *Qui ædificauit in cælo ascensionem suam: Dominus nomen illi.* Christus prius habitauit in cælis, quàm in cælos ascendit; quia prius fuit Deus in cælo habitans, quàm homo se de terra ad cælum leuans. Nobis autem prius est ascendere, quam habitare, quod in loco dicitur stare. Idem prius quærit Propheta de ascensione, & postea de statione, dicens. *Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius.* Hãc quæstionem facit ipse, quasi in sacrario cordis sui consistens, & orans. Et respondetur ei ex adytis templi & quasi ex cornibus altaris emittitur ad eum vox ista, dicens. *Innocens manibus & mũdo corde.* Innocentia aliquando strictè accipitur, aliquando largè. Strictè, vt apud Senecam. *Innocentia,* inquit, *non est perfecta virtus, sed abstinentia alieni.* Etiam apud Hieronymum super illum locum, *non priuabis bonis eos, qui ambulãt in innocentia. Melius,* inquit, *habes in Hebræo in perfectione: quia innocentia non est perfecta virtus.* Innocentia quoque ponitur aliquando pro simplicitate, vt apud Salomonem in Prouerbiis. *Innocens credit omni verbo, astutus considerat gressus suos.* Porrò largè accipitur innocentia, quando perfectionẽ iustitiæ designat, vt apud Augustinũ super illum locum, *Perambulabam in innocentia.*

Psalm. 23. *Horat.* *Intellectus humanus in altũ nititur.* *Psal. 49.* *Mat. 6.* *Micha. 2.* *Coloss. 3.* *Ioan. 14.* *Psalm. 23.* *Hymn. Ascensionis.* *Christus via ad calum.* *Psalm. 122.* *Amos 9.* *Psal. 83.* *Prouer. 14.* *Aug. in Psal. 110.*

cordis mei. Habe, inquit, *innocentiā, & justitiā perfecisti.* Hujus innocentiæ duæ sunt partes; nec facere miserum, nec deserere miserum. Facimus autem miserum, aut verbo, aut facto, aut cōsensu solo. Verbo tripliciter: aut detrahendo, aut adulando, aut contumeliam inferendo. Detrahis verò tripliciter: aut vt inuētor, aut vt relator, aut vt non inuitus auditor. Nam si desit qui audiat, deest qui dicat. Sicut autem detractoris est bona minuere, & mala augere: sic adulatoris è contrario. Vnde apud Terentium Thrasoni quærenti,, Magnas mihi gratias age Thais, respondit Gnato, Ingentes. Satis erat, vt ait Cicero, dixisse, magnas: sed assentatoris est, semper augere, quod is velit audire, cui assentatur. De hoc est illud Satyrici. *Quid quod adulandi gens prudētissima laudat*

Sermonem, memorat faciē deformis amici,

Et longum invalidi collū cervicibus aquat

Herculis Anthæum procul à tellure tenentis?

Porrò contumelia sermonis duplex est: in Deum blasphemiæ, in proximū iræ. Blasphemia in Deū duplex est, aut opinionis hæreticæ, aut jurationis illicitæ. Illicita juratio est, quoties causa nō subest, vt ad purgationem criminis, ad fœdera pacis, ad persuasionem virtutis. Contumelia in proximum dupliciter fit; aut voce non significāte, vt Racha; aut significante, vt Fatue. Item facimus miseros vel nos ipsos vel alios; & loquendo mendacium, & tacendo veritatem. Mēdacium verò largè dicitur falsa significatio: strictè verò falsa significatio cum intentione fallendi. Et dicitur significatio non vocis tantum, sed scripturæ, vel nutus. Mentiri largè dicitur falsum dicere, strictè & propriè contra mentem ire. Et describitur sic, Loqui contra hoc quod animo sentit quis, siue illud verum sit, siue non. Omnis ergo qui loquitur mendacium, mentitur: sed non conuertitur. Tria sunt genera mendacij. Primum indolis vel vtilitatis, quæ fit causa proximi, & est veniale, secundum joci, & similiter veniale, nisi ducatur in consuetudinem, tertium deceptionis, & istud est crimen. August. octo describit mendaciorum genera. Primum religionis, vt in articulis fidei. Secundum læsionis, quale est, vt nulli prosit, & obsit alicui. Tertiū læsionis similis, & talitatis, quod scilicet prodest alicui, & obest alteri. Quartum est libidinis, sola scilicet voluntate mentiendi. Quintum adulationis, quod fit placēdi cupiditate, suauiloquio. Tria reliqua solius vtilitatis sunt, sed differunt: quia sextum fit pro vitando damno pecuniæ, septimū pro vitando damno personæ. Octavū pro vitanda jactura pudicitiæ. In his octo generibus tantò quisque minùs peccat, quantò magis à primo recedit. Est autem veritas duplex; est veritas rei, & est veritas Christi. Veritas rei attenditur circa inhærētiam prædicati ad subiectum. Veritas Christi circa constantiam loquentis. A veritate vel falsitate rei dicitur quis verus vel falsus. A veritate Christi dicitur quis verax vel fallax. Proinde terminis commutatis potest quis esse simul verus & verax, & tunc vtrumque est à Deo; falsus & fallax, & tunc vtrumque est ab homine; verax & falsus, fallax & verus, & tunc alterum à Deo, alterum ab homine. Facimus etiam miserum facto dupliciter; aut læsione corporis, aut damno rei familiaris. Quorum vtrumque duobus modis committitur, aut manu propria, aut aliena: velut quando David occidit Vriam gladio filiorum Amon. Item vtrumque istorum dupliciter adimpletur, idest aut facto proximo, aut remoto, & quasi longa manu peccādo. Proximo, vt quando ipsi facimus, vel vt fiat admonemus. Remoto dupliciter; causaliter, vel occasionaliter. Causaliter, vt quando pro peccato vnius alter punitur, sicut plerumque contingit, aut per Iudicis ignorantiam, aut per iracundiam ei⁹ qui læsus est, & expetit vindictam. In quo casu puto, illum qui primus peccauit teneri occurrere, vt liberet innocentem obiectione proprij corporis, dicendo illud Virgilianum. *Meme, adsum qui feci, in me conuertite ferrum.* Sicut & fecit David Angelo percutienti populum pro peccato, quod ipse commiserat, dicens. *Ego sum qui peccaui, cōvertatur obsecro gladius tuus in me*, &c. Occasionaliter facimus miserum; vt quando dicimus vel facimus aliquid, vnde alter occasionē peccādi sumit: quamuis nō ad hoc illud diximus vel fecerimus. Tale fuit illud, quando David accepit ab Achimelech panes propositionis & gladiū Goliæ in præsentia Doëg Idumæi, vnde dixit ad filium ipsius Achimelech: qui ad ipsum confugerat. *Ego sum reus omnium animarum domus patris tui.* Tale etiam fuit illud, quod in præsentia trium fortissimorum suorum desiderauit aquā de cisterna Bethleem, quæ sine periculo afferri non poterat. Vnde quando allata est, reprehendens seipsum de tali sermone, noluit eam bibere, sed libauit eam Domino, dicens. *Absit, vt sanguinem istorum bibam.* Ista tamen occasio proximior est quàm prima, & magis reū constituit. Facimus quoque miserum cōsensu solo dupliciter, vel expresso verbis, vel qualibet significatione, vt fiat: & iste consensus valde proximus est, & facto æquipollet, pari pœna puniendus: vel tacito aut remoto; vt quando consiliū non dam⁹, sed tamen vt fiat volumus, vel si fiat gaudemus, aut certè non dolemus: vel tacito & remotiore, vt quando dolemus factum, sed non impedimus faciendum, cū impedire possemus. Qui enim non resistit, cùm resistere potest, consentit. Item deserimus miserum in sex operibus misericordiæ, quę Dominus in Euangelio enumerat dicens. *Esurij & dedistis mihi manducare*, &c. Et in septimo, id est in sepultura mortui, de quo legitur in Tobia, & in Ecclesiastico *Et mortuo non prohibeas gratiam*, sepulturæ scilicet Quamuis enim facilis sit jactura sepulchri, & sepeliat natura relictos, nec ad mortuum perueniat talis jacturæ sensus; tamen quātum in nobis est, relinquimus illum miserum, si relinquimus insepultum. Plus tamen nosmetipsos miseros relinquimus, qui opus misericordiæ non implemus. Item deserimus miserum, omittendo nō solùm corporales eleemosynas, sed etiam spirituales, quæ multò majores sunt corporalibus, & periculosiùs ac perniciosiùs deseruntur: vt quando errantem non docemus, vel peccantē non corripimus. Verùm quoniam omnis misericordia à nobisipsis debet incipere, juxta illud, *Miserere animæ tuæ, placens Deo*, periculosissimè nosmetipsos miseros deserimus, quoties de peccato statim nō pœnitemus. Omne namque peccatū quod per pœnitentiam non statim diluitur, suo pondere ad aliud trahit. Ecce quot & quātis modis innocentia perditur; dum non solùm propria vel aliena miseria procuratur, sed vel tantùm deseritur, eique non succurritur. Maximus ergo labor necessarius est, & multa solicitudo adhibenda, ad hoc vt innocentia conseruetur. Vnde Augustinus in libro de Ciuitate Dei, *Sicut*, inquit,

Mendaciū latè & strictè sumitur

Tria genera mendacij.

Aug. lib. de mendacio.

2. Reg. 24.

1. Reg. 22.

2. Reg. 23.

Opera misericordiæ. Mat. 25.

Opera misericordiæ spiritualia.

non est beneficentia, adjuvando efficere, vt bonum quod majus est omittatur: si non est innocentia, parcendo feueritati, vt in gravius malum incidatur. Pertinet ergo ad innocentis affectũ, non solùm malum non facere, sed etiã ne fiat, adjuvare, vel punire peccantẽ: quatenus is qui corripitur corrigatur supplicio, aut alij terreantur exemplo. Est autem ad innocentiam conservandam necessaria cordis munditia, quia scriptũ est. *Manus in manum, non erit innocens malus.* Sufficit enim ad perdendũ thesaurum innocentiæ, sola nocẽtiæ volũtas, vel negligentia custodiæ cordis: quia si peccandi facultas subtrahitur, sola voluntas pro facto reputatur. Licet enim numquã habiturus sis effectum pravi operis; tamen jam præcipitas te in reatum voluntatis. Omni ergo custodia serva cor tuum: quia ex ipso vita procedit. Hęc omnimoda cordis custodia eius munditia est, quam maximè timor Domini operatur. Beatus enim homo qui sẽper est pavidus. Timor Domini expellit peccatum tamquam ostiarius, qui jugiter sedet ad cordis ostium, vt neminem admittat, nisi qui meretur ingressum. Quia vero immundus est apud deum omnis arrogans, præcipuè necessaria est ad obtinendam munditiam cordis humilitas, & inanis gloriæ solidus contemptus. Vnde Augustinus in libro de Ciuitate Dei. Tantò est quisque Deo similior, quanto ab immunditia inanis gloriæ mundior. Hæc autem cordis munditia numquam nisi de timore Dei casto & sancto nascitur, de quo scriptum est. *Qui timet Deum, nihil negligit*, idest nec magna, nec minima; nec illa quæ oportet facere, nec illa quæ omittere oportet. Proinde munditia cordis est illa simplicitas oculi, de qua scriptum est. *Lucerna corporis tui oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit.* Solus talis oculus Deum visurus est, sicut scriptum est. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Sed vbi visuros? Vbi habitat, sicut scriptum est. *Ad te levaui oculos meos, qui habitas in cælis.* Igitur duæ partes innocentiæ, quæ sunt, nec facere miserum, nec miserum deserere, sunt duo gradus scalæ, quibus in cælum scanditur. Cordis autem munditia est oculi claritas, per quam Deus videtur. Propterea quærenti, *Quis ascendit in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus*, ita respõsum est. *Innocens manibus & mundo corde.* O responsum breue, non leue, planum, sed plenum veritatis; perspicax & efficax, diuinum & deificum. Innocens manibus & mundo corde. Audite filij Adam, quàm facilè ascenditur non dico super equum, vel super thronum regium, sed super ipsum cælum. Vnde Phylosophus sapiens cælo impositus intelligit, cum sellam aut tribunal ascenderet, quàm humili loco sederet. Nemo est sapiens, nisi sit innocens, qui solus est ascensor cæli, & cælestis cognitoris ascensor. *Quis ascendet in montem Domini aut quis stabit in loco sancto ejus? Innocens manibus & mundo corde.* Ecce fratres carissimi inuenit artem diuina sapientia, per quam possint homines volare super volucres, calcare super dæmones, saltare super nubes, super cælos ascendere, super astra cæli exaltare solium: inter ipsos Angelorum ordines collocare sibi nidum. Quid hac arte subtilius, quid hac vtilius scientia, quid ista facultate salubrius, quid hac sublimius potestate? *Filij hominum vsquequo gravi corde: vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* & negligitis tantam artem, & tantum magisterium? Hanc artem nescivit obscurus ille Lucifer, licet sit mille artifex, qui tamquã fulgur de cælo cecidit. Nesciuit Alexander ille superbus rex, qui de potestate sua occubuit. Nesciuit ille maleficorum princeps Simon magus pestifer, qui de prǽsumpto volatu corruit. Nescierunt philosophi, qui defecerunt scrutantes scrutinio: rimantes cælestia, relabentes ad terrena, quia relãbentes ea; ponentes in cælum os suum, dum lingua eorum transiret in terra, & ipsi terram lingerent: dum in terris suis nomina sua vocarent, vt ab eis notarentur discipuli Pythagorei, vel Platonici, Epicurei vel Stoici, & cetera huiusmodi. Hos fallaciter beatificat Poëta fallaciæ dicens.

Felices animæ, quibus hæc cognoscere primum,
Inque domos superas scandere cura fuit.

Et post pauca.

Admouere oculis distantia sidera nostris.
Ætheraque ingenio supposuere suo.

Falleris miser, falleris, non enim est felicitas ista curiositas, imò nihil infelicius, quàm in cælum scandere per cognitionem cælestiũ, & mox de cælo ruere per elationem animorum. Fallax equus ad salutem. Non sunt huiusmodi ascensores cælorum, sed ascensores equorum, de quibus scriptum est. *Ab increpatione tua, Deus Iacob, dormitauerunt, qui ascenderunt equos.* Equi dicuntur homines superbi & rebelles, filij Belial, idest absque jugo, jugum non ferentes dominicũ, calcitrantes contra stimulum disciplinæ, ferventes ad coitum, exultantes ad bellum: hæc est enim equi natura. Væ tibi mortalium cæca semper ambitio: væ tibi ruinosa dominandi libido; vt quid temetipsam extollendo dejicis, magnificando minuis, multiplicando annihilas, dilatando dirũpetis, exaltando præcipitas? Ecce enim vt ascendat vel voluptatis lectum, vel dignitatis gradum, vel æquitatis sellam, vel honoris cathedrã, innocentiam perdis, humilitatẽ deseris, munditiam polluis, sine quarũ vehiculo omnis ascensus casus est, omne sublime præcipitium, omnis altitudo ruina. Habet enim regula veritatis, quoniam *omnis qui se exaltat humiliabitur: & qui se humiliat exaltabitur.*

Alta cadunt, inflata crepant, tumefacta premũtur.
— Frangit Deus omne superbum.

Non sic impij non sic; non sic ascenditur in montem Domini, Sed quomodo? Audi. Quis ascendet in montem Domini; aut quis stabit in loco sancto ejus? Innocens manibus, & mundo corde. Sed nunc sermone simplici pauca loquamur ad simplices; vt & ipsi nobiscum pariter ascensuri, inuenire possint per Dei gratiam in sermone nostro viam & vehiculum, lucernam & viaticum. Viam in errore, vehiculum in lassitudine, lucernam in caligine, viaticum in fame; ne vel à via recedant, vel in via deficiant. Longe peregrinantur homines ad discendum. Multi multa tolerant, propter lucrum; vrbes & orbem circuire solent scholastici, vt ex multis literis efficiantur insani. Quid enim aliud conferre possũt nihil saluantes literæ, nisi sẽper discentes, & nũquam ad scientiam veritatis pervenientes; nisi tãdem aliquando ad insaniam ducere? Insani sapiens nomen feret, ęquus iniqui, Vltra quam satis est, virtutem si petat ipse. Vltra quam satis est, literas petunt, qui cum jactura morum illas addiscunt. Vnde Apostolus *Non plus sapere, quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatẽ:* vel, vt in Græco habetur

Prove. 11.
Timor Dei ostiarius est cordis.
Eccle. 7.
Matth. 5.
Ibidem
Psalm. 122.
Psalm. 23.
Psalm. 4.
Philosophi perstricti.
Psalm. 75.
Luc. 18.
Rom. 12.

habetur ad pudicitiam. Melius est, inquit, Hieronymus, aliquid nescire, quàm cum periculo discere. Idcirco B. Benedictus videns in scholis artium liberalium multos ire præcipites per abrupta vitiorum, illum quem jam in mundo posuerat, retraxit pedem. Recessit igitur nescius, & sapienter indoctus. Ecce quærunt clerici Parisius artes liberales, Aurelianis auctores, Bononiæ codices, Salerni pyxides, Toleti dæmones, & nusquam mores. Nam de moribus non dico vltima, sed nulla fit quæstio. Vbique quæritur scientia, & nusquam vita; sine qua non solùm nihil prodest, sed & nihil est scientia. Ideo nec ipsa scientia inuenitur, quia vbi est non quæritur, idest in libro vitæ, qui etiam est liber scientiæ: hoc est Dei sapiētia, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi. At iste liber hodie se recepit in armarium suum, quia se leuauit in cælum. Necesse est ergo illuc ascendere, si ad verā scientiam vis peruenire: sicut ostendit B. Bernardus in nocte qua transiit ex hoc mundo ad patrem, dilecto, & dilectori suo Guillelmo, qui fuerat Dominus Montis-pessulani, & tunc monachus viuebat in monasterio Grandissilvæ, quod est in partibus Tholosanis. Videbatur ei in visu noctis, quòd sanctus ille satis eum demulcebat alloquio. Deinde dans ei manum educebat eum de dormitorio versus quemdam montē altissimum juxta Ierusalem, & dicebat, se oportere illum montem ascendere. Tunc Guillelmus. Ad quid Domine? Qui respondit. Vt discam. Cumque ille diceret, se opinari, ipsum esse sapientiorem cunctis mortalibus, ait Tunc primū sapiens ero, postquam illuc ascendero. Et statim ascendebat velocissimè. Cumque ille admirans oculis sequacibus deduceret ascendentem, signū horologij pulsando ad vigilias, excitando eum cum fratribus finem fecit visioni. Sicut autem in hoc libro absconditi sunt omnes thesauri sapiētiæ & scientiæ, sic & in hoc scrinio repositi sunt omnes thesauri sufficientiæ. Est enim liber iste legentibus sapientia, videntibus sufficientia, gustantibus vita. O quanta faciunt homines, & quā grauia, quā dura tolerant, vt diuites fiant! Quoties ob incertum lucrum incurrunt pericula certa: damna sustinent negotiatores, milites, athletę, & fures! Multò plus sudatur ad acquirendas divitias, quàm ad literas addiscendas. Nam diues qui fieri vult, citò vult fieri. Vtrique tamen incassum sudant, tam illi qui fallaces diuitias, quā illi, qui falsi nominis scientias acquirere laborāt. Non est enim census super salutem corporis. Vera scientia est sapientia salutaris, quæ sanctorum scientia propriè nuncupatur. Vnde. *Et dedit illi scientiā sanctorum.* Scientia sanctorum est piè viuere, scire abundare & penuriam pati, scire timere Deum, scire declinare à malo, & facere bonum; scire saluare animam suam, scire pro æternis euitandis malis, bonis adipiscendis, præsentia bona contemnere, mala tolerare. Sapientia prima est stultitia caruisse. Prima mihi debes animi bona. Quid enim prodest homini, si vniuersum mundum lucretur; animæ autem suæ detrimentum patiatur? Vera salus animæ justitia est; vera salus corporis gloria immortalitatis. De justitia quoque legitur, quòd perpetua sit, & immortalis. Ad hanc salutem animę nihil conferūt nihil sonantes literæ. Ad hanc salutem corporis nihil conferunt diuitiæ huius temporis. Non proderunt thesauri in die vltionis. Iustitia verò liberat à morte. Anima sanari non potest, nisi suo Salvatori Christo adhæreat. Corpus quoque salvari non pot. st, nisi in cælo maneat, tamquam in proprio corporum humanorum salvatorio. Et hoc paucis advertite. Omnia elementa huius mundi humanum corpus exterminant, quamuis ipsum componant. Tabesne cadauera soluat, an rogus, haud refert. Tabescunt corpora nostra in aqua, vel terra, vel aëre, incinerātur in igne. Ad hoc ergo vt salua esse possint corpora, super omnia elementa levata sint. Sicut ergo Salvator animarum non est alius quàm Christus, qui hodie cum carne glorificata cælos ascendit: sic, vt ita dicam, saluatorium corporum non est aliud quàm cælum, quod Christum ascendentem suscepit, & susceptum custodit. Hoc enim significabat ipse, cùm dicebat. *Vado parare vobis locum:* quasi diceret. Vado parare vobis repositoriū, in quo vos reponā. Vado exornare capsam, in qua vos transferam. Vado parare hospitium, in quo vos suscipiam. Vas repositorium mundis piscibus, capsam pretiosam sanctis corporibus, hospitium regale recipiendis civibus. Væ piscibus malis & immundis, rejiciendis in stagnum sulphureum. Vę putridis & libidinosis corporibus, projiciendis in sterquilinium. Væ gratiæ repulsoribus repellendis in infernum. Sagena Christi modò ex omni genere piscium congregat. Sed cùm impleta fuerit, educetur, & boni pisces eligentur, & in vasa cælestia reponentur; in illas videlicet mansiones, de quibus scriptum est. *In domo patris mei mansiones multæ sunt.* Mali verò pisces foras projicientur in stagnū ignis & sulphuris: quod illis paratum est, non vt ibi in voluptatibus ludant, sed in doloribus gemant. Boni pisces sunt secundùm legem, qui squamas habent & pennulas, fortes & loricati ad mala toleranda: hilares & exercitati ad bona peragenda: alacres & veloces ad transiliendum, idest contemnenda bona præsentia, acres & ardentes ad desideranda futura. Porrò capsam cælestem, in qua reponenda sunt corpora sanctorum, tamquam veræ & cælestes reliquiæ, significant capsę illæ aureæ & argenteæ, in quibus nunc reponūtur. Quarum ornatus triplex in auro & argento & lapidibus pretiosis significat tam exteriorem cæli ornatum in sole, & luna, & stellis, quàm interiorem in tribus hierarchiis. Nam sol rubet vt aurum optimum, luna nitet vt argentum, stellæ fulgent & radiant sicut gemmæ. Supremam hierarchiam significant lapides pretiosi, mediā aurum, infimam argentum. Tres enim primi Ordines sunt quasi gemmæ incomparabiles, Regem cæli coronantes, vel viciniùs ei adhærentes. Tres medij quasi vestis eius aurea, tres infimi quasi vestis eiusdem tintinnabula, per quorum nuntium quasi per argentum tenitū secreta cælestia plerumque mortalibus reserantur. Magis autem propriè significat ornatus sanctarum capsarum, in quibus Sanctorū reponuntur Reliquiæ, Sanctorum exuuiæ, virtutes, & pretiosa miracula, quibus meruerunt exaltari à terra. Nam virtutes Sanctorum & opera justitiæ sunt quasi pulcherrima & pretiosissima quædam ædificia super fundamentum fidei à cunctis extruenda fidelibus, juxta illud Apostoli. *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus. Siquis autem superædificat super fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos,* &c. Numquid credendū est in illa cælesti

Academia diuersarum disciplinarū

S. Bernardi apparitio die mortis.

Sap. 10.

Ioan. 14.

Ibidem

Qui boni pisces mystice.

Tres Angelorum hierarchiæ.

1. Cor. 3.

civitate, quam paravit Deus sanctis suis, qui & eam ædificavit, ligneas aut fœneas domos contineri? Absit. Non recipit tam dives patria tam viles mansiones. Omnis materia corruptibilis vel combustibilis locum ibi non habet. Quidquid ex ligno, fœno, stipula super pretioso fidei fundamento ædificatum est, igne comburetur. Per hæc autem tria, intelliguntur peccata venialia, sine quibus non vivitur. Nam mortalia non sunt lignum, fœnum, stipula, sed cuprum, æs, & ferrum. Et hujusmodi peccata fundamentum nõ solùm polluunt, sed omnino destruunt. Fides enim sine operibus mortua est. Est autem veniale aliud alio veniali⁹; sicut mortale aliud alio mortalius. Ligna sunt rigidiores quàm justũ est, fœnum molliores & delicatiores, stipula leviores. Lignũ ædificat tardior ad dimittendũ, ad dandũ parcior: fœnũ, ad corpus castigandũ pigrior, ad fovendũ pronior: stipulam, ad risum, vel discursum, vel otiosum verbum paratior, ad censuram silentij, vel gravitatem quietis intemperantior.

An sancti ædificent lignum, stipulam, &c.

Hic autẽ oritur non contẽnenda quæstio. Nam si lignum, fœnũ, stipula, peccata venialia significãt, sine quib⁹ præsens vita non ducitur: quare sancti similiter nõ dicuntur ædificare lignũ, fœnum, stipulam, sicut & ceteri; cùm sine talibus vitam non transigant? Nam si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. In multis enim offendimus omnes. Ad hoc ego respondeo, quòd verbum ædificandi multitudinem venialium significat. Non enim ex vno ligno, fœno, vel stipula, ædificium potest construi, sed ex multis talibus simul adunatis. Sancti verò & perfecti quilibet, non solùm ab omni mortali, verum etiã ab omni veniali quantum possunt se abstinent. Ideo non contrahunt ex illis tantam multitudinem, vt ædificium possit appellari. Significat etiam nomen ædificii moram & assiduitatem in quolibet veniali. Sancti verò quotidianas offensas quotidianis bonorum operum sacrificiis redimunt: & ideo de ipsis offensis nullum ædificium construunt. Sed quia multa bona opera congregant, idcirco aurum, & argentum, & lapides pretiosos ædificant. Aurũ in rubore patientiæ, pudoris & verecundiæ, argentũ in bona opinione, in verbo doctrinæ; lapides pretiosos in splendore castitatis, in fervore caritatis, in puritate cõscientiæ, in soliditate perseverantiæ, in miraculorũ coruscatione. Ideo autem Sanctorum opera levantur de terra; quia satis indignum est, vt qui corruptionis opera non fecerunt, in tabe corruptibili putrescãt; sed magis signis ostendendum fuerat, quod præmium incorruptionis expectant; & quòd, licet terrestris eorum dissoluta sit habitatio, tamen domum habent ex Deo, non manufactam, æternam in cælis. Quam domũ ipse Dominus significabat, cũ dicebat, *Vado parare vobis locum.*

Ioan. 14.

Hic locus est ab origine mundi prædestinatione, & paratur quotidie iustificatione. De primo parãdi modo est illud.

Matth. 25.

Venite benedicti, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi. De 2. est illud, quod hic dicitur, *Vado parare vobis locum.* Parat enim Dominus mansiones in cælo, vt ait Augustinus, cùm eisdem mansionibus parat mansores, subtrahendo eis corporalẽ præsentiam in terris, vt eidem præsentari desiderẽt in cælis. Sic enim Christus ascendens in altum, miro modo, vt ait Leo Papa, factus est divinitate præsentior, & humanitate longinquior. Parata est civitas cælestis futuris in ea civibus terrigenis; ex qua diabolus de cælo cecidit: qui terram illam velut arbor mortua & inutilis occupabat.

Psal. 92.

Parata, inquit, *sedes tua ex tunc*, idest ex quo Satanas cum Angelis suis apostaticis velut arbores eradicatæ, bis mortuæ ab illa ceciderũt. Vel ex tunc, idest ex die ante sabbatũ, à quo die ille psalmus accepit titulum: quando factus est homo ad imaginem & similitudinem Dei, etiam in eo sedem sibi paravit sapientia, cuius sedes est anima iusti, & etiam pœnitentis humilitas à peccatis quiescens præteritis; & tremens ac præcavens à futuris, juxta illud.

Isai. 66.

Super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem, & quietum, & trementem verba mea? *Iustitia*, inquit, *& judicium præparatio sedis tuæ.* Iustitia, quæ servat innocentiam; iudicium, quod perditam recuperat per pœnitentiam. O singularis dignitas conditionis humanæ, cuius præparator hospitij ascensor est cæli; cuius loci mundator est mundi fabricator! O quàm nobilis creatura homo putrus! cuius servus homo Deus ad præparandum illi hospitium præcucurrit ad cælum, deferens secum literas ad Patrem à nobis commendatitias, pro nobis deprecatorias, tam potentes ad impetrandum, quàm delectabiles ad legendum.

Nobilis creatura homo.

Ad has literas pro nobis faciendas membranam ministranis virginalis vteri, ministratam paravit Spiritus sanctus, paratam inscripsit Altissimi Filius, literis aureis scribens de terra corporis sui digito Dei, & stylo vel calamo sapientiæ, opera redemptionis humanæ. Rubricavit autem has easdem literas pretioso minio cruoris sui, quo genæ virginales ornantur, juxta illud Agnetis sponsæ Agni, *Et sanguis eius ornavit genas meas.* Porrò ad corroborandam authoritatem literarum, vt inconvulsa maneat & æterna stabilitate servetur, inviolabilis conservetur, regale sigillum crucis à foris appẽsum est vestigio, clavorũ & lanceæ firmissimè bullatũ. In impressione tota sigilli certitudo consistit. Non est verum sigillũ, bulla caret; non est verè crux, quæ clavos & lãceam non habet. Crux est exterior afflictio, & corporalis exercitatio ad modicum vtilis: clavi & lancea sunt pietas valens ad omnia. Clavi sũt timor Domini; qui manus & pedes perforat, quando carnis opera mortificat, & affectum mẽtis humiliat, juxta illud. *Confige timore tuo carnes meas.*

Crux & clavi mysticè quid.

Psal. 118.

Lancea caritas est; quæ latus aperit, quando cor ipsum vulnerat, juxta illud. *Vulnerata caritate ego sum.* Hic fortasse quæret aliquis, Quomodo crucem, clavos, lanceam secum in cælum tulit? Ad quod respondeo, quod formam crucis secum tulit in elevatis manibus, clavorum & lãceæ vestigia in suis cicatricibus. Cùm enim more hominis peregre proficiscens, prius habuisset solemne & familiare convivium, illo expleto eduxit eos in Bethaniã, & elevatis manibus benedixit eis, vt merito & numero populus ei serviturus augeretur. Deinde in eodem schemate manibus sic elevatis videntibus illis elevatus est, deferens eamdem formam crucis vsque ad consessum Patris. Neque enim fatigatus est IESVS noster scutum suum sic elevans, dicente ad eum Patre,

Psal. 109.

Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Formam crucis habet navis dum navigat, homo dum natat, avis dum volat, Sacerdos dum Missam cantat. Sic igitur ascẽdit Christus in cælum, quasi navigantes ducens ad portum, pisces ad salvatoriũ, aves

ad nidum, plebes ad Deum. Beati qui participarunt conuiuio IESV in suo profectu. Beati quoque, imò beatiores, qui participaturi sunt conuiuio eius in suo reditu. Primum nobis datur in sustentatione viæ, secundum reseruatur in plenissimam refectionem patriæ. Primo interfuerũt Apostoli, secundo assiduè intersunt Angeli. Sic ergo, vt diximus, parat nobis Christus hospitiũ, assistendo vultui Dei pro nobis; illum Psalmistæ versiculum sub persona Ecclesiæ quæ illum præmisit ad cælum, non tam vocis elatione, quam corporis elevatione, & vulnerum ostensione decantans. *Protector noster aspice Deus, & respice in faciem Christi tui.* Sanè huius versiculi sensus exarat⁹ est valde legibiliter, & omnino indelebiliter in corpore Salvatoris. Ait ergo. *Protector noster aspice*, idest inspice ante te sapientiam incuruatam Filij tui, quam pro nostra liberatione ad nos trãsmisisti. *Et respice*, seu iterum aspice eiusdem Filij tui humanitatẽ exaltatam, & tuo vultui pro nobis assistentem. Vide, quàm ferventer tuam jussionem impleuerit, quàm alacriter ad nos cucurrerit, quàm sapienter causam nostram egerit, quàm fortiter hostem nostrum fortissimũ solus superarit, quàm largiter pro nobis sanguinem suum fuderit, quàm potenter inferni claustra fregerit, & inde reducens captivitatem nostram captivam & liberam ad te reduxerit, quã liberaliter dignitatem suam nobis communicauerit, vt nos secum in cælo regnare faceret, & ad tuam dexteram iam in suo corpore, quod est caput nostrum, sublimissimè collocaret. Aspice in Christum tuum: vt eum pro nobis apud te interpellantem pro sua ipsius reverentia exaudias. Respice in corpus eius, quod nos sumus, quod adhuc peregrinatur in valle lacrymarum & miseriæ, vt illud pro tua misericordia suo capiti cõjungas & covnias. Aspice in Christum tuum, quẽ misisti ad nos ad peregrinandum nobiscũ. Respice in nos miseros, qui eundem ad te remisimus ad parandum nobis hospitium. Fratres, beatus, qui se parat ad paratum iam hospitium in cælo: ne imparatus corruat in præparatum supplicium in inferno. Sicut enim parata iam sunt justis gaudia, sic impiis iam parata sunt tormenta, juxta illud, *Parata sunt derisoribus iudicia, & mallei percutientes stultorum corporibus.* Sicut enim benedictis jam paratum est regnum ab origine mundi; sic etiam maledictis paratus est ignis ęternus; ille idem, qui paratus est diabolo, & angelis eius. Hunc paratum inuenit princeps ille Matisconensis, qui cùm in solemnitate quadam ad solemne conuiuium in proprio palatio resideret, multis militibus diversi ordinis constipatus, repente ignotus homo equo insidens per ostium palatij ingressus, cunctis videntibus admirantibus vsque ad ipsum equitando pervenit, dicens se velle ei colloqui, instans vt surgeret, & se sequeretur. Qui invisibili potentia iam ligatus non valẽs resistere, mox surrexit, & vsque ad ostium palatij processit: vbi equum paratũ inuenit: quẽ jussus statim ascendit: cui⁹ habenas ille eques accipiẽs, qui eum vocauerat, velocissimo cursu per aëra cunctis videntibus ferre cœpit. Ille autem miserabili & horribili voce clamans, succurrite ciues, succurrite, totam ciuitatem commouit. Omnes autem eum currentem per aëra diutissime conspexerunt, quamdiu naturali oculorum acie eũ prosequi potuerunt. Sicque tandem subtractus visibus hominum, factus est æternus socius dæmonum. Exiuit autem cum socio suo per ostiũ muri palatio proximi: quod ostium ciues ob tãtæ rei horrorem lapidibus obstruxerunt. Hoc autem ostium Guillelmus nuper Ogerius Guillelmi Comitis prępositus innovare cupiens, propter quædam quæ priuato vel publico vsui necessaria videbantur, conductis quadam die operariis lapides ab ostio removebat. Et dum ibi instaret, ecce invisibiliter à diabolo raptus est, & post modicum dimissus corruit, totoque corpore grauiter colliso brachium confregit. Quod videntes socij rursus ostium obstruxerunt. O quàm melius hospitium parauerat sibi Dunstanus Cantuariensis Archiepiscopus, qui dum instaret dies Ascensionis Dominicæ, peractis vigiliis, more suo orationis causa remansit in Ecclesia solus. Et ecce innumera candidatorũ multitudo coronas aureas in capitibus gestantium inæstimabili fulgore micantes, per Ecclesiæ ianuam irrumpens, ante ipsum conglobata constitit, & hac voce illum salutauit: Salue Dũstane noster, salve: mandat tibi, quem piè desideras filius Dei, quatenus si paratus es, venias, & diem hanc, ad cuius gaudium suspiras, nobiscum celebres. Ad quod ille imperterritus manens, sciscitatus est, qui essent. Cherubim, inquiũt, ac Seraphim sumus: & responde quid velis. Tunc ille. Hodie dies solemnissimus est, & incumbit mihi pane verbi Dei plebem reficere, & ostendere illi, quomodo adhoc gaudium possit peruenire: propter quod multi conuenerunt, nec debeo illos decipere; & ideo hodie venire non possum. Qui dixerunt. Eia paratus esto, vt in die sabbati paratus sis hinc nobiscum Romam venire, & coram summo Pontifice sanctus, sanctus, sanctus, æternaliter canere. Annuit ille, & illi recedunt. Lecto igitur hoc die ad missam Euangelio; locutus est ad plebem; qualiter numquam locutus fuerat. Et reversus ad altare celebrauit mysteria. Vbi autem ventum est ad benedictionem super populum, iterum ab altari prædicaturus regreditur; ita vt non hominem, sed Angelum loqui putares. Iterum ad altare revertitur, & data benedictione tertiò ad populum redit cunctis stupentibus. Et mox vt os ad loquendum aperuit, tanta claritate vultus ejus resplenduit, vt nemo in eum intendere posset; obitumque suum illis instare prædixit, promittens se illis numquam postea defuturum. Post hæc ad mensã corporis reuersus est. Cumque à mẽsa sumpto cibo surrexisset, oratorium petiit, & designavit locum, in quo voluit sepeliri. Mox languor eũ invasit: Sexta feria lecto decubuit Omnes ad se adventantes ad sequenda Christi vestigia inuitabat. Sabbato iterum communicatus est. Et cum horam suam expectaret, subitò cum lecto in quo jacebat vsq; ad superiora leuatus est, trabibus obsistentibus ad terram leniter demissus. Quo demisso, cùm quasi ad quiescentem illi qui aufugerant reuerterentur, iterum cum lecto suo ad trabes raptus est vt prius, & iterum dimissus. Hoc etiam tertiò factum est Tunc ait ad circumstantes. videtis, quò vocor. Si vultis mecum venire, ite via qua incessi. Deus qui me vocat, ipse dirigat corda & corpora vestra ad faciendã voluntatem suam in pace. Et responso ab omnibus, Amen, transiit feliciter ad Dominum. Verè feliciter: ad quem beatificandum de felici assumptione sua tam proximè futura tot & tãti nuntij tantæ dignitatis & excellentiæ missi sunt de cælo

Psal. 83.

Prouer. 19.

Comes à dæmone palam in tartara delatus.

S. Dunstanus die Ascẽsionis in cælum inuitatus.

à cæli Rege benigno. Missi verò non solum propter eum lætificandum, sed etiam propter circumstantem populum in fide confirmãdum. Vt quid enim assumebatur cum lectulo, nisi vt evidenter ostenderetur, quòd felix illa anima, quæ tunc assumebatur sola sine corpore, quandoque etiam cum ipso corpore foret assumenda? Erit enim quando in omnibus electis implebitur anagogicè, quod in illo paralytico impletum est historicè; cui sanato dicebat ille magnus medicus. *Surge, tolle lectũ tuũ, & vade in domum tuã.* (Mat. 9.) Quasi enim in lecto paralytica iacet omnis anima, quandiu corpus quod corrumpitur aggrauat animã, & deprimit terrena habitatio sensum. Postquam verò conscissus fuerit saccus mortalitatis, tunc vere tollemus lectum nostrum, & ibimus in domum æternitatis nostræ. Pro cujus itineris prçconcepta jam spe exultat in Domino Ecclesia, ascensiones in corde suo disponens, & dicens, *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi: in domum Domini ibimus.* (Psal. 121.) Quod erit, quando simul omnes rapiemur in nubibus obuiam Christo in aëra. Quod significauit illa nubes testium hoc est societas, cui hodie exhibitum est perjucundũ spectaculum Ascensionis Dominicæ. Fuerunt enim centum viginti numero, qui numerus constat ex quindenario in trigonum ducto, idest insimul cum omnibus suis vnitatibus aggregato. Componitur autem iste numerus ex heptade & ogdoade. Heptas autem omnes electos veteris testamenti, ogdoas omnes noui significant. Nos autem qui residui sumus in Adventu Domini, nõ prævenіemus eos qui dormierunt sed simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aëra, (Thessal. 4.) vt quasi 120. ex duabus quindenarij partibus aggregati, simul omnes cum Domino ascendamus; vt tot in mysterio simus Ascensionis, quot hodie in numero fuerũt Ascensionis Dominicę spectatores. Quod nobis prçstare dignetur I. C. qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat Deus per omnia secula seculorum, Amen.

Sermo I. *In festo Pentecostes.*

FACTVS *est repente de cælo sonus, tãquam aduenientis spiritus vehementis,* &c. (Act. 2.) Sermonis hodiernę festiuitati solẽni more debiti materia feruens & torrida, torrens & feruida vtinam me duplici torpentem frigore, conuersationis videlicet & sermonis, vitæ & facundiæ, tantum calefecisset, quantum tremefecit; & quantum tremefecit, & quantum terruit, tantum torruisset. Quẽ, enim non terreat hujus torrentis ignei de fonte bullienti aduentus flammeus, imò fulmineus, non nisi verbis igneis, imò fulmineus explicandus? Ad loquendum quippe de igne diuino, imò de igne Deo indigna & inefficax est omnis lingua, nisi sit ignea; incongruus & inutilis omnis sermo, nisi sit igneus. Ad hoc enim pertinet, quod Spiritussanctus hodierna die super discipulos in vnum congregatos, in linguarum dispertitis formulis visus, est illabi; vt ostenderet legem suam igneam non nisi verbis igneis, & per linguas igneas rite siue rectè posse prædicari. Quasi enim quidam barbarismus doctrinæ est, de lege ignea frigidam ferre sentẽtiam, & de re viuifica mortuum proferre sermonem. Omnis autẽ sermo frigidus aut mortuus reputatur, qui à summis, vt aiunt, labris elabitur; qui non exit à pleno pectore, nec à fonte cordis ebullit. Omnis inquam sermo frigidus & mortuus reputandus est, qui non in secreto viuit conscientiæ, nec in vitæ speculo relucescit. [Factus est repente de cęlo sonus tamquam advenientis spiritus vehemẽtis.] (Act. 2.) Et post pauca. [Et apparuerũt illis dispertitæ linguę tamq. ignis,] &c. Igitur in hoc loco tria præcipuè consideranda sunt, idest tres illi comites, quos secum adduxit Spiritussanctus: videlicet sonus, ignis, & lingua. Et mihi quidem absque præiudicio sentẽtiæ potioris videtur esse istorum triũ triplex significatio. Primò enim per hæc tria significari arbitror S. Trinitatis notitiã, quæ hodie primùm mundo delata est. Secundò tripertitam discipulorum gratiam, quæ hodie illis collata est. Tertiò nostræ conuersionis formã, quę in his tribus breviter expressa est. De singulis per ordinem videamus. Sciendum in primis est, quòd S. Trinitatis mysterium non simul, sed per partes & per successiones temporum mundo innotuit. (*Mysterium S. Trinitatis successiuè cognitũ.*) Nam antequam Filius carnem assumeret, sola persona Patris mundo erat cognita, etiam ab illis, qui vnum Deũ tantùm credebant esse, sicut & nos credimus. Sed nec illa plenè cognoscebatur: quia nondum sciebat mundus, quid esset dicendum in Deo persona, quidve substantia: sed id solùm credebant, Deũ esse omniũ creaturarũ authorem, creatorem, patrem: sed patrem creatione, non generatione; quia nondum mundus sciebat illum habere filium; & ideo nec Filij, nec Spiritussancti adhuc aliquis habebat notitiã, exceptis paucissimis perfectis, sicut Prophetis & Patriarchis præcipuis, qui Trinitatis eamdẽ habuerunt notitiam, quam & nos, etiam perfectiorem quã nos: quippe quibus De⁹ seipsum revelauerat, quos Pater contra potentias huius mundi patiẽtia confortauerat, Filius contra errores sapientia illuminauerat, Spiritussanctus cõtra inimicitias armaverat amore. His ergo, sicut dixi, exceptis, totum reliquum vulgus adhuc de solo Patre habebat notitiam, & ipsam valde modicã. At post quã Filius incarnatus mundo seipsum cognoscẽdum præbuit, & jam per os proprium, nõ per os Prophetarum, se esse Deum docuit: tunc duarum personarum notitiam, Patris scilicet & Filij mũdus habere cœpit, nec Patrem esse sine Filio, nec Filium sine Patre; sed sempiternum Patrem sempiternum habere Filium, & è converso. Sed de Spiritusancto nihil adhuc cognouit. Postquam verò Spiritussanctus in igneis linguis mundo apparuit, & suæ divinitatis potẽtiam manifestauit, tunc primò S. Trinitatis mysterium innotuit, & tunc mundus credidit tres in diuinitate personas esse inconfusas, sicut vnam substantiam indiuisam. Hinc est, quòd in lege veteri solus Pater introducitur loquens, cùm dicitur, *Hæc dicit Dominus*; in Euangelio verò Filius ipse per seipsum loquitur, dicẽs. *Audistis, quia dictum est antiquis. Ego autem dico vobis,* &c. (Mat. 5.) Quasi diceret. Eadem mihi authoritas est tradendi Euangeliũ, quæ fuit Patri meo tradendi antiquis vetus testamentum. In Scriptis autem & in Actis Apostolorum, quæ tertia pars est totius Canonis sacræ Scripturæ, tota sermonis authoritas ad Spiritum sanctũ refertur, tamquam ad authorem eiusdem partis, & ejusdem authoritatis, cuius & duo primi: vt cùm dicitur, *Dixit Spiritus sanctus.* (Act. 13.) Sic ergo S. Trinitas quãvis in se nullos gradus habeat, tamen per quosdam, vt ita dicam, gradus ad humanam peruenit notitiam, dum primò solus Pater cognitus

est; secundò cum Patre Filius, tertiò cum vtroq; Spiritus sanctus. Notandum quoque, quòd hæc trinitatis notitia sicut per successiones temporū, ita per distinctiones eorum processit. Tria quidē magna & præcipua opera facit Deus: primum fuit creatio mundi, secundum redemptio, tertium redemptorum ad virtutem confirmatio, & quasi subarrhatio ad amorem. Primò enim creatus est homo, vt esset qui non erat; secundò redemptus, vt resurgeret qui ceciderat. tertiò confirmatus est, vt staret qui resurrexerat. Hæc tria opera paria sunt. Ejusdem namque virtutis & potentiæ, bonitatis, & sapientiæ est, de nihilo non solum aliqua, sed & bona facere, & perdita restaurare, & restaurata ne pereāt conseruare. Porrò singula istorum operum referuntur ad singulas personarum. Nam mundi creatio refertur ad patrem, redemptio ad Filium, redemptionis conseruatio ad Spiritum. Pater enim creauit, Filius redemit, Spiritussanctus conseruat & custodit. Singula tamē opera ita singulis appropriātur personis, vt etiam singulæ in omnibus operentur. Nam in singulis istorum operum singularum patent indicia personarū. Mundus quippe creatus est magnus, pulcher, & vtilis. In magnitudine pater se ostendit, in pulchritudine Filius, Spiritussanctus in vtilitate. Siquidem potentiæ est magna facere, sapientiæ pulchra, bonitatis vtilia. Sic igitur in propria operatione Patris inuenire est vestigium totius Trinitatis. Similiter & in opere proprio Filij, idest in redemptione mundi, quā operata est dispensatio incarnati Verbi, tota Trinitas fecit se agnosci. Nam cùm baptizaretur Dominus à Ioanne, Pater in voce innotuit, Filius in carne apparuit, Spiritussanctus descendit in columba. Oportebat ergo similiter in operatione Spiritussancti Trinitatis aliquod vestigium inueniri. Idcirco descendit Spiritussanctus hodierna die super discipulos cum quodam signo Trinitatis, idest cum sono & igne, & lingua. Cum sono terribili, cum igne visibili, cum lingua coruscante. Sonus factus est de cælo, ignis ex sono, lingua ex igne. Sonus repentinus, ignis fulgidus & innoxius, lingua ignea. Sonus vt audiretur, ignis vt videretur, lingua vt loqueretur. Sonus ad terrorem, ignis ad splendorem, lingua ignea ad ardorem simul & splendorem. Sonus terrificus signum fuit fortitudinis atque potentiæ; ignis fulgidus & innoxius signum sapientiæ & justitiæ, lingua ignea signum amoris & doctrinæ. Igitur in sono Pater insonuit, qui est potentia; in igne Filius effulsit, qui est sapientia, & æquo omnis iustitia; Spiritussanctus, qui est amor Patris & Filij, & qui docet omnem hominem scientiam, in linguis igneis coruscauit. Pater exterruit, vt timeretur; Filius resplenduit, vt crederetur, Spiritussanct⁹ igniuit, vt diligeretur. Quis rectius timendus est, quàm qui potest omnia? Cui magis credendum est, quā ei qui novit omnia? Quis magis diligendus est, quam qui donat omnia? Timeamus ergo Patris potentiam, quia potest nos damnare, credamus Filij sapientiam, quia nescit fallere; diligamus Spiritussancti bonitatem, quia nescit lædere. Revera timenda est potestas, quia potenter percutit, credenda est sapientia, quia numquam errat, & neminem fallit; dilgenda est caritas, quia numquam odit, sed semper diligit. Timeamus omnipotentē, credamus omnia scientem, diligamus omnia donantem. Primò enim timendus est Deus, deinde credendus, tertiò diligendus. A timore salus incipit, per fidem proficit, in dilectione consummatur. Initium quidem salutaris scientiæ timor Domini, fides augmentum, dilectio finis. A timore incipimus, per fidem ambulamus, per dilectionē peruenimus, quò tendimus. Timor nil est sine fide, fides nil sine dilectione. Sed de sono, igne, lingua, latiùs in sequentibus dicetur. Interim autem sciendum est, quod ideo sancta Trinitas in singulis operibus singularum personarum manifestari se voluit, & ostendere, quod indiuisa & inseparabilis est illarū operatio; & quod quidquid vna illarum facit, faciunt & reliquæ. Hoc autē satis eleganti comparatione nobis ostenditur, cùm in sacra scriptura Filius manus Patris dicitur, & Spiritussanctus eiusdem manus digitus appellatur: vel cùm ille os Patris, & spiritussanctus eiusdem oris lingua nūcupatur. Artifex enim per manus operatur, quidquid facit, & quidquid manus faciunt, per digitos faciunt. Homo etiam, & man⁹ hominis, & digiti non sunt tres artes, artifices, vel operatores, sed vnus. Similiter quidquid homo loquitur, per os loquitur: & quidquid os loquitur, per linguam loquitur; & homo, os, & lingua eius non sunt tres locutores, sed vnus locutor. Igitur secundùm hanc similitudinē quidquid facit vel dicit Pater, per Filium facit & dicit: & quidquid facit vel dicit Filius, per Spiritū sanctum facit & dicit: sicut scriptum est. *Quæcumque facit Pater, hæc & Filius similiter facit.* Et isti tres non sunt tres operatores, vel locutores, sed vnus. Sic quidquid facit vel dicit Filius, facit & dicit Pater, & Spiritussanct⁹: & quidquid facit vel dicit Spiritus sanctus, hoc dicit & facit Pater & Filius: sicut quidquid facit manus hominis facit homo, & eius digitus; & quod faciūt digiti manuum, facit homo ipse, & manus suæ. Sic quidquid dicit os hominis, dicit homo & lingua eius, & quod dicit lingua, dicit homo & os eius. Quia verò Deo idem facere est, & dicere, quia dicendo facit, faciendo dicit, iuxta illud, *Dixit, & facta sunt: mandauit, & creata sunt*, ideo Filius appellatur non solū manus, sed & os Patris: & Spiritus sanctus nō solùm digitus, sed & lingua. Hoc est vna ratio, cur in sono, igne, lingua, venit Spiritussanctus, videlicet vt opus ejus propriū Trinitatis aliquod daret vestigium; sicut prius fecerat opera Patris & Filij, præsertim cum Trinitatis ipsius notitia præcipuè in hoc tertio opere primū esset cōparanda. Porrò secunda significatio est triplex gratia, quæ in hoc aduentu discipulis collata est. Sonus enim factus est super eos, ad significandum magnam illis collatam potentiam. Ignis effulsit super eos, ad designandum eorum iustitiam & sapientiam. Linguæ dispertitæ sunt super eos, ad insinuandam ardentem illorum charitatem, & igneam doctrinam. Sonus terrificus signum fuit magnæ & mirabilis illorum potentiæ in signis faciendis: ignis fulgidus & innoxius signum fuit sapientiæ in præceptis Domini intelligendis, & iustitiæ in custodiendis. Linguæ igneæ signū fuerunt ardentissimæ charitatis in diligēdis proximis, & prædicationis efficacissimæ in populis conuertendis. Primam gratiam receperunt ad terrendum mundum, secundam ad illuminandum, tertiam ad incendēdum. Potentia quippe fecit eos terribiles; sapientia & iustitia lucentes & commendabiles; charitas autem tam fecunda quàm facunda, tam eloquentes reddidit, quam ardentes. Primā pro-

Tria præcipua opera Dei quæ.

Matth. 3.

Vestigium Trinitatis in operibus Dei.

A timore salus incipit.

Ioan. 5.

Psal. 148.

Linguæ igneæ quid designarint.

priè acceperunt: ad pugnandum contra potestates aëreas, secundâ contra carnales illecebras, tertiam contra fallacias mundiales. De prima facti sunt terribiles etiam dæmonibus, de secunda honorabiles hominibus, de tertia amabiles omnibus. Facta sunt ergo hæc tria signa super discipulos, vt per ea terrerētur securi, illuminarentur cæci, docerentur magistri, admonerentur conuersi; corriperētur admoniti, corrigerentur correcti, accensi præficerentur. Has autē gratias prius quidem acceperant discipuli à Patre & Filio. Sed in hodierno aduentu Spiritussancti plenius acceperunt. Nam potestas à Filio data fuit signorum faciendorum, quando ad eos dictum est. *Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes & scorpiones; & nihil vobis nocebit.* In baptismo quoque iustificati fuerunt & mundati, sicut ad Petrum dictum est. *Qui lotus est, non indiget nisi vt pedes lavet.* Porrò de sapientia & charitate, quod vtrâque jam accepissent, testatur Dominus, cùm dicit ad eos. *Iam non dicam vos servos, sed amicos meos: quia omnia quæcumque audiui à Patre meo, nota feci vobis.* Et iterum. *Ipse enim Pater amat vos: quia vos me amastis, & credidistis mihi.* Ipsum quoque Spiritum sanctum jam à Domino perceperant, quando eis dictum est. *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata remittuntur eis*, &c. Sed quæ jam habebant à Patre & Filio, hodie pleniùs à Spiritu sancto habere cœperunt: non quod Spiritussanctus pleniùs hæc habeat, quàm Pater & Filius: sed quia, qui post illos insinuandus erat, donis cumulatioribus erat honorandus. Iustum quippe erat, vt quod notitię Spiritussancti, quasi defuerat, vt temporę postremę donorum majoritas resarciret: sciretque mundus, quòd Spiritussanctus quamvis post Patrem & Filium veniret in notitiam, non minorem tamen quàm illi potentiā vel gloriā possideret. Quod pulcherrimè demonstrauit Spiritussanctus in quodā Concilio, cui præsidebat Papa Hildebrandus, alio nomine dictus Gregorius 7. In eo enim Concilio Archidiaconus quidam accusatus de hæresi Macedoniana, quæ Spiritum sanctum asserit esse creaturam, & negat creatorem, iussus à pontifice præsentari, adfuit. Interrogatus de fide sua, respondit se esse Catholicum, Cui Papa. Credis in Patrem & Filium & Spiritum sanctum? Respondit credo. Credis, inquit, has tres personas ejusdem esse virtutis, maiestatis, & gloriæ? Respondit credo. Vt ergo, ait Apostolicus, credam te verum dicere, dic mihi hunc versiculum, *Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto.* Erubuit primo ille, æstimans se à summo Pontifice quasi laicum æstimari, & literas ignorantem. Domine, inquit, ego laicus non sum, sed literas noui. Cui Papa non curo, inquit, de tua sciētia, sed de tua fide: & ideo præcipio tibi in virtute Spiritussancti, vt si bene credis in Spiritum sanctum dicas mihi istū versiculum, si autem non bene credis, in Spiritū sanctum, ne possis illum dicere. Tunc cœpit ille dicere cum tremore, *Gloria Patri, & Filio*, & statim obmutuit, nec potuit perdicere, *& Spiritui sancto.* Apostolicus autem sæpe faciebat eum repetere totum versum à principio: sed ille nulla ratione poterat versū finire, sed semper obmutescebat post *Patri & Filio*, Quo viso, ait ad eum Papa. Ecce miser, quomodo Spiritussanctus per tuum silentium ostendit se Patri & coæternam & coæqualem habere gloriam, quam tu per tuā

Luc. 10.

Ioan. 13.

Ioan. 20.

Hildebrandus nondum erat Papa, sed Legatus Papæ.

Miraculū notandum.

insipientiam ei conabaris auferre. Et deposuit eam ab omni officio & honore Ecclesiastico. Sic ergo, vt prædiximus, Spiritussanctus cum majore gloria mundo innotuit, quàm prius innotuerat Pater & Filius: quia copiosiora gloriæ multiformis attulit munera, quàm illi prius dedissent: vt per hoc sciretur, quod licet posterior innotesceret, nō inferior tamen illis esset. Nā qui solum Patrem priùs cognoverāt, acceperunt spiritum servitutis in timore, vt timerent Patris potentiam. Adueniente autem Filio datus est Apostolis Spiritussanctus scientiæ & cognitionis in ipsorum prædicatione ad intelligendam Filij sapientiam. In aduentu vero Spiritussancti datus est spiritus amoris in ignearum linguarum similitudine, ad diligendam simul & prædicandam ipsius Spiritussancti benevolentiam. Sicut ergo per quosdam gradus aduenit Trinitatis notitia, ita per quosdam gradus creuit ipsius gratia. Sed de secunda significatione trium signorum soni ignis & linguæ ista sufficiant. Nunc de tertia videamus, quæ est nostræ conuersationis forma, in his tribus breviter expressa. Quando enim peccator in seipsum revertitur, vt ad Deum convertatur, prius ei fit sonus de cælo, deinde ignis ex sono, tertio formatur lingua ex igne, Prius enim terretur homo à Deo, vt eum reverenter timeat, deinde cōpungitur ardēter vt, vehemēter doleat cōsumitur sapienter, vt peccata sua pdat. Sonus enim pretinet ad terrorem, qui peccatorem convertit, ignis ad dolorem, qui pœnitentē coquit: lingua ad confessionem, quæ sicut lingua canis vulnus dum lingit, curat, etiam peccatorem sanat, dum peccata manifestat. Sciendum vero, q singula istorum triū tripliciter habent fieri. Nam triplici cōminatione, vt terreat, nobis minatur: videlicet æternum ignem, purgatoriū; repentinum interitum; pœnas æternas, pœnas purgatorias, subitaneæ mortis insidias. Primum minatur non timentibus se, secundum parum timentib', tertium non sēper timentibus. Igitur necesse est, fratres carissimi, quia necessarium valde & vtile, vt Deum non solum timeamus, sed & multū timeamus, & sēper timeamus. Timeam', vt peccatores debent, timeamus multum, vt justi solent, timeamus sēper vt perfecti timent De primo est illud *Deum time, & mandata eius obserua: hoc est omnis homo.* De secundo. *Semper*, inquit, *quasi tumentes fluctus timui Deum.* De tertio. *Beatus homo, qui semper est pauidus.* Timendus est Deus, propter pœnā æternā: multū quoq; timendus est propter pœnam post mortem purgatoriam: semper etiam timendus est propter mortem improvisam, & horam mortis incertam. Qui Deum nō timent, necesse est vt in infernum descendant, & ab eo non exeant. Qui non multum timent, necesse est vt per ignem post mortem transeāt. Viæ inferni peccata sūt mortalia & quot peccata talia sunt, tot quæ ad infernū ducunt. *Libera me Domine de viis inferni.* Deus bone, quis se custodiet ab his viis, vt non in eis persistat, vt non per eas transeat, vt non in eas incidat; vt non ad eas tēdat? Periculosum est ad eas tendere, miserum in eas incidere, miserius per eas transire, miserrimum in eis stare. Beatus planè, qui in cathedra pestilētię nō sedit, sed beatior qui in via peccatorum non stetit: at ille beatissimus, qui in consilio impiorum non abiit. Hic est enim, qui nec ad vias inferni gressum tetendit, idest qui nec peccare mortaliter deliberauit. Nam qui tale peccatū

Trinitatis notitia per gradus creuit.

Eccle. 12.
Iob 31.
Prouer. 28.

vel tantum deliberat, jam gressus illius ad infernum spectat. Qui vero deliberatum peragit, jam in vias inferni incurrit. Qui autem peractum repetit, per viam inferni transit, vel potius currit. Et qui repetitum non deserit, in viis inferni persistit. Necesse est autem, vt quandoque ad infernum perveniat, qui à via inferni nūquam declinat, & semper eam percurrere festinat. Libet igitur exclamare cum Propheta. *Quis est homo qui vivet & non videbit mortem: eruet animam suam de manu inferi?* Quis enim ad inferos non dico non pergit, sed & non currit? Quis est inquam homo, qui mortem non videat, idest qui mortale peccatum aliquando non incurrat? Mortale peccatum est homicidium, mortale est odium; nam qui odit fratrem suum homicida est. Mortale peccatum est vnum solum verbum ex rancore animi, vel ex tumore superbiæ, vel ex fervore iracundiæ in proximum prolatum. Qui enim dixerit fratri suo Racha, reus erit gehennæ ignis. Quis autē in hujusmodi verbo aliquādo non peccat? Mortale peccatum est vnicum adulterium. Plus dico; mortale peccatum est vnicus aspectus libidinosus: dicente Christo. *Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eā in corde suo.* Plus etiam dico: mortale peccatum est vnus solus affectus libidinis in proposito confirmatus. Qui enim in sola cogitatione sua vsque ad consensum operis delectatur, hic non solū videndo, sed etiam cogitando mœchatur. Sic qui viderit rem quamcūq; proximi, ad furandum eam, jam furatus est eam in corde suo. Ideo inter præcepta non occidendi, non furandi, &c. positum est præceptum non concupiscendi: vt ostēderet Scriptura, quòd cùm concupiscenti facultas tollitur, sola voluntas pro facto reputatur. Fugiamus ergo vias inferni; id est omnis peccati mortalis actum, affectum, consensum. Cavendū quoq; est ab igne purgatorio; quia nulla magnitudo pœnæ præsentis potest comparari illius vrentis; cùm ignis ille tantùm molestior sit igne temporali, quantùm ignis ardens in fornace molestior est igne depicto in pariete. Cavet autē ab igne purgatorio, qui cavet à veniali peccato. Nā omne veniale peccatum, quod in hac vita purgatum nō fuerit, necesse est in eo igne purgatum iri. Deus bone, quis cavere poterit à tot viis, & se à tot laqueis explicare? Quis cavere potest vias, quas enumerare non potest? Infinita sunt venialia peccata, & eò periculosiùs, quò facili⁹ perpetrantur. Multa enim mala sunt, quæ bona putantur. Vnde Poëta.

Et mala sunt vicina bonis, errore sub ipso,
Pro vitio virtus crimina sæpe tulit.

Multa quoque sunt mortalia, quæ putantur venialia. Vnde Propheta. *Delicta quis intelligit?* Porrò beatus Augustinus enumerans quædā minora peccata, dicit esse hujusmodi, quoties scilicet aliquis in cibo vel in potu plus accipit, quàm necesse est. Et certè sæpe hoc mortale peccatū est, Sed intelligendum est, Augustinum hoc dixisse de modico excessu, non de nimio, qui crapula est vel ebrietas. Demum addit. *Quoties aliquis plus loquitur quam necesse est, vel plus tacet, quàm expedit.* Verùm in his exemplis quæ ponit Augustinus, non determinat citra quos fines peccatum sit veniale, vel vltra quos mortale. Fortasse hoc voluit intelligere, quòd quantumcumque attenuentur ista, ad minus sunt peccata saltem venialia. Denique multa sunt venialia in imperfectis, quæ perfectionem professis mortalia reputantur. Vnde beatus Bernardus. *Os tuum consecrasti Evangelio, nugis illud aperire illicitum, assuescere sacrilegium.* Vix igitur adducor, vt credā, monachum vel presbyterum nugis assuetum nō peccare mortaliter. Nam si omnes homines de hujusmodi verbis in die judicij rationem reddituri sunt, cum quanta putamus districtione hæc ratio exigetur ab illis, qui perfectionem ordine vel habitu professi sunt? Quem autem non terreat exemplum de quodam monacho Cluniacensi, qui pro suæ religionis testimonio non solum Abbas factus est, sed etiam raptus ad Cathedram sedis Tholosanæ? Hic enim cùm in cæteris circumspectus esset, tamen verba risum moventia plusquàm decebat monachū frequentabat. Super quo vitio sæpe increpatus est à S. Hugone, cùm sæpe corriperetur, & nō corrigeretur, prædixit ei quòd forè pœniteret, videlicet cùm post mortem labijs spumantibus dolens & anxi⁹ appareret. Quod ita factū est. Nam mortuus apparuit cuidam capellano præfati Hugonis Abbatis, ita vt prædictum fuerat labiis spumantibus; rogans capellanum, vt iret ad S. Hugonem, vt eum orationibus suis à pœna, quam ei prædixerat, liberaret. Qui vocatis 7. fratribus injunxit eis, vt 7. diebus pro anima eius tenerent silentium. Quod præceptum sex fratribus diligenter servantibus, septimus dissoluit, qui silentiū injunctum non tenuit. Iterum ergo præfatus Episcopus apparuit eidem capellano multùm cōquerens de illo fratre, qui silentium non bene tenuerat, & salutem suam sic interruperat. Quod ille retulit ad Abbatem, Qui vocato fratri transgressori injunxit pœnitentiam, jussit solutum silentium septem diebus taciturnitate resarciri. Quibus expletis defunctus Episcopus vultu hilari, & in veste Pontificali apparuit ipsi Abbati liberatori suo, gratias agens de sua liberatione. Hic planè de sola nugacitate damnari potuit, nisi ei tot virtutes aliæ, quibus abundaverat, succurrissent. Caveamus ergo ignem purgatorium, cavendo, vt possumus, omnis venialis peccati actum, affectum, consensum: & quotidiana pœnitentia quotidiana diluendo peccata. Sed oportet, vt non solùm timeamus Deum, sed vt multum, & semper timeamus: vt non solùm caveamus à pœna æterna, & à pœna purgatorij, sed etiam à morte subitanea, quæ numquam benè cavetur; si non semper timeatur, si non semper ante oculos habeatur, si non semper cogitetur. In hæc tria pericula nos impellunt oblivio nostræ mortalitatis, lætitia carnis, securitas mortis. Contra primum est illud. *Memorare novissima tua, & in æternum non peccabis.* Contra secundum. *Risus vester in luctum convertetur. & gaudium in mœrorem.* Contra tertium: *Beatus homo: qui semper est pavidus.* Item. *Solicitudine non pigri.* Hic mihi dicet aliquis. Quis semper potest cogitare de morte, sine tristitia continua, & mœrore? Nam memoria mortis tristis est, & amara. Verum est, sed illis, qui non confidunt in Deo, quibus æterna non sapiunt, quibus temporalia dulcescunt. Nam qui justorum præmia fide præsentiunt, spe prægustant, dilectione & desiderio prægustant: istis revera non est amara mortis memoria; sed dulcis potiùs & jucunda. Hi enim mori non metuunt, sed cupiunt dissolui, dicentes cum Propheta. *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est. Quando veniam, & appa-*

Psalm. 83.
Mat. 5.
Psal. 18.
Aug. serm. 41. de Sanctis.
Bern. lib. 2. de Consider. in fine.
Punitio verborum scurrilium.
Eccli. 7.
Iac. 4.
Prove. 28.
Rom. 12.
Psal. 119.
Et 41.

rebo ante faciem Dei? Quamquā legatur in Euangelio Nazaræorum Dominus dixisse discipulis. *Numquam læti sitis: nisi cùm fratrem vestrum videritis in caritate.* Hoc est ergo quod ait Apostolus. *Quasi tristes*, in sæculo, *semper autem gaudentes*, in Domino. Quasi tristes dixit, & non, tristes: & gaudentes, non autem, quasi gaudentes: quia vera tristitia vel lætitia in hoc seculo non est nisi de accusante vel defendente conscientia. Denique, vt ait Apostolus. *Est tristitia, quæ salutem operatur.* Nihil enim vtilius ad victoriam de peccato futuro; quàm tristitia de præterito. Hinc apud Poëtas victoria dicitur filia Stygis, quæ interpretatur tristitia: quia per tristitiam vincuntur vitia, per lætitiā vincunt. Vnde quidam.

Liber apocryphus.

2. Cor. 6.

2. Cor. 7.

Dum non læta fuit, defensa est Ilion armis,
Militibus gravidum læta recepit equum.

Hæ sunt ergo tres comminationes à Domino, quasi tria tonitrua de cælo, quæ nos exterreant à peccato. Infernum nobis minatur Dominus per seipsum, dicens. *Ibunt hi in supplicium æternum.* Ignem purgatorium per Apostolum, cùm dicit. *Ipse saluus fiet, sic tamen quasi per ignem.* Mortem subitaneam, cùm dicit. *Veniet Dominus serui illius in die quam non sperat, & hora quam nescit.* Hic est ergo triplex sonus, qui fit de cælo super peccatorem ad eum exterrendum. Fit autem sonus de cælo dupliciter, aut signo aliquo præcedente, vt turbato aëre, vel nubibus concurrentibus, aut ex improviso & repente nullis signis præcedentibus, vt cùm sereno cælo, & aëre trāquillo subitò mugire audimus tonitrua. Sic sonus terroris à Domino fit aliquando signis præcedētibus: aliquando nullis præcedentibus signis. Signis præcedentibus fit quando peccator flagellatur à Deo vel damno rei familiaris, vel læsione proprij corporis, aut morte propinqui, antequā terreatur. Fit autem de cælo sonus repentinus, quando peccator subita inspiratione divinæ gratiæ, nullis rebus adversis præcedentibus in seipsum revertitur, & à propria conscientia terretur. Factus est sonus de cælo cum signo præcedente super Paulum Apostolum, qui priùs cæcitate percussus est, quàm voce territus. Factus est autem repente de cælo sonus super Mariam Magdalenam, quam repente mutatam interiùs, nec exteriùs flagellatam, priùs humiliauit diuina gratia, quàm pœnis castigauit. Idem contigit fratri, de quo in vitis Patrum, qui cùm ingressus fuisset Ecclesiam à dæmonib^9 miserè vinctus, vultu teterrimo & horribili, repente ibi ad Deum conversus, fugato dæmone Angelis stipatus visus est. Verè super illū factus est repente de cælo sonus. Repente, idest nullo signo præcedente. Sed de sono ista sufficiant. De igne verò & lingua in sermone sequenti, quod Deus dederit, explicabimus.

Mat. 25.

1. Cor. 3.

Matth. 24.

Vitā Patrū.

Sermo 2. In eadem Solemnitate.

Ignis qui factus est ex sono, sicut sonus de cælo, significat quemdam splendorem diuinæ gratiæ, simul & ardorem, qui sequūtur in animo peccatoris ex timore Domini conturbato. Sicut enim sonus præcessit ad percutiendum & perturbandum peccatorem: sic ignis succedit ad illuminandum simul & illustrādum mentem. Illuminatur autem peccator tripliciter, vt sciat, si fieri potest, peccatorum suorum pondus, naturam, & mensuram: idest qualiter, & quantum, & quoties peccauerit. Pondus refertur ad qualitatem peccati, mensura ad quantitatem, numerus ad peccandi consuetudinem. Qualitas attenditur in peccati substantia, quantitas in circumstantiis, consuetudo in recidiuis. Sic igitur post sonum de cælo, fit ignis ex sono: quia postquam peccator timore Domini percussus in seipsum revertitur, statim recogitare cogitur, quomodo peccando Deum offenderit; qualiter, quàm graviter, quàm frequenter. Et hæc triplex illuminatio est in malis quæ cōmisit. Illuminatur quoque tripliciter ad considerandum mala, quæ meruit: idest vermem, qui non moritur; ignem, qui non extinguitur; mortem, quæ non finitur. Illuminatur etiam tripliciter in cōsideratione bonorum: quia considerat bona quæ non fecit, & bona quæ fecit, sed non sicut facere debuit; & bona quæ perdidit; idest quę meruisset, si ea quę debuit, vt debuit fecisset. Est autem singulorum triplex consideratio: quia tria bona non fecit, quæ facere debuit. Non dilexit Deum, non proximum, non seipsum. Non reddidit cuique quod suum erat: non Deo obedientiam, non proximo iustitiam, non sibi temperantiam, iuxta illud. *Sobriè, & iustè, & piè viuamus in hoc seculo.* Item bona quæ fecit, tripliciter non fecit, vt facere debuit; quia non ea puritate intentionis, non ea perseverantia longanimitatis, qua debuit. Et vt ait S. Benedictus, Omnis iustitia tepida, transitoria, vendita, in oblivione erit coram Deo. Tria ergo maxima bona meruisset, si homo fecisset sicut debuerat; carnis glorificationem, animæ beatitudinem, & beatorum visionem. Qui autem hæc omnia subtiliter considerat, doloris materiam sibi coaceruat; & quātò perspicaciùs mentis intuitum ad singula direxerit, tātò ardentiùs singula delebit. Scriptū est enim *Qui apponit scientiā, apponit & dolorē.* Nemo ergo potest ab hoc igne accendi, nisi priùs ab eo illuminatus fuerit: quia nemo potest flere peccata sua, vel damna spiritualia, nisi priùs ea cognouerit, & cognita prudenter æstimauerit. Illud ergo in hoc igne mirum est, quòd ardor ex splendore procedit; cùm alibi soleat splendor sequi ex ardore. Verùm ita est in ipsa ignis substantia. Ignis enim ex calore splendidus est, & non calidus ex splendore. Sed in participatione ignis aliter est. Nam qui priùs ab igne remoti fuerant, cùm ad illum ardentem & lucentem appropinquare cœperint, necesse est, vt ab eo priùs illuminentur, quam calefiant: & vt antè splendoris eius fiant participes, quàm caloris. Nam splendor ignis longiùs procedit, quàm calor: & ideo priùs se participari facit. Quod in solari radio manifestum est, qui vbique æqualiter lucet, sed non vbique æqualiter feruet: imò multos illuminat, quibus parum aut nihil caloris præstat. Denique sol in ipso ortu suo nobis lucet, sed non in nobis ipsis feruet: imò mane splendore instruit, & ignibus meridiem. Similiter ergo necesse est, vt peccator priùs sua peccata videat, quàm pro illis doleat. Et quis sic dignè doluit, vt dolere debuit? *Faciliùs*, inquit B. Ambrosius, *inueni, qui innocentiam conservassent quàm qui condignā egissent pœnitentiam.* Nec mirum, cùm pœnitentia nobis agēda sit, non solùm de malis nostris actibus, sed etiam de bonis, quando ipsa bona in mala convertimus, quando ea non benè facim^9. Ideo dicit Isaias. *Omnes iustitiæ nostræ quasi pannus*

Tit. 2.

Eccle. 1.

Ambros. lib. 2. de Pœnit. cap. 10.

Isaia 64.

nus menstruata. Si justitiæ nostræ tales sunt, quales iniustitiæ? Si lumen quod in nobis est, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt? Ecce De[*] homines mulieribus comparat; nec solùm homines molles & fluxos, sed & fortes & robustos: nec mulieribus tantùm, sed mulieribus menstruatis. Væ nobis omnibus à fragilitate corruptionis, & corruptione fragilitatis: qui mulieres appellamur. Væ nobis à fœda mollitie: væ nobis à virtutibus, quæ panno immundissimo comparantur. Quantum nobis flendum est pro injustitiis, si pro justitiis est dolendum. Maledictus enim qui facit opus Dei negligenter, & ille amplius, qui fraudulenter. Siquidem vterque à mandatis tuis declinat, qui mandasti mādata tua custodiri nimis. Negligenter opus Dei facit, qui facit tepidè, aut in incœpto non feruet opere, aut non perseuerat in operis feruore. Opus autem Domini facit fraudulenter, qui vel de suis præsumit viribus, vel suis laudibus totus inseruit: qui ipsum opus alij vendicat, quàm Deo; qui aliud præmium captat quàm Deum: qui operis sui aliud pretium taxat quàm ipsum: qui bonorum suorum operum alium quàm solum Deum authorem existimat, aut remuneratorem expectat. Postquam autem ignis ille sic illuminauit ad intelligendum peccata, sic inflammauit ad dolendum, mox de seipso linguam formabit ad confitendum. Nec enim pro peccato suo cōdignè dolet, cui illud necdum perfectè displicet. Nemini autem perfectè displicet, qui adhuc illud tamquam thesaurum seruat & possidet, dū illud celat & retinet. Nam qui perfectè peccatū odit, statim illud à se tamquam venenum nocentissimum expuit & euomit. Igitur post recogitationem & contritionē continuò curritur ad confessionem, vt visitatio Sancti spiritus cunctis suis partibus absoluta sit: vt sicut de cælo sonus emittitur, & de sono ignis egreditur, sic & de igne lingua formetur. Omnis autem lingua quę de igne formatur, necessariò ignea est. Ignea igitur debet esse confessio. Nihil igne purgatius, aut etiam purgantius, vel eo clarius aut lucidius, vel rutilantius, aut rubicundius. Ignis res est purissima, clarissima, coloratissima, quia rubicundissima, nihil habens admixtum rubiginis, aut alicuius sordis, vel obscuritatis, nihil palloris vel coloris emortui. Similiter confessio debet esse pura, clara, & rubicunda. Pura, vt non nisi peccata sua confiteatur, idest nec virtutes proprias, nec peccata aliena. Integra, vt omnia peccata, & peccatorū circunstantias retegat, & nihil à confessore abscondat. Rubicunda, vt confitentis faciem erubescere cogat. Confessio quippe quæ cunctis suis partib[*] absoluta est, pura est per humilitatem, nec aliena mala publicare didicit, nec sua bona nouit jactitare: & clara est per simplicitatem, quæ veritatem nescit abscondere, quæ mendacium fingere non nouit; & rubicunda est per verecundiam, quæ colore roseo confitentis faciem didicit ornare; vt hoc velut lenocinio interno plus placeat inspectori. Sunt qui peccata sua tamquam aurum in sinu suo abscondunt: sunt qui hujusmodi possessionem vendentes tamquam Ananias & Sapphira auarè dispensant; quædam exponentes, & quædam retinentes, & Spiritui sancto mentientes. Sunt, qui non solùm propria, sed & aliena dicunt. Sunt, qui sua tantùm recitant; sed tamquam fabulam, vel quamdam historiam sine pudore & verecundia,

Quis faciat opus Dei negligenter.

Confessio peccatorum.

sine rubore & tristitia, sine fletu & gemitu, sine contritione & dolore. Sunt, qui in confitendo superficie tenus suspirant & gemunt; ne nihil facere videantur. Sunt qui virtutes suas enumerāt, jactantes sicut Nabuchodonosor somnia sua, visiones capitis sui phantasticas, vel dæmonum sophisticas apparitiones. Sunt qui confitendo peccata sua gemunt & plorant: sed de hoc ipso laudem affectant. Non sic ille, qui ait. *Dixi confitebor adversum me injustitiam meam Domino.* Dixi, inquit, idest firmiter in corde meo facere proposui me facturum. Quid? Quod sequitur. Confitebor ego ipse, antequam alius me accuset: sed sponte & voluntate pronuntiabo adversum me, non adversus alium, iniustitias meas, non justitias. Confitebor Domino, idest ad laudem & honorem Domini, non ad honorem vel laudem mei, imputans mihi peccata mea, gloriam autem Deo. Igitur vbicumque Spiritussanctus hospitaturus est, necesse est hæc signa tota præcedere: quia per hæc tria in electorum cordibus sibi ipse solitus est hospitium parare. Timor enim Domini, qui fit de sono repentino, & qui principatum possidet in tota domo, domū jubet euerti, & sordes ac quisquilias diligenter inquiri. Cognitio peccati & damni recordatio, tamquam quidam famuli obsequentissimi domum diligēter euertunt, & sordes & quisquilias in vnū colligunt. Doloris vehementia quasi quædam flāma voracissima collatas comburit: confessio autem quasi scopa quædam combustas ejicit. Hæc est scopa, quæ hospitium Spiritussancti evacuat & mundat. Hos ergo famulos præmittit Spiritussanctus ante se. Cùm autem remanserit, quos socios retinebit? Vtique hos eosdem. Cum eisdē comitibus, cum quibus intrat ad nos, permanet apud nos; idest cum sono, igne, & lingua; cum terrore, luce, & ardore; cum timore, dolore, & confessione: sed alio & alio modo. Qui enim aduenerat cum timore seruili & initiali, permanet cum timore casto & filiali. Et qui aduenerat cum dolore ex peccato perpetrato, permanet cū dolore ex præmio dilato. Et qui advenerat cum cōfessione peccati, permanet cum confessione laudis, idest cum gratiarum actione de beneficiis perceptis, & cū spe de percipiendis. Sicut enim in principio timebam[*], ne damnaremur; sic jam confortati à Spiritu sancto timemus adhuc quidem, sed non jam ne damnemur à Iudice, imò ne ab eo minus laudemur. Vnde Apostolus. *Vis non timere? Bonum fac, & habebis laudem ex illa.* Aliter quidem timet ancilla dominā, aliter vxor maritum. Illa timet, ne prorsus expellatur; ista, ne parum diligatur. Similiter jam in Spiritu sancto exhilarati, dolemus adhuc quidem, non pro diluto crimine, sed pro dilato munere: sicut dolet quidam dicens. *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est.* Confitemur quoque Domino, nō quidem peccata nostra, quæ jam confessa, & dimissa sunt; sed beneficia divina, quæ nobis gratis data sunt: sicut confitebatur, qui sic loquebatur. [Confitebor tibi Domine Rex, & collaudabo te Deum Saluatorem meū; confitebor nomini tuo, quoniam adjutor & protector factus es mihi, & liberasti corpus meum à perditione.] Huiusmodi autem ignis mentem quidem nostrā non contristando macerat, sed exhilarando impinguat: sicut apparuit in illo fratre, qui pane & aqua per annum sustentatus, post annum apparuit pinguis & hilaris, velut in Domino confor-

Psal. 31.

Gratia Spiritussancti comita.

Rom. 13.

Psal. 119.

tatus. Nam sine intermissione in cella sua cum multa lætitia & exultatione Deo gratias egerat; quia eum à seculo revocauerat, & societati sanctorum conjunxerat, & ab inferno eripuerat. Sic etiam in nostris congregationibus multoties accidit: in quibus sunt adolescentes, qui cùm cibis aridissimis nutriantur, tamen corpulentiores & coloratiores sunt, quàm cùm olim in seculo cibis delicatissimis vtebantur. Quod in Daniele, & sociis eius, qui cibos regios leguminibus & aqua commutauerunt, olim præfiguratum est. Habemus etiam linguam igneam, cùm non soli saluari volumus; sed de aliorum salute soliciti sumus, edocendo feruenter, vel exhortando efficaciter pro aliis laboramus. Quod vtrumque linguę officium debet esse igneum: quia nec oratio frigida ascendit in cælum, nec exhortatio tepida accendit animum. Et hæc fuit tertia ratio, quare Spiritussanctus venit cum sono, igne, & lingua. Quarta quoque potest induci, quòd ideo venit cum his tribus signis; ad significandum videlicet, quòd eodem ordine quo jam venit ad suam gratiam nobis conferendam, veniet ad judicium, ad rationem de collatis suis muneribus exigendam. Nam de Domini IESV secundo adventu legitur. *Qui venturus est in Spiritu sancto judicare viuos & mortuos, & seculum per ignem.* Si autem veniet in Spiritu sancto, ergo & Spiritussanctus veniet cum ipso. Ipse inquam Spiritussanctus in Filio discretionem judicialem faciet: quia arguet mundum de peccato, & de justitia, & de judicio. Veniet autẽ cum Filio, idest in persona Filij, in qua habitat plenitudo diuinitatis corporaliter; idest qui perfectissimè plenus est potentia, & sapientia, & sanctitate, & bonitate Dei. Sicut enim Pater in Filio est, & Filius in Patre, sic & Filius est in Spiritu sancto, & Spiritussanctus in Filio. Veniet ergo ad judiciũ cum sono, igne, & lingua. Sonus erit in judicio repentinus, quia calamitas erit repentina. *Sicut enim in diebus Noë edebant homines & bibebant,* &c. *vsque in diem qua intrauit Noë in arcam, & tulit omnes, ita erit adventus Filij hominis. Cùm enim dixerint, pax & securitas, veniet repente calamitas: quia dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet.* Sonus ergo erit repentinus, idest terror subitus, & immensus ignis cum sono adveniet, non super centum viginti tantùm, sed super mũdum totum. Qui etiam non solùm erit lucidus, sed etiam vrentissimus. Erit autem fortassis injustis noxius, & justis innoxius; sicut fuit ignis Babylonicus tribus pueris in fornace, quibus omnino non nocuit, & tamẽ Chaldæos fornaci proximos incendit. Porrò lingua ignea non est nisi illa definitiua Iudicis sententia, qua reprobis dicet. *Ite maledicti in ignem æternum,* &c. electis autem, *Venite benedicti Patris mei,* &c. quę ignea, idest molestissima erit reprobis; sed ignea, idest clarissima carissima & vtilissima, quibus dicetur, *Venite benedicti Patris mei, percipite regnũ, quod vobis paratum est ab origine mundi.* Ad quod nos perducat Iudex ipse viuorum & mortuorũ IESVS Christus Dominus noster, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat Deus per omnia secula seculorum, Amen.

Daniel. 1.

Officium linguæ igneum.

Ecclesiæ verba.

Mat. 24.

Mat. 25.

Sermo 3. In festo Pentecostes.

Verba Ecclesiæ.

ADVENIT *ignis Diuinus.* Est ignis bonus, & est ignis malus: est ignis diuinus, & est ignis diabolicus. Ignis malus & diabolicus, alius est culpæ, scilicet cõcupiscentia; alius pœnæ, scilicet gehenna. Vterque ignis numquam dicit, sufficit: vterque insatiabilis est. Ad differentiã hujus mali ignis, is qui hodie in Discipulos Christi venit, Diuinus vocatur. Quòd autẽ dicitur, *Advenit,* ignem gratiæ declarat, non ignem gloriæ, quæ nondum advenit: ideo hoc tempus dicitur gratiæ, non tempus gloriæ. Ignis ergo diuinus, id est ignis diuinæ gratiæ jam aduenit, id est abũdanter ad nos venit: vt in quibus abundauit peccatum, superabundet gratia. Ecce fratres carissimi, gratia Dei omnibus se offert. In nobis est vel recipere, vel repellere. Pulsat ad ostia singulorũ. si quis ei aperuerit, intrabit ad eum; non ad vnũ solùm, sed ad singulos. Ignis est enim; nec ex sui distributione minuitur, sed potiùs augetur. Augetur dico, non in sui substantia, sed in participatione. Nemo autem se excuset de impossibilitate, quòd eam non possit recipere. Ignis est enim, quẽ omnia possunt sentire, vel incendentem, vel calefacientem. Ad ignem benignè accedentes calefiunt, vehementer autem repellentes incenduntur. Similiter Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Valles abundant frumento, & inter medium montium pertransẽũt aquæ: sed feriunt summos fulmina montes. Hic ignis lucet in quibusdam, in aliis occultus est. Lucet in electis jam bene operantibus: occultus est in electis adhuc errantibus, & adhuc corrigẽdis: sicut ignis in carbonibus mortuus adhuc reaccendẽdus. Videat autem qui hunc ignem receperit, ne perdat receptum: sed conseruet in perpetuum. Ad quod necessaria est materia, quæ pascatur. Et ideo, sicut in lege legitur, subjiciẽda sunt ligna per dies singulos: vt hic ignis jugiter ardeat in altari. Ligna verò, quæ fomes ignis sunt, exempla Sanctorum, vel monita Doctorum, vel lectionem diuinorũ mandatorum accipienda arbitror: vel certè jugẽ memoriam grauium peccatorũ super fundamentum fidei ædificatorum, & per ignem acerrimæ pœnitentiæ purgandorum. Hęc subjicienda sunt mane per singulos dies, id est cogitãda initio cujuslibet tentationis ad inanem gloriã pertrahentis: & similiter vespere, id est in omni tentatione inutilem tristitiam suggerente: & sic semper ardebit ignis, id est feruor boni operis, in altari cordis. Nemo autem desperet, quòd à gratia Dei nõ possit purgari, tamquàm nimis sordidus: vel illuminari, tamquã densissimis tenebris obumbrat*. Ignis est enim, qui domat omnia, & quo etiam de durissimis lapidibus excutitur scintilla. Item nemo potest ex suis operibus se illam meruisse, vel suis meritis illam posse conseruare. Ignis est enim qui per seipsum mouetur, per se mouens aliud, & semper est in motu. Similiter spiritus vbi vult spirat, & nescimus, vnde veniat, id est pro quibus meritis nostris ad nos veniat, quando venit: nec quò vadat, id est nec quare nos relinquat, quãdo ad tempus relinquit: quod sæpe etiam iustis contingit, nihil sibi consciis. Ignis autem quia semper in motu est aut crescit, aut deficit Sic gratia Dei. Aut enim in ea proficim*, aut deficimus: nec est medium; quia non potest ignis in eodem statu permanere. Nemo ergo negligat gratiam Dei. Ignis est enim: qui neglectus extinguitur. Vnde. *Noli negligere gratiam Dei, quæ est in te.* Et alibi. *Spiritum nolite extinguere.* Non negligere autem gratiam Dei, est se in data gratia in omni feruore deuotionis exercere. Item nemo conqueratur, se

Gratia Dei potest repelli

Quomodo gratia sit cõseruanda.

1. Timo. 4.

1. Thessal. 5.

parum gratiæ accepisse. Ignis est enim: & ignis ex modico crescit in immensum. Similiter quilibet gratiam quam accepit de modica potest facere magnam, si illam non neglexerit. Ignis autem ad nimis remota non transit, sed tradit se proximantibus. Sic gratia Dei ad elongātes se non vadit, sed elongat se ab eis; sicut scriptum est. *Noluit benedictionem, & elongabitur ab eo.* Ideo Propheta invitat, dicens. *Accedite ad eum, & illuminamini.* Nihil igni sic contrariū, vt aqua: & gratiæ Dei nihil magis repugnat, quàm luxuria, sicut dicit Apostolus *Corruptio incorruptionem non possidebit.* Ignis nec frigidus est, nec tepidus, nec parū calidus: sed fervidus & ęstuans: sic gratia Dei in frigidis non moratur, nec in tepidis, sed in fervētibus spiritu. Vnde in Apocalypsi. *Vtinam calidus esses, aut frigidus: sed quia tepidus es, evomam te ex ore meo.* Quod est dicere. Vtinam aut Christianitate ferveres, aut infidus esses; nam de te non gustarem, vtpote cibo vel potu mihi ignoto, & ita mihi nauseam non provocares. Sed quia nomen Christiani habes, non possum, quin tentem quid sentias; & quoniam te tepidum sentio, mihi nauseam provocas & vomitum. Hoc generaliter de omnibus Christianis, specialiter autem intelligendum de nobis monachis: quibus fervorē justitiæ professis pejus est post votum reperiri tepidos, quàm ante votum frigidos fuisse. Numquid non tepidi sunt, qui terrenis se immergentes solatiis, superna non quærunt, ad cęlestia non aspirant? Quid habēt isti de igne diuino: de igne, qui semper sursum fertur, & sursum mouet & effert? Certè qui non sursum mouentur, non aguntur spiritu Dei, imò nec humano, sed spiritu iumenti, qui semper sequitur carnē, & deorsum fertur. Ignis etiam diuini ardorē efficacem, à quo ordo Seraphim cōcreat' est. S. Dionysius sic describit. *Mobile enim semper eorum circa diuina, & incessabile, & calidum, & acutum, & superferuidum intentè & non indigentis & inflexibilis semper motionis, & suppositorum reductiuè & actiuè assimilatiuum, recalificans illa, & resuscitans in similem caliditatem, & igneum calitus, & holocaustè purgatiuum, & incircumvelatum, & inextinguibilem, habentem sic sic semper luciformem & illuminatiuam proprietatem omnis obtenebrosæ obsanctificationis scrutatricem, vel persecutionem, & manifestationem Seraphim nominationes aut manifestationes docent.* Hæc sunt verba B. Dionysij, imò tonitrua: quæ plus stuporis & admirationis, quàm cognitionis afferunt. Videntur autem ad amoris naturam referri. Tota enim Seraphim vita, actio & affectio omnis, amor est ad Deum & proximū, qui prædictis verbis significatur. Pauca verò de his transcurrendo potiùs quàm exponēdo, & diuinando potiùs quàm disputādo dicamus. Constructio eorum à fine est inchoanda, hoc modo. Nominationes seu manifestationes Seraphim docent mobile eorum: id est interpretatio & manifestatio huius nominis *Seraphim*, quod est numeri pluralis. Ideo autem dixit nominationes vel manifestationes, plurali numero: quia nō est vnica, sed multiplex nominis *Seraphim* interpretatio. Seraphim autem interpretantur principium oris eorum, vel ardentes, vel incendentes. Prima interpretatio significat, quòd hi spiritus primū locum obtinent circa Deum; & quia primi loquuntur secreta Dei & laudes: secunda significat, quomodo ardeant amore Dei; tertia quomodo incendant amore proximi. Ait ergo. *Nominationes vel manifestationes Seraphim;* idest interpretatio multiplex huius nominis Seraphim. quę est manifestatio significationis illius, *docet mobile eorum semper* &c. idest demonstrat, quòd illi spiritus sēper mouentur circa diuina & incessanter; & calidum, idest quòd calent, & acutum, idest quòd penetrant, & superfervidum, idest quod penetratione ferventiores redduntur ad penetrandum. Docet inquit mobile, idest mobilitatem motionis eorum, idest affectus; motionis dico intentæ, idest affectionis in Deum tendentis, & forsan intimæ. Sic enim postea in alia translatione legitur, idest forsan in Deum ipsum intrantis. Quòd autem dixit, forsan, non tam ad dubitandum posuit, quàm ad sententiam tēperandum: quasi diceret affectionis dico forsan intimæ, idest non penitus intimæ, sed tamen intimæ. Quidquid enim in Deum intrat, reuera intimum est, sed non penitus intimum: quia non omnia secreta ejus creatis spiritibus penetrabilia sunt, nec intus potest cognosci, nisi à se solo, sicut ait Apostol'. *Nemo scit, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est: similiter & quæ sūt Dei nemo cognouit,* subaudi ad plenum & ex toto, *nisi spiritus Dei.* Ideo etiam præmiserat *circa diuina.* Non enim dixit in diuina, sed circa diuina. Quantumcumque enim intretur in cognitionē Dei ab his beatissimis spiritibus, semper tamen sunt quasi circa, non quasi intra. Intra sunt tamen, quantū ad ea quæ capiunt; sed circa sunt, quantum ad ea quæ non percipiunt. Ideo etiam ait *circa diuina* pluraliter, non circa Deum, quia in Deo sunt multa beatis spiritus cognoscibilia, sed etiam multa incomprehensibilia. Hoc est ergo *forsan intima,* idest non vsque ad plenitudinem, vt ita dicam intimitatis diuinæ; vel si legatur, *non indigentis,* idest affectionis non à suo desiderio frustratæ, sed suum desiderium ex toto complentis, *& inflexibilis,* idest non in fastidiū se reflectentis. Et est quasi expositio eius quod dixerat, *intenta,* idest in Deum semper tendentis, & numquam ab eo se auertentis. Igitur mobile significat velocitatē affectionis eorum. Motus enim eorum, vel potiùs, mobilitas, nihil aliud est, quàm voluntatis eorum vel affectionis, vel concupiscentiæ, vel desiderij summa agilitas, celeritas, velocitas, vel potiùs volatus. Vnde nō solùm cum pedibus, sed etiam cum pennis & alis pinguntur: quia sicut penna auis levis est, & jucunda, & fulgida; & sursum ferens, ita & affectus eorum. Nostri autem affectus pedes animæ vel gressus dicuntur. Vnde Propheta. *Mei autem pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei,* idest affectus mei ferè ad malum opus prolapsi. Et bene Grego. *Velle,* inquit, *aliquid facere, iam mente ire est.* Si autem nostri affectus, qui per carnis & spiritus repugnantiam multum tarditatis patiuntur, aliquando etiam in Sanctis adhuc in carne positis, pennæ appellantur: quantò rectiùs affectus illorum, qui toti sunt Spiritus! Velocitas ergo affectionis illorum significatur per hoc nomen *mobile*: munditia verò & sanctitas per hoc quod sequitur, *circa diuina.* Nihil enim aliud desiderant, quàm Deū. Perseverantia verò per hoc quod subditur, *& incessabile;* hujus perseuerantiæ feruor notatur, cùm dicitur *& calidum.* Potest enim aliquid semper & remissè moveri; vt fluvius Arar, qui semper currit, sed adeo lentè, vt dubium sit aspicientibus in vtram partem currat. Sed quia est aliquis feruor

Psal. 118.
Et 33.
1. Cor. 15.
Apocal. 3.
Dion. de Cale. Hierar.
1. Cor. 2.
Psal. 72.
Greg hom. in Euang.

sine efficacia, ideo sequitur *& acutum*; idest penetrativum & penetrans, quod significat adeptionem rei desideratæ. Sed quia adeptio rei desideratæ solet minorare desiderium adipiscentis circa rem possessam, ideo subditur, *& superferuidum* quod significat quamdam superni ferworis ebullitioné, quę illos replet ad satietatem, & quodammodo manat ad desiderium; sicut videmus fieri in cacabo assiduè bullienti, vt ex fervore continuo repleatur vsque ad summum, & evacuetur vsque ad fundum; & replendo euacuetur, & euacuando repleatur. Quia verò liquor ille, qui in illis bullit spiritibus inconsumptibilis est; & ardor de quo illa prodit ebullitio inextinguibilis, & ipsa ebullitio imminorabilis, ideo in illis est semper acutum & superferuidum. Quia autem in Deum semper penetrant, & semper penetrare desiderant; quia vt ait quidam sanct°, augent spirituales deliciæ desiderium in mente, dum satiant; juxta illud; *Qui edunt me, adhuc esurient; & qui bibunt me, adhuc sitient:* Est itaque delectabiliter in illis impressa simul sitis atq; satietas. Nam desiderant sine labore, quia desiderium satietas comitatur: & satiantur sine fastidio, quia ipsa satietas ex desiderio semper accenditur Longè abest à siti necessitas, longè à satietate fastidium: quia sitientes satiantur, & satiati sitiunt. Hoc est ergo quod ait superferuidũ, idest ex feruore superabundans, & ex abundantia superferuens. Hoc enim superferuidum significat illud immensum divini gaudij pelagus, quò eorum acutum penetrat, & se immergit, Cuius gaudij supereffluentia ineffabiliter scibilis, & liquidi acumen illud potentissimum non retundit & hebetat ad resiliendum fastidio, sed potiùs animat & renouat ad penetrandum desiderio. Nam ingens ille feruor vehementis incendij, qui in illius ordinis summo camino semper exæstuat, nihil aliud est, quàm diuini amoris sancta vehementia. Liquor autem, qui in illius camini vasis optimis & probatissimis ex illius ardoris incendio superfervet & ebullit, nihil aliud est, quàm divinæ voluptatis torrens, per illorum spirituum corda capacissima superexcurrens; & illud flumen gaudij, & fluvius ille pacis, quæ exuperat omnem sensum, & illorum beatorum spirituum flagrans desideriũ non solùm transcédit, sed etiam accendit. Hujus liquoris tenuitas inenarrabilis, & subtilitas inexplicabilis, & ineffabilis jucunditas, in aquis illis supercælestibus signatur, quæ ibi suspensæ feruntur ad suauitatis rorem inferioribus infũdendum. Illud tamen gaudium, illa voluptas aqua dicitur, & vinum, & torrens, & fluvius, & mare. Aqua, quia mundat & sanctificat; vinum, quia delectat & lætificat; torrens, quia desideriũ reaccendit & renouat: fluvius, quia abundat & satiat: mare, quia in immensum omne desiderium transcendit & superat. Hoc superferuidum Dionysij videtur ꝑmittere Dñs his verbis. *Mensuram bonam, & confertam, & coagitatã & supereffluentẽ dabunt in sinus vestros.* Alibi autẽ dicit. *Eadẽ mẽsura, qua mensi fueritis, remetientur vobis.* Hujus tamen posterioris loci sensus est, Si parvam mensuram dederitis, parvam recipietis; si magnam, magnam: semper tamen magis recipietis, quàm dederitis: quia mensuram bonam & coagitatam & supereffluentem dabunt in sinus vestros. Et hoc est, quod etiam dicit Apostolus. *Qui parcè seminat, parcè & metet: & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.* Timor minarum est mensura bona, spes promissorum mensura conferta, custodia mandatorum mensura coagitata. Mensuram supereffluentem possumus dicere additionem ad illa tria, quæ in Deuteronomio leguntur. *Diliges Dominum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omni fortitudine tua:* non enim ibi additũ est, *& ex tota mente tua.* Et tamen Legisperitus à Domino interrogatus, quid in lege scriptum esset, ait. *Diliges Dominum* &c. *ex tota mente tua.* Quod responsum Dominus non solùm non reprehendit, sed etiam cõfirmauit dicens, *Rectè respondisti.* Aut ergo in Hebræo scriptum erat, vt Legisperitus respondit, aut in aliqua translatione, aut certè æquipollens. Nam in eo quod dicitur in translatione nostra tertio loco, *Et ex omni fortitudine tua,* puto etiam comprehensum, *Et ex omni mente tua,* quia fortitudo tota hominis non in solis viribus corporis est, sed etiam in viribus mentis. Duplex fortitudo in Deuteronomio comprehensa est sub vno membro. In Luca verò divisa est in duo membra. Quidquid ergo mẽsuramus, aut de primo gradu est: vt multum de secundo aut vt perfectum de tertio Supereffluentia verò in præmiis tantũ, non in meritis est. Vides ergo, quomodo superferuidum Dionysij, supereffluens Domini, præmium designet. Mensuram bonam nobis remetitur Dominus, quando nos liberat à damnatione perpetua: confertam, quando nos induit stola prima, in qua singulariter nos in spe constituit, & omnino eruit à timore: coagitatam verò nobis reddet, quãdo secunda immortalitatis stola nos vestiet: at supereffluenté nobis cumulabit, quando suæ visionis, quæ omne desiderium superat, æterna beatitudine nos donabit. Nec solùm in hac parte superfluit mensura Domini mensuræ nostræ; sed etiam in singulis istorum graduũ. Quidquid enim damus vel facimus, temporale est, & transitorium: quidquid autem recepturi sumus immortale est, & æternum, Igitur mittentes semina nostra in operibus bonis, & in lacrymis, non deficiamus: tempore enim suo metemus, non deficientes. Væ parcè seminantibus ab avaritia: væ nihil seminantibus à pigritia: ve mala seminantibus à stultitia; væ bona seminantibus in perfidia. Primi parcè metent, secundi nihil metunt, tertij mala metunt, quarti etiam nihil metunt, quia semen suum perdunt. Væ inquam tepidis, pigris, carnalibus, hypocritis. Sed de his aliàs. Sic ergo descripsit Dionysius ardorem Seraphim in Deum, cùm dixit, *Mobile eorum circa divina,* &c. Quod autem sequitur, incendium illorum demonstrat in proximũ; de quo ad præsens nihil dicimus: quamuis hoc satis pertineat ad materiam nostram, qui de igne caritatis tractamus. Hæc autẽ pauca diximus, vt vel ex parte monstraremus, quomodo caritatis igne fervere debeamus. Nam vt nobis de camino illo cælestis Ierusalem scintillas aliquas sancti fervoris verborum Dionysij malleus excutiat, sciamus nostri amoris mobile esse circa divina nostrorum puritatem affectuum, & operum, quib° ad Deum gradimur. Nam pedes nostri affectus sunt: gressus istorum pedum opera: porrò incessabile hui° mobilis perseverantia in vtrisque. Calidum huius incessabilis feruor in opere, & ardentissimus zelus justitiæ, & desiderium patrię ferventissimum. Acutum huius calidi aut spes est

Marginalia: *Eccli.* 24. — *Beatorum satietas sine fastidio.* — *Luc.* 6. — *Ibidem & Mat.* 7. — 2. *Cor.* 9. — *Deuter.* 6. — *Luc.* 10. — *Quando Deus det nobis mensuram bonam &c.*

ipsius desiderij, quæ per acumen suum velut anchora quædam incedit post Christum Pontificē vsque in interiora velaminis; aut certè excessus noster quantuluscumque in contemplatione. Hic est enim in hoc sæculo nostri amoris acumē. Nam per illum solum amādo in Deum penetramus. Huius autem acuti superferuidum, est ipsius contemplationis tam exundans gaudium in comprehensione, quàm stupor inundans ex admiratione. Videtur autem mobile hic significare aptitudinem potiùs quam actum, vt mobile idem sit ac moueri aptum: incessabile verò privationem cessationis. Igitur mobile pertinet ad eorum subtilem & simplicem naturam, incessabile ad perfectam eorum industriam. Porrò calidum, acutum, & superfervidum tam gratiam prævenientem significant, quàm subsequentem. Nam sine calido nec mobile quidem haberetur. Nullus enim motus sine calore, nec calor sine motu: sed motum calor accelerat, & calorem motus augmentat: & magnus calor facit motū velocem, & velox motus magnum calorem. Calidum ergo significat præcedentem gratiam, quæ dedit illis mobilitatē circa divina, idest naturam aptam ad appetenda diuina. Incessabile verò significat liberum eorum arbitrium ab hac diuina gratia nunquam recessisse. Porrò acutū & superferuidum significant diuinam gratiam hanc stabilitatem in eis confirmasse, vt jam nec possint esse inhabiles ad intelligendū Deum, nec parum ferventes ad diligendum; sed semper acuti sint ad penetrandum, & superferuidi ad superferuendum: idest non solùm ad semper fruendum, sed etiam ad superfruendum, hoc est ad beatiùs quàm alij, fruendū, vt summi Angeli.

Verborum Dionysij adaptio.

Vt totam mensuram Domini mensuræ Dionysij comparemus, possum' dicere, amoris nostri mobile semper circa divina versari, idest naturalem nostram aptitudinem bona appetendi, si sit incessabile, hoc est, si in bono appetitu perseveret, esse mensuram bonam. Quòd si non solùm motum hunc incessabiliter habeat, sed etiam perseveranter in eo caleat & ferueat; esse mensuram confertam. Si autem calidum hoc vsque ad acutum penetrativæ & lætificantissimę spei proficiat; esse mensuram coagitatam. Si verò acutum hoc vsque ad excessum contemplationis superferueat, mensuram esse aliquomodo supereffluentem. Hic enim excessus dono gratiæ naturam excedit, & ideo quodammodo supereffluit. Væ illis, qui mobile semper habent circa diuina, & tamen numquam mouentur circa ea. Hi sunt qui talentum intellectus à Deo percipiunt, & illud in terra abscondunt, vel in sudario involuunt; implicantes se negotiis secularibus, vel carnis operibus insudantes. Væ etiam eis, qui acutū habent circa divina, sed non incessabile. Hi sunt, qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Væ etiam illis, qui incessabile habent, & calidum non habent: semper in religione conversantes, & in sua conversatione semper remissi & tepidi, nec spiritu ferventes: cùm Agnū Paschalem non solùm crudum comedere non debuerant, sed nec etiam coctum aqua, sed tantùm assum igni. Sunt quidam, qui huius amoris calidum habent, & acutum non habent. Hi sunt boni simplices & illiterati, qui multum habent deuotionis & dilectionis, & parum cognitionis. Multò autem melius est, vt ait sanctus Hieronymus, rusticitatem sanctam habere, quàm scientiam vel eloquentiam peccatricem. Hujusmodi acutum non est acutum calidi sed frigidi: non acutum ignis, sed acutū ferri, quod semper inutile jacet, & inefficax, si viribus destituatur vrentis, cuius quoque vtilitas ipsa & efficacia sæpius assumitur in mortis ministerium, quàm in auxiliū salutis. Non sic acutum ignis, quod semper ex seipso vtile est, & efficax, non otiosum futurum, si virtutis alienæ suffragium defuerit; sed semper quod suum est sua ipsius potentia facturum. Est non solùm iners, sed etiam pessimum acutum hujusmodi ingenij, si diuini amoris acutum defuerit. Quid enim? Nonne jacebit hebes, & consumptum rubigine, si non quadam velut cote subjungatur studij, & exercitij assiduitate levetur? Quòd si studiosa exercitatio impendatur in artibus infructuosis, & nihil sonantibus literis, quæ inde vtilitas, quod emolumentū? Omne quippe scientiæ subtilius acumen sic est tamquam arista, qua nihil subtilius, nihil inutilius. Sic etiā in liberalibus disciplinis subtilitas multa, & si non ad amorem Dei transferatur, vtilitas nulla. Siquis autē se in scripturis diuinis exerceat, & ipsius Scripturę præcepta non adimpleat, quæ illi inde salus, imò quæ non perniciés? Numquid potentes in Scripturis, si non potentes sint & in operibus bonis, ideo non potenter tormenta patientur? Et certè isti præcipuè vt ait Ieremias, fregerunt jugum, ruperūt vincula. Quis jam vel pro scientia Scripturarum corrigitur? Quis sua scientia vtitur in salutem? Imò quis ea non vtitur in suam perniciem? Quē mihi reperies etiam ex divinarum Scripturarū scientiam affectis, & literas sacras ructantibus, qui quemlibet illiteratum & luxuriosum non magis vincat luxuria, quàm literatura? Quis ex omnibus stipendiariis Ecclesiæ militibus nō magis ventri suo aut gulæ militat, quàm sponso Ecclesiæ Iesu Christo, de cuius patrimonio victitat. Heu, quàm rarò hodie coëunt virtus & scientia! nescio quo vinculo factionis nouæ libidines & literæ sibi cohæserunt. Et hæc non minùs prodigiosa, quàm perniciosa societas. Quid enim illis ad istas; cùm illæ virtutis bonum profiteantur & doceant: illæ verò dedoceant & detestentur? Quando tamen hoc prodigium nō regnauit? A diebus antiquis Philosophorum celeberrimi, nō dico secretè, sed vt ait Hieronym', etiam publicè concubinas habebāt, Adhuc istud regnat prodigium, quādo noctuæ de die volant, nec jam solem fugiunt bubones. Quis clericus erubescit comptus procedere in publicum? quis molli & feminco gressu incedere, imò quis mulier esse? Videas illos, quos oportuerat dare aliis exemplum humilitatis & verecundiæ, gravitatis & pœnitentiæ, ornari morosiùs, discriminato vertice, calamistrato crine, rasitata facie, pumicata cute, capite detecto, nudatis humeris; fluxis lacertis, insculptis brachiis, calceatis manib', chirotecatis pedibus, fissis inguinibus. Et quid sibi adhuc desit ad formæ lenocinium; & sui ordinis & corporis injuriā tata die quæritantes ad speculum, sicque procedentes in publicum cum veste viridissima, mente sordissima, radiantibus anulis de digito, & de animo ridētibus oculis. Denique illā tonsurā, quam in summo vertice tamquā pro Christi stigmate gestare coguntur, ne majore circulo capillorum pesuram attenuet aut hispidet, ita in parvū orbiculū circū cinnant, vt magis videatur signum venalis corporis,

Ierem 5.

In literatos malos.

Coronæ clericorum nimis exigua.

quàm ordinis cleritalis. Et audent isti de sanctarum Scripturarū sacrosanctis mysteriis, buccis rubentibus, inflatis faucibus, turgente gutture, protento aqualiculo, verbis suffocatis doctrinam publicè profiteri? Et quid mihi persuadebunt isti de voluntaria paupertate & abstinentia Christiana; qui asperitatem crucis, & sordes paupertatis. Apostolicæ tam se probant nescire, quàm demonstrant contemnere? Aut quid apud impudicos rosei isti doctores, & arte, non natura formosuli, de pudicitia perorabunt: quorum impudicitiam non dico signat, sed & apertè clamat fama, facies, & ocul⁹, vultus & habitus, sermo & incessus, victus & convictus? Qui tamen & nimis ad loquendum promptuli sunt, & satis ad disputandum spinosuli, & acutuli ad discendum.

Sed si Virgilio puer, & tolerabile deesset
Hospitium, caderent omnes à crinibus

Quid quòd etiam ex huiusmodi canina voluptate ingenium suum acui protestantur? Mentior, si non ego ipse à nonnullis ipsorū hoc audiui. Sed planè non legerant illud viri sapientissimi. Nihil tam mortiferum ingeniis, quàm luxuria. Sed fuerit Stoicus, qui hoc dixit: numquid hanc opinionem de lutosa doctrina hauserunt alicuius porcorum de grege Epicuri? Sed & ipse voluptatis assertor Epicurus, præter facilem, quæ ex literis capitur, voluptatem, nihil magis commendasse legitur, quàm sobrietatem & & continentiam, etiam ab vxore ducenda. Certè Marcus Cato ad filium sic describit oratorem. *Orator est, Marce, fili, vir bonus dicendi peritus.* *Ite nunc,* inquit Seneca, *& in istis fluxis atque expositis, & numquam nisi in turpitudine viris quærite Oratorem.* Ite, & in eisdem quærite Theologos & predicatores. An fortè ad Oratorem in curia pertinet, esse virum bonum, & ad Oratorem in Ecclesia virum libidinosum? Hujusmodi libidinosis Theologis & prædicatoribus hæc inclamat Dominus. *Quare tu enarras iustitias meas: & assumis testamentum meum per os tuum? Tu vero odisti disciplinam: & projecisti sermones meos retrorsum* Væ pueris & adolescentibus, qui huiusmodi præceptoribus traduntur, à quibus antè omnis honestas dediscenda est, quàm vna litera perdiscenda. Non sic Plinius ad quemdam de filio suo, *Trades,* inquit, *illum præceptori ad mores primùm, deinde eloquentiam discat, quæ malè sine moribus discitur* Et Quintilianus Plinij huius præceptor scolaribus dicit cavendum esse non solum à turpitudinis crimine, sed etiam à criminis suspicione. Quamobrem adolescentes in schola permixtos discere cum pueris nequaquam permittebat. Nunc autem probro impudicitię tam humanis quàm divinis condemnato legibus, & vbique jam pudicitiæ titulo per Filium Virginis coruscante; nescio tamen quo pacto velut contra eum conjuratione facta libidines & vitia fœdus iniere: adeo vt apud plerosque jam versum sit in regulam, acuti sensus hominem vix posse fieri continentem. Ecce quàm periculosum est, nos acutos esse, & calidos non inueniri: idest astutos in malo, & non fervente in bono, juxta illud. *Sapientes sunt, vt faciant mala; bene autem agere nesciunt.* Et Dominus in Euangelio. *Filij hujus seculi prudentiores filijs lucis in generatione sua sunt.* Sunt enim multi hodie diserti aduersus iustitiam, & eruditi pro falsitate: sapientes vt faciant mala; eloquentes, vt impugnent verum. Hi sunt, qui iuris Ciuilis & Ecclesiastici captiosam scientiam in piscationis & aucupij artificium conuerterunt; quorum perplexis retib⁹ pauperes illaqueant, & diuites inescant. Et hæc de acuto astutiæ. Et quoniam suprà diximus, naturalis ingenij donum significari per mobile; melius est, vt dicatur per acutum frigidi timorem & reuerentiam designari. Quòd enim frigus acutum sit, ex illo patet. *Gelidusque coit formidine sanguis.* Et Propheta. *Confige timore tuo carnes meas.* Igitur acutum timoris habere sine acuto calidi periculosum est, imò perniciosissimū: quia timere sine spę nil aliud est, quàm desperare. Acutum enim timoris semper quasi deorsum respicit: acutum amoris semper sursum tendit, quia acutum ignis est. Timor respicit ad judiciū, spes ad misericordiam. Nisi ergo acutum spei, quod sursum tendit, acutum timoris, quod deorsum respicit, secum trahat; necesse est, vt acutum timoris animum peccatoris deorsum figat, & ita desperatione opprimat. Quamvis autem aliquis sperare possit, qui non diligit, tamen acutum spei nemo qui non diligit potest habere. Hoc enim acutum numquam procedit, nisi ex calido feruoris. Ergo ne acutum timoris prævaleat, cantemus Domino misericordiam; & ne spes inaniter pręsumat, iudicium Domini cogitemus. Et hæc dicta sint de acuto. Porrò superferuidum habent, & acutum non habent, qui feruentes hoc seculo, nec spem habent in Domino, nec timorem de inferno. Tale quippe gaudium superferuidum dici potest, idest superfluè & inaniter in stultorum cordibus efferuescens. Nobis autem dicitur. *Amen amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit:* sed statim sequitur consolatio, cum subditur, *Sed tristitia vestra vertetur in gaudium.* Aufer à me Domine inane gaudiū, & seculare; vt ad illud cæleste, securum, & solidum, & verè superferuidum tandem aliquando perveniam; & videam oculis meis illud Seraphicum mobile, mobile semper circa te, & incessabile, & calidum & acutum & superferuidum. Et da mihi interim mobile ad quærendum, & acutum ad feliciter inueniendum; & superferuidum ad æternaliter inhærendum, Amen.

Psal. 49. — Ierem. 4. — Luc. 16. — Psal. 118. — Ioan. 16.

Sermo 1. In Assumptione B. Mariæ Virginis.

AVDITE me diuini fructus: & quasi rosa plantata super riuos aquarum fructificate. A bono duplici rosa commendari solet; à pulchritudine, & vtilitate. Pulchritudo in duobus attenditur; in colore, & forma. Roseus color tunc est eximius, cùm folia flāmeam roboris accenduntur ad gratiam: excepto quòd inferiùs iuxta foliorum radices paululū quid subtilissimi, & subobscuri candoris interlucet: quod ipsum tamen 5. breves & virides folliculi superiùs acuminati, velut quædam pyramides extructæ forinsecùs muniendo occultent. Forma verò rosæ tunc ex actissimi decoris est, quando eadem folia non omnino clausa videri refugiunt, nec languida resupinatione lacescunt; sed ita temperatè papillati corymbi circumpansa globositas rigiditate mascula se diffūdit & erigit: vt calathi labellula castigatè ridentia osculū à superis expetere videantur. Ideo

Eccli. 39.

verò calath⁹ quò maiore numero stipatur foliorũ eo magis accedit ad oculorũ gloriam, & aspectus illecebram numero lenocinante succressit. Hæc materialis pulchritudo rosæ: nunc de mystica videamus. Candor ille subtilis iuxta radices foliorum rosæ, est perpetua cordis munditia in Maria virgine ab ipsa, vt ita dixerim, natiuitate affectuum, tamquam è radicibus foliorum procedens, quinaria sensuum corporeorum custodia foris inexpugnabili munimento tegens & protegens quam semper integram perfectissimè custodiuit, & vsque ad perennis impeccantiæ puritatem prouexit. Ideoque adeo subtilis est, & subobscura, vt vsque hodie à nonnullis nostrorum temporum Theologis nec videri, nec intelligi, nec credi possit; peruersè intelligentibus authoritatem Augustini, qui hanc euidenter asserit, dicens. *Quando de peccatis agitur, de B. Maria matre Domini, propter honorem Domini, nullam prorsus volo fieri quæstionem.* Et quasi ab eo quæreret quis, quare hoc diceret, reddit rationem dicens. *Inde enim scimus plus illi collatum gratiæ, ad vincendum ex omni parte peccatum, quod illum concipere meruit, qui nullum potest habere peccatum.* Quoties, inquit, de peccatis agitur, idest siue agatur de peccatis iuvenum, siue senum, siue de peccatis adolescentium vel puerorum, siue de peccatis infantium vel de matre nascentium, de cuiuscumque ætatis humanæ peccatis agatur; semper excipienda est Maria. Si autem proprium aliquod habuit, non ergo ex omni parte peccatum vicit. Sed peccatum ex omni parte vicit. Ergo proprium numquam habuit peccatum. Quid manifestiùs dici potuit? Et tamen nostri Theologi somniant, Augustinum hoc intellexisse ab illo tempore, quo beata Maria Dominum concepit. Sed beatus Bernardus hoc veriùs & meliùs intellexit dicens. *Absit, vt domus Virginis proprij inquinamenti aliquando aliquid habuisse credatur.* Et addit. *Quòd si à parentibus originalem traxit maculam, minus à Ieremia sanctificatam in vtero, aut minus à S. Ioanne Spiritu sancto repletam, credere prohibet pietas Christiana.* Quibus magis credendum est, Augustino & Bernardo viris sanctitatis & scientiæ plenis, Doctoribus Ecclesiæ nobilissimis, an præceptoribus moderuis? Ideo non mihi placet illa sententia, quam Petrus Lombardus in suis sententiis ponit dicens. *Caro Christi obligata fuit peccato semper, antequam Verbo vniretur; sicut & reliqua Virginis caro.* Hiccine est honor, quẽ Augustinus iubet Matri Dei deferri, vt cùm de peccatis agitur, nullam de ea habeamus quæstionem? Ego igitur firmissimè credo, & nullatenus dubito, & confidenter dico, quòd Scriptura sancta Mariam matrem Domini nequaquam comprehendit. Scriptum est enim. *Qui natus est ex Deo, non peccat,* subaudi, ait beatus Hieronymus, quamdiu semen Dei manet in eo. Semen autem, quod est Spiritussanct⁹, semper mãsit in Maria à prima sua sanctificatione, non in eodem gradu sanctitatis eam conseruans, sed sẽper magis ac magis eam sanctificans. Ideo in Cãticis dicta est progredi nascendo, scilicet quasi aurora consurgens, cujus claritas numquam minuitur à primo ortu suo, sed semper crescit. Maria igitur sicut sancta, & sine peccato nata est, ita semper sancta, & sine peccato permansit, & semper in sanctitate profecit, & claritate. Cui ergo peccato obligata erat caro Christi, antequam à Verbo assumeretur, aut reliqua Virginis caro? Omne peccatum aut originale est, aut actuale. Originale iam dimissum erat, actuale nullum commiserat, semine Dei, idest Spiritu sancto in ea permanente, & eam sanctã conseruante. Quomodo enim templum illud deserere poterat, quod semel vsibus diuinis dedicaverat? Ideo Spiritussanctus dicitur in eam superuenisse ad implendam conceptionem Verbi, quasi qui numquam priùs ab ea discesserit, semper in ea manẽdo custodierit immunem à peccato, & in sanctitatis profectu abundare fecerit. Tunc autem abundantiùs in eam venit, quàm in aliquem vmquam sanctorum. Hieronymus in 3. libro contra Pelagianos. *Hoc & nos dicimus, posse hominem esse sine peccato, si velit, pro tempore, pro loco, pro imbecillitate corporea, quandiu intentus est animus, quamdiu nulla chorda nullo vitio laxatur in cithara, Quòd si paululum se remiserit, quomodo qui aduerso flumine lembu trahit, si remittat manus, statim retro labitur, & fluentibus aquis, quò non vult ducitur. Sic humana conditio si paululum se remiserit, discit fragilitatem suam, & multa se non posse cognoscit.* Secundùm hanc similitudinẽ Hieronymi, dico gratiam Spiritussancti semper cor Mariæ intentum, tenuisse, & quasi lembum aduerso flumine traxisse: ita vt quod non poterat ex natura, posset ex gratia. Quod igitur dicit postea Hieronymus. *Perpetuitatem impeccantiæ soli Deo reseruare debem*, verum est. Solus enim hoc potest, qui per se potest sine alterius auxilio. Quòd autem Maria hoc potuit, nõ de se, sed ex gratia conseruante potuit. Nam vt ait Hieronymus in eodem libro, Quidquid ex alterius pendet arbitrio, non eius est, quem posse contendis, sed illius, sine quo esse non potest. Ergone impossibile fuit Dei Verbo, vt carnem quam de Virgine sumpturus erat, ab omni peccato priùs mundare non valeret, quàm illam assumeret? Aut forte volebat, sed non valebat? Eadem verò quæstio est; de reliqua carne Virginis, quam totam vsque ad illud tempus dicunt fuisse obligatam peccato. Vbi est ergo illa Domini sententia. *Honora patrem tuum & matrem*? Neque enim illam honorauit, vt debuit; si eam ex quo potuit, non à peccato mundavit; ex qua ille in carne & anima homo esse inciperet. Quid igitur fecerat Spiritussanctus, quando eam sanctificaverat in vtero? An forte sanctificarat eam ex parte, non ex toto? Idest in anima sola, non in carne? Sed quid absurdius? Restat ergo vt ex tunc tota sanctificata sit in carne & anima. Ergo ex tunc caro illius desiit esse obligata peccato. Sed dicunt, quòd etiã Ieremias & Ioannes in vtero sanctificati sunt, & tamen postea vtriusque caro fuit obligata peccato. Quę comparatio vtriusque ad Mariam, ad Dominam! Ergone Spiritussanctus æqualem gratiam credendus est dedisse illis, & isti? Absit. *Quis in nubibus æquabitur Domino, similis erit Deo in filiis Dei?* Idem dici potest de Maria. *Quis in nubibus æquabitur Dominæ*, matri Regis Angelorum? non dico jam existenti matri, sed adhuc futuræ; quæ ab æterno prædestinata fuit velut in coniugem patris spirituum, vt communem cum illo haberet filiũ & esset mater Filij Dei, sacrarium Spiritussancti, templum totius Trinitatis, propria domus sapientiæ, sicut scriptum est. *Sapientia ædificauit sibi domum.* Sapientia sapienter semper agit, vt ait Hieronymus, Semper igitur domum suam mũ-

Opinio Magistri sente.

August. lib. de na. & gra c. 30.

Bern. serm. 4 in Assumptione.

Magister in 3. sent. dist. 3

1. Ioan. 3.

Hiero dial. 3. cõt. Pelag

Ibidem

Exod. 20.

Psal. 88.

Prou. 9.

dam conseruauit. Quis enim sapiens domum sibi ædificans ad habitandum, ab ipso ædificationis initio non velit eam, si possit, omni carere vitio? Certè sicut dignum fuit, beatam Mariam post conceptionem semper mundam ab omni peccato manere, quia mundatorem mundi conceperat, ita dignum fuit, eam etiam ante conceptionem filij semper mundam ab omni peccato manere, vt tali conceptione digna fieret. In libro Regum legitur, quòd dum domus Dei ædificaretur, malleus & securis non sunt audita in ea. In hoc autem loco præter sensum historicū de domo lapidea, & anagogicum de peregrinante Ecclesia in cælum subleuanda, tertius est allegoricus de Virgine Maria, quæ dum ædificata est in domum Dei; per totū scilicet tempus, quo nutrita est à Spiritu sancto ante conceptionem Domini, non sunt audita in ea humanis auribus vel Angelicis vel divinis, malleus & securis, peccata scilicet actionis & cogitationis. Per malleū enim quo percutimus exteriùs, peccatum intelligitur externum operis, quo locutio etiam comprehenditur; per securim, quæ etiam posita est ad radicem arboris, idest ad intentionem cordis, peccatum intelligitur cogitationis, quæ semper est radix pravę actionis. Vnde Isaias. ***Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis.*** Igitur dum ædificaretur domus Dei Maria, idest dū adhuc præpararetur, vt in eanō solùm spiritualiter, sed etiam corporaliter habitaret Deus homo, in ea, & ex ea factus, non sunt audita in ea malleus & securis: quia in toto illo spatio quo ædificata est hæc virgo in domum sublimissimā super cęlos omnes collocandam, in ea post primam sanctificationem quam accepit in vtero matris suę peccatum non fuit, nec exterius nec interius. Sapientia itaque in ædificanda domo sua nullum opus insipientiæ reliquit. Quod est autem opus insipientiæ, nisi peccatum? Ideo etiam sapientia excidit columnas 7. idest omnis spiritualis gratiæ necessarium fulcimentum in ea posuit, ad cauēdum omne peccatum & ad augendam omnem virtutem. Cuius ergo vitio subiectos dicem⁹ parietes huius domus post primam sanctificationē; idest cui peccato obligatum huius sanctissimæ Virginis corpus? Deus bone! cui peccato obligata esse potuit caro huius Virginis, quam ab æterno in matrem elegeras: quam in matris vtero totam sanctificaueras, & Spiritu sancto plusquā Ioannem præcursorem tuum repleueras? Quam antequam ex ea & in ea carnē assumeres, tuo Sācto spiritu semper foueras & nutrieras: quam in benedictionibus dulcedinis totam sic præueneras, quam cælestibus disciplinis totam sic instruxeras, quam auro pudicitiæ & omnis sapientiæ spiritualis intus & exterius totam sic ornaueras, quam thesauro humilitatis totam sic repleueras? Qua igitur ex parte intrare potuit peccatum in hortum sic conclusum, in fontem sic signatum? Neque enim propter solam puducitiam vocata est hortus conclusus, vel fons signatus, aut porta clausa: sed propter perfectam sanctitatis & iustitiæ custodiam, & propter carentiam omnis offensionis, qua ita custoditum est corpus eius & cor eius omni custodia: vt ex nulla vnquā parte intrare potuerit in eam peccati macula, à tēpore primæ sanctificationis eius. Vnde antonomasticè formosa in Canticis appellatur. Nam vt ait Orator egregius, Non est formosa, cuius crus laudatur aut brachium: sed illa, cuius facies vniuersa admirationem singulis partibus abstulit. Hanc perfectionem, & perennem cordis corporisque custodiam significant illi 5. folliculi, ab inferiori parte rosam circumstantes, in formam pyramidum figurati, sicut in Canticis in laudem eius dicitur. *Collum tuum sicut turris eburnea.* Per collum quippe caput vnitur corpori, & idem collum & tale pulchrè Mariam significat, quę post Christum qui est caput eiusdem corporis, quod est Ecclesia, eminentissimum mēbrum est, & mediatrix nostra; per quam meruimus Authorem vitæ suscipere: per quam Christus fact⁹ est mediator Dei & hominum. Et quàm conuenienter collum illud turri eburneæ comparatur! Tale namque collum tali capiti congruebat, quod portat omnia verbo virtutis suæ: cuius pulchritudinem sol & luna mirantur, in quem desiderant semper Angeli prospicere. Sicut enim de isto capite scriptum est, ***Dominus regnauit decorē indutus est, indutus est fortitudinē:*** sic & de collo, ***Fortitudo & decor indumentum eius.*** Hæc enim mulier fortis inventu quidem difficilis, sed tamen aliquando tandem inventa est, tam fortis, vt semper de hostibus, mulier de fortissimis, sola de innumeris triūpharit: tam pulchra, vt nec maculā, nec rugam peccati aliquando habuerit: & ideo totius pulchritudinis Author singulariter eam dilexit. Bene ergo dicitur turris eburnea virgo prudentissima, mulier pulcherrima simul & fortissima: sublimis voto, præcelsa merito, fortis proposito, recta consilio, erecta desiderio, inexpugnabilis inimico, virginitate candida, affectione munda, puritate solida, zelo castitatis armata, proposita omnibus in exemplū sanctimoniæ, superposita cunctis in refugium misericordiæ, circumposita singulis in præsidium pugnæ, reposita vniuersis certantibus in præmium coronæ. Sanè tali ædificio nil speciosius, nil pretiosius propter candorem eboris! nil fortius, nil vtilius, propter munimen turris. Ab ipsa quidem natiuitate sua in turrim eburneam ædificata est: sed subinde semper in altum creuit, donec in cælum ascendit, & ad illum statū peruenit, quo vlteriùs ascendere nequivit. Idem ergo significant illæ 5. pyramides rosæ, quod fortitudo huius turris eburneæ, id est Mariam ab omni peccato immunem. Denique, altior peccati victoria non est, quàm peccato resistere vsque ad sanguinem: quā perfectionem multi Sancti vtriusque sexus; & ętatis omnis habuerunt; etiam pueri & infantes. Septem Machabęi fratres sub Antiocho Epiphane passi sunt: septem quoque filij S. Felicitatis in pueritia. B. Agnes anno ætatis 13. Eulalia 12. Iustus & Pantaleo anno 9. Tryphon anno 7. vt alios plurimos mittam. Cùm ergo certum sit de ætatibus inferioribus, de quibus minùs credibile videbatur, non defuisse pueros & puellas, qui à Deo tantam gratiam perceperint, vt pro amore ejus sanguinem suum fuderint, qua altior peccati victoria esse non potest; quantum credenda est hæc beatissima & singularis Virgo in illis omnibus prioribus annis jam à Deo percepisse: quæ quantamcumque alij perceperint, altiorem omnibus percipere meruit, & sine dubio percepit, alioqui quomodo mereretur mater illius fieri, cujus esse servum est omne sanctitatis meritum? Necesse est igitur vt in quolibet tempore vitæ suæ sanctior & melior & perfectior & purior fuerit omnibus suis coætaneis non solum sibi conviventibus; sed etiam eis qui ante illam fuerant

Marginalia: *B. Virgo peccati semper expers.* — *3. Reg. 6.* — *Isai. 1.* — *B. Virgo domus Dei.* — *Virgo fons signatus.* — *Psal. 92.* — *Prouer. 32.* — *Virgo turris eburnea.*

rant, vel pòst futuri erant. Si ergo ab illo die, quo nascitur homo super terram, vsque ad illum diem quo B. Maria concepit Dominū, inveniontur in vtroque sexu, qui peccato restiterunt vsq; ad sanguinem, qua victoria major esse non potest, & certum est B. Mariam quolibet die vsque ad illum quo concepit Dñm, fortiùs vicisse peccatum, quàm quemlibet alium: profectò irrefragabili ratione monstratur semper eā perfectissimè peccatum vicisse. Ergo toto illo tempore sine peccato proprio fuit. Ab alieno autem, si vmquam habuerat, jam mundata erat. Cui ergo peccato sanctissima illius caro obligata erat? Sicut ergo infantes baptizati aliquanto tempore sunt sine peccato, ita beata Virgo omni tempore fuit sine peccato: & quod natura non potuit, gratia potuit. Nonne S. Nicolaus in infantia per gratiam & non per naturam, quarta & sexta feria semel sugebat vbera? Nonne S. Ioannes in vtero exultavit materno ad salutationē virginis Mariæ Spiritu sancto repletus? Si ergo ipse Spiritussanctus tam abundanter supervenit in Mariam, vt salutatio matrem & filium ejus eodem Spiritu repleret: quàm abundantiùs putandum est, eundem Spiritum priùs in eam venisse, cum adhuc ipsa esset in vtero matris suæ! Ioannes infans jam sex mensium erat, quando Spiritu sancto repletus est. Credendum est igitur, Mariam priùs & ampliùs quàm Ioannem repletam fuisse Spiritu sancto. Certè quando eā Gabriel salutabat dicens, *Ave gratia plena*, jā sine omni peccato erat. Neque enim posset esse gratia plena, nisi esset omni peccato vacua. Nam etsi alij Sancti leguntur Spiritu sancto pleni fuisse, qui tamen non fuerunt penitus sine peccato; dicente Iacobo, *In multis offendimus omnes*: & Ioanne, *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus*: jam diximus Mariam, teste Augustino, quoties de peccato agitur, semper excipiendam. Sed nec omnes plenitudines æquales sunt: non enim omnia vasa sunt ejusdem capacitatis. Spiritussanctus sua gratia diversos replet, sed diuerso modo: sic enim sunt animæ sanctorum, sicut diuersa vasa, alia aliis capaciora. Cùm ergo dicitur aliquis repleri Spiritusancto, vel gratia Dei, intelligendum est, secundùm suam capacitatem, non secundùm absolutam mensuræ plenitudinē. Porrò inter omnes spiritus creatos tam Angelorum quàm hominum, excepta anima Christi, nullus vmquam adeo capabilis fuit plenitudinis diuinæ gratiæ, vt anima beatæ Mariæ. Nullus ergo tam plenus fuit gratia, vt illa. Denique cùm sancti dicuntur repleri Spiritu sancto, intelligenda est repletio illa non continua, sed interrupta. Accedit enim Spiritussanctus ad adjuvandum nos, & recedit aliquando ad probandum. Propter quod & David orabat dicens, *Spiritum sanctum tuum ne auferas à me*. Et alibi. *Non me derelinquas vsquequaque*. At verò beatam Mariam credendum est repletam fuisse diuina gratia, non per interualla, sed continuè; non tamen æquali semper plenitudine, sed secundùm profectum ætatis; semper crescente in ea plenitudine gratiæ, vt semper seipsa fieret melior: sicut de Dauid legitur, quòd semper proficiebat, & fiebat seipso robustior. Non autem simili proportione mansit super eam, sicut super Dominum: sed eatenus super eam mansit Spiritussanctus, vt eam interiùs & exteriùs semper sanctificauerit, & sanctam cōseruauerit, vt ex nulla parte in eam peccatum deinceps intrare potuerit. Quamvis ergo semper fuerit perfecta secundùm tempus: erat tamen dē die in diem seipsa perfectior. Non enim semper æqualiter perfecta fuit: sed id soli Christo conuenit, qui simul viator & comprehensor, semper æqualem perfectionem habuit; tam perfectus in vtero matris, quàm in patibulo crucis, iuxta illud vaticinium Ieremiæ. *Nouum faciet Dominus super terram: femina circumdabit virum*. Vir enim ideo appellatus est adhuc inclusus vtero concludentis Virginis: quia tantæ perfectionis ibi fuit quantæ pòst circumdatus à Synagoga. Ex quo enim requieuit super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ & intellectus, &c. quod in conceptione factum est, mox in tanto culmine perfectionis stetit, vt nec ab eo cadere, aut in maius posset ascendere: nec profectum cuperet, nec defectum timeret. At Maria semper profecit, sicut aurora consurgens; & de prima sua sāctificatione numquam perdidit, nec post illam peccati labem in anima vel carne contraxit, sicut beatus Bernardus veraciter affirmat. Et hoc significat ille subtilissimus & subobscurus candor inferiùs latitans juxta radices foliorum rosæ, vt diximus, viridi, & coruo pyramidum quinario ad externam custodiam circumtectus. Numquā enim interiùs conseruari potest cor in sua custodia, nisi vigilet exteriùs sensuum corporalium custodia. Nam vt Propheta plangit, mors intrat per fenestras nostras. Vnde Isaias. *Qui obturat aures suas, ne audiat sanguinem; & claudit oculos suos, ne videat malum; iste in excelsis habitabit*. Nunc ad colorem roseum transeamus. Roseus color tria significat in Maria, verecundiæ ruborem, caritatis ardorem, justitiæ zelum: quarum prima verecundia interno inspectori displicere timens, semper & vbique ab omni malo perfectissimè declinauit; secunda in caritate humanarum animarum æterno amatori placere cupiens, semper & vbique bonum facere studuit: tertia summo cognitori se sistendam cognoscens, semper & vbique peccato restitit, & peccantem liberè & discretè arguit, prout pudorem decebat virgineum: paratissima, si necesse esset, suum sāguinem fundere, & pro defensione justitiæ animam ponere. Hoc triplici studio Maria semper ad Scripturæ speculum, & conscientiæ testimoniū se depinxit, facta proinde præcunctis mortalibus speciosa & suauis in deliciis suis, & Deo & Angelis gratiosa. Propter verecundiam semper solitudinem diligebat; propter caritatis ardorem semper orationi instabat; propter iustitiæ zelum cùm adhuc educaretur in templo puellula, vt in libro de natiuitate eius legitur, obseruabat, ne sociæ suæ virgines vel in sermone peccarent. Quælibet harum trium virtutum perfectionem continet; & qui vnam habet, tres habet. Nam verecundia, vt ait Augustinus, nihil aliud est, nisi quidam displicendi metus. Quid est autem metus displicendi, nisi metus delinquēdi, & Deum offendendi? Verecundia secularium timet displicere hominibus, verecundia sanctorum Deum magis veretur, quàm hominem, consciētiam plusquam famam: neutram tamen negligit, sed vtramque intendit. Verecūdia ista sic in specie potest definiri. Verecundia est verens conditori displicere, & verè concupiscens placere cōscientia. Hic est timor Domini justus, permanēs in seculum seculi, omnes continens virtutes. Nā per timorem Domini declinat omnis à malo,

Perfectio B. Virginis augmentū accepit.

Ierem. 31.

Isai. 33.

Color rosæ in B. Maria quod designet.

Iac. 3.
1. Ioan. 1.
Aug. lib. de nat. & gra.

Non omnes æqualiter Spiritu sancto replētur

Psalm. 50.
Et 118.

Quid sit verecundia ex Augustino.

qui est effectus verecundiæ: & qui timet Deum, faciet bona, qui est effectus caritatis: nam probatio dilectionis, exhibitio est operis: & qui timet Deum, nihil negligit, idest nec magna, nec minima; nec quæ oportet facere, nec quæ oportet omittere; & hic est effectus zelatis justitiæ. In sola verecundia laudabili, sicut in caritate, omnis lex vetus & noua concluditur, omnis doctrina sacra continetur, omne mandatum diuinum absoluitur, omnis justitia perficitur: & vt paucis omnia concludam, verecundia est virtus, in qua consistit omnis animæ pulchritudo, tamquam rosarum rubor, liliorum candor, violarum purpura, christalli perspicuitas, sapphiri serenitas, smaragdi viror, margaritæ speciositas, topazij superbia, carbunculi lucerna. Quid hic dicent nigerrimi quidam verecundiæ professores in sermone, destructores in opere, inuerecundi ad turpia, impauidi ad pericula, inhumani ad humana, ad peccandum frontosi, ad pœnitendum pigri, ad fallendum vulpes, ad detrahendum canes, ad lasciuiendum equi? Hæc de colore rosæ. Forma verò eiusdem floris fusa in orbiculum angustioris calathi, & in signum regalis fastigij, quod super flores vniuersos obtinet naturali diademate circumfulgens, manifestè significat Mariam Virginem regali ortam prosapia, & ab æterno præelectã, vt Regem cæli pareret, & vt Regina cælorum vocaretur, & esset. Sic enim rosa pulcherrima florũ, sic Maria pulcherrima mulierum. Et quoniã inter omnes femina obtinuit coronam singularẽ perfectæ pulchritudinis, inter vniuersas quoque obtinere debuit ornamentum regiæ dignitatis. Moraliter quoque circulus rosæ significat rotunditatẽ perfectæ castimoniæ, & immobilem in omni sanctitate perseverantiam. Nihil habet de rosæ circulo justus auertens se à justitia sua, describens Alpha sine ω, & caput offerens sine cauda. Omnis enim laus in fine canitur; & omnis agonizans non de pugna, sed de victoria coronatur. Vel certè roseus color præsentis vitæ meritum, idest justitiã & sanctitatem significat. Formæ vero coronula futuræ vitæ præmium, idest coronam justitiæ designat; ad quam nos inuitat ista rosa, cùm dicit, *Audite me diuini fructus, & quasi rosa plantata super riuos aquarum fructificate*. Vox est Sapientiæ in persona Mariæ. Priùs autem dixerat, *Quasi palma exaltata sum in Cades, & quasi plantatio rosæ in Iericho*. Maria non immeritò rosa dicitur, & plantatio rosæ. Rosa, martyr & Virgo fuit; cuius tota vita martyrium, & perpetuæ castitatis exemplum. Imò plusquam virgo, & plus quam martyr. Plusquam virgo, quia mater fecunda: virgo concipiens, & virgo pariens; plusquam martyr, quia non in carne, sed in mẽte passa est in carne filij sui, non corporaliter, sed mentaliter; quod fuit ei acerbius martyrium, quàm corporale. Plantatio rosæ fuit, quia rosã genuit & florem mundi Christum, qui dicit, *Ego flos campi*: & verè rosam, idest virginem & martyrem, virginum & martyrum Regem. Ait ergo. *Audite me diuini fructus*. O vos mentes electorum, quas diuina gratia per me regenerauit, quas arbor vitæ de paradiso vetris mei producta sibi dignanter incorporavit, & ad suę crucis brachia suspendit, audite me, seu obaudite, (vt vera litera habet) idest mihi semper & in omnibus obedite. Audite me vt matrem, vt magistram, vt reginam: quæ sicut mater diligo, sicut magistra doceo, sicut regina jubeo, & obedientes mihi regina mundi honoro & extollo: audite me, & quasi rosa plantata super riuos aquarum fructificate; idest bene viuendo facite dignos fructus martyrij. Bene namque viuere, vt ait S. Bernardus, est bona agere, & mala tolerare. Fructificate vt rosa, idest sicut ego, plantata super riuos aquarum, idest nutrita semper in plenitudine gratiarum; & nunc tandem exaltata super choros Angelorum. Nam & vos estis sicut rosæ plantatæ super rivos aquarum: quia translati de potestate tenebrarum in regnum filij Dei, complantati facti estis similitudini mortis eius, quando consepulti fuistis cum illo per baptismum in mortem. Per baptismum dico Christi sanguine rubricantem: & ideo omnes animæ sic plãtatæ fructificare debent vt rosæ; quia septiformem gratiam Spiritussancti in fonte baptismatis perceperunt; sanctificatæ in vtero matris suæ Annæ, quæ interpretatur gratia. Fructificate vt rosa. Quomodo fructificat rosa? Quis est iste fructus rosæ? Fructus rosæ hoc loco nil aliud est, quàm id, propter quod rosa prodesse potest, vel placere: idest color, odor, sapor & medicina. Color pulcherrimus, odor suauissimus, sapor optimus, medicina efficacissima. In colore conversatio, in odore opinio, in sapore intentio simul & deuotio, in medicina eruditio designatur. Cuius ergo conuersatio irreprehensibilis est: cuius opinio laudabilis, cuius intentio casta, deuotio continua, cuius eruditio vtilis & efficax, salutaris & dulcis, ille verè fructificat vt rosa. Ad primum nos inuitat Apostolus dicens, *Ab omni specie mala abstinete vos*. Ad secũdum, qui dicit. *Curam habe de bono nomine, melius est enim nomen bonum, quàm vnguenta pretiosa*. Ad tertium Christus dicens. *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit*. Item, *In omni sacrificio Domini offeres sal*, idest deuotionis saporem cum reuerentia timoris permixtum. Ad quartum, qui dicit. *Qui audit, dicat Veni*, idest qui jam obedit, alios ad obedientiã adhortetur. Illud autem in rosa præcipuũ est, quod semper fructificat inter spinas. Ibi enim fructificat, vbi crescit & nascitur; idest inter spinas; non vbi jam collecta reponitur, idest inter rosas. In hoc mundo, tamquam in magno quodam rosario nec rosæ sine spinis sunt, nec spinæ sine rosis. Frutex vtrasque generans tribulatio est, quæ patientiam ad spinarum tolerantiam, patientia verò spem ad rosarum fragrantiam operatur. In cordis nostri frutice semper flores rosarum spinarum aculeos superare debent, quod in omni rosario faciunt. Quidam habent spinas sine floribus, idest tribulationem sine cõsolatione; quidam flores sine spinis, & hoc dupliciter, in bonum, vel in malum. In bonum electi, quibus omnia amara propter Christum dulcia sunt. In malum illi, qui ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt. Quidam flores & spinas habent, qui dicunt. *Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meã*. Multi quoque voluptuosè viuentes hæc habẽt, quia juxta Poëtã, *Nulla est sincera voluptas*, scilicet in hoc seculo. Vnde addit. *Sollicitumque aliquid lætis interuenit*. Quidam neutrum habent; qui scilicet sicut vitula Ephraim docta diligere trituram: quibus etiam tribulationes immixtæ peccatis dulces sunt; quibus sensus ex vsu occal-

Forma rosæ B. Mariã significat.

Eccli. 39.

Eccli. 24.

Bern. serm. in festo Apostol.

Quid sit bene viuere.

1. Thessal. 5.

Eccli. 14.

Mat. 5.

Leuit. 2.

Apoc. vlt.

Psal. 93.

buit. In hac igitur quadripertita distinctione nomine spinæ intelligitur tribulatio, nomine rosæ consolatio qualiscumque, siue carnalis, siue spiritualis. Carnalis propter breuis temporis pulchritudinem, spiritualis propter odorem simul & saporem, & locum spinis supereminentē. Sed meliùs per spinas & rosas in hoc loco peccatorum & justorum personas accipimus. Igitur secundùm hunc sensum non sunt spinæ sine rosis, nisi in inferno. Hic enim spinæ colliguntur, in inferno autem comburuntur. Non sunt rosæ sine spinis, nisi in cælo. Hic enim colliguntur, ibi reponuntur. In hac autem mortali vita, quæ plena est scandalis, in hac terra maledicta, quæ germinat spinas & tribulos, necesse est spinas rosis, & rosas spinis misceri: quia sicut ait Hieronymus, in omni conditione & sexu mixta sunt optimis pessima. Sicut ergò voluptates doloribus, & virtutes vitijs, sic justi peccatoribus, tamquam grana paleis admiscentur in horreo, & tamquam triticum zizanijs in agro. Sinite vtraque crescere vsque ad messem, & vsque ad ventilationem falce messoria, & ventilabro iudiciario discernentem. Igitur in diuersis collegiis inuenire est, secundùm diversos mores hominum, duo spinarum genera, & totidem rosarum. Est enim spina inter spinas, malus inter malos. Spina inter rosas, est malus inter bonos, Sathan inter Angelos, Iudas inter Apostolos. Est rosa inter rosas bon⁹ inter malos. quasi Noë inter gigantes, Loth inter Sodomitas, & generaliter omnes discipuli Christi missi ab eo sicut agni inter lupos. Esse spinam inter spinas valde malum est: esse spinā inter rosas pessimum. Esse rosam inter rosas magnum bonum est; sed rosam inter spinas optimū; istud enim est consummatæ virtutis, & laudis eximiæ. Igitur spinæ nostræ nec penitus extirpandæ sunt, quia rosas generant, probant, & commendant: nec cariùs amplectendæ, quia pungunt & lacerant, & quod miserrimum est, ignem expectant.

Rosa inter spinas vel spina inter rosas, quis.

Cætera desunt.

Sermo 2. In Assumptione B. Mariæ.

Prouer. 31.

MVLIEREM *fortem quis inveniet?* Reuera res est inuentu difficilis mulier fortis. Nimirum cùm mulier dicatur à mollitie, fortis à fortitudine. Vnde videtur quasi oppositio in adjecto fortitudo in muliere. Sed non omnis mollities contraria est fortitudini: nec omnis fortitudo contraria mollitiei. Est enim mollities à fortitudine deficiens, & est mollities virtuti cōueniens; & est mollities indifferens, ad vtrumque se habens. Est mollities reproba, & est mollities approbanda, & est mollities neutra. Prima dicitur mollities vitæ, secunda gratiæ, tertia naturæ. De prima est illud Satyrici.

Allusio est non etimon.

—Sunt & mollis quoque tædia vitæ
Magna, voluptates commendat rarior vsus.

De secunda est illud viri sancti. *Deus molliuit cor meum, & omnipotens conturbauit me.* De tertia illud Isidori. *Mulier dicitur à mollitie, quasi mollier.* Prima mollities in tribus comprehenditur, in quibus & reprehenditur, in mollitie vestimētorum, vocum, gestuum. Primam reprehendit Dominus indirectè, vbi laudat Ioannem de veste dura & aspera. Laus enim vestis asperæ, mollis est vituperium. *Quid* inquit, *existis in desertum videre? Hominem mollibus vestitum? Ecce qui mollibus vestiuntur: in domibus regum sunt.* Magna regiarum domorum suggillatio, quòd molles nutriunt, quòd mollitiem docent, quòd asperitatem vitæ ignorant. Vnde sapiens quidam. *In magnis inuolumentis & curis nutritus sum. Nemo enim ex Regibus aliud habuit nativitatis initiū.* Secundam reprehendit Salomon dicens. *Vt eruaris à muliere aliena, & ab extranea; quæ mollit sermones suos.* Et Psalmista. *Molliti sunt sermones eius super oleum, & ipsi sunt jacula.* Nihil enim ad audiendum mollius, aut penetrantius ad placendum, quàm adulantis blanditiæ. Habent enim hoc in se naturale, sicut ait Seneca, quòd etiam cùm non recipiuntur, placent. Oleum hoc non impingnet caput meum. Hæc sunt illa mollia vestimenta, quibus Ioannes mysticè non fuit vestitus: quia neminem palpauit, peccantes acerrimè reprehendit, nesciens vel Regi parcere delinquenti. Vę domibus diuitū, quæ talibus mollitiis abundant. Hæc est enim pessima divitū pauperies, quòd non inuenit dives, qui sibi verū dicat. De tertia mollitie, quæ est in gestu vel actu, notatur in libro Saturnalium Quintus Hortensius, vir ex professo mollis, & ad speculum se cōponens. Ad hanc etiam referendum, quidquid pertinet ad vsum dissolutioris vitæ, vt est ludus, jocus, torpor, & somnolentia, mollis incessus, & habitus compositus, & alia: tactus etian petulās, à quo dicti sunt molles, quos Apostolus conjungit masculorum concubitoribus, & à regno Dei sejungit. Mollities gratiæ trifariam diuiditur; in timorem judicij, in compassionem proximi, in devotionem amoris Dei. De prima est illud. *Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti.* Item. *Deus molliuit cor meum, & omnipotens conturbauit me.* Beatus enim homo, qui semper est pauidus, qui autem mentis est duræ corruet malum, vt ait Salomon. De secūda mollitie dicitur in laudem Augusti.

Iob 23. Isidor in lib. Etimolog.

Matth. 11. *Sap. 7.* *Prouerb. 2.* *Psal. 54.* *Adulatio placet, etiā cùm non recipitur.* *Non est, qui diuiti verū dicat.* *1. Cor. 6.* *Iob 9 Idē c. 23.* *Prouerb. 28*

Scilicet vt per vim non est superabilis vlli,
Molles & ad timidos sic habet ille preces.

Hac plenus erat, qui dicebat. *Ab initio creuit mecum misericordia, & de vtero egressa est mecum.* Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur, ait Dominus. In descriptione iniquitatis Sodomæ quasi grauissimum peccatum ponitur, quòd manum suam egeno & pauperi non porrigebat. De tertia mollitie scriptum est in Canticis. *Anima mea liquefacta est, vt dilectus locutus est: quæsiui*, &c. O quanta verbi violentia, per quam sic anima liquefacta est! Velox verbi transitus, sed violentiæ non parum habens, animam liquefactam relinquens, vt currat, & quærat, &c. De hac triplici mollitie dicit Deus. *Auferam à vobis cor lapideum, & dabo vobis carneum*, idest molle, atque tractabile, & quod facilè penetrari queat triplici gladio; timoris, doloris, & amoris. Hoc triplici gladio transuerberata fuit mollissima Maria, sicut ei prædixerat beatissimus ille senex, *Tuam*, inquit, *animam pertrāsibit gladius.* Scilicet timoris in nutiendo paruulo, doloris videndo filium crucifixum, amoris accipiendo de resurrectione mortuum suum, maximeque in desiderio ascendendi post illum. Mollities naturæ duplex est, sexus & ætatis. Sexus in muliere, ætatis in paruulo. Nam puero est ætas mollis & apta regi. Mulier quoque citò mollitur, ad preces viri, flectitur à vigore pro-

Iob. 31. *Mat. 5.* *Ezech. 16.* *Cant. 5.* *Ezech. 11.* *Luc. 2.*

positi, citò mutatur à sententia consilij, iuxta illud Virgil. *Variū & mutabile semper femina.* Citò etiam mollit cor durū, citò flectit cor rigidum, citò domat cor ferreū. Propter hanc mollitiem & molliendi potestatem mulier & malleus eandē habent nominis originē. Sicut enim malleus à molliendo dicitur, quia mollit ferrum; sic & mulier, quia mollit virum. *Ferrea lasciuis mollescunt corda sagittis*, ait Claudianus. *Ferreas mentes libido domat*, inquit Hieronym⁹. Hic est malleus vniuersæ terræ, per quem magnus ille malleator diabolus mundū penè totū malleat, mollit, & demolitur. Malleat suggestionibus, mollit illecebris, demolitur malis desideriis, flagitiis, & facinoribus. Virtus huius mallei plerumque Salomones infatuat, vt idola colant: Samsones eneruat, vt Philistæis seruiant, Herculeos inflāmat, vt viui ardeant: Ioues in boues mutat, vt post Europam mugiant; Martes incatenat, vt Veneri succumbant. Igitur à mollitie naturæ dicta est mulier. Cæsar quoque à quodam mordacissimo dictus omnium virorum mulier, & vir omnium mulierum. At à mollitie gratiæ dicta est Maria mulier, quæ præ omnib⁹ mortalibus Deū timuit, pro Deo doluit, Deum dilexit: maximeq; ideo q precibus sanctis & molliri facilis est ad miserandū, & mollire potens ad cōuertendū. Est enim mater misericordiæ, & ideo citò mollitur lacrymis pœnitētiū, citò flectitur ad preces humiliū, citò conuertitur ad rogandū pro eis iudicē filiū. Est etiam mater gratiæ, & idcirco potens citò mollire peccatorem, citò flectere Iudicē, cito etiam punire, cùm necesse fuerit, cōtumacem, Mollit enim peccatorem vt pœniteat, flectit Iudicem vt parcat, punit cōtumacem, vt blasphemare desistat. In primis duobus malleus pietatis est, in tertio malleus iustitiæ. Malleus pietatis fuit, quando Ægyptiacam conuertit, & Theophilum: malleus iustitię, quando contriuit apostatam Iulianum. Sanè in hoc malleo videre est sapientiam Christi contra calliditatem diaboli, & clementiam contra crudelitatem. Sicut enim diabolus vtitur muliere pro malleo ad emolliendа corda superborum ad lasciuiam: ita Christus vtitur ista muliere pro malleo ad emolliendа corda humilium ad pœnitentiam. Hinc est, quòd audito in Ecclesia dulcissimo Mariæ nomine, statim laïcorum corda lapidea, quasi quodam malleo pietatis percussa, semetipsa concutiunt, manus & oculos ad cælum leuant, & auxilium à Maria postulant: & tamquam nautæ in periculo constituti, ad stellam sibi cognitam frequentiùs inspectant. Hucusque de muliere diximus: nunc de forti videamus. *Mulierem fortem quis inveniet?* Non loquitur hic Salomon de illa fortitudine muliebri, de qua est illud Satyrici, *Fortem animum prabent rebus, quas turpiter audēt.* Non est fortitudo, fortem esse ad crimina: sicut nec sapientia, scire facere mala. Talem sapientiam reprehendit Ieremias dicens. *Sapientes sunt, vt faciant mala: bene autem facere nescierunt.* Talem quoque fortitudinem reprehendit Isaïas dicens. *Va qui potentes estis ad bibendum vinum: & viri fortes ad miscendam ebrietatem.* Tali fortitudine fortis erat Catilina nobilis adolescens: qui cùm esset omnium flagitiorum & facinorum officina, erat tamen, vt ait Salustius, vigiliarū patiens, & laborum, ac inediæ suprà humanū modum. Fortitudo corporis sæpius nocet spiritui, quàm prodest. Spiritus enim promptus est, quādo caro est infirma. Vnde Apostolus. *Quando infirmor, tunc fortior sum & potens.* Hinc est illud Gregorij. *Caro læta trahit ad culpam: afflicta reuocat ad veniam.* Fortitudo quæ virtus est, animi est, non corporis. Non tamen omnis fortitudo animi virtus est sedilla: tantum quæ rationi consentit: iuxta illud Augustini, qui virtutem definit, æqualitatem vitæ, vndique rationi consentientem. Si autem virt⁹ æqualitas est, similior est illi circulus, quàm plana figura. Hinc est Horatio vir sapiens totus teres atque rotundus. Est enim ratio quasi centrum circuli, æqualitas vitæ circumferentia eiusdem figuræ. Vita ergo hominis ex omni parte rationi consonans, est quasi circumferentia circuli vndique concordans. Vndique, idest cogitatione, locutione, & opere. Per hæc enim tria circumvolvitur & circumfertur vita humana. Horatio igitur sapiens est totus teres atque rotundus. Nihil fortius est humano animo: qui tantæ fortitudinis est, vt vinci non possit nisi à seipso. Diabolus enim vel homo suadere potest, illicere & terrere & occidere; at cogere omnino non potest. Vera ergo fortitudo, verum robur animi, est ęqualitas vitæ rationi vndique consentiens: idest innocentiæ perfecta custodia; vt numquam facias, quod scias illicitum; numquam velis quod scias esse rationi contrarium: numquam te subjicias homini vel dæmoni pro peccato. Hac fortitudine fortes fuerunt sancti, qui per fidem vicerunt regna: sed fortis fuit Maria super omnes mulieres, & super omnes homines. Vnde & Christus semper appellat se filium hominis, numquam filiū mulieris. Maria nāque pulcherrima mulierū, viris quoque fuit fortior: quia per gratiæ cælestis auxilium ex omni parte vicit peccatum, vt testatur Augustinus. Et beatus Bernardus. *Absit*, inquit, *vt domus beata virginis quidquā propriį inquinamenti aliquando habuisse dicatur.* Et post pauca. *Vt ergo pium est credere, propriam Maria delictum numquam habuit: & ideo ab innocentissimo corde pœnitentia tamquam non necessaria longè fuit.* Fortis planè fuit Maria in fide, credendo impossibilia; fortis in spe, sperando inaudita; fortis in charitate, sola promissa cælestia desiderando, terrenaque omnia contemnendo. Fortis inquā fuit, vincēdo diabolum, mundum, carnem & mortē. Maximè autem in eo vicit mortem, quòd moritura non timuit, moriens dolorem non sensit, mortua corruptionem non vidit. Et nos fratres carissimi, fortes esse debemus in fide, fortes in spe, fortes in caritate. Fortes in fide per obedientiam, fortes in spe per tolerantiam, fortes in caritate per desideriorum sanctorum vehementiā, & per mundialium contemptus violentiam, de qua scriptum est. *A diebus Ioannis Baptista regnum calorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* De fortitudine fidei est illud Petri. *Resistite fortes in fide*, diabolo. De fortitudine spei ait Paul⁹. *Gloriamur in tribulationibus, sciētes quid tribulatio patientiam operantur, patientia verò spem: spes autem non confundit*, &c. De fortitudine caritatis est illud in canticis: *Fortis est vt mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio.* Sicut mors animam separat à carne, sic dilectio à carnis voluptate. Nullus locus sustinet quod sustinet infernus: tantum calorem, tantum frigus, tantū fœtorem &c. Sic & caritas, quæ patiens est, omnia suffert, omnia sustinet. Suffert quæ crudeliter inferuntur, sustinet quæ fideliter promit-

B Virgo mollit peccatores, & mollitur.

Maria Ægyptiaca ope B. Virginis conuersa.

Prouc. 31.

Ierem. 4.

Isai. 5.

2. Cor. 12.

Vera fortitudo quid sit.

Aug. de nat & gra. c. 36 Et Bern. ser. 4. in assūpt.

Mat. 11.

1. Petri 3.

Rom. 5.

Cant. 8.

tuntur: sicut scriptum est. *Vsque in tempus sustinebit patiens, & postea redditio iucunditatis.* Fortis ergo est vt mors dilectio, & dura sicut infernus æmulatio; quia sicut mors omnibus prævalet, & nullus ei, sic dilectio semper vincit, & numquã vincitur. Et sicut infernus multa recipit & nihil reddit, sic caritas multa lucratur, & nihil perdit. Fortes etiam esse debemus ad vincendum diabolum: id est ad impugnandum, ad repugnãdum, ad expugnandum. Ad impugnandum, vt dormientẽ in reprobis Leuiathan suscitemus, sicut scriptum est. *Maledicant ei qui maledicunt diei, qui parati sunt suscitare Leviathan.* Ad resistendum, vt eum in fugam convertamus, sicut scriptum est. *Resistite diabolo, & fugiet à nobis.* Ad expugnandum, vt de victoria coronemur, sicut scriptum est. *Non coronabitur, nisi qui legitimè certaverit.* Qui sic pugnat, expugnat. Impugnat diabolum, qui peccandi occasionem sponte sibi subtrahit. Repugnat ei, qui suggestiones ejus non coactus rejicit. Expugnat autem eum, qui perseverat in bono quod accepit: qui bonũ quod inchoauerat meliùs prouehit, & optimè consummat. Finis enim non pugnat sed coronat. Omnes virtutes currunt: sola perseuerantia accipit brauium. Fortes etiam esse debemus ad consurgendum, si fortè cecidimus; sicut scriptũ est. *Septies in die cadit iustus, & resurgit.* Vulgo dicitur, fortis est qui prostrauit, sed fortior qui resurgit. Hinc est, quòd ista lectio legitur in festo beatæ Magdalenæ; non legitur in aliquo festo genitricis Dei Mariæ: quia Magdalena quæ infirma cecidit, fortis resurrexit: Dei verò genitrix Maria quia numquam cecidit per culpam, numquam resurgere opus habuit per pœnitentiam. Fortes etiam esse debemus ad vincendum mundum, sicut ait Augustinus. *Duplicem mundus aciem producit contra milites Christi. Blanditur enim vt decipiat: terret vt frangat. Non nos teneat voluntas propria, non nos terreat crudelitas aliena: & victus est mundus.* Fortes rursum esse debemus ad vincendam carnem, sicut ait Apostolus. *Sic pugno, non quasi aërem verberans: sed castigo corpus meum, & in servitutem redigo.* Sanè pugnant, sed quasi aërem verberantes, delicati magistri, qui pleno ventre de ieiuniis disputant: qui manus dantes impudicitiæ castitatem prædicant: qui congestis opibus incubantes, induti veste peregrina, & involuti argento, auroque suffarsinati paupertatem commendant. Talis prædicatio nihil est aliud quàm cortex sine fucco, nuptiæ sine sponso, cibus sine condimento, lampas sine oleo: & [illegible]o apud Deum reproba est, sicut ait Apostolus. *Ne fortè aliis prædicans, ipse reprobus efficiar.* De talibus est elegans illa Chrysostomi sententia. *Qui bene viuit & bene docet populum, instruit quomodo debeat vivere: qui autem male viuit & bene docet, Deum instruit quomodo se debeat condemnare.* Et certè nemo potest vincere mundum vel diabolum, nisi priùs vicerit corpus suum. Quare? quia virtus diaboli est in lumbis eius, & fortitudo eius in vmbilico ventris ipsius: quoniam infirmitas carnis humanæ magnum præbet auxilium virtuti diabolicæ: ideo infirmitatis ejus maxima pars in lumbis est virorum, in vmbilico mulierum. Idcirco huiusmodi lumbi & vmbilicus diaboli esse dicuntur: quia per illa animas nostras persequuntur. Fortes etiam esse debemus ad vincendam mortem, non timendo horam mortis, sed cum bonæ conscientiæ testimonio eam potiùs desideranter expectando: vt cùm venerit Dominus, & pulsauerit, confestim aperiamus ei. Ideo etiã antequam pulset, festinemus ei ostium aperire: sicut festinabat, qui dicebat. *Cupio dissolui & esse cũ Christo.* Et alius. *Quando veniam & apparebo ante faciem Dei.* Hujusmodi fortitudo facit violentiam illam, de qua scriptum est. *Absorpta est mors in violentia.* Sic enim mors & moriendi necessitas, & corruptionis infirmitas absorpta est in resurrectione Mariæ virginis, & in ejus Assũptione: sic profectò fiet in resurrectione nostrorum corporum, si eam imitati fuerimus, in fortitudine tot victoriarũ. Habemus autem eam nõ solum in exemplum victoriæ, sed etiam in adjutorium pugnæ: sicut apertè demonstrat secreta oratio hesternæ missæ, quæ sic se habet. *Magna est Domine apud clementiam tuam Dei genitricis oratio, quam idcirco de præsenti sæculo transtulisti, vt pro peccatis nostris apud te fiducialiter intercedat.* Et certè mediatricẽ omnibus ita fieri cõgruebat. Omnis enim malleus fortiùs ab alto percutit quã ab imò: quapropter oportebat hunc pietatis malleum in altum subleuari: cuius violenta percussio efficax est oratio, numquam ab effectu miserendi frustranda coram diuinæ maiestatis præsentia: ad quam nos perducat per eiusdem Virginis & matris patrocinium Christus ejus filius, qui cũ Patre & Spiritu Sancto viuit & regnat per omnia sæcula sæculorum, Amen.

Eccli. 1. — Quomodo fortes esse debeamus. — Iob 3. — Iac. 4. — 1. Tim. 2. — Prouer. 24. — Aug. serm. de S. Vincẽtio. — 1. Cor. 9. — Philip. 1. — Psal. 41. — 1. Cor. 15. — Ecclesia in pervigilio Assumptionis.

Sermo 1 In Nativitate B. M. Virginis.

ORTA *est stella ex Iacob.* Crebras occasiones gaudiorũ solemniũ offerũt nobis crebræ solemnitates perpetuæ Virginis; quæ dulcem & jucundam abundantiæ suauitatis eius memoriam sensatis cordibus eò altiùs imprimunt, quò crebriùs affigunt. Quem non lætificat sæpius ad memoriam reuocata, semper in auxilium inuocanda, dulcis aduocata nostra, benedicta in mulieribus, Domina præpotens, nec minus clemens, Regina Virginum, Imperatrix Angelorum, mediatrix hominum, genitrix Dei, Mater misericordiæ, nutrix sapientiæ, cultrix justitiæ, inuentrix gratiæ, gloriæ reparatrix: sicut scriptum est. *Ne timeas Maria, inuenisti enim gratiam apud Dominum?* Et in Prouerbiis *Mulier gratiosa inueniet gloriam.* Sanè huic mulieri gratiosæ, huic Reginæ gloriosæ gratiam & gloriam dedit Dominus in tãta multitudine, vt præuenta ab eo in benedictionib' dulcedinis, benedicta facta sit ingrediẽs & egrediẽs: quippe cui' introitũ simul & exitũ Dominus custodiuit, & custodiẽs benedixit. Benedictus eius introitus, perquam lux & vita ad nos introiit: benedictus illius exitus, quæ paradisi januã, quam protoplasti clauserant, nobis omnibus patefecit. Hinc est, quòd non solùm de eius Assumptione, qua in cælum assumpta est; sed etiam de Natiuitate, qua in mundũ ingressa, gaudent Angeli & collaudant filiũ Dei. Quid, ni gaudeant Angeli de Natiuitate Dei genitricis, qui tantũ gauisi sunt de Natiuitate Genouefæ Virginis? Specialior tamen causa lætitiæ hominibus hodie exhibetur, quam Angelis. Nobis enim in Maria natum est perfectissimæ sanctitatis exẽplum, & potentissimæ intercessionis auxilium: & de illa nobis exortum est perpe-

Verba Ecclesiæ ex Num. 24. — Luc. 1.

cessariæ redemptionis pretium, quorum nullo indigebat perfectio & felicitas Angelorum. Nemo igitur est ex omnibus mortalibus, qui non in ortu lętissimo Dei genitricis & lætetur & gaudeat, nisi qui fortè quantum de illius partu lætandum sit, ignorat. Partus enim virgineus toti mundo salutaris & necessarius facit ortum Virginis vniuersis fidelibus gaudiosum: nec solum ortum Virginis, sed & ortum præcursoris. Sicut enim hæc nata est, vt saluatorem pareret: sic & ille à Deo missus est, vt viam Domino præpararet, vt testimonium perhiberet de lumine, vt omnes crederent per illum. Cæterorũ vero sanctorum dies natalitios non celebrat Ecclesia: illos, inquam, dies quibus in hanc vallem lacrymarũ flentes ingressi sunt: sed illos potius quibus de hac valle gaudentes ascenderunt in montẽ Domini, & in domum Domini lætantes abierunt; intrauerunt que in gaudium Domini sui. Vere scriptum est. *Melior est dies mortis, die nativitatis.* Melius est enim exire de carcere, quam carcerem intrare. Omnis homo ad laborem nascitur, imò & ad carcerem: quamvis de carcere, cum carcere, in carcere nascatur. Nascitur enim de carcere materni vteri, cum carcere mortalis corpusculi, in carcere huius mundi: sed heu etiã ad carcerem inferni: quia nascitur natura filius iræ, perditionis heres, corruptionis proles, calamitatis & miseriæ comes induiduus, tamquã æterni delicti reus. Quis ergo diem tam mœstum & tam lugubrem festum ducat & celebrem: nisi qui prorsus rationis expers est, & humanæ conditionis ignarus? Idcirco sancti natales suos non celebrant, quia oderunt animas suas in hoc mundo. Diem hominis non desiderant; sed desiderium habẽt dissolui & esse cum Christo. Maledicunt diei in quo nati sunt, parati suscitare Leviathan in huius mundi dilectoribus dormientem. At infelix Herodes qui se moriturum non cogitabat, se natum in carcere non dolebat; sed gaudebat de paleis ibidem abundanter inuentis, quibus præ ceteris concaptiuis infeliciter abũdabat. Et heu, quàm letalis illi fuit illa lætitia! in qua præcursorem Domini, lucernam scilicet ardentẽ & lucentem, quam Pater paraverat Christo suo, quæ spargebat vbique radios sanctitatis & justitiæ, sobrietatis & castimoniæ, temulentus adulter extinguere conatus est, & quantum in se fuit extinxit: quando caput illud sanctissimum ipsis Angelis reuerendum, cui se Dominus maiestatis dignanter inclinauerat, conuiuis in disco apposuit, tamquam ferculum nuptiale. Sic sic fratres carissimi, sic extingunt in se spiritũ, quem Apostolus nos prohibet extinguere, idest gratiã spiritualem, qui futurorum obliti, inhærent præsentibus, qui toto animo resoluti cõplacent sibi in iis quæ transeunt: non vtendo temporalibus, sed fruendo. Hi gratiam Dei decipitant, longè à se facientes timorem Dñi, qui est initium sapientiæ: cuius initij caput est, idest initiũ, timor judicij venturi, iuxta illud Augustini. *Qui incipit credere, incipit judicium timere.* O quàm profunda nox erat, quando totus ferè mundus in tantis tenebris ignorantię versabatur! sicut scriptum est. *Aspiciens à longè ecce video potentiam Dei venientem, & nebulã totam terram tegentẽ.* Quis autem in magnis tenebris ad ortum noui & magni syderis non respiceret? Iuxta prophetiam Balaam orta est hodie stella ex Iacob. Sed quid est, quòd prophetia Balaam hominis magi & malefici, auguris & divini, incantatoris & arioli, & quem scriptura sancta in multis reprehendit, authoritate Spiritus sancti confirmata est: nisi quia Spiritus sanctus per eũ locutus est, sicut per Caipham & per Sibyllam? Qui enim aperire dignatus est os asinæ ad corripiendam Prophetæ insipientiã, vel potius vesaniam, sicut sacra scriptura testatur; cur non & aperire dignetur os vesani hominis, ad prophetandam redemptionis humanæ clausam sapientiam, in mysterio à sæculis absconditam: quam nemo principum huius sæculi agnouit? Simulque consideranda est in hoc divino secreto duplex vtilitas. Prima, non esse magnum habere ex Deo donũ bene loquẽdi, & non benefaciendi, sicut habuit Balaam: in cuius ore & nõ in corde posuerat Dominus verbum suum. Secunda, verbum Domini semper esse pretiosum, & cum omni reverentia audiendũ à quocumque homine proferatur. Nam idcirco fecit Spiritus sanctus mandari literis & Prophetiam Balaam arioli, à Propheta Moyse; & Prophetiam Caiphæ pontificis ab Evangelista Ioanne. Et vide bonitatem Dei. Conductus erat mercede Balaam, vt malediceret Israeli, & non potuit nisi benedicere: adeò bonum habemus Dominum, & Patrem benignissimum, qui consolator clemens, conciliator sapiens, gubernator prudens, auxiliator potens, pro muro nobis est & antemurali: vt nemo nobis noceat, si boni æmulatores fuerimus. Non est enim sapientia, nõ est prudentia, non est consilium contra Dominum. Benè autem summam benedictionum suarum conclusit Balaam, prophetando ortum benedictæ Virginis, benedictum Dei filium parituræ, quam meritò benedicunt omnes generationes: quæ tantam benedictionis copiam omnibus generationibus acquisiuit; benedictum scilicet fructum ventris sui! qui à Deo benedictus est, vt quicumque illi benedixerit, benedictionibus repleatur: si tamen non coactus vel inuitus, nec in sola verborum superficie sicut Balaam, sed voluntarius, & bonę vitæ formula benedicat. Multi enim ore suo benedicunt, & corde suo, idest prauo cordis desiderio, maledicunt, dicentes Domine Domine, & quæ Dominus præcepit nequaquam facientes. At non omnis qui dicit ei Domine Domine intrabit in regnum cælorum; sed qui facit voluntatem Patris eius qui in cælis est. Vnde iste Balaam dicit de seipso in persona talium. *Dicit Balaam filius Beor: dixit homo, cuius obturatus est oculus. Dixit auditor sermonum Dei, qui novit doctrinam Altissimi: qui cadens apertos habet oculos.* Balaam interpretatur populus vanus, Beor impellens. De populo vano sunt qui, dicunt & non faciunt: vel qui audiunt verbũ Dei, & non custodiũt. Quid enim aliud quàm verba fidei, non opera sectatur? Qui enim tantũ verba sectatur, nihil habebit. Isti sunt filij diaboli impellentis eos in peccatum. Hujus Balaam obturatus est oculus interior, qui cum visiones omnipotentis videat, idest judicia ejus & præcepta intelligat, nõ viuit secundum quod intelligit, sed apertis oculis cadit; idest scienter peccat, & descendit viuens in infernum: auditor sermonum Dei, & non factor. Intellectus quidem bonus omnibus facientibus eum, non facientibus autem non bonus, quia non eis deputatur ad bonum, sed potius ad damnationis suæ maius testimoniũ. Servus enim sciens voluntatem Domini sui, & non faciens

Ecclesia nõ celebrat Sãctorum nativitates.

Eccle. 7.

1. Thessal. 5.

Verba Ecclesiæ.

Spiritus sanctus per Balaam & Caipham locutus.

Num. 24.

Balaam ortum Virginis prædixit

Num. 24.

eam, plagis vapulabit multis: & melius erat ei viam veritatis non agnoscere, quàm post agnitā retrorsum converti ab eo quod traditum est illi, sancto mandato. Beati quidem qui audiunt verbum Dei; sed si illud custodiant; alioqui nemo ex solo auditu beatus est. Sicut enim non prodest sermo auditus non admixtus fidei, sic nec fides ipsa sine obediētia. Ideò scriptum est, *Qui habet aures audiendi, audiat.* Sicut enim fides ex auditu, sic obedientia ex obauditu. Nihil prodest audire, nisi credas; nihil credere, nisi obedias. Hæ sunt geminæ cordis aures spirituales & sanctæ, quas à nobis requirit Spiritus sanct⁹, credere scilicet & obedire. De prima. *Domine quis credidit auditui nostro?* De secunda. *Dominus aperuit mihi aurem; ego autem non contradico, retrorsum non abij.* Item, *In auditu auris obedivit mihi.* De vtraq; *Aures autem perfecisti mihi.* Quamuis in hoc loco aures perfectæ intelligi possint obediētia mādatorum, patientia contumeliarum: vel timor cōminationum, & desiderium promissionum: & est, qui habet aures audiendi audiat, idest qui audit, credat; qui credit, obediat: credat minis, credat promissis; credat sacramentis. Credat minis, vt illas caueat: credat promissis, vt illa concupiscat: credat sacramentis, vt de sanctificatione illorum, & de inuisibili virtute non dubitet. Obediat præceptis, vt illa fideliter adimpleat, & firmiter conseruet, ne sit sicut Balaam auditor sermonum Dei, & non factor. Sed hæc de Balaā dicta sufficiant. Nunc ad stellam revertamur.

Isaia 51. Et 50. Psal. 17. Psalm. 39.

Orta est stella ex Iacob. Mira res. Humanum genus de limo factum est, & ante partum Christū, Vnde ergo de limoso genere jam stella post partum Christum? Quomodo de humano germine, de immundo semine nasci potuit proles siderea? Quid enim stella mundius, quid immūdius luto? Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Audi, quis. *Nonne tu, qui solus es?* Illa ergo virtus, illa sapientia quæ in principio temporum formauit hominem de limo terræ ad imaginem & similitudinem suam, illa ipsa in fine seculorum cœpit facere stellas ex hominib⁹, & homines ex stellis, ad reformādam in eis imaginem suam, soli polique patriam vnam faciens rempublicam; vt cælum haberet homines, & tellus stellas. Quid enim aliud sunt justi, nisi stellæ in terra lucentes, juxta illud Apostoli, *In medio nationis prauæ & peruersæ, inter quos lucetis, tamquam luminaria in firmamento cæli?* Et quid sunt justi regnantes in cælo; nisi stellæ lucētes in suo domicilio, & homines habitantes in sua domo? Vnde ipse Apostolus. *Scimus quòd si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quòd ædificationem habemus ex Deo domum non manufactā æternam in cælis.* Hoc autem opus, facere videlicet stellas ex hominib⁹, ad opus gratiæ pertinet, non ad opus naturæ, neque justitiæ. Natura nāque similia de similibus producit, vt homines ex hominibus, jumenta ex jumentis, aues ex avibus, pisces ex piscibus, &c. in hunc modum. Iustitia vero destruit sæpè, quod natura cōstruxerat; faciens ægros ex sanis, cæcos ex videntibus, surdos ex audientibus, mutos ex loquentibus, claudos ex ambulantibus, leprosos ex mundis, ex vivis mortuos: & quod terribilius est, ex sanctis & justis peccatores nasci constituit. Porrò gratia sæpè reædificat, quod justitia destruxerat; & perficit, quod natura reliquerat imperfectum: faciens sanos de ægris, vivos de mortuis, justos de impiis, de miseris beatos: quod gen⁹ operis maximè Deum omnipotentem probat, juxta illud. *Deus, qui omnipotentiam tuam parcendo maximè & miserando manifestas, multiplica super nos gratiam tuam,* &c. Sic igitur gratia justificando impium, vno & eodem opere facit stellā ex homine, & de tellure cælum. Et certè fratres carissimi, talis proles, & talis habitatio, idest cælestis atque siderea, olim sancto Abrahæ jam fuerat promissa, quando videlicet ad eum dictum est. *Suspice cælum, & numera stellas si potes. Sic erit semen tuum.* Ex eo quod dicitur, numera stellas si potes, manifestè arguitur Astrologorum quorumdā vana præsumptio; qui se vniversum stellarum numerum comprehendisse & conscripsisse jactaverunt, vt Aratus & Eudoxus. Quando enim, ait Augustinus, omnes dinumerari possūt, cum non omnes possint videri? Sanè qui solus illas creare potuit, solus & dinumerare potest, & suis propriis nominibus vocare, juxta illud. *Qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat.* Vnde sapiens quidā. Vbi habem⁹ hoc adverbium *sic*, in hebræo habetur adverbiū *quo*, quod est similitudinis & locale. Aiunt enim peritissimi Hebræorū, idem adverbiū positum esse in eo loco Exodi, vbi de Moyse scriptum est. *Cumque circumspexisset huc & illuc & neminem vidisset, percussum Ægyptium abscondit sabulo* Vbi enim habemus *huc & illuc* in hebræo habetur *quò & quò.* Melius ergo transtulit Hieronymus in hoc loco dicendo *sic*, quam si dixisset *illic.* Nam locale adverbium solam loci celsitudinem significare poterat: adverbium autē similitudinis & loci celsitudinem, & stellarum multitudinē, & numerosā magnitudinē, & cælestis præmij claritatem designat. Ait ergo. *Sic erit semen tuum*: idest tam multum, tam clarum, tam firmum. Tam multum numero, tam clarum merito, tam celsum præmio, tam firmum loco. Dico autē tam & tam, non pro æqualitate, sed pro similitudine demonstranda. Nam in his omnibus semen tuum stellarū gloriam superabit. Erit enim numerosius, clarius, celsius, firmiusque. De numerositate habes in Psalmo, *Dinumerabo eos, & super arenam multiplicabuntur.* De claritate *Fulgebunt justi sicut sol in regno patris eorum.* De celsitudine, *Scio hominē in Christo raptum usque ad tertium cælum.* De firmitate & cæteris omnibus habes in Daniele. *Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti: & qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Ait ergo, *Sic erit semen tuum:* idest tam mundum & purum: in conscientia tā purum, clarum & fulgidum in cælibe vita, & in cælesti doctrina, tam firmum & stabile in perseverantia, tam celsum & sublime in cælesti patria, tam gloriosum & nobile in gloria resurrectionis æternæ. Quantum enim pertinet ad vitā justitiæ, qua vivimus in præsenti, per lucē stellarum intelligitur in hoc loco, per ardorem feruor sancti desiderij, per statione firmitas propositi, stella namque dicitur à stando & lucendo, & ardendo. Quantū verò pertinet ad vitam gloriæ qua vivemus in futuro, per lucem stellarum accipitur claritas glorificati corporis; per ardorē ineffabile gaudium cordis, per stationem securitas, æternitas, & æternitatis securitas in vtroque, ait ergo. *Sic erit semen tuum.* Quasi diceret. Sic tua posteritas cælum possidebit, sic cælestis claritas in ea fulgebit, sic illius charitas

Iob 14. Justi sunt stellæ. Philip. 2. 2. Cor. 5. Ecclesia oratio. Genes. 15. Psal. 146. Exod. 2. Psal. 138. 2. Cor. 12. Daniel. 12.

solidè gaudebit, sic eius felicitas finem non habebit. Sic erit semen tuum. Sic cælum stellabitur tua genitura, sic sursum plantabitur caro nō casura, sic inthronizabitur caro regnatura, gloria mutabitur carnis, non natura. Ecce fratres, quales stellę S. Abrahæ promissæ sunt. Harū autem stellarum prima & præcipua est hæc singularis stella, quæ hodie orta est; omnes stellas non solum humanas, sed etiam Angelicas merito transcēdens & præmio, sicut scriptum est. *Multæ filiæ congregauerunt divitias, tu supergressa es universas.* Nulla enim vnquā stella sic luxit exemplo, sic stetit proposito. Discamus igitur ab hac stella lucere per exemplum castitatis, ardere per desiderium beatitudinis, firmi & stabiles stare in proposito sanctitatis. Nihil castitate lucidius; castitas autem dicitur à castigatione corporis, sine qua impossibile virtutem castitatis perfectè obtineri. Vnde Apostolus. *Castigo corpus meum, & in servitutē redigo: ne fortè cum aliis predicauerim ipse reprobus efficiar.* Castigandum est corpus jeiuniis, vigiliis, & labore manuum, assiduitate silentij, & loci solitudine, fame & siti, frigore & flagellorum verbere, sanctis meditationibus, & devotis orationibus. Multa enim meditatio carnis est afflictio. Nihil caritate ardentius, nihil mentis constantia firmius. Quid prodest, quasi lucere & ardere in cælo ad horam, & breviter & æternaliter ab eo cadere? *Quomodo* inquit *cecidisti de cælo Lucifer, qui manè oriebaris,* idest oriri incipiebas? Quàm propriè vsus est in hoc loco Propheta præterito imperfecto, quod significat rē esse inceptam & nondū perfectam: per hoc enim significata est in diabolo cadente quędam lucis inceptio, sed profectus nullus, perfectio nulla. Nam in veritate non stetit. *Videbam* ait Dominus, *Sathanam sicut fulgur de cælo cadētem.* Videbam dixit, & cadentem, verbum præteriti imperfecti iungens cum participio pręsentis temporis, significans diabolum cadere incepisse, sed nondum totum cecidisse: adhuc enim quotidie cadit in membris suis. Sicut enim Dominus IESVS Christus nondum totus ascendit in cælum, sed exaltatus à terra trahit ad se omnia, non simul, sed per partes: sic diabolus de cælo cadens, trahit post se tertiam partem stellarum, & vtinam vel duæ remanerent. Væ stellis non stantibus, sed de cælo cadentibus: quæ se trahi patiūtur à draconis cauda viperea. Væ stellis sequentibus eam, cuius nomen absynthium, vt amaritudine repleātur æterna. Quid prodest sapientiam inuenire, & inuentam mox perdere? Beatus vir qui inuenit sapientiam: sed si inuentā custodiat, & ꝗ ten et nō dimittat. Sapiētia enim clamitat in plateis. *Si quis diligit sapientiā, ad me veniat, & eā inueniet: & eam dum inuenerit, beatus est, si tenuerit eā.* Inuenire sapientiā est agere pænitentiā: tenere eā, est in pænitentia perseuerare: quod est in sapientia moram facere, sicut scriptū est. *Beatus vir, qui in sapientia morabitur.* Tria sunt, quæ hominem in sapientia commorari impediunt, & eum ab inventa repellunt, superbia cordis, illecebra carnis, inconstantia mentis. Prima repulit philosophos, qui cum Deū invenissēt, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt: sed euanuerunt in cogitationibus suis. Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt. Secunda repulit Salomonem: qui post inuentā sapientiā, inclinauit femora sua mulieribus, & dedit maculam in gloria sua. Tertia repulit Demam diligentem hoc seculum, & Apostolum relinquentem, qui prius propter Apostolum contempserat & reliquerat hoc sæculum. Hæc eadem repellit Religionis apostatas; faciens eos vt canes immundissimos ad vomitum reuerti, & à bono proposito resilire, & dicere anathema Iesu. De quibus est illa terribilis Augustini sententia, in epistola ad clerum & populum Hipponensē. *Sicut difficilè expertus sum meliores aliquādo, quàm qui in monasterijs profecerunt: sic numquam expertus sum pejores, quam qui in monasterijs defecerunt.* Et addit. *Hinc arbitror in Apocalypsi scriptum. Sanctus sanctificetur adhuc: & qui in sordibus est, adhuc.* Quod velut exponens subdit. *Sicut enim precedunt ceteros in regno, qui dignè votis suis vivunt, sic pejores sunt in mundo, & inferiores in inferno, qui à voto recedunt.* Vnde idē Augustinus in Epistola ad Armentarium & Paulinam. *Antequam esses voti reus, liberum tibi fuit, quo esses inferior: quamvis non sit gratulanda libertas, quā fit vt non debeatur, quod cum lucro redditur. Nunc verò quia tenetur apud Deum sponsio tua, non te ad magnam justitiam inuito, sed à magna iniquitate deterreo. Non enim talis eris, si non feceris quod vouisti, qualis mansisses, si nihil tale vouisses. Minor enim tunc esses, non pe or: modo autē quod absit, tantò miserior, si fidē Deo fregeris; quantum beatior si persolveris. Nec ideo te vouisse pœniteat; imò gaude, iam tibi non licere, quod cum tuo detrimento licuisset. Aggredere itaque intrepidus. Ipse iuvabit, qui vota tua expetit. Felix necessitas, qua ad meliora compellit.* Hæc Augustinus. Huiusmodi apostatę de tertia sunt parte stellarū, quæ à cauda draconis de cælo trahitur ad infernum. Nam duæ partes quibus illa cauda non præualet, sunt mutuam conseruantes innocētiā, numquam peccando mortaliter: & recuperantes perditam, acriter & alacriter incœptam pænitentiā consummando. Primum quidem genus rarissimum & pretiosissimum: quamvis Ambrosius dicat, se facilius inuenisse qui innocentiam seruauerint, quàm qui veram egerint pænitentiam. Quæ est ergo tertia pars stellarum caudam draconis legens, idest in iudicium diaboli incidēs: nisi illi qui de perdita innocētia pœnitere incipiunt; & propter mentis inconstantiam & animi leuitatem in cœpta pœnitentia non persistūt? Nam qui nec pœnitere inchoant, stellarum nomine digni non sunt, nullum lucis initium ostēdentes. Idcirco Maria tale nomen diuinitùs sortita est: videlicet stella maris, idest illuminatrix mundi, qui tamquam mare tumet in superbis, feruet in iracūdis & inuidis, fæter in luxuriosis, ebriosis, & gulosis. Quis enim in periculo qualicumq; positus, ad huius stellæ respexit radiū, & non statim opē sensit? Specialiter tamen dicitur stella maris, idest cōsolatrix mœrentium, illuminatrix pœnitentium, eorum scilicet, qui recogitant omnes annos suos in amaritudine animæ suæ: quorum contritio magna est velut mare, idest lata & profunda, vt amaritudo confessionis omnes circumstantias peccatorum in lucē proferat, & amaritudo satisfactionis per omnia corporis membra discurrat, & amaritudo compunctionis semper de fundo cordis ebulliat. Non est Maria stella marium vel fontium, aquarum dulcium: sed stella maris, quia consolationem ejus non meretur accipere terra suauiter viventium: sicut signo Tau non merentur insigniri frontes ridentium & lætantium, sed virorum

Marginalia: Prouerb. 31. — 1. Cor. 9. — Quomodo corpus castigandum. — Isai. 14. — Luc. 10. — Prouerb. 8. — Eccli. 14. — Rom. 1. — 2. Timo. 4. — Aug ep. 137 — Epist. 45. — Apocal. 8. — Ambros. lib 2. de pœn. c. 5 — Maria nomen diuinitus sortita.

rum gementium & dolentium propter abominationes quæ fiunt in medio eorum. Caueamus ergo fratres, caueamus obsecro ab his signis quę futura prædixit Domin' in sole & luna & stellis: idest in prælatis Ecclesiæ, in principibus terræ, in subditis vtrorumque, tam clericis quam laicis. Sunt enim quamplurimi vtriusque sexus, & vtriusque gradus, qui stare quidem videntur in Ecclesia, sed casuri sunt ab ea, vel etiam iam cadunt, non tam loco, quam merito; per illa tria supradicta pericula, idest cordis superbia, carnis illecebra, mentis inconstãtia Nullus autem casus lætificat diabolum, vt religionis apostatarum. Absorbet enim fluuium, & non miratur: idest non pro grandi habet, si multos de sæculo post se trahat; sed habet fiduciam quod influat Iordanis in os eius, idest descensus eorum qui se humiliant ad pœnitentiam peragendam, vt ibi discant à Christo mites fieri & humiles corde. Hos præcipuè diabolus absorbere desiderat: quia fænum sicut bos comedit: escæ ejus electæ: captat in animam justi. Caveant ergo à faucibus diaboli, qui jam masticantur à favore Christi, iuxta illud, *Macta & manduca.* Quàm miser, quàm infelix, qui ab ore Christi euomitus, ab ore diaboli reabsorptus fuerit, à quo primùm absorptus fuerat. Nihil enim sic inhianter desiderat canis ille infernalis, quàm vomitum suum relambere, & totum resorbere: quippe cùm peccatorē absorptum numquam voluntarius, sed coactus evomat, sicut scriptum est. *Divitias quas devoravit euomet, & de ventre ejus extrahet eas Deus.* Talium autem casus, quantum lætificat Leviathan, tantùm contristat Mariam. Stemus ergo fratres, succincti lumbos nostros in veritate; stemus inquam in sancto proposito inconcussi & immobiles, sicut B Genesius martyr: qui cùm Romæ appensus esset in eculeo, & vngulis abrasus, atq; ardentes laminæ ad latera ejus essent appositæ, stabat immobilis, & clamabat dicēs. Non est rex, præter Christum: pro quo si millies occidar, ipsum mihi de ore, ipsum mihi de corde auferre nō poteritis. O columna fortissima in domo Dei! ô stella firmissima, & firmissimè fixa in firmamento cæli! quãdo huic prævaleret draconis suggestio: cui prævalere non poterat incisio ferri, & ignis adustio? Sanè stella ista Christum sibi impressum habebat: à quo nulla ratione separari poterat. Quod enim de alio martyre in Græcia refertur; qui Nimias & Nehemias dictus est, qui cùm similiter torqueretur, & similia respōderet, jussit tyrannus ventrem eius secari per medium, & cor ejus inde integrū avelli & findi, vt videret si Christus in eo esset, sicut Martyr dixerat. Quod cùm factum esset, apparuit in ipso cordis fissi medio pulcherrima Christi effigies, per totam cordis lōgitudinem & latitudinem se effundens. Quo viso confusus Tyrannus erubuit: populus autē fideliū valdè exhilaratus in tanto miraculo, expansis manib' ad cælum, & fixis in terram genibus, præ gaudio clamavit ad Dominum, & dixit. Gloria tibi Domine, qui nos tã magnificè facis experiri, verum esse sermonem Apostoli tui dicentis, Christum habitare per fidē in cordibus nostris, Amen.

Luc. 21. Iob 40. Religiosos præcipuè impugnat dæmon. Act. 10. Iob 21.

Sermo 2. In eadem Natiuitate B. M. Virginis.

IVCVNDISSIMA Natiuitas gloriosæ virginis Mariæ tot ab antiquis expetita votis, expectata suspiriis, exquisita lacrymis, vaticiniis præcātata, publita iucunditate ab vniverso mundo celebrari meruit: quia post longam seculi tristitiā publicæ iucunditatis primitias invexit. Ac si primo vagitu infantiæ suæ illam ad omnes filios hominum consolationem evangelicam promulgerit dicens. *Respicite & leuate capita vestra: ecce appropinquat redemptio vestra.* Quod idem est, ac si alijs verbis dicatur. Ecce iam parauit sibi sapientia thronum eburneum, ad cogitandas cogitationes pacis idoneum: quatenus illarum cogitationum sacrosanctis carminibus incantatæ misericordia & veritas in huius throni medio sibi ipsis obuient; & iustitia & pax osculantes se inuicem mutuis amplexibus astringantur. Hactenus enim sapientia Dei quasi vaga & profuga super terram, locum vbi requiesceret, aptum non inuenit, propter humanarum sordium illuviem. Nunc autem Deo gratias, fecit ei rex Salomon thronum de ebore grandem. Thronus sedes est regia, siue iudiciaria. Regis, vt ibi. *Thronus tuus Deus in seculum seculi, virga æquitatis, virga regni tui.* Iidiciaria, vt ibi. *Sedisti super thronum, qui iudicas iustitiam.* Et in Evangelio. *Sedebitis & vos super thronos duodecim, iudicantes duodecim tribus Israël.* Sed quoniam honor regis iudicium diligit, honor autem iudicis personam non accipit, nullumque malum impunitum relinquit, oportebat necessariò vt rex & Iudex noster, qui Deus vltionum & consiliarius appellatur, priùs offerret mortalibus pacis consilium, quàm inferret peccantibus vltionis iudicium: vt priùs esset columba vice legati fungens, quàm vice percussoris. De prima legitur, quod redierit ad arcam ferens in ore ramum oliuæ virentibus foliis. De secunda. *Fugite à facie gladij columbæ:* id est ab instanti sectione capitalis sententiæ, priùs denuntiandæ per legatum mitem & humilem, postremò ferendæ per eumdem viuorum & mortuorū Iudicem: sed Iudicem, qui sine felle irascitur, & cum tranquillitate judicat, & semper misericordiam judicio superexaltat. Ad Legati mansuetudinem pertinet thronus Salomonis: ad iratum Iudicem thronus Artaxerxis: de quo legitur in libro Esther, quòd sedebat super soliū regni sui, indutus vestibus regis auro fulgens, & lapidibus pretiosis; & erat terribilis aspectu. Væ gentibus quæ bella volunt, quia dissipabuntur: væ Iudæis, qui pacis concilium reliquerunt, repellentes pacificum Salomonem, & eligentes bellicosum Cæsarem, quia suo Cæsari cadendi relinquentur. Secundum enim nomen Salomonis ita & opus ejus, similiter & Cęsaris. Diabolus enim non immeritò à cęde & sanguine & armis nequitiæ, quibus semper abundat, Cæsar appellatus, mensuram huius nominis, mensura crudelitatis semper implere satagit, iuxta illud Poëticum,

Cæsar in arma furens, nullas, nisi sanguine fuso,
Gaudet habere vias.

At Salomon noster secundum nomen suum verè pacificus, fecit vt artifex sapientissimus thronum de ebore grandem, quasi primum & præcipuum pacis opus: quando Christus qui est pax nostra, qui fecit vtraque vnum, vt pacificaret quę in cælis sunt & quæ in terra, tamquam princeps pacis, & rex justitiæ, innocentissimam Virginum & humillimam mulierum elegit sibi in matrē propriā, quasi in sede pacis mediatricem. Thronus enim, vt dictū est, sedes est tam regia,

Luc. 21. Psalm. 44. Psalm. 9. Mat. 19. Deus pacē prius offert, quàm puniat. Ierem. 46. Ester. 15.

quàm judiciariæ. Ad sedem pertinet quies, ad regem honor, ad judicem timor. Ad quietem innocentia, ad honoré iustitia, humilitas ad timorem.

Genes. 4. apud 70.

De primo habes. *Peccasti, quiesce.* De secundo. *Anima justi sedes est sapientiæ*: sedes idest requies quam sapientia in omnibus quærit, sed in solis humilibus inuenire se dicit, iuxta illud exemplú.

Isai. 66.

De tertio. *Super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem & quietum, & trementem sermones meos?* Innocentię est, cavere prohibita; iustitiæ, seruare præcepta; humilitatis, timere judicia, & omnia merita sua, quasi pro nihilo computare, juxta illud.

Luc. 17.

Cùm feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite, serui inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus. Non tamen ad quemlibet innocentem vel humilem referri potest huius throni descriptio. Nam cùm de eodem legatur in sequentibus.

3. Reg. 10.

Non est factum tale opus in universis regnis, manifestú est hoc non posse intelligi, nisi de humillimo hominú, aut de humillima mulierú. Humilim⁹ hominú ille est, qui ab ipsa sapiétia in persona assúptus est, de quo dicit Daniël in visione tertia.

Daniël. 4.

Donec cognoscãs viuentes, quòd dominetur excelsus in regno hominum, & cuicumque voluerit, dabit illud, & humillimum hominum constituet super illud. Humillima mulierum illa est, de qua idem homo, idest Christus natus est. Neque enim sapientia quæ semper sapienter agit, aliunde convenientiùs aut sapientiùs corpus posset assumere, quã de humillima muliere. Hæc est enim, quæ cunctis innocentior, & sacratior vniuersis, viliorem tamen se omnibus reputabat. Vnde salutationi Angelicæ, laudationi magnificæ, promissioni mirificæ, sic respondit,

Luc. 1.

Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Et quoniam semper in humilitate quievit, Deum in se non solum spiritualiter, sed etiam corporaliter requiescere fecit: sicut in persona ejus dicit sapientia,

Eccli. 24.

Et qui creauit me requievit in tabernaculo meo. Quòd ergo Salomõ dicitur fecisse thronum, Psalmista quasi exposuit dicens.

Psalm. 17.

Inclinauit cælos & descendit. Thronus enim sessionem habet, sessio verò inclinationem simul & quietem. Sessio igitur Dei quid aliud est, quam maiestatis exinanitio, & formæ seruilis assumptio?

Psalm. 138.

Sicut scriptum est. *Tu cognouisti sessionem meam*, idest inclinationem meam æterno iudicio approbasti. Nisi se inclinando sedisset super thronum, nemo ad eum habuisset accessum, iuxta illud.

Mat. 5.

Et cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli ejus. Sed qualis est thronus iste? Eburneus. Fecit, inquit Salomon thronum de ebore. Væ regibus facientibus thronum de stercore. Quid enim aliud est animus in libidine requiescens, nisi rex in stercore sedens? nã vt ait Salustius. Animi imperio, corporis seruitio magis vtimur. Caro ergo libidini dedita sedes est de stercore factà. Quantum distat thronus eburneus à sterquilinio, tantum corpus castum à libidinoso. Ebur dictú est, quod sit è barro idest ex elephante, qui græcè barrus à fortitudine nuncupatur: vnde & vox eius dicitur barritus. Est autem elephas animal inter cetera bruta magnitudine præcellens & altitudine. Vnde & nomen ejus in lingua Græca & Indica montem significat. Nec solum magnitudine, sed etiam fortitudine præeminet. Vnde & turres ligneas cum tricenis hominib⁹ armatis portare consueuit. Sensu quoque plurimùm viget, ad cognoscendas viarum differétias, & draconum insidias, cum quibus ei iuge certamen est, & discordia inexorabilis. Est etiam naturaliter clemens, castitatem diligens, diutissimè viuens, vsque ad ætatem tertiam Nestoris, idest vsque ad annos, vt aiunt, trecentos. Hæc omnia nulli magis congruũt moraliter, quam virgini Mariæ. Nam per acumen sensus prudentia, per amorem castitatis temperantia, per fortitudinem ipsa fortitudo, per clementiam iustitia designatur: quia vt ait philosophus quidam, illa vera iustitia est quæ erga inferiores seruatur, per magnitudinem magnanimitatis. Per altitudinem meritorum sublimitas, per longanimitatem perseuerantia, per trecentos annos fides & imitatio Dominicæ passionis exprimitur, propter Tau literam, quæ apud Græcos formam crucis habet exprimere, & numerum trecentorum signare.

Litera T crucis figuram haben.

Est autem ebur dens elepphantis, os videlicet natura frigidum, à carne nudum; substantia solidum, colore candidum, antiquitate rubicundum. Per naturalem frigiditatem timor Domini, per nuditatem cõtemptus mundi, per candoré carnis munditia, per soliditaté mentis constantia, per ruborem antiquitatis feruor multi temporis designatur. Vera namque castitas naturaliter timida est, sed timore Domini, non timore mundi. Timor enim Domini fidelium mentes à carnaliũ vitiorum æstu refrigerat. Hic est enim Angelus Domini, qui descendit cum Azaria & sociis eius in fornacem, & excutit flammam ignis de fornace, idest incendium tentationis à carne, prius tamen à corde flatu suggestoris incenso.

Daniel. 3.

Timor Domini expellit peccatum, non solũ illud quod adhuc foris pulsat importunè satis ad cordis ianuam: sed etiam illud quod jam per consensum intrauit ad animam. Timor autem mundi numquam mentem refrigerat, sed latenti desiderio semper intus exæstuat: & ideò non expellit peccatum, sed fouet & cõcogit, donec tempus eueniat foras erumpendi. Vnde Philosophus. *Multorum, quia imbecillia sunt, latent vitia, non minus ausura, cùm illis vires sua placuerint, quàm ea quæ iam facilitas aperuit.*

Seneca.

Serpens etiam pestifera tractat, cum riget frigore, non desunt tunc illi venena, sed torpent. Vnde quidam inter veram & falsam castitatem discernere volens, eleganter ait.

Si qua, metu dempto casta est, ea denique casta est
Quæ quia non potuit non facit, illa facit.

Ovid.

Item vera castitas solida est, idest talis interiùs qualis exteriùs: talis in secretò, qualis in publico: talis occupata tentationis certamine, qualis feriata à tentatione. Non sic temporales & cauernosi: qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt: cannis similes & cicutis, exterius nitidi, interius vacui: virentes de longinquo, fœtentes de proximo: qui cùm nihil interiùs prurit, sunt cælibes; cùm nihil exteriùs allicit, continentes. At si species concupiscibilis eorum aspectui se fortassis obtulerit, statim sicut fluit cera à facie ignis, sic pereunt peccatores à facie Dei. Aut enim Briarei manibus & Sphingarum vnguibus præoptatum cadauer aduncant; aut si hoc facere mundano timore prohibentur, saltem oculos Argi vagis obtutibus illuc circumferũt, vt aspectu passiuo cordis pascant esuriem, & occultæ delectationis jentaculo jeiunæ famem libidinis præsignent. Sic perierat qui dicebat [Vt vidi, vt perii: sic me malus abstulit error.] Et alius quidam. N-

Munera castitatē expugnant.

mitum hic ego sum satis inter millia fortis. Verùm vbi quid melius contingit & vnctius idem. Item omnis vera castitas nuda est; idest voluntariç paupertatis amica: excutiens manus suas ab omni munere. Nam vt ait Hieronymus noster, non est casta matrona, quæ munera accipit. Et juxta Quintilianum. Muliebrium vitiorum fundamentum auaritia est. Sanè multorum & multarū castitas verborum jaculis impetita immobilis & integra stetit: muneribus arietata ruit. Nā vt aliquid de fabulis summatim attingamus, irrupit aurū in propugnacula turris Acrisij: & virgini fatuæ quæ de libidine triumphasse videbatur in terra, quasi de cælo aureus pluit incestus. Sic quam non seducit petitor humilis, fallit sublimis. Sic arborem quam non mouit fauonius, euertit aquilo. Sic etiā rosarium semper aliquo turbine sua purpura denudatur. Sed nullo faciliùs quā vento aurigine, idest ærei doni splendore, iuxta illud.

Ouid.

Non ego diuitibus venio præceptor amandi:
Nil opus est illi qui dabit, arte mea.
Secum habet ingeniū, qui cum valet, accipe, dixit;
Cedimus, inuentis plus valet ille meis.

Et iterum.

Munera, crede mihi capiunt hominesque Deosque.

De talium castitate pulchrè ait satyricus

Sic ter Penelope frugi est, quæ si semel vno
De sene gustarit, tecum pacata lucellum,
Vt canis à corio; vix absterrebitur vncto.

Quod autem ebur dens esse dicitur elephantis, quid aliud significat, quam castitatem dentatam esse debere, vt magis porrigat tentatori morsum quàm osculum, vultum exhibeat tristem, non hilarem: verba respondeat dura, non mollia: paratior ad reüciendum quàm recipiendum viscata, imò venenata munuscula, & literulas tam deceptrices quam dulces. Nam vt ait Hieronymus, blāda munuscula & dulces literulas sanctus amor non habet. Elephans enim sine dente est, qui molliter negat consensum turpitudini. Est enim quoddam prognosticum secuturi consensus ad precem alteram, negatio mollis ad vnam. Mollis Euæ responsio fecit eam penetrabilem & peruiam veneno. Adhuc morem hunc molliter respondendi retinent Euæ filiæ, *Vix erit ex multis, quæ neget vna tibi.* Neget, idest perneget, & nulla pernegat. Nam quæ mulier præcidit constāter verba rogantis, quæ petitorem suum perpetua tristauit repulsa? quin potius fauorem quendam sapit quarumdam negatiua concessio, vel negatio concessiua. Quamtumlibet enim dura respondeant, semper in aliquo verbi sui angulo reperiet procul aliquem fomitem suæ petitionis implicitum, quasi sponte & de industria sic relictum. Quod inde contingit, quia quæque sibi videtur amanda, pessima sit, nulli non sua forma placet. Quæ dant, quæque negant, gaudent tamen esse rogatę. Vndè Hieronymus. Etsi rogata non cesseris, tamen formæ putas testimonium, si rogeris. Alieni ergo amoris impetum sumunt vt pulchritudinis argumentum: & vnde se vident aliquantulum placere aliis, inde jam incipiunt nimium placere sibi ipsis, iuxta illud. *Delectant etiam castas præconia formæ.* At tenera casta non est, quę tali præconio delectatur, nimirium mentis elatione jam corrupta. Solet autem elationis occultæ præludium plerùmque comitari corruptionis affectum: quod genus vlceris sæpe sordidissimo curatur ēplastro, sicut scriptū

Iob. 12.

est. *Balteum regum dissoluit, præcingit fune renes eorum.* Vnde Augustinus. *Audeo dicere: plerumque superbis esse vtile, cadere in aliquod apertum manifestumque peccatum, vnde sibi displiceant, quā jam sibi placendo ceciderant.* Salubriùs enim sibi Petrus displicuit, quando fleuit, quàm sibi placuit, quādo præsumpsit. Igitur elephas bene dētatus est, qui contra procorum vel potiùs porcorum grunnitus importunos non solum verbis obringit asperrimis, sed etiam ore dentato indignantis animi remordet & repercutit; & cornuta fronte voluntatis refugæ ita semel petitorem repellit & ventilat, vt secundo opus non sit. Sic respondebat B. Agnes dicens. *Discede à me fomes peccati, pabulum mortis, nutrimentum facinoris.* Sic respondere docet Philosophus dicens.

Ambros. ser. de S. Agnete

Seneca.

Efferat matrona oculos jacentes in terram, & aduersus officialem salutatorem inhumana potiùs quā inuerecunda sit; longeque antè pudicitiam suā ore, quàm verbo neget, nemo enim canens fortiter iterū rogatur. Sic respōdit martyr ille inuictissimus, qui quoniā ligat' manus & pedes aliter se defendere non poterat, linguam suam allisam in os impudicæ jactauit. Sic respondit occulto tentatori noster ille gratia Benedictus & nomine, vrticarum & veprium volutatione molestissima pruritum bene confricans malè blandientē. Fuit ergo Maria per humilitatem & innocentiam thronus, per castitatem & animi constantiam thronus eburneus: per caritatem perfectam thronus grandis: per fœcunditatem thronus regius, & thronus Salomonis. In throno quies & trāquilitas, in ebore candor & soliditas, in grandi capacitas, in Salomone pacis fecunditas demonstratur. Nihil conscientia se non remordēte trāquillius, nihil animi firmitate solidius, nihil capacius caritate. De primo habes *Secura mens juge conuiuium.* De secundo. *Occidi possunt, flecti nequeunt.* De tertio. *Latum mandatum tuum nimis.* Caritas enim latior oceano, & capatior ipso cælo, hostes colligit vt hospites, & inimicos amplectitur vt amicos: quod nec cælum, nec oceanus facere possunt. Verè thronus grandis fuit, quæ illum totum capere potuit, quem totus non capit orbis, sicut & gētilis Poëta christianis versibus laudē eius pulchrè psequutus est dicens.

B. Virgo thronus eburneus.

Proverb. 15

Grego.

Psalm. 118.

Virginei tumuere sinus, intactaque mater
Arcana stupuit compleri viscera partu
Authorem paritura suum mortalia corda
Artificem texere poli, Mundi reparator
Pars fuit humani generis, latuitque sub vno
Pectore, qui totum latè complectitur orbem.
Et qui non terræ spatiis, non æqueris vnda,
Non capitur cælo, paruos confluxit in artus.

Sicut autem nihil caritate capacius, ita nihil fecūdius pace, juxa illud. *Ecce ego declino in eos vt flumen pacis, & vt torrens inundans gloria gentiū.* Verè thronus grandis fuit, quæ & turris est, sicut de illa in laude sponsæ dicitur *Collum tuum sicut turris eburnea.* Scimus; quia collo mediante caput vnitur corpori, & corpus capiti coaptatur. Collum quoque eminentissimum membrum est corporis, & per collum tamquam per fistulam trajicit sibi vitale stomachus alimentum. Quid ergo per collum exprimitur, nisi mediatrix nostra, fęlix Virgo Maria; quæ singulariter eminet in corpore, quod est Ecclesia; per quam meruimus authorem vitæ suscipere, panē scilicet vitæ, qui descendit de cælo, & dat vitam mundo? Per Mariam enim factus est Christus caput & spon-

Isai. 66.

Cant. 7.

sus Ecclesiæ, quando Verbum caro factum de virginali procedens vtero, tanquam sponsus de thalamo suo, eamdem sibi Ecclesiam connubio iunxit stabili, propriamque dicauit. Pulchrè autem collum istud turri cōparatur eburneæ: turri, propter altitudinem, fortitudinem, rectitudinem, grauitatem. In cuius altitudine sublimitas voti, & celsitudo meriti, in fortitudine firmitas propositi & securitas humani refugij: in rectitudine desiderij sanctitas & intentionis puritas, in grauitate omnis morum maturitas designatur. Verè turris fuit Maria, sublimis & ardua voto, præcelsa merito, fortis in proposito, recta consilio, erecta desiderio. Verè turris eburnea, virginitate candida, mētis integritate solida, casto timore frigida, mundi contemptu nuda, zelo castitatis armata. Verè adhuc turris eburnea est, proposita cunctis in exemplum sāctimoniæ, circumposita singulis in præsidium pugnæ, superposita omnibus in spectaculum gloriæ, reposita vniuersis legitimè certantibus in præmium coronæ. Sanè tale collum tali capiti superponi decebat, quod & per omnia cōueniret. Quid ergo turri fortius, quid ebore pulchrius? Sicut ergo de capite legitur, *Dominus regnauit decorem induit induit Dominus fortitudinem & præcinxit se virtute*: Sic etiam de collo, *Fortitudo & decor indumentum eius*. O pulcherrimū ædificium, quod & thronus & turris est: thronus eburneus, turris eburnea: sed thronus propter Deum, turris propter homines. Thron' ad suscipiendum iudicem conversum ad clementiam: turris ad suscipiendum peccatorē cōversum ad pœnitentiā. Thronus, qui Deū maiestatis & immensum capiat, & lassum reficiat, & iratum mitiget: turris, quæ homines confugientes ad se & protegat, & defendat, & saluet. Imitemur, obsecro dilectissimi, turris huius grauitatē in actibus, candorem in effectibus, suauitatem in moribus, in cavendis excessibus sanctitatem. Sanè si sciremus, quā inflexibilis est virga iustitiæ, & quàm indeclinabilis æquitas iudicij, timeremus tam crebrò facere iacturam innocentiæ, & Ordinis transgressionem. Vidit enim sanctus quidam gravissimas inferri pœnas animabus defunctorum pro talibus excessibus, quos nos insipientes levissimos æstimamus: vt pro risu immoderato verbera gravissima, pro verbis otiosis in facie cædes ferè vsque ad oculorum excussionē; pro cogitationibus inutilibus, & nimium ex more vagis variam aëris inclementiam; pro gestu dissoluto vincula asperrima, & plerumque ignea; pro signorum multitudine superflua, quibus ludicra & otiosa quæq; contulissent ad invicem, digiti negligentium vel excoriabantur vsque ad palmam, vel super incudes tunsionibus quassabantur. Qui autem vagationes inutiles, & sine necessitate extra claustrū vel cellam quæsierant, licet in ipsa vagatione ordinatè se gessissent, tamē quia tædio silentij claustralis, & observantiæ Regularis hoc fecerant, & huiusmodi solatia monasticæ quieti prætulerant, durissima de loco in locum iactatione, quasi lapides emissi de fundibulo, collisione omnium mēbrorum molestissimè plectebantur. Sermonem impuritate aliqua, & irreligiositate, vel qualibet turpitudine sordentē, in viris præsertim sacri Ordinis, sicut capitalia crimina puniebant. Fugiamus ergo fratres, ad huius turris eburneæ fortissimum & inexpugnabile refugium: amando quietem; vitando vagationem, ad omnem levitatem immobiles quasi turris, nullum membrū corporis sine causa mouendo: sicut B. Bernardus sanctum Malachiam commendat, quòd nemo vmquam, etiamsi curiosè intendit, vidit eum pedem manumve mouere frustra. Hæc dicta sint pro his verbis, *Fecit Salomon thronum de ebore grandem*. Reliquam descriptionis partem ad præsens intactam relinquimus.

Psal. 92.

Prouerb. 31.

Pœna peccatorum venialium in purgatorio.

Bern. in vita S. Malach.

3. Reg. 10.

Sermo 1. In Festo Omnium Sanctorum.

GAVDENT *in cælis animæ Sanctorū*. Gaudent, inquā, gaudio magno valde; quia huius mundi reversæ postliminio recuperare meruerunt cæleste palatium, quasi aurum, prædium, & possessionem paternam. Enimuerò illorum possessio generaliter in tribus consistit; in possessione cælorum, in societate Angelorum, & ipsius Reginæ Angelorum gloriosæ genitricis Dei, & virginis Mariæ; postremò in beatissima visione Iesu Christi, Domini virtutum & Regis gloriæ. O quàm rapidissimi voluptatum torrentes de singulis istorum velut gaudiorum fōtibus oriuntur! Nam vt interim de duobus reliquis taceamus, quanta gaudiorum materia est vel sola cælorum possessio! *Gaudent*, inquit, *in cælis animæ Sanctorum*. Quid ni gaudeant, qui in cælis jam habitant? Sed quibus cælis? Qui sunt, vel quot sūt cæl? Iudæi 7. cælos esse dicunt. Adeo enim septenarium commendant, quòd etiam 7. cælos à principio creatos affirmant. Ethnici quoque Philosophi illum notissimum cælum, in quo stellæ fixæ sunt, ex singulis planetarum orbibus cælos singulos fabricantur. Fuerunt, qui & mūdos innumerabiles, & cælos innumerabiles esse assererent. Quidam verò non nisi vnum esse, vel esse posse dixerunt. Tantum esse enim opus vnius cæli, vt secundum fieri non potuerit. Quasi verò omnia magna opera singularia sint: cùm videamus tot & tanta flumina & maria huc & illuc diffusa, tot terras latas & spatiosas, tot dracones immensæ longitudinis, tot cetos immēsæ latitudinis, tot elephantos immensæ molis. Sed quid ad nos pertinet de Iudæorum fabulis, vel Philosophorum somniis? Plures cælos esse, scriptura veritatis manifestè asseruit, dicens. *Opera manuū tuarum sunt cæli. Ipsi peribunt, tu autem permanebis; & omnes vt vestimentū veterascent*. Sed quot sint quæritur. Paulus ergo Apostolus testis veracissimus in medium producatur, qui se dixit raptum fuisse vsque ad tertium cælum. Tres igitur cælos esse manifestissimè asseruit. Plures autem quàm tres esse, sicut non affirmauit, sic nec negauit quidem. Et certè vtrum plures sint, nescio: hoc vnum scio, quòd tres sunt. Nam saluo omni mystico intellectu, secundùm quem hæc Pauli sententia solet exponi, etiam de tribus cælis materialibus mihi ad literam videtur posse intelligi. Sunt enim tres cæli, de quibus apertè loquitur Scriptura. Est cælum aëreum, est sidereum, est empyreum. Cælum aërēū terræ est proximū, & suis impletum volucribus. Cælum sidereum à terra est remotū, & suis stellatū sideribus. Cælū empyreum longè ab vtroque est exaltatū, & suis ornatū beatis spiritib'. De primo habes. *Volucres cæli, & pisces maris*. De secundo. *Benedicite stellæ cæli Domino*. De tertio. *Cæli, cælorumque vir-*

Ecclesiæ verbo.

Quot sint cæli.

Psalm. 101.

2. Cor. 12

Daniel. 3.

tutes, ac beata Seraphim. Primum cælum, quod est aëreum, ad beatitudinem animatum non pertinet; quia & ipsum multam miseriis subjacet, & tempestatibus & procellis quatitur, iuxta illud Poëticum.

Ecclesiæ verba.

Fulminibus terræ propior succenditur aër.

Denique cælum illud non solis volucribus, sed etiam dæmonibus datum est ad habitandum: qui ibi positi sunt, non ad ornatum aëris, sicut mentiuntur Philosophi; sed ibi vsque ad diem judicij tamquam in carcere sunt inclusi. Porrò ex duobus aliis cælis, scilicet sidereo & empyreo, cum suis, vt ita dicam, appendiciis constituitur illa domus celestis, de qua scriptum est. *Beati qui habitant in domo tua Domine; in sæcula sæculorum laudabunt te:* Ita tamen, quod huius domus cælum sidereum quasi pauimentum est, siue fundamentum: cælum verò empyreum superior structura. Hæc autem domus multis in scriptura sacra nominibus nuncupatur. Dicitur enim cælum, terra, thalamus, desertum, patria, ciuitas, curia, cubiculum, templum. Cælum dicitur à serenitate, terra à loci firmitate, & bonorum omnium fertilitate, desertum à capacitate saluandorum omnium respectu multitudinis perditorum, patria à naturali soli dulcedine, quæ mentes ad se allicit, quasi solum omniū naturale, iuxta illud.

Psal. 83.

Mansionis celestis nomina.

Nescio qua natale solum dulcedine cunctos
Ducit, & immemores non sinit esse sui.

Ovid. 1. de Ponto.

Illam verò patriam concupiscunt, etiam qui illius ciues non sunt, quia licet illa paucorum sit ex gratia, tamen esse omnium debuit ex natura. Deus enim Pater omnium creatione est, quamvis paucorum adoptione. Ciuitas appellatur à concordi ciuium multitudine in vnā Rempublicā coëunte. Curia, vt ait Augustinus, quia ibi agitur cura de nobis. Palatium, propter regalis illius ædificij structuram pernobilem. Aula, propter personarum ibi assistentium magnam nobilitatē: regio à loci magnitudine, regnum à justitia quæ ibi maxime regnat; domus à sacra & stabili mansione cohabitantium, & à multitudine mansionum, iuxta illud. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.* Non enim ibi militatur, tamquam in tabernaculo; sed habitatur, tamquam in domo. Atrium verò nuncupatur à solemni frequētia ibi collaudantium, & choros ducentium, iuxta illud, *Atria eius in hymnis confitemini illi,* metonimicè continens pro contento. Thalamus, à maritali coniunctione Christi & Ecclesiæ. Mons, ab eminentia & sublimitate; cubiculum, à summa & secretissima voluptate ibi quiescentium: Templum, à sanctimonia ibi ministrantium Christo sedulitate infatigabili, & ab indefesso clamore laudes ibi canentium diuinæ majestati. O templum sanctitatis! ô cubile voluptatis! thalamus nuptiarum, atria ludentium! ô domus Dei, regnum æternum, regio lucis! ô aula nobilium, regale palatium! O Angelorum curia, ciuitas gloriosa, patria dulcis, desertum fertile, ô terra fluens lacte & melle, cælum serenum, & sine nube! ô mons excelsus valde, mons coagulatus, mons pinguis! mons, in quo beneplacitum est Deo habitare; mons in quo præparatum est conuiuium pinguium, conuiuium uindemiæ; pinguium medullatorū, vindemiæ defæcatæ. Igitur in nomine templi significatur sanctitas, quæ ne tristis & molesta putaretur, ipsum templum vocatum est cubiculum, in quo significatur voluptas; quæ ne vulgaris putaretur, secreta & intima per thalamum designatur, iuxta illud, *Secretum meum mihi, secretum meum mihi.* In atrio significatur solemnis jucunditas; nam atriū nil aliud est, quàm platea. In plateis autem solēt ludi celebrari. In domo stabilitas, in regno potentia, in regione abundantia & amplitudo, in aula generositas, in palatio pulchritudo, in curia ordinata dominatio, in ciuitate pax & concordia, in patria possessionis dulcedo, in deserto possidentium raritas pretiosa. Nam desertū dicitur, non propter locum incultum, sed propter stultam multitudinem ipsum deserentiū. In terra firmitas beatitudinis, in cælo serenitas claritatis, in monte sublimitas habitationis. In illo templo non ministrant nisi sancti, in illo cubiculo non dormiunt nisi pudici, in illo thalamo non cubant nisi virgines, in illo atrio non ludūt nisi innocentes, in illa domo non habitant nisi vnanimes, iuxta illud. *Deus, qui inhabitare facis vnius moris in domo.* In illo regno nō regnāt nisi pauperes, iuxta illud. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Et tamen in illa regione non sunt nisi negotiatores prædivites & præpotentes, iuxta illud. *Simile est regnum cælorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas,* &c. Item, *Deus potentes non abjicit, cùm sit ipse potens.* In illa aula non assistunt, nisi Regi Christo in humilitate feruientes. Summa enim ingenuitas ista est, in qua seruitus Christi comprobatur. In illo palatio non regnabunt nisi spiritualibus mollitiis inuoluti, velut purpura verecundiæ, & bysso castitatis. Qui enim mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt. In illam curiam non intrabunt nisi quærentes & curantes non quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi; & quod aliis est vtile magis, quàm quod sibi. In illa ciuitate non morantur nisi concordes & pacifici. Ad illam patriam nam reuertuntur, nisi gementes & flentes, quia incolatus suus prolongatus est, & ideo repatriare festinātes, & ex toto animo concupiscentes. Hæc est enim loquela, quæ manifestos facit indigenas illius patriæ, hoc est eorum idioma, fletus & suspirium pro desiderio reuertendi. Per illud desertum non deambulant, nisi desertores multitudinis, & amatores solitudinis, juxta illud Pythagoricum, *Per viam publicam ne ambules;* Et illud Evangelicum, *Domine, si pauci sunt, qui saluantur,* Cui respondetur, *Contendite intrare per angustam portam,* ac si diceretur, discite, paucos esse. In illo monte non requiescit, nisi innocentes manibus, & mūdo corde; nisi de virtute in virtutem ascendens, nisi cōmunem aliorum vitam transcēdens. In illo cælo non gaudet, nisi qui conscientiam seruat, nisi qui tenebras fugiat, ac etiā fugat, nisi qui lucē amat. Illud enim cælum semper sole diu fruitur, semper sole illustratur. Postremò illam terram non possident, nisi mites & mansueti. *Beati enim mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* Et iterū *Mansueti hereditabunt terram.* Sed quam terram? Non vtique terram morientium, sed viuentium, de qua dicitur. *Credo videre bona Domini in terra viuentium.* Est enim terra mortuorum infernus, & est terra morientium iste mundus, vel corruptibile hominis corpus. Terra verò viuentium est corpus immortale quod habituri sumus; vel cælestis illa domus in qua habitaturi; Et verè beati, qui illam terram sunt possessuri. Quam terram? Non terrā, quæ germinet spinas & tribulos; non terram quæ subjaceat maledicto, vel quæ peccatria-

Isai. 24.

Psal. 67.

Mat. 5.

Mat. 13.
Iob 36.

Quinam cælum possideant.

Ioan. 14.

Psalm. 99.

Luc. 13.

Matth. 5.
Psal. 36.

Psal. 26.

tur anathemate, non terram sterilem & infecũdam, sed terram fertilem & opimam, quæ præ deliciis & diuitiis deuorat habitatores suos; terram promissionis, & possessionis. Promissionis quantum ad nos, quibus adhuc promittitur, nõdum datur: possessionis quantum ad illos à quibus jam possidetur; quæ est terra quæ fluit lacte & melle. Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. Quid enim? Si terra ista morientiũ maledicto subiacens, & percussa anathemate, & germinans spinas & tribulos illis, à quibus colitur, tot tamen & tanta voluptatum genera suis generat habitatoribus, quanto plura & majora credenda est illa terra viuentium suis possessoribus generare? Si terra ista maledicta tantùm delectat miseros mortales, suis vel florum coloribus, vel fructuum saporibus, vel odoribus specierum, vel suauitatib⁹ diuersorum concentuũ: quanto magis terra illa omni benedictione repleta delectare credenda est beatos & immortales? Numquid ibi deesse credendi sunt vel colores pulcherrimi, vel odores peregrini, vel sapores delicatissimi; vel suauissimi vocũ concentus? Sed hæc, inquies, corporalia bona sunt. Planè spiritualia similia esse possunt. Nam & bona corporalia nulla corpora delectare, nisi animata, possunt. Inanimata enim ista non sentiunt. Porrò si anima incarcerata in corpore suis delectationibus vtitur; numquid relicto corpore voluptatibus omnibus priuatur? Quòd si non potest gaudere, nisi in corpore, eadem ratione non potest dolere, nisi in corpore. Ergo non potest sentire, nisi in corpore; nec viuere, nisi in corpore. Sicut enim nullum gaudium sine sensu, sic etiam null⁹ dolor. Vbi enim nullus sensus, ibi planè nullus viuendi modus, nullumque vitæ genus; & generaliter nulla omnio vita. Quare omnino anima non viuit sine corpore, aut sentit sine corpore. Quòd si de vno sensu conceditur, necessario & de omnibus. Relinquitur ergo, vt anima etiam extra corpus posita videre possit, & audire, & olfacere, & gustare, & tangere. Alioqui dicendum erit, & Angelum & Deum nihil istorum facere, quæ corporea nõ sunt. Quid ergo inquies? Habetne spiritus incorpore⁹ oculos & aures, & membra cetera? Respondeo, non. Ista quidem necessaria sunt corpori, vt per huiusmodi membrorum instrumenta sensuum suorum exerceat officia. Sed nõ sunt necessaria spiritui, qui quoniam simplex est, etiam sine istis sentire potest, sicut etiam sine istis viuere. Anima ergo ex se tota videt; & audit, sicut ex se tota tangit. Non enim solus tangendi sens⁹ generalis est per eã totã, sed & omnes alij sensus per eam totam exercẽtur. Non enim ex vno membro videt, & ex alio audit, cùm membra non habeat: nec ex alia parte videt, & ex alia non videt, cùm per partes diuisa non sit; sed ipsa tota apta est ad videndum, ad audiendum, ad olfaciendum, ad gustandum, sicut & ad tangendum. Quòd si cui mirum videtur, cogitet de ea, quod maius est: & istud quod minus est, mirum non videbitur. Si enim anima, dum in corpore est, tota est in singulis corporis partibus: quid mirum est, si quando extra corpus est, tota est ipsa in singulis suis sensibus? Efficaciùs igitur sentit extra corpus, quàm in corpore. Tunc enim quidquid sentit, vt vulgò dicitur, ad modum spirit⁹ sentit. Tunc etiã quidquid sẽtit, de toto sentit, nihil de parte; cùm nihil circa se habeat, vnde facere valeat. Tunc ergo clarius videt, acutiùs audit, & validiùs odoratur, & intimiùs gustat, & fortiùs, & quodam modo pressiùs tangit. Et hinc est, quòd vehementiùs gaudet aut dolet. Cùm autẽ corpus suũ receperit, non jam animale, sed spirituale; non graue, sed leue, non quod ei sit oneri, sed honori, istam sẽtiendi non perdet efficaciam, sed vehementiùs retinebit totam. Habet ergo sicut dixi, anima jã corpore exuta suos colores, odores, & sapores; aut sibi congruos, quibus delectetur; aut sibi cõtrarios, quibus crucietur: quod jam sicut per argumenta monstr[illegible]us, sic jam monstrabimus per exempla. Legimus ad multorum sanctorum cadauera multam de cælo lucem effulsisse, multos adfuisse conuentus cælicos, multosque edidisse cantus dulcissimos, multisque suauissimis odoribus ex sua præsentia præsentes aspersisse. O quanta est in cælis istorum omnium plenitudo, si tanta est in terris eorum prælibatio! Attestantur quoque Philosophi, si tamen verum est eorum testimonium, cælestis sphæræ motũ suauissimum generare concentum. Sed quidquid sit de concentu cæli, indubitanter credo, solam vocem vnius Angeli suauiorem esse, quàm motum citatissimũ firmamenti. Quæ sit autem vox Angeli sciri nõ posse credo ab homine mortali, nisi fortè qui cum Paulo raptus fuerit vsque ad tertium cælum, & ibi audierit ineffabilia verba, quę non licet homini loqui. O Israël, quàm magna est domus Dei, & ingens locus possessionis eius! Qualem namque putamus esse latitudinem regalis illius palatij, cuius pauimentum tam mirabiliter est cælatum, tot oculatum sideribus, illustratũ fulgoribus, tanta subleuatum altitudine, discretum latitudine, porrectum longitudine, solidatum firmitudine, pulcherrime adornatum? O qui pulchras domos in terris quæritis, quare tam pulchram in cælo contemnitis; cur in tam vilibus ædificiis diuitias vestras insumitis? Denique qualiacumque sint, diruenda sunt, nec relinquetur in eis lapis super lapidem. Vbi est dom⁹ David cedrina, Salomonis lapidea, Achab eburnea, Cosdroë argentea, Neronis aurea, Assueri gemmea? Ciciderunt omnes, nec adjicient vt resurgant. Quæ etsi possent reædificari necesse esset eas iterum dirui. Felix, qui ruituram & humilem domum commutauit in æternã Angelorum. Iturus est enim ominis homo in domũ æternitatis suæ. Suæ enim, quam sibi acquisiuit merito suo vel bono bonam, vel malo malam. Peior est autem mala & æterna, quàm mala & ruitura, vel quàm omnio nulla. Nihil enim malo immortali infelicius. Ideo felicem dixi, qui ruituram domum commutauit non in æternam simpliciter, sed in æternam & gloriosam. Sunt enim duæ domus æternæ; pessima, & optima, infernus & paradisus: quarum prima tota subterranea est, secunda cælestis, Nullum autem ædificium cælo gloriosius, nullum durabilius, delectabilius nullum. Quid admiramini pulchra & caduca diuitũ ædificia? Illud potiùs inspicere & admirari debetis, quod illorum domus quãtò pulchriores sunt, tantò turpiùs ædificatę sũt: quia tantò cum pluribus peccatis, & maioribus nequitiis, & crudelioribus rapinis. Minor quippe pars impensarum de proprio ædificantis est, altior de alieno. Sic enim diuites didicerunt assuescere alieno, vt nec vnam domunculã de suo sciant facere. De suo quippe pessimi, de alieno liberales sunt; liberalitate tamen tam ingra-

Anima sine corpore an sentiat.

Baruch 3.

Domus cælestis quàm terrenis præferenda.

Diuitum auaritia perstringitur.

ita, quàm superba & mercenaria. Nihil enim gratis dant, & cùm pauca præstent, pro magnis imputant, reputantes parua quantumcumque acceperint. Hoc autem in eis turpissimum est, quòd cùm non indigeant, tamen tamquam indigentes sint, satis improbè multa quasi ex amore rogant, plura timore impetrant, plurima extorquent, omnia vi auferunt. Ipsas ædificiorũ materias impudenter petunt ab Abbatis, pecunias illis necessarias iniustissimè colligunt ab illis, quos super negotia sua cõstituunt, harpyis, operas gratuitas inhumaniter exigunt à subjectis, & sic pulchra ædificia de alieno ædificantes, tamen ita gloriantur, quasi de suo ædificaverint. Miror tamen, sicui videatur ædificium pulchrum, quod non nescitur tam turpiter ædificatum. Quærendum est ab huiusmodi ædificatoribus, cur tantopere laborent in pulchris domibus ædificandis. Numquid vt in aspectu earũ delectentur? Quasi verò quidquam possit esse cælo pulchri⁹, vel ornatius firmamento. Miser, si te delectat pulchritudo ædificij, cur non delectat pulchritudo cæli? Certè faciliùs, si velles, possideres cælum, quàm ædificares tibi palatiũ. Quippe in emptione cæli sola voluntas in pretio est: in ædificatione palatij necessaria magna facultas. Verissimè ergo dixit B. Papa Gregorius. *Nihil vilius regno cælorum, cùm emitur: nihil carius, cùm possidetur.* Hoc regnum, hæc possessio principaliter & propriè pauperum est, illorũ scilicet, qui nihil possidere cupiunt in hoc mundo: secundariò verò diuitum, qui in bonis operibus sunt diuites, quibus pauperes sibi obligant, vt pro eis apud Deum intercessores fiant. O quàm felix commutatio, suscipere pauperem in hoc tugurio per tempus modicum: & ab eo suscipi in cælo in æternũ! O quanta gloria, fieri pauperẽ pro te, Iesu bone: & mox apud te fieri patronum pro diuite! Vnde est illud in Evangelio. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cùm defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula.* Beati ergo pauperes spiritu, quia ipsorum est regnum cælorum: & beati mites, quia possidebunt terrã. Nam & illi cælum, cùm possident, suis amicis possunt distribuere: & isti terram quam possident aliis communicare. O quã infelix & stultus diues, à cuius ianua pauper excluditur! cùm ipse excludendus sit à porta paradisi, nisi per pauperem quasi per ostiarium introducatur. Idcirco verò pauperes & quilibet perfecti nullã sibi faciunt in terris domum propriam, scientes sibi à Deo domum æternam in cælis paratam, vt etiam docet Paulus. Vnde & pauper canit. *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus.* Et item. *Replebimur in bonis domus tuæ.* Propter hui⁹ domus præparationẽ antiqui Sancti ante diluvium, & multi post leguntur domos non habuisse, sed habitasse in tabernaculis & tentoriis, quæ sunt quasi domus mobiles, quæ huc & illuc possunt circũferri: per quod significabant, se non habere in hoc mundo ciuitatem aut domum manentem, sed futurã inquirere. Vnde & Christus non in domo, sed in diversorio natus est; vt ostenderet, omnem suum discipulum huius mundi non esse ciuem, sed peregrinum. Cui concinit illud Catonis apud Tulliũ. [Ita è vita discedo, tamquã ex hospitio, non tamquam ex domo. Cõmorandi enim natura nobis diuersorium, non habitandi dedit.] Primus fratricida Cain legitur ciuitatem ædificasse, vnde & intelligitur primus domum construxisse. Post diluuium autem turris Babylonica extructa est.

Luc. 16. *Psalm. 121.* *Genes. 4.*

Diversa successiuè hominum tegumenta.

Primum quidem hominis tegumentum fuit innocentia, secundum contexta ficuum folia, tertiũ tunica pellicea, quartũ dom⁹ terrea, sextũ lignea, ferrea, & lapidea: & sic paulatim proficiens ad materiam pretiosiorem horum tegumentorum, siue munimentorum. Primũ potest dici naturæ, secundũ culpæ, tertium miseriæ, quartum verecundiæ, quintum timoris, sextũ & cetera quæ sequuntur, superbiæ. Homo enim perdita innocentia quasi naturali veste nudatus est, & munimento gloriæ spoliatus. Qui cùm se nudũ & inermem vidisset, citò de materia quæ primò occurrere potuit, tegimen simul & munimẽ sibi texuit qualecumque. Illud autem de folijs factũ quasi solam celauit culpam, non fugauit miseriã. Quasi celauit, dico, non celauit; quia velut quodam præsagio illum fecit apparere tectũ & munitum; qui & verè nudus erat, & ad omnes miserias expositus remanebat. Cùm verò statuisset Deus punire hominem propter peccatũ, in ipsa tamen pœna misertus illius est, propter infirmę carnis incommodum; vt iam ex tunc impleret illud Propheticum. *Cùm iratus fueris, misericordia recordaberis.* Ideo fecit ei tunicam pelliceam, qua & eius nuditatem tegeret, & infirmitatẽ ex magna parte muniret. Processu verò temporis, cùm cœpisset inter homines innocentia non solùm exui, sed penitus extingui, non sufficiẽte vestimento ad tegendam libidinem, cœpit dom⁹ ædificari ad turpitudinem protegendam, sicut scriptum est. *Initium vitæ hominis aqua & panis, & vestimentum, & domus protegens turpitudinem,* idest protegens contra turpium improbitatem. Turpitudo autem quantũ ad oculos hominum, tam bene tegitur calamo quàm auro: sed castitas contra mores turpium non tam bene tegitur fœno quàm ligno: & illa crescente malitia cœpit esse necessaria non tantùm tectio libidini, sed protectio castitati, & tuitio iniquitati: & ita primùm ex necessitate, deinde ex abundanti iniquitate & timore cœperunt proficere tuguria in palatia, sepes in mœnia, villæ in oppida, vici in ciuitates. Porrò sobrietatis antiquæ adhuc apud gentes quasdam vestigia remanent. Scythæ quidam domus non habent, sed plaustris vehuntur; quæ coriis tecta sunt contra imbres & ardores; Gymnosophistæ in Indię solitudinibus nõ solũ sine domibus, sed etiam sine vestibus nudi philosophantur. Sallustius de gente Mundarum testatur quidẽ humiles domos habere, quę ventri carinæ assimilentur. Et reuera quanta insania est, vnum hominẽ tantùm laborare in laxitate magnarum domorum & corporalis multitudinis, qui tã paruo capitur corporis domicilio! Quid illi proderunt facta in corpore sumptuosa ædificia, quando ipsum corpus relinquet anima? Vt quid perditio hæc? potuerunt & debuerant ista relinqui, & impensæ dari pauperibus. Nostri autem diuites, sicut de Megaræ ciuibus dictum est, viuunt, quasi crastino morituri, ædificant, quasi semper victuri. O quàm pessimũ ordinẽ! id enim pessimũ ædificare virtutes, quasi semper morituri simus; & viuere, quasi semper victuri. Sic enim consuleretur corporis sanitati, & impensis parceretur. Certè sufficiebat ruitura dom⁹ hospiti ruituro; sicut mortale corpus factũ est homini morituro. Quãta est insania, ruiturum mox hominem sic ædificare, quasi semper victurus esset? *Præterit,* inquit Apostol⁹, *figura huius mundi.*

Habac. 3. *Genes. 3.* *Eccli. 29.* *1. Cor. 7.*

& tamē sic volunt homines habitare in hoc mūdo, quasi numquam prætcrituri. At hic dicet quis. Cur ergo vos Cistercienses, quamquam reliquistis omnia, & sobrietatem & paupertatem professi estis, tam sumptuosa & & superflua construitis ædificia? Poteratis, imò debueratis ista dimittere; & expensas pauperibus erogare. Quasi verò pro pauperibus ista non fiant. Fiunt enim non solùm pro pauperibus præsentis temporis, sed etiam longè pòst futuris. Sed minùs simplicia, inquit, fieri poterant. Quid si tam sumptuosa necessaria erant? Neque enim siquid sumptuosum, statim & superfluum. Denique quid in eis curiosum; quæ ibi aut picturæ, aut sculpturæ, aut nihil sustinentes columnæ? Imò quid in eis non necessariū? Magna enim sunt, vt vbertas sperata fructuū simul potius reponatur, quàm sub multis ædibus & custodibus dispergatur. Lapidea sunt, vt ruinis & incendiis, & ceteris periculosis casibus faciliùs resistatur. Hæc autem dico de ædificiis tantùm, quæ victualibus repositoria sūt, & mensuram congruam non excedunt: in quibus non solùm monachorum, sed pauperum & peregrinorum victualia reponuntur. Ceterùm hæc nostra, meticulosa licet, excusatio nil habitura est momenti, nil allatura patrocinij illis de professione nostra, qui quasi pugnantes cum diuitiis, inexhaustis & occultis nummorum scaturiginibus, ædificant palatia pro hospitibus, mœnia pro muris, turres pro refectoriis, castra pro dormitoriis, templa pro capitulis, castella pro templis, villas pro grangiis. Sanè meritò à secularibus pro his excessibus subsannantur: quando poterat sine istis cœna fieri in refectorio, pauper recipi in hospitio, frumentū congregari in horreo, somnus capi in dormitorio, venia peti in capitulo, diuinum officium in templo celebrari. Sed dicunt, non pro solis nobis hæc facimus, sed pro religiosis qui futuri sunt apud nos. Quasi verò non sufficiat diei malitia sua; nisi adjiciatur & solicitudo de die non solùm crastina, sed & post centum annos futura. Planè viuendum nobis est in nostro tempore, non in alieno. Satis magna est miseria, nos esse solicitos de necessariis ætati nostræ sufficientibus; cur nobis imponimus onera futurorum? Satis magna caritas est, alterum alterius onera portare, quod solùm de contemporaneis intelligi potest; neque enim alter est à me, qui non est. Qui autem nondum est, non est. Non ergo futurorum onera jubemur portare, sed solùm præsentium, & nobiscum viuentium: & vtinam vel ista faceremus. Certè qui hoc faceret, teste Apostolo, legem impleret. Quænā autem est ea caritas, non exaudire pauperem jam clamantem ad ostium, & extruere ædificium clamaturo: nihil dare jam esurieti, & reservare eleemosynam nondum existenti: qui tamen quādo erit, fortè de his quæ præparas nil habebit? Tu enim præsenti exemplo stultæ parsimoniæ aures successorum tuorum ad non exaudiendum clamantes instruis; & vngues auarorū acuis ad tua rapiendum. Denique si pauperes sumus, & volumus credi, cur nos facim' ditiores esti mari? Ista quippe tanta ædificia licet pauperibus à nobis pauperibus fiant: difficilè tamen creduntur esse pauperes, tanta in ædificiis impendentes. Difficiliùs autem creduntur ista pauperibus fieri, quæ non tam profutura sunt pauperum alimoniæ, quàm diuitum rapinæ. Licet enim hæc ipsa ædificia tum propter inhabitantium religionem, tum ob diuini cultus celebrationem verè sancta sint; tamen quia nimis sumptuosa sunt, non tantam apud seculares lucrantur reuerentiā, quantam inuidiam de nimia sumptuum quantitate. Certè Templum Salomonis sanctum fuit & venerabile; tamen quia tā sumptuosæ facturæ fuit, & vasa tam concupiscibilia habuit, plus prouocauit gentes ad suarum diuitiarum rapinā, quàm ad suarum cæremoniarum obseruantiā. Sed hæc dicta sint pro contemnendis magnis & pulchris ædificiis; quæ amatores suos multùm impediunt ad obtinendam domum non manufactam æternam in cælis: vbi modò gaudent animæ Sanctorum. Gaudent inquam primò, sicut iam diximus, de sua triplici liberatione, deinde de sua triplici possessione: cuius prima pars est hui' æternæ domus jam euicta possessio, De qua hactenus dixisse sufficiat: quod superest, pro vitando tædio sermoni alteri duximus assignandum.

Aduersus sumptuosa ædificia.

Galat. 6.

Sermo 2. De Omnibus Sanctis.

GAVDENT *in cælis animæ Sanctorum.* Vulgò dicitur, Qui de suo prandio aliquid reservat, inde melius est, quādo cœnat. Scitis, quòd hac ipsa die anni præteriti de hac eadē antiphona specialis cantici dulcedine referta spirituale vobis prandium præparaui: & fortassis nec tam vtile, nec tam acceptabile, quàm oportuit, sed certè quantùm vtiliter à me parari potuit. Verùtamen in illo prandiolo minimè vobis apponere volui illud minimum quod potui. Nam cùm ferè dimidium affatim suffecerit loco & tempori, totum apponere non vtile judicaui. Illud quippe modicum, quod tunc fuit appositum, tam larga Domini benedictione multiplicatum est, vt ad instar illius refectionis Euangelicæ impletis conviuantibus fragmēta superfuerint. Quę nunc juxta Domini præceptum, cum summa diligentia & gratiarum actione studui colligere: vt ex illis hodie cænam vobis instruerem, præmisso prandio non minore. Ad cuius cœnæ reuerentiam, ne tamquam illotis manibus accedatis, pauca velut in ablutionem manuum censui perfundenda. *Gaudent in cælis animæ Sanctorum* &c. Dixi vobis & jā audistis, quod duo cantica citharœdorū cęlestium ex hac nobis antiphona resonarent; videlicet canticum viæ, & canticum patriæ; canticum exilij, & canticum regni; canticum militantium pro cælorum regno, & canticum regnantium jam in cœlo. Ex his duobus primum, quod est canticum viæ, quod semper naturaliter habet præcedere, necesse habui primum vobis explicare. Sequitur ergo, vt de secundo id est de cantico patriæ verbum meum redimam: quippe ad eius redemptionem promissionis vinculo iam ligatus. Et certè quod cum rubore fateor, consultius esset me nihil promisisse. Nam cùm, vt ait quidam sanctus, nemo possit ructare quod non gustaverit; & iuxta quemdam aliū, grandes materias ingenia parua non sufferant; quid de immortali gaudio sanctorū disserere poterit mortalis homo, & præcipuè peccator leuioris scientiæ, grauioris conscientiæ? Proinde recurrendum mihi est ad illud salutare consilium beati Benedicti, videlicet vt quod minus habet natura possibile, rogemus Deum, vt dignetur nobis suę gratiæ adiutorium ministrare. Rogandus autem est non solum à me, sed & à vobis: quia non tam mihi

Verba Ecclesiæ.

Alludit ad factum Christi Ioan. 6.

Bernā.

Hieron.

S. Bened in Prolog. Regul.

mihi loquor, quàm vobis. Denique ista dicitur fuisse consuetudo beati Augustini, vt quoties sermonem faceret ad populum, si difficilis locus incideret, ad impetrandum congruum transitū prius preces populi postularet. Et vos igitur in causa simili adauctis votorum clamoribus, inuocate pro me illius clementem potentiam, & potentem clamentiam, qui facit surdos audire & mutos loqui: quatenus verbi sui clave potentissima linguę meę vinculum resolvat ad gratiā, & cordis vestri ostium aperiat ad intelligentiam: & nostę simul omnium voluntatis ad obedientiā pessulum repellat. Alioqui frustra verbum de cælesti gaudio vel audit vel loquitur, qui cælestis regis imperio obedire dedignatur: iuxta illam promissionem Domini comminatione mixtam. *Si volueritis & audieritis me, bona terra comedetis. Quod si nolueritis* &c. *gladius devorabit vos. Os enim domini locutum est.* Vbi manifestè ostenditur, quod refectionem bonorum cælestium nemo meliùs, imò nemo aliter aut mercari aut mereri potest, nisi per obedientiam præceptorum. Alioqui à gladio verbi Dei deuorabitur, id est sententia damnationis æternaliter inuoluetur, & massæ perditorum insolûbiliter incorporabitur: vt iam non magis deinceps damnationem possit euadere, quàm cibus incorporatus de corpore exire. Quod autem ait, deuorabit, significat totalem corporis & animæ perditionem. Quia quod deuoratur, integrum absorbetur, non particulatim mordetur: sicut deuoratur halec à ceno, vel rana à lucio: sicut deuorati sunt reprobi integraliter ab infeno. Optima autem ratio, quod os Domini loquutū est: quasi diceret, non os hominis, quod sæpe impune contemnitur; sed os Domini, cui dicere facere est: cuius maledictio damnatio est perpetua & benedictio salus æterna. Os autem Domini rectè appellari potest quilibet catholicus prædicator, quia diuini verbi est prolator. Vnde & illi dicitur à Domino. *Si separaveris pretiosum à vili, quasi os meum eris.* De talibus quoque dictū est. *Qui vos audit me audit; & qui vos spernit me spernit.* Ergo os Domini vobis loquitur, quando vobis loquimur. Nolite errare: non impune contemnemur, non frustra audiemur: aut de audito nostro saluandi estis, aut damnandi de contemptu. *Gaudent in cælis animæ sanctorum.* Triplex est in cœlis animabus sanctorum materia gaudendi. Gaudent enim de liberatione sua, gaudent de possessione sua, gaudent de expectatione sua. Gaudent de eo quod ereptæ sunt, de eo quod adeptę sunt, de eo ad quod perуenturas se certissimè sciunt. Gaudent de malo quod iam nō habent, de bono quod jam habēt, & de bono quod habituras se prędident. De singulis per ordinem videamus. Tria mala non habent animæ sanctorum corporibus exutę, in quibus omnis humana miseria continetur. Iam enim peccatum nullum habent, jam dolorem nullum sustinent, jam periculum nullum timent. Iam solutæ sunt ab omni nexu culpæ, ab omni sensu pœnę; à metu & periculo vtriusque. His autem tribus malis numquam carere poterant, dum in corporibus erant. Nam sine primo & tertio nemo vivit hominum, sine secundo nemo sanctorum. De primo habes. [Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.] De tertio, [Qui stat videat ne cadat.] Quod si omnes stantes cadere possunt, ergo omnes in periculo sunt. De secundo dicit Iesus discipulis suis. *Amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit,* &c. Hoc propriè sanctis dicitur, à quorum salutari & temporali tristitia iste mundus excipitur, & ideo excluditur ab eorum lætitia sempiterna. Corpus ergo quod corrumpitur & aggrauat animum & terrena inhabitatio, quæ sensum deprimit multa, id est varia & mutabilia cogitantem, probat nos siue peccato non esse; quia illud vnum quod est necessariū, non semper cogitemus. Quod autē in multis offendimus omnes, & quod dum sumus in corpore peregrinamur à Dominō, demōstrant nos sine dolore esse non debere. Quod verò non est colluctatio nobis aduersus carnem & sanguinem, subaudi tantùm, sed etiam aduersus principatus & potestates, contra spiritualia nequitiæ in cælestibus, significat nos sinę periculo esse non posse: & de nobis semper timendum esse. Beatus enim homo, qui semper est pauidus. Alioqui qui peccatum habet, & inde nō dolet, nec principium habet iustitiæ. Qui autem periculū suum videt, & inde non timet, nec principium habet sapientiæ. Nam porta justitiæ dolor est culpæ: & initium sapientiæ timor Domini. Sicut autem peccatum justissima causa dolendi est, sic periculū causa timendi. Hæc tria mala Sanctos omnes militantes in corpore comitātia, significant tria Ecclesiæ sacramenta, ad eorum significationem simul & cautionē instituta, quæ sunt pedum ablutio, cineris impositio, aquæ benedictæ aspersio. Horum primum à Domino institutum est, duo sequentia ab Ecclesia. In ablutione pedum significatur, quòd quamdiu super terram viuimus, aliquid de puluere peccati contrahimus, à quo sanari necesse habemus. Vnde hæc institutio magis à monachis frequentatur, quàm ab aliis: videlicet ad significandum, quòd quamuis mundmm reliquerint, quamuis omnibus renuntiauerint, quamuis communem aliorum vitam transcenderint, tamen dum in corpore sunt, sine omni peccato esse non possunt; & ideo si lauari volunt à Domino, oportet vt lauentur alter ab altero; id est vt alter dimittat alteri, quod adversus eum habet; alioqui iuxta parabolam de seruo nequam, sic & pater cælestis faciet illis, nisi remiserint vnusquisq; fratri suo de cordibus suis. Igitur hoc sacramentū ad tria institutum est: ad mysterium, ad remedium, ad exemplum. Ad significandum peccatum per sordes pedum, quæ vix à pedibus abluūtur. Ad fraternæ caritatis remedium per ablutionem mutuam; ad humilitatis exemplum nobis à Domino relictum, quod & in flexione genuum demonstratur. Hanc autem pedum ablutionē voco sacramentum, quod sacræ rei signum est. Significat enim duas virtutes maximas, primam & postremam, humilitatem & caritatē, quæ sunt omnium bonorum Alpha & ω, principium & finis. Nam ab humilitate inchoatur omne bonum, in caritate consummatur. Idcirco & ista sacramentalis pedum ablutio non incongruè mandatum antonomasticè appellatur, scilicet quasi mandatum mandatorum. Vnde & ceterorum consummatio, post alia omnia à Domino traditum est, non solo verbo datum, sed exemplo ipsius commendatum. In quo quodammodo visibiliter expressa est diuinæ maiestatis humilitas, & pietas patris. Huius mandati dulcedinem & efficaciā optimè nouerat beatus ille Thomas Cātuariēsis

Isai. 1.

Ierem. 15.

Luc. 10.

1. Cor. 10.

Ioann. 16.

Sacramenta tatę iuncta.

Matth. 18.

Lotio pedū quid designet.

Archiepiscopus, qui singulis noctibus 12. fratribus flexis genibus propriis manibus pedes lauabat & tergebat; plorans persingulos; vel pro recompẽsatione talis obsequij preces à singulis expetebat. Quisquis autem lavat pedes alteri, vel lavatur ab altero, & non dimittit ex corde fratri veniam deprecanti, sic est inter fratres suos, sicut fuit Iudas inter Apostolos, quem nec ipsa magistri caritas & humilitas prouocare potuit ad depositionem rancoris in animo præconcepti. Inde cineris impositione significatur, quale peccato stipendium debetur, videlicet necessitas moriẽdi, & combustio ignis. Sicut enim lignum inutile debetur igni, sic peccatum combustioni. Et sicut ignis desinit necessariò in cinerem, sic peccatum in mortẽ. Vnde. *Stipendium peccati mors.* Ideo peccatori cinis imponitur, ad habendam mortis memoriam, & ad reuoluendum semper in pectore ignis gehennalis vindictam. Vnde illi dicitur. *Memento homo, quia cinis es, & in cinerẽ reuerteris.* Ideo etiam apud Philosophos, prima, vt ait Basilius, definitio Philosophiæ est meditatio mortis. Huius sacramẽti primum nobis exemplum dedit Iob, qui pœnitentiam egit in fauilla & cinere. Porrò vtilitatem memoriæ mortis brevissimè & plenissimè definiuit, qui dixit, *Facilè contemnit omnia, qui se semper cogitat esse moriturum.* Ideo beatus Germanus Antissiodorensis Episcopus, vt hanc memoriam iugiter haberet in corde, cinerem comedebat, & in cinere dormiebat: vt etiam ad literam impleret illud Dauidicum. *Cinerem tamquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miscebam.* Quid hic dicunt Christiani nostri seculi, & præcipuè sacerdotes & clerici, qui se non incinerant, sed balsamant; qui non plangunt, sed plaudunt; qui non in sacco & cilicio dormiũt, sed in purpura & bysso lasciuiũt? O honor populi Christiani vbi es? In aspersione aquæ benedictæ significatur, semper nobis venire obuios inuisibiles inimicos. Vnde & ad Primã intrantes Ecclesiam, & post Cõpletorium exeuntes de illa nos aspergim⁹, significantes, quod siue vigilemus, siue dormiamus, semper & vbique aduersarios nostros ostendimus paratos ad nocendum. Quid hic dicent filij diffidentiæ, qui nec Deum timent, nec hominẽ reuerentur: qui semper in stolida securitate sunt, quasi opera sanctorum habeant, qui tuta omnia putant, cùm vbique hostes lateant in insidiis? O stulti & cæci filij seculi, qui ponunt fortunæ mẽsam, fortunatos se arbitrantes, si semper paratum habeant ad caput œnophorum cum scypho, non vrceolum aquæ benedictæ cum aspersorio: qui pericula proxima non vident; aut si vident, non timent, non cauent; periculosè dormientes in mediis serpentibus, & perniciosè cum hostibus fœd⁹ ineuntes. Hinc est enim, quòd illos incautos & securos toties mordet nunc hypnalis luxuriæ, nunc prester superbiæ, nunc emorrhois iracundię, nunc elationis pareas, nunc detractionis scorpio, nunc lethalis odij basiliscus. Contra morsus huiusmodi serpentium, contra assultus istorum hostium, dáta est nobis aquę benedictæ aspersio, non solùm in mysterium, sed etiam in adiutorium. Aquã enim benedictam valde timent dæmones; non quia aqua est, sed quia benedicta est; quia invocatio diuini nominis super eam facta est, cum terribili memoria iudicij super eos venturi. Magis autem timent virtutes ipsas, quæ per aquam benedictam significantur: in quarum significatione aqua ipsa exorcizatur. In aqua enim benedicta tria sunt, aqua, & sal, & inuocatio diuini nominis. Aqua significat timorẽ, sal discretionem, inuocatio fidem vel orationẽ. Timor enim cupiditatis æstũ refrigerat, discretio cum ceteris virtutibus saporem præstat, fides vel oratio impetrat. Aqua sine sale est timor sine discretione. Timor indiscretus est, quando magis timetur homo quàm Deus; vel quando timetur sine spe. Timendum est enim in spe, & sperandũ cum timore. Sed neç timor nec spes prodest, vel potest aliquid sine fide. Fides autẽ quidquid potest, in Dei nomine potest: & ideo duobus prædictis adiungitur diuini nominis inuocatio. Hæc sunt arma potentia Deo, quibus resistendum est diabolo, nobis adhuc positis in agone, & in ambiguo certamine, dubia pendente victoria, & huc atque illuc spe inclinata. Sed jam istis armis animæ Sanctorum corporib⁹ exutæ nõ indigent, quæ periculum nullũ timent. Meritò ergo gaudent in cælis, liberatæ non solùm à malis omnibus, sed etiam à causis malorũ. Emundata est in eis omnis macula, absterfa omnis molestia, exclusus omnis timor, omne periculum transcensum, avulsæ ab eis tentationes, nec potest in eos inimicus suæ malitiæ iacula contorquere. Vnde dicunt Deo exultantes. *Transiuimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium.* Quod est dicere. O Domine, omne genus tentationis, te auxiliante, euasimus: aquam timoris & tribulationis & corruptionis, te nauigante transiuimus; ignem concupiscentiæ, & ignem pœnæ, te afflante, transilinimus: & educti sumus in refrigerium, id est in locum securissimum: vbi jam nec culpa maculet, nec pœna sauciet, nec periculum terreat, aut conturbet. Hoc triplex gaudium animarũ de triplici liberatione Psalmista his verbis declarat. *Conuertere anima mea in requiem tuam: quia Dominus benefecit tibi. Quia eripuit animam meã de morte, oculos meos à lacrymis, pedes meos à lapsu.* Vox est animæ sanctæ de ergastulo carnis eductæ: quasi dicentis sibi. Anima mea considera, pondera, mensura requiem tuam: tuã dico, non quam acquisisti merito tuo, sed quam meruisti ex Dei dono. Et hoc est, quod sequitur, *Quia Dominus benefecit tibi*: id est, quia Dominus hanc requiem dedit tibi. Quam verò requiẽ dederit ei, declarat dicens. *Quia eripuit animã meam* &c. Eripuit animam à morte, id est à peccato, quod est animæ causa moriendi: oculos à lacrymis, id est sensus ab omnibus molestiis, quæ sunt oculis causa languendi: pedes meos à lapsu, id est affectus meos à periculoso carnis lubricæ comitatu, quæ est affectui causa relabendi. Vel sic. Eripuit animã meam à morte, id est ab æterna damnatione; oculos meos à lacrymis, id est à pœnis purgatorij, quæ sic lauant delicta in futuro seculo, sicut lacrymæ in præsenti, licet acriùs: pedes meos à lapsu, id est ab omni periculo & relabendi metu. Et nos si volum⁹ ad hoc primum gaudium animarum de triplici ereptione peruenire, oportet vt in præsẽti enitamur eripi à morte peccatorum, à lacrymis dolorum, à periculo lapsuum. Quarum ereptionum prima acquiritur per confessionem & pœnitentiam, secũda per securitatem conscientiæ, & patientiam, tertia per timorem & cautelam. Nam omnia in confessione lauantur, & pœnitentia liberat à morte. Illa est peccatorũ ablutio, ista est prima mortuorum resurrectio. Porrò secura mens quasi iuge conui-

Rom. 6.

Hieron. ep. ad Cyprian.

Psalm. 102.

Aqua benedicta valet contra dæmones.

Animæ sanctorũ omni malo exutæ.

Psal. 65.

Psalm. 114.

nium; & patientia cuiuis dolori remedium est. Duo enim sunt dolorũ genera: est dolor cordis, est dolor corporis. A primo eripit secura conscientia, à secundo patientia, Secura verò consciẽtia in duobus consistit: in purgatione peccati de præterito, & firmitate propositi de futuro. Qui purgat peccata præterita, & non proponit & satagit, vt caveat futura, securus est à tergo, sed nõ ab antè. At qui habet firmum propositum de cavendis futuris, sed non dolet de perpetratis, quasi munitus & securus est à pectore, sed inermis à tergo relinquitur. Qui verò pro cõmissis conterit cor suum, & affligit corpus suum, & insuper ad cauenda futura firmum habet propositum: ex omni parte securus est. Patientia verò quasi murus ferreus est, cuiusvis doloris gladio impenetrabilis. Qui autem timidus & cautus est, non facilè periculum potest incurrere. Nullo autẽ modo meliùs cavere possumus periculum, quàm fugiendo locum periculosum, scilicet mundum. Sed quomodo mundum fugere possumus, quãdiu in mundo sumus? Audi quomodo. *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & veni, sequere me.* Item audi alium modum fugiendi mundum. *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt.* Igitur tria sunt genera fugiendi mundum. Primi abrenuntiant mundanis rebus, sed non desideriis: secundi desideriis, sed non rebus: tertij rebus & desideriis. Primi mundum fugiunt corporaliter, secundi mentaliter, tertij dupliciter, idest mente & corpore. Primi sunt falsi claustrales, secundi boni sæculares, tertij boni claustrales. Primi ignem fugiũt, & in sinu suo ignem abscondunt: secundi pendulo gradu stant in sublimi, quasi funambuli: tertij via recta & regia incedunt exonerati & securi. Propter hanc duplicem fugam credo in cãticis Canticorum secundùm beatum Gregoriũ hoc verbum *fuge* bis esse positum, vbi dicitur. *Fuge dilecte mi, fuge.* Quasi diceret, fuge corde, fuge copore: fuge interiùs, fuge exteriùs. Vnde Philosophus. *Fuge multitudinem, fuge paucitatem, fuge etiam vnum.* Et vox ad Arsenium. *Arseni fuge homines & salvaberis.* Porrò, vt ait Sapiens, Dormitare non debet de fuga cogitans. Hoc dico propter quosdam mihi cognitos, qui fugere quidem jam ab olim proposuerunt; nescientes miseri, quòd mors ex improuiso adueniens nulli dat inducias fugiendi: teste illo Chrysaurio, qui moriens inducias vel vsque mane petiit & repetiit, sed non accepit. Et hæc dicta sint de primo gaudio animarum sanctarum, quod habent ipsæ de liberatione sua. Iam ad secundũ quod habent de possessione sua, styl⁹ noster vertendus est: sed quia jam hora præterit, hoc in aliud tempus reservemus,

Mat. 19.
1. Ioan. 3.
Cant. 8.

Sermo 3. De Omnibus Sanctis.

Ecclesia in hymno.

DEVOTA *Sanctorum fides, invicta spes credentium, perfecta Christi charitas, mundi triumphat principem.* Omnis rationalis creatura finaliter ad regnandum creata est, formaliter ad pugnandum. Dominus enim quasi vir pugnator, cuius nomen omnipotens, Domin⁹ fortis & potens in prælio, creavit eam ad imaginẽ & similitudinem suam, vt pugnaret, & vinceret, & regnaret. Nam regnare non potest, nisi priùs vicerit, nec vincere nisi pugnaverit. Sine pugna enim nulla victoria, sine victoria nulla corona. Non enim coronabitur, nisi qui legitimè certauerit. Hinc est, quòd hoc nomen militia commune est omni rationali creaturæ, tam Angelicæ quàm humanæ. *Facta est,* inquit, *cum Angelo multitudo militiæ cælestis laudantium Deu.* Hoc de bonis Angelis. De malis est illud *Adoraverunt omnem militiam cæli.* Idest omnem aëriam potestatem. De hominibus est illud. *Militia est vita hominis super terram.* Sive iuxta aliã literam, *Tentatio,* quòd ad eundem sensum reducitur. Vbi enim tentatio, ibi impugnatio, ibi pugna, saltem ex parte impugnantis. Vbi pugna, ibi militia, idest seruitus pugnæ. Militare enim est feruire ad pugnandum. Est autem seruitus bona, est & seruitus mala. Nulla seruitus melior, quàm servire Deo, cui seruire regnare est. Seruit autem Deo, qui iustitiæ seruit, qui iustitiam seruare præcepit; seruantibus eam præmia, non seruantibus supplicia servat æterna. Nulla peior seruitus, nulla turpior, quàm seruitus peccati: cui seruire perire est. Anima enim quæ peccauerit, ipsa morietur. Nulla miserior servitus, quàm seruire diabolo; cui servit omnis peccato seruiens. Qui facit peccatum servus est peccati. A quo enim quis victus est, huius & servus est. Hinc Deus dicitur Deus Sabaoth, idest militiarum, siue exercituum, quia illi militant & in cælis omnes sancti beatorum spirituum Ordines; & in terris omnes chori & acies electorum. Vnde. *Quid videbis in Sunamite * nisi choros castrorum?* Duo sunt autem, quæ legitimum militem faciunt, tam corporalem, quàm spiritualẽ, electio scilicet & sacramentum. Qui enim non electus seipsum militiæ ingerit, in se gladium prouocat, quem propria temeritate vsurpat: & vt ait author ille Romani maximus eloquij, non miles, sed sicarius rectè nominatur. In scripturis enim antiquorum latrones & sicarij dicuntur, quicumque lege non præcipiente arma tractant. Arma namque quibus lex non vtitur, legem impugnant. Cato militem non dicit, nisi qui sacramento ad militiam iam consecratus est. Vnde filium suum monet in epistola, ne prælium ineat, Negat enim jus esse cũ hoste pugnare ei, qui miles non sit, idest electus & consecratus. Oportet enim militaturum priùs eligi, deinde electũ ad militiam sacramento astringi. Iulianus Frontinus ait, Lucio Planco, & Caio Varrone Consulibus, milites primò iureiurando factos esse: antea enim sacramento tantummodo à Tribunis cogebantur. Conceptio sacramenti, vt ait Vegetius, hæc est. Iurant milites per Deum Patrem, & Christum filium eius, & Spiritum sanctum, & per majestatem Principis, quæ secundùm Deum humano generi diligenda est & colenda, se strenuè facturos omnia, quæ precepetit Princeps: numquam se deserturos militiam, vel mortem recusaturos pro Republica, cuius sunt milites. Igitur legitima militia est, vt eam breuiter describamus, Iuuentutis electio voluntaria, & iurata seruitus ad defensionem Reipublicæ perpetuò suscepta. Hæc descriptio militiæ conuenit tam Angelis, quàm hominibus. Omnes enim electi sunt in Christo ante mundi constitutionem; omnes etiam iuvenes sunt, strenuitate magis officij, quàm ætate corporali. Omnes etiam voluntariè seruiunt, non coactè, liberta

Luc. 2.
4. Reg. 21. & alibi.
Iob. 7.
* meliùs Sulamite
Cant. 7.
Sacramentũ militum.
Quid sit militia.

tem arbitrij sui ad seruiendum iustitiæ per gratiam inclinantes. Eorum etiam seruitus iurata est, idest inviolabili proposito confirmata. Inviolabili dico in Angelis, vt violari non valeat: in hominibus, vt violari non debeat. Hanc seruitutem iurauerunt Angeli sancti publicè in cõspectu Dei, & ejus adversarij Satanæ; quando illo cum suis satellitibus contra Deum superbiente, & ab ejus iustissimo & beatissimo famulatu & obsequio deficiente defectu spontaneo, & nõ coacto, firmiter ipsi in humilis obedientiæ proposito voluntariè perstiterunt; & mox in eadem feliciter à Deo remunerante confirmati sunt. Timuerunt enim, & territi purgati sunt. Hanc eandem seruitutem iurant omnes Christiani, cùm baptismi sacramentum suscipiunt. Quomodo igitur princeps hujus mundi illis militibus habet fidem, quos videt domino suo, cui, vt cætera taceam, etiã sacramento militiæ alligati sunt, fidem debitam non seruare? Non est, quò se vertat impius, qui hominem Deo præfert. Nequaquam fidem secundam seruabit, qui primã fecit irritam. Defensio reipublicæ defensio est justitiæ. Respublica est res populi. Maximè autem res publica est, quæ toti populo communiter necessaria est, & ab omni populo communiter, & si fieri potest, æqualiter amanda. Quid tam necessarium omni populo, quàm justitia? Hæc est res, qua omnibus in præsenti vtendum est, in futuro fruendum. Vtẽdum illa per exercitium virtutum, & per desiderium implendæ iustitiæ: fruemur ea per satietatem impletæ. Beati enim qui esuriunt & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Verè ipsi, & ipsi soli. Iustitia namque perpetuus cibus est, & immortalis, & qui solus implere possit humanæ cupiditatis infernale barathrum, idest latam & profundam voraginem in immensum patentem. Hostes publici sunt hostes iustitiæ, idest omnes dæmones impugnatores hominum, & omnes homines coadiutores dæmonum in peccato: qui omnes facti sunt in adiutorium filiis Loth. Hæc seruitus perpetuò suscipienda est, & numquam deserenda; sicut non solum Ecclesiæ fidei professio; sed & ipsius particularis militiæ sacramenti conceptio docet, & ordinationis in militem solemnis consuetudo, quæ talis est. Eo die quo quis militans cingulo decoratur, Ecclesiam solemniter adit, Missam audit, gladioque superposito & allato, quasi celebri professione facta, seipsum altaris obsequio deuouet, & gladij, idest officij sui ingem Deo spondet famulatum. Isti ergo deinceps pro Ecclesia plurimùm, contra eam nihil licet. Non enim minùs facit quàm monach' vel Abbas, vel Episcopus, qui schedulam offert. Igitur vsus militiæ ordinatæ est tueri Ecclesiam, impugnare perfidiam, sacerdotium venerari, pauperum iniurias propulsare, pacare prouinciam, pro fratribus, vt sacramenti conceptio docet, fundere sanguinem, & si opus est animã ponere. Igitur hoc nomen *militia* in hominibus nomen est laboris pariter & honoris: in dæmonibus verò est nomen laboris tantùm; in Angelis sanctis honoris tantùm. Horum namque militia nil aliud est, quàm triũphus: quia sine labore militant, sine difficultate pugnant, sine lassitudine ministrant: quippe qui nullo grauantur corruptionis onere, & de Dei semper visione lætantur; quem videre viuere est, vigere, vincere, & triumphare. *Factum est prælium*, inquit, *in cælo; Michaël & Angeli eius præliabantur cum dracone; & draco pugnabat & Angeli eius & non valuerunt, nec inuentus est eorum locus in cælo*, scilicet vt possent expugnare electos, quamuis impugnare nõ cessent. Nam & si aliquando labuntur in culpã. hoc ipsum eis proficit ad cautelam. Bene ergo dictum est, militia est vita hominis super terram; quia quamdiu sumus in corpore, & peregrinamur à Domino, non possumus esse sine isto adversario. Fixum est, semel locutus est Deus ad serpentem. *Inimicitias ponam inter te & mulierẽ: & inter semen tuũ, & semen illius.* Inimicitiæ istæ immortales sunt, discordiæ implacabiles. O quã vehementer errauit olim Carpocrates hereticus! Catharorum, qui dicuntur Gnostici, dux, dicens omnem hominem qui ad perfectionem sui mysterij, seu potiùs sceleris pervenire volebat, nõ aliter effugere posse huiusmodi principes scilicet dæmones, vel declinare, nisi per quædam facinora, quæ ipse statuebat, soluerentur. Huius autem erroris tenebras priùs sparserant quidam Philosophi, quos Porphirius Platonicus sequẽs dicebat, bonum Deum seu ingenium non posse inueniri in homine, nisi antè malus fuerit placatus. Idem tamen sibi ipsi contrarius cauendã esse dæmonum societatem testatur. Nimirũ inter vitiũ sacrilegæ curiositatis & philosophæ pfessionẽ, cui contrariam esse hanc societatẽ sentit, alternantibus sentẽtiis fluctuans. At audiendus sanctus Petrus dicens. *Aduersarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret: cui resistite fortes in fide.* Et Iacobus. *Resistite diabolo, & fugiet à vobis.* Resistite dicit, nõ autem, eum placate, ei consentite; nam si ei consenseritis, victi eritis. Cùm ergo diabolus nobis semper implacabiliter aduersetur, ei semper debemus resistere, & numquam eius voluntatem faciendo placare; quod est facere placentas reginæ cæli, vt est in Ieremia. Quantò enim magis sic eum placauerimus, tantò magis Deo displicebimus, & tantò grauiora supplicia luemus. Sed quomodo ei resistemus? Resistite ei in fide, ait Petrus. Nihil fortius fide, per quam de diabolo triumphatur. Quæ est victoria, quæ vincit mũdum, nisi fides nostra? Quis est autem qui vincit mundum, nisi qui credit, quod IESVS est filius Dei? Sancti per hanc fidem vicerunt regna. *Deuota sanctorum fides: inuicta spes credentium. perfecta Christi charitas, mundi triumphat principem.* Fides tamen sine operibus otiosa est. Fides autẽ otiosa nihil vincit, quia nihil agit. Imò non solùm otiosa est, sed etiam mortua. Vita fidei est dilectio operans. Numquam amor Dei est otiosus. Operatur enim magna, si est; si verò operari renuit, amor non est. Fides autem sine dilectione operante otiosa & mortua ideo non vincit, quia nec pugnat: aut si pugnat, quasi aërem verberans, non quasi hostem vulnerans; nec se ab hoste liberans. Pugnant quasi aërem verberantes Pharisæi, qui dicunt, & non faciunt; delicati magistri, qui pleno ventre de jejuniis disputant; qui manus dantes impudicitiæ castitatem prædicant. Similiter pugnant auditores seduli verbi Dei, sed non factores strenui. In talibus fortis armatus custodit atrium suum; & ideo in pace sunt omnia quæ possidet; quia nullus ei resistit, quamdiu peccator, qui ab eo per solum consensum prostratus est, non adjicit vt resurgat: quod si faceret, fortior illo esset. Victorem à victo superari sæpe vidimus. Vulgò dicitur. Fortis est.

Seruitutem Dei iurant Christiani in baptismo.

Mat. 5.

Ritus, quo quis miles ordinatur.

Apoc. 12.

Genes. 3.

1. Petri. 5.

Ierem. 7.

1. Ioan. 5.

Hebr. 11.

Ecclesiæ verba.

Hier. epist. ad Rustic.

qui prosternit; sed fortior est, qui resurgit. Vnde beatus Hieronymus. *Nihil Christiano fortius, qui vincit diabolum: nil imbecillius, qui à carne superatur.* Vnde Apostolus pugnam quæ est inter nos & diabolum luctam appellat, dicens. *Non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem; sed adversus principatus & potestates tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus.*

Ephes. 6. Lucta adversus dæmones.

Ab arte luctandi est illa perelegans comparatio sapientis. *Quemadmodũ,* inquit, *non magnus luctator est, qui omnes nexus diducit, quorum rarus est vsus; sed qui in vno aut in altero diligenter se exercuit: non enim refert, quã multa sciat, si sciat quãtũ victoria satis est: ita plus prodest si pauca sapiẽtiæ præcepta teneas, sed illa in prõptu & in vsu tibi sint, quã si multa didiceris, sed illa non habeas ad manũ.* Nihil verius dici potuit. Enimvero diabolus nexus vitiorum contra virtutes luctantium ex seipso didicit, quia omnes inuenit. Vnde & mille nocendi artes habere dicitur. Verumtamen in tribus maximè se solet exercere: in concupiscentia carnis, in concupiscentia oculorum & superbia vitæ. Omne quod in mundo est, idest quidquid à dilectoribus mundi diligitur, est hoc aut illud. Sunt enim in mundo multæ tribulationes & angustiæ, sed non diliguntur. Ecce quibus luctandi nexibus se exercet princeps mundi; luxuria, auaritia siue curiositate, superbia. Nam concupiscentia oculorum tam auaritiam quàm curiositatem designat. Superbia in Genesi designatur per pectus serpentis, luxuria per ventrem secundùm 70. qui, vbi habemus *Supra pectus tuũ gradieris,* dixerunt, *Pectore & ventre repes*: curiositas siue auaritia significatur in eo, quod sequitur, *Terram comedes.* Nam qui terram manducat, profunda & tenebrosa penetrat: sic & curiosus. Et qui terram comedit, semper ei restat, quod manducare possit: sic & auarus nũquam impletur pecunia, sed crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit. Aliquando hæc omnia solo cupiditatis nomine designantur: vt cum dicit Apostolus. *Radix omnium malorum est cupiditas*: aliquando nomine superbiæ, vt cum dicitur. *Initium omnis peccati superbia.* Vnde Rabanus super Ecclesiasticum. *Cupiditas & superbia non duo mala sunt, sed vnum: à qua omnia trahunt initium.* Tentator de his omnibus tentauit primum Adam, & vicit: tentavit secundum, & victus est. In primo nexu fortis est, in secundo fortior, in tertio fortissimus. De primo est illud. *Virtus eius in lumbis eius: & fortitudo eius in vmbilico ventris eius.* Lumbi & vmbilicus libidinosorum dicuntur esse diaboli, quia pro diabolo contra ipsos faciunt, & eorum animas nexu delectationis illicitæ prosternunt. Nihil illo Christiano imbecillius, qui sic à carne sua superatur. In illa lucta Antheus vincit Herculem, idest libido animum ad cetera fortem. O quanta fortitudo diaboli in hoc nexu luctandi! Hic enim nexus Samsones effeminat, Salomones infatuat, Hercules inflammat, Martes catenis ligat, Ioues in boues mutat. Vnde Hieronymus *Numquam in præterita castitate confidas. Nec Sãsone fortior, nec Dauide sanctior, nec Salomone sapientior esse potes.* De secundo nexu auaritiæ est illud Apostoli. *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationes, & in laqueum diaboli, &c. Et mox Radix enim omnium malorum est cupiditas.* Magna valde virtus diaboli in hoc nexu, qui laqueus eius est, & radix omnium malorum. Multi

1 Ioann. 2.

Genes. 3.

1. Timo. 6.

Eccli. 10.

Iob 40.

Quanta vis concupiscẽtia carnis.

1. Timot. 6.

Auaritia laqueus diaboli.

in primo nexu victores extiterunt, qui in isto victi sunt. Hic nexus Iudam laqueo suspendit, Achan lapidauit, Ananiam & Sapphiram verbi Apostolici gladio peremit. Auaritia duos dentes habet, quibus omnia deuorat; immoderatiorem appetentiam alieni, & tenaciorem custodiã sui. Immoderatiùs appetit, qui quod deest, legem necessitatis & vsus excedens, exposcit. Tenentur auidi⁹, quæcumque vsui subtrahunt. Cupiditas est, vt aiunt sancti, amor eorũ, quæ quis amittere potest inuitus. O quam latè spargitur laqueus iste! quantos involuit & implicat nexus iste! hodie sic omnes post diuitias currũt, ac si ibi laborum requies, dolorumque solatiũ inueniri possit; ac si naufragi de profundo faciliùs emergant, & euadant, si prægrandi sarcina onerentur. Quis vlcerosus spinas vnquam congessit, vt super eas molliùs quiesceret? Hic tamen laqueus maximè publicanos & officiales inuoluit, quorũ omniũ cœtus à maximo vsque ad minimũ, concussioni potiùs quam iustitiæ vacat, & tam in populũ debacchantur; vt quod reliquit vnus, alij non moren tur auferre: ac si ad hoc instituti sint, vt residuum locustæ comedat bruchus. Vndequoq; plura in se coacervãt officia, licet quod ab vno nõ accipit, ab alio trahat. Locusta bruch⁹ est, antequam alas habeat, alis succrescentibus cum volitare cœperit vocatur athelebs, cùm autem plene volauerit, iterum efficitur locusta. Sic in officialibus idem est bruchus & athelebs & & locusta; quia propinquis & remotis nocet publican⁹, idest minister public⁹ Sic appellari potest omnis curiæ officialis. Hunc sic describit Laurentius Mediolanensis Episcopus. Publicanus est caput rapinæ, lex violentiæ, prædo sine pudore, modicus exterminus, immanior furibus. Nã fur timens delinquit, hic autem confidenter: fur laqueos legis timet, hic quidquid fecerit legem vocat. Quis autem iniquior? Qui verbis iustitiæ iustitiam damnat, & armis innocentiæ spoliat, vulnerat, & occidit innocentes, hic lege legem perimit: & dum alios vrget ad legem, exlex est. Nam sicut prætor etiam cùm iniquè decernit, ius dicit, habito respectu non ad id quod facit, sed ad id quod facere debet: sic publici Officiales etiam cùm delinquunt, ius se dicunt implere. O quàm venerabile esset Prælatorum & Principum nomen & officium! si tanta implerentur solicitudine, quanta petitur ambitione. Certè diligerentur vt patres, timerentur vt Deus, colerentur vt sancti; si exactionibus parcerent, & projicerent ex animo, quidquid prouenit ex calumnia, nec omnem quæstum pietatem æstimarent. Quis autem pecuniam vel auream, vel argenteam, sine sordidatione digitorum, tractavit diutius? At ex ea minùs sordet manus, quàm animus. Tertius nexus diaboli superbia est. Ipse quoque est rex super omnes filios superbiæ, vt ait Iob. Superbia est amor propriæ excellentiæ. Hanc sicut & cupiditatẽ semper comitatur stultitia: quæ suadet adamari & quæri, quod teneri non potest. Stultitia verò, vt ait Augustinus, est eorum quæ scienda sunt ignorantia vitiosa. De superbia nascitur ambitio, idest potentiæ & honoris cupiditas. Quem mihi dabis, qui non velit vel vnum potentia anteire? Maximè verò in curiis potentum inveniri solent potestatum aucupes, & honorum proci. Inuenitur plerumque & in claustris sub tunica pœnitentis regius animus. Ad Ezechiam Regem olim nuncij regis Ba-

Publicani & Officiales

Superbia tertius diaboli nexus. Iob 40.

Ambitio etiam in Cœnobys.

bylonis cum muneribus accesserunt: & Ezechias Rex pius in adventu eorum lætatus est: & ostẽdit eis domum aromatum, & aurum, & argentum, & pigmenta varia, vnguenta quoque & omnia quæ habere poterat in thesauris suis. Tunc imprudenter quisque exultat, cùm à nuntiis Regis Babel idest confusionis solicitatur: quia hi tamquam hostes suspecti habendi sunt & timendi, etiam cùm dona ferunt. Qui ergo aromata bonorum operum, virtutis aurum, argentum eloquentiæ, orationum pigmenta ostentat, & si qua in thesauris bonæ conscientiæ sunt reposita; pro certo sciat, quòd omnia quæ militare videntur ad gloriam, stipendium confusionis & mortis acceptura sunt. Quæcumque enim ostentationis gratia fiunt, proficiscuntur in mortem. Sicut mel voluptatis, ita & fermentum superbię adoleri prohibetur in sacrificio Domini. Igitur contra hos tres nexus vitiorum alij tres virtutũ nobis perdiscendi sunt; per quos ab his absoluti & liberi euadamus. Contra nexum luxuriæ est illud Domini. *Sint lumbi vestri præcincti.* Contra secundum est illud. *Beati pauperes spiritu.* Et illud. *Nolite cogitare de crastino.* Et illud Apostoli. *Nihil intulimus in hunc mundum: haud dubium quin nec auferre quid possumus.* Contra tertium est illud. *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* Præcingere lumbos est carnem macerare. Nam sine castigatione carnis nemo potest diu possidere vas corporis sui in sanctificatione & honore. Ideo maceratio carnis præcinctio lumborum dicitur, quia semper castitatis præambula est, sicut libido gulæ. Paupertas spiritus est amor voluntariæ paupertatis propter vitam æternam in corde conceptus, & opere susceptus. Humilitas cordis est amor proprię subiectionis, nec dominationis alienæ appetens, iuxta illud Petri. *Serui subditi estote dominis.* Beati qui subiectione continua gaudent, & alicui in vita præesse refugiunt. Primum pertinet ad sanctorum fidem deuotam, secundum ad eorum spem invictam, tertium ad perfectam ipsorum caritatem. Fides devota est, quæ plus carnem macerat quàm iubetur. Parum enim devotus est, qui non amplius ieiunat, orat, aut laborat, quàm ei pręcipitur. Virgo Genouefa ab anno 15. bis tantũ in hebdomada consensit soluere ieiunium, Dominica scilicet, & quinta feria. A vino & omni liquore inebriãte tota vita sua abstinuit. Quinquaginta annis sic vixit. Dehinc suadentibus Episcopis piscem & lac edere cœpit, sed semper cum fletu. Deuota fides eius hanc ei iniunxerat pœnitentiam. Beatus Arsenius dicebat sufficere monacho vnam horam dormire. Publius monachus, vt in vitis Patrum legitur, decem dieb⁹ continuis ad orationem stetit, & dæmonem familiarem, quem Iulianus apostata mittebat in Occidentem, transire non siuit. Noster legislator sanctus Benedictus nudum se proiecit inter vrticas & vepres: vbi diutissimè & molestissimè volutatus est, vt carnem scaberet male prurientẽ Sic devotio fidei semper plus facit, quàm ei possit præcipi. Inuicta spes Sanctorum bona sempiterna firmiter & securè expectans, & ardenter desiderans, omnia bona temporalia tam facilè contemnit & deserit, quàm pro nihilo ducit respectu æternorum, quorum desiderio jam inhæsit. Perfecta Christi caritas animam pro Christo sive pro fratribus ponit, & nil sibi intolerabile præter Christi carentiam reputat. Caritas patiens est, benigna est. Multi in carnis cruciatibus per defectum caritatis Dei omnia patientis elisi sunt, qui duobus primis assultibus luxuriæ vel auaritiæ elidi nequiuerant. At *Fortis est vt mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio.* Dura sicut infernus dicitur, quia omnia suffert, omnia sustinet. Omnia suffert, quæ crudeliter inferuntur, omnia sustinet, quæ fideliter promittuntur. *Vsque in tempus sustinebit patiens, & postea redditio iucunditatis.* Primum, idest carnẽ macerare pertinet ad Virgines; secundum, idest omnia relinquere ad sanctos Confessores: tertium ad sanctos Martyres, idest omnia pro Christo infatigabiliter tolerare. O quàm deuota fides fuit in sanctis Virginibus, quæ sic carnis voluptatibus viriliter restiterunt? quàm inuicta spes fuit in Sanctis Confessoribus, cùm sic mundum & omnia quæ mundi sunt, pro nihilo duxerũt! quàm perfecta caritas fuit in sanctis Martyribus, qui tantis vexati suppliciis, tam fortiter in agone certaminis perstiterunt. Sic ergo deuota sanctorum fides: inuicta spes credentium, perfecta Christi charitas, mundi triumphat principem. Ad quem triumphum nos perducat meritis & intercessionibus eorundem sanctorum Deus, suorum militum sors, & corona, præmium, Iesus Christus Deus noster. Amen.

4. Reg. 21. — Luc. 12. — Matth. 5. — Matth. 6. — 1. Timot. 6. — Mat. 11. — 1. Petri 2. — Greg. dial 2. — Cant. 8. — Eccli. 2.

Sermo In Synodo Tholosana,
In Ecclesia S. Iacobi habitus.

SACERDOTES tui induantur iustitiam. Prophetalis hæc admonitio, fratres carissimi, non solùm nobis, qui sacerdotes Domini vocamur, ministri Dei nostri; sed & omni cætui fidelium conuenienter aptatur, quibus voce principis Apostolorum dicitur. *Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis.* Genus electum dicti sunt populi fidelium, quos isti Apostoli per Euangelium genuerunt in Christo, non solùm illi, sed etiam ipse Christus, sicut dicit Iacobus. *Voluntariè genuit nos verbo veritatis; vt simus initium aliquod creaturæ ejus.* Genus, inquit, electum, non genus reprobũ; sicut illi quibus dictum est. *Vos ex patre diabolo estis, & desiderit patris vestri vultis facere.* Genus electum, idest separatum à massa infidelium, iuxta illud Cantici Canticorum. *Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus.* Quod dupliciter intelligi potest: de Capite nostro Christo, qui est Sponsus & Dilectus Ecclesiæ: & de singulis mẽbris eiusdem capitis. Est enim Christ⁹ in sua persona dilectus à Patre, qui dicit de eo, *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Itẽ à Spiritu sancto, qui super eo quieuit, & eum vnxit: à beata quoq; genitrice Maria singulari amore: ab vniuersali Ecclesia, quæ hic Sponsum ipsum cãdidum vocat & rubicundum, Candidum per diuinam naturam, in qua ipse candor est lucis æternę, & splendor ac figura substantiæ Patris: rubicundus secundùm humanam, in qua ipse ex purissimis sanguinibus virginis Mariæ conceptus est, vt ait Damascenus. Vel totum ad diuinam naturam refertur: candidus & rubicundus, idest dulcis & rectus, misericors & iustus, mitis ad iustos, terribilis ad impios, sicut scriptum est. *Altissimus est patiens redditor.* Vt enim ait B. Gregorius, peccata nostra patitur & reddit.

Psalm. 131. — 1. Petri. 2. — Fideles sunt genus electũ — Iac. 1. — Ioann. 8. — Cant. 5. — Luc. 3. — Sap. 7. — Hebre. 1. — Eccli. 5.

In cuius rei significatione Angelus, qui in resurrectione eius apparuit, aspectum habebat fulgureum, & vestimentum niueum; illum pro terrendis custodibus, istud pro mulieribus demulcendis. Vel certè vtrumq; ad eius pertinet humanitatem: vt candidus dicatur, quia de Virgine natus: rubicundus, quia in cruce passus. Vel candidus iustitiâ, qua nihil mundius: vnde scriptũ est, *Iustus germinabit sicut lilium*: rubicundus caritate, qua nihil ardentius, sicut scriptum est, *In dextera eius ignea lex*. Electus ex millibus, id est electos omnes incomparabili sanctitate præcellens. Est enim sanctus sanctorum, non à quolibet sanctificatus homine, sed alios ipse sanctificans, sicut scriptum est, *De plenitudine eius omnes accepimus*. Electus ergo dicitur ex millibus, id est ex omnibus, tamquam solus impollutus, & segregatus à peccatoribus, qui peccatum non fecit. Si autem hoc de membris eius accipiatur, sic intellige, Segregatus à massa pereuntium, qui multiplicati sunt super numerum. Sequitur. *Regale sacerdotium*: id est ad hoc electi, vt sitis regale sacerdotium, seu Reges sacerdotalis sanctimoniæ, sicut & Christus, à quo Christiani dicimini, vtriusq; dignitatis apice sublimatus, & de vtraq; tribu, tam sacerdotali quàm regia, secundùm carnẽ natus, verum se iustitiæ Regem, & animarũ sanctorum Pontificem demonstrauit. Nã ad astruendam regiam dignitatem Pilato interrogãti, an Rex esset, Regem se esse respondit, & in mundũ venisse, vt testimonium perhiberet veritati. Regalia etiam in sua illusione gestavit insignia, sceptrum & diadema, & chlamydem: illud arundineum, istud spineum, hanc coccineã; significantibus impiis, quamvis ignoranter, omne regnum huius mundi caducum, & fragile brevitate tẽporis, pungitivum & triste molestia solicitudinis. Porrò regnum veritatis siue iustitiæ, quod nõ est de hoc mundo, vt ait Dominus, per venerandæ crucis triumphalẽ titulum æterna stabilitate firmatum est inscriptione trilingui, & omnino indelebili, Pilato judice inscriptione tituli his verbis confirmata, *Quod scripsi, scripsi*. Porrò sacerdotalis dignitas secundùm ordinẽ Melchisedech, quæ multò melior est quàm ordo Aaron, siue legalis, in eo confirmata est, quod Apostolus dicit, *Christus assistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius & perfectius tabernaculũ, & per proprium sanguinem introiuit semel in sancta, æterna redemptione inuenta*. Ecce quomodo fuit Sacerdos, & hostia. Sequitur in verbis Petri. *Gens sancta*, id est gens per gratiam baptismatis à peccatis abluta. & ad diuinum cultum consecrata. Vel sancta, id est summè vncta. Vnde & mox vocatur populus acquisitionis, id est populus, quem Christus sibi acquisiuit: & qui eius gratia vitã acquirit æternã. De prima acquisitione est illud. *Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo*. De secunda est illud. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*. Hoc autem regnum & sacerdotium clariùs ostenditur in Apocalypsi his verbis *Qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo; & fecit nos Deo nostro regnum & sacerdotes*. In qua sententia quatuor notanda sunt; author, opus, causa, modus. Author, Deus & homo: opus, ablutio à peccatis, & dignitatis duplicis regiæ & sacerdotalis collatio; causa, dilectio: modus, in sanguine suo.

Osee. 14. Deuter. 33.

Quomodo Christus sit electus ex millibus.

Ioann. 1.

1. Petri. 2.

Regnum huius mundi caducum & fragile.

Ioann. 19

Hebr. 9.

Act. 20.

Ioann. 6.

Apoc. 1.

Authoris diuinitas gloriam, humanitas gratiam commendat. Illa nostros exaltat affectus, ista dilatat. Illa à nobis timorem exigit, hæc amorem. Opus, opus egregium, præcipuum, singulare, solique omnipotenti possibile. Nam quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus? Nemo sanè potest peccata dimittere, nisi is solus, qui peccare non potest. Non solum autem à peccatis nostris nos abluit; sed etiam regnum & sacerdotes nos fecit. Regnum iustitiæ, vt iustitia, non peccatum regnet in nostro mortali corpore. Regnum dixit, non Reges, vt exhibeamus membra nostra seruire iustitiæ in sanctificatione. Sed quoniam seruire Deo regnare est: ideo etiam regnũ istud actiuè potest intelligi, vt regnemus; sacerdotes, vt immolemus. Vt regnemus, id est regamus nosmetipsos regimine rationis: sacerdotes, vt immolemus nosmetipsos maceratione carnis: & hoc totum Deo, vt catholici, veram tenendo fidem; non vt infideles, qui quæcumque immolant, dæmonijs immolant: nec vt hæretici, per apostasiam ethnicis peiores; qui seipsos dæmoniis immolant, quoties per erroris sui blasphemiam docent verbo pariter & exemplo abstinere à cibis, quos Deus creauit. Simus ergo reges, ratione nos regendo: simus Sacerdotes Dei, non diaboli, per abstinentiam in fide Catholica nos ipsos immolando. De primo est illud Philosophi. *Multos reges, si ratio te rexerit*. Et Poëta.

Rex eris, aiunt, Si rectè facias.

De secundo est illud Apostoli. *Obsecro vos, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuam, sanctam, Deo placentem*. Causa autem huius operis nulla alia fuit, quàm dilectio. *Qui dilexit nos*, inquit, *& lauit nos à peccatis nostris; & fecit nos Deo nostro regnum, & Sacerdotes*. O dilectio sublimis, & dulcis, magna & fortis. Maiorem hac dilectionem nemo habuit. Verè nimia fuit, à comparatione rei emptæ, & pretij soluti. *Empti*, inquit, *estis pretio magno*. Verum dixit, magno, verum quoque dixisset, nimio: sicut priùs caritatem Patris non magnam, sed nimiam appellavit: non illam reprehendens, quòd nimia; sed quantum potest commendans eam de magnitudine. Sicut autem verè nimia caritas est filium tradere, vt seruus redimatur: sic nimium pretium fuit, eiusdem filij innocentissimum sanguinem fundere, vt reus absoluatur. Vnde Petrus. *Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conuersatione paterna traditionis: sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi, & incontaminati*. Vnde Psalmista mirabilem contractum hujus emptionis admirans, ait. *Domine quid est homo, quod memor es eius, aut filius hominis, quoniam visitas eum?* Item. *Quid est homo quia innotuisti ei, aut filius hominis, quia reputas eum?* Id est quia eum tanti putas, vt sanguinem tuum pro eo fundas? *Qui dilexit*, inquit, *nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo* Mira res, lauare in sanguine. Quid enim sanguine humano contaminatius? Vnde alibi legitur. *Si abluerit Dominus Sordes filiarum Sion, & sanguinem Ierusalem laverit*, &c. Priùs dixerat, *sordes*, postea repetiuit, *sanguinem*. Sanguis enim sæpe peccatum significat in Scriptura. Igitur cùm Christus lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo, lauit nos à sanguine nostro in sanguine suo. O mirum fullonem, qui sanguinem sanguine lauat! O sapien-

Quomodo Reges esse debeamus.

Rom. 12.

Apocal. 1.

1. Cor. 6.

1. Petri 1.

Psalm. 8.

Psalm. 143.

Apocal. 1.

Isai. 4.

tia mirabilis candidatrix, quàm admirabilē lexivium in tuo sanguine procurasti! in quo caro tua fuit pro cinere, crux pro lignorum strue, caritas pro igne, aqua de latere, vt ablueret, sanguis vt dealbaret, animæ nostræ pro vestimentis lineis, corpora pro laneis. Vnde in Apocalypsi. *Isti sunt, qui venerunt ex magna tribulatione, & lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine agni.* O sanguinem virtutis eximiæ, mirabilis potentiæ, singularis efficaciæ! Quid non poterit sanguis Creatoris omnium, si tantùm potest sanguis quorumdam animalium? Legimus tres sanguinis species potentissimas, sanguinem hirci, menstruatæ mulieris, & muricis. Primus scindit adamantem lapidem durissimum, secundus dissoluit bitumen gluten tenacissimum, tertium intingit purpuram colorem optimum. Sanè nil minùs ab his sanguis habere debuit illius agni, qui tollit peccata mundi. Ideo in ejus effusione infernus crepuit, terra contremuit, sol expauit, petræ scissæ sunt, monumenta aperta sunt, & multa corpora sanctorum, qui dormierant surrexerunt. Moraliter autem per huius sanguinis virtutē toties adamas scinditur, quoties aliquis obstinatus vel obduratus peccator ad pœnitentiam emollitur: toties bitumen dissolvitur, quoties inescatæ libidinis inueterata consuetudo relinquitur: toties purpura tingitur, quoties in quibuslibet pro iustitia tribulationibus vsque ad mortem inuincibilis patientia custoditur. Adamas scissus est in pœnitentia & conuersione magorum, velut Cypriani & Dariæ: bitumen dissolutum est in continentia fornicantium, vt Bonifacij & Pelagiæ: purpura tincta in passione martyrum, velut Laurentij, & nostri Thomæ. Hæc est virtus illius sanguinis, qui nostrorum abluit peccatorum sordes, & fecit nos Deo regnum & Sacerdotes. Quibus nunc dicitur. *Sacerdotes tui induantur justitiam.* Sacerdos dicitur, quasi sacrum dans. Quid vel quod sacrum? Vtique primò sacrum exemplum, secundò sacrū verbum, tertiò sacrum cibum, quartò sacrum judicium. Prius est enim facere, quàm docere. *Ille,* inquit, *erat lucerna ardens & lucens.* Ardens amore, lucens sermone: ardens vita. lucēs doctrina. Ardens in conscientia, lucens fama. Prius describūtur in tunica sacerdotali molograriata, deinde tintinnabula. Priùs dicitur Apostolis, vos estis sal terræ: deinde, vos estis lux mundi. Primus Apostolorum Petrus, idest firmitas Dei, secundus Paulus, idest doctrina verbi. Ille siquidē priuilegiatus fuit in operando, iste in docendo, vnde & doctor Gentium vocatus est. Sicut autē prius est facere quàm docere; ita prius est docere, quàm communicare. Priùs enim Christus Euāgeliū condidit, quàm corpus suum in sacramentū dedit, significans neminem rectè ordinari in sacerdotem, nisi qui iam potest ædificare subiectū sibi proximum per exhortationis competentem & congruū sermonem. Vnde Apostolus ad Timot. *Qui bene præsunt Presbyteri, duplici honori digni habeātur: maximè, qui laborant verbo & doctrina.* Sicut autem prius est docere quàm communicare, ita communicatio præcedit judiciū, idest sacerdotalis ordinatio gradum honoris. Iudiciū namque propriè ad prælatos pertinet, idest ad Archiepiscopos, Episcopos, & summos Iudices. Est autem quodlibet istorum sacrorum duplex. Sacrum namque exemplum est continentia, siue temperantia in prosperis, patientia in aduersis. Vnum sine altero non potest sufficere: quia prosperitas sine temperantia corrumpit; & aduersitas sine patientia frangit. Sacrum quoque verbū debet omnis sacerdos dare dupliciter, idest orationis ad Deum, prædicationis ad populum, si fortè curam suscepit aliorum. Sacrum similiter cibum dupliciter, idest ad altare communionem sacram, & refectionem pauperum quotidie ad mensam propriam. Simile judicium est de sacro judicio: quia debet absoluere pœnitentes & humiles; rebelles autē & contumaces ligare. Primum sacrum dandum est manu valida, secundū manu discreta, tertium manu munda, quartum manu extenta simul & excussa. Valida namque manu opus est, ne subdit⁹ succumbat tentationis onere, nec illiciendus blāditiis, nec periculis exterrendus. Hæc est enim, vt ait Augustinus duplex illa acies, quam producit aduersus nos mūdus. Terret, vt frāgat; blanditur, vt decipiat. Ergo non te teneat voluntas propria, nō te terreat crudelitas aliena, & victus est mundus. Secundum sacrum manu discreta dandū est: quia nec semper orationi & silentio debet sacerdos incumbere, nec semper prædicare. Tempus tacendi, & tempus loquendi: tempus laboris, & tempus quietis. Vnde beatus Benedictus in Regula dicit, certis horis vacandum esse lectioni divinæ, certis horis labori manuum. Manu quoque discreta dandum est verbum populo; quia nec mysteriorum magna profunditas referenda est min[illegible] capacibus, nec capacibus abscondēda. Sunt enim quidam, qui ex ignorantia succos lacteos adultis offerunt, & ex arrogantia cibum solidissimum memmotrectis. Non sic ille, qui dicebat. *Sapientiam loquimur inter perfectos* Et iterum. *Tamquā parvulis lac potum vobis dedi, non escam.* Sic vtique danda est tritici mensura dominici, vt perfectiores, qui exercitatos habent sensus, cibo reficiantur solido, & lacte parvuli nutriantur. Sacer autē cibus dandus est manu mūda, ne vel sacra communio sumatur ad judicium, vel pauperum refectio rapina fiat in holocaustū. De primo. *Omnis qui de genere Aaron est, in quo est immunditia, non accedat ad ea quæ sanctificata sunt.* De secundo. *Ego Dominus diligens judicium, & odio habens rapinam in holocaustū.* Vnde Augustinus. *Sic non sunt reficiendi pauperes per furtum, sicut non sunt quærendi filij per adulteriū.* Iudicium verò ad hoc vt securum sit, oportet, vt detur manu extenta, idest sine acceptione personæ; & manu nihilominus excussa prorsus ab omni munere. *Sacerdotes,* inquit, *tui induantur justitiā.* Quod dicit *tui*, dictum est ad differentiā sacerdotum diaboli, qui olim dicti sunt sacerdotes idolorum, vel qui adhuc sunt Episcopi hæreticorum, vel eorum electi. In quibus quamuis nulla inueniatur justitiæ veritas, multa tamen invenitur sanctitatis & veritatis similitudo palliata. Refert enim Hieronymus in libro contra Iouinianū, Chenonem Stoicum scripsisse de antiquis Ægypti sacerdotibus, quòd miræ fuerint abstinentiæ in victu, continentiæ in concubitu, paupertatis in habitu, humilitatis in victu, grauitatis in incessu. Denique ex quo semel falsorū deorum cultui mancipati erant, numquam postea parentes visitabant, nec etiam filios venire ante conspectum suum patiebantur. Semper à vino & carnibus abstinebant, numquam mulieribus iungebantur: nec solùm carnes horrebant, sed etiam oua & caseum. Quorum primum dicebant

Marginalia: Apocal. 7. — Adamantē scindi, &c. moraliter quid sit. — Quæ sacra det Sacerdos — Ioann. 5. — Mat. 5. — 1. Timo. 5. — Aug. Serm. de S. Vincēt. — S. Bened. Regula c. 48 — 1. Cor. 2. — Levit. 22. — Isai. 61. — Psalm. 131. — Hypocrisis Sacerdotū Infidelium.

cebant esse carnem liquidam, secundum sanguinem colore mutato. Super nudam humum jacebant, scabellum pro cervicali capiti suo supponetes. Euripides sacerdotes Iouis in Creta dicit sẽper à certis abstinuisse cibis. Porphirius in epistola ad Anelontem Ægyptium quærit non immeritò, quid est, quòd sacerdotes Idolorum à contactu rei venereæ prohibentur: cùm ad incertos quosque concubitus quemlibet ducere non vereantur: quid est, quòd ab animalibus abstinere iubeantur, cùm illorum sacrificia sanguine pecudum, & carnium nidoribus celebrentur. Ecce inquit, tertiam quæstionem facio, cur annulos vetentur gestare in digitis, qui thesauros habere permittuntur in scriniis. Manifestum est igitur quòd sacerdotes idolorum non alio fine ista vetabantur facere, nisi vt ob eorum sanctitatem simulatam faciliùs eis crederetur. Planè eadem simulatio est in hæreticis nostri tẽporis. Electi enim abstinere videntur, & fortè jubentur, ab esu carnium, & à concubitu mulierum: & tamen credentibus suis persuadere conantur, indifferentẽ esse omnem cum muliere concubitum; nec magis abstinendum esse à sorore, vel filia, vel matre, quàm à propria vxore. O doctrina infernalis, à quibus tenebris emersisti? Patet ergo eosdẽ spiritus erroris, idest immundos dæmones nunc loqui in mũdo per magistros hæreticorum, qui tunc loquebãtur in Ægypto per sacerdotes idolorum. Propterea dicitur, *Sacerdotes tui induantur justitiam*, quasi diceret, non simulationẽ justitiæ, sicut olim induti sunt sacerdotes falsitatis, & adhuc induuntur magistri erroris: sed ipsam justitiæ veritatem, qua verè debent indui sacerdotes veritatis. *Sacerdotes tui induantur iustitiam.* O vestis pulcherrima, & pretiosissima, vestis justitiæ, quæ non solùm simplex est vestimentum ad nuditatẽ tegendum, sed etiam duplex est ad frigus repellendum: ornatus etiam ad ornandũ & honorandum, armatura quoque inexpugnabilis ad protegendum. Est enim vestis puerilis, vt alba; est virilis, vt penula; est regalis, vt purpura; vestis etiam militaris, vt lorica. Tegit vt alba, calefacit vt penula; ornat vt purpura, tegit & defendit vt lorica. Tegit, quamdiu seruat innocentiam, vel perditam reparat per pœnitentiam. Nam proximus innocentiæ gradus pœnitentia est. Calefacit, quãdo subuenit indigẽti per misericordiam, iuxta illud, *Si non benedixerunt mihi latera eius, & de velleribus oviũ mearum calefactus est.* Ornat & honorat, quando omnia suffert per patientiam, omnia sustinet per longanimitatem. Defendit, & ex omni parte protegit, quando reddit vnicuique quod suum est, cõmuni vtilitate seruata. De prima veste est illud. *Beatus qui custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet.* Itẽ. *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.* Primum tegumentum pertinet ad innocentes, secundũ ad pœnitentes. De secundo, id est de calefactione est illud, *Non timebit domui sua à frigoribus niuis: domestici enim ejus vestiti sunt duplicibus.* De tertio est, quod dicitur Christus gestasse spineam coronam, & purpureum vestimentum. Hic est ascensus ille purpureus, qui est in ferculo Salomonis. De quarto est illud Apostoli, *Induti loricam iustitiæ.* Iustitia in eo quod reddit cuique quod suum est, loricæ comparatur, totum corpus circumtegenti, & nihil intectum deserenti. Tria debemus Deo, timorem, honorem, amorem. De duobus primis est

Albigensiũ hæreticorũ hypocrisis.

Psalm. 131.

Vestiũ variis vsus mysticè.

Iob 31.

Apocal. 16.

Psalm. 31.

Prouerb. 31.

Ephes. 6.

illud. *Si ego pater, vbi est honor meus: si dominus, vbi timor meus?* De tertio est præceptum diligẽdi Deum ex toto corde, id est dulciter contra carnis illecebras: ex tota anima, id est sapienter contra errores: ex tota mente, perseveranter: ex omnibus viribus, fortiter contra molestias. Reddendum & proximo, quod suum est. Est autem ille triplex, superior, inferior, æqualis. Primo debes obedientiã & reuerentiã: secundo disciplinã & benevolentiã; tertio quasi vbera, duo congratulationem in prosperis, & compassionem in aduersis, iuxta illud, *Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus.* Diabolo autem nil omnino debemus, nisi pugnam, iuxta illud. *Resistite diabolo, & fugiet à vobis.* Item. *Estote fortes in bello, & pugnate cum antiquo serpente.* Tunc autem efficaciter contra eum pugnamus, quando, sicut ait Sixtus Pythagoric⁹, quasi quadrato agmine virtutũ incedimus, vt ordinetur virtutum quaternarius, vt castrorum acies ordinata: videlicet in prima fronte procedat prudẽtia, fides contra ignorantiã & errores; juxta illud Prudentij, *Prima petit cãpum dubia sub sorte duelli, pugnatura fides.* Secundo loco ordinanda est temperantia, quasi in dextro cornu contra carnis illecebras, & mundi voluptates. Tertio in sinistro cornu ordinanda est fortitudo, contra omnes molestias & aduersitates. Sunt autem quidã ad tolerandas aduersitates satis fortes & strenui, ad respuendas voluptates nimis debiles & infirmi. David, qui Goliam prostraverat, ad vnum Bethsabee aspectum prostratus est. Iudas etiam Machabæus, qui Bacchidis dextrum cornu prostrauerat, à sinistro cornu contritus est. Porrò à tergo debet ordinari iustitia, contra vanas glorias & elationes. Acies namque superbiæ prima expugnat, postrema expugnatur; iuxta illud,

Cùm bene pugna ris, cùm cuncta subacta putaris,
Quæ magis infestat, vincenda superbia restat.

Sic resistendum est diabolo, sic pugnandum cũ serpente antiquo. Nobis autem debemus quatuor: rosam, lilium, ignem, & gladium. Rosam verecundiæ, lilium pudicitiæ, ignem feruoris, gladium macerationis, qui à Propheta dictus est gladius occisionis magnæ. Gladius occisionis paruæ est, quando mala consuetudo relinquitur; & mala actio quamvis rarior solito retinetur. Gladius magnæ occisionis est, de quo dicit idem Propheta. *Duplicetur ac triplicetur gladius*, Duplicatur, quando consuetudo mala, & actio prava relinquitur. Triplicatur autem, quando etiam radix originaria malæ voluntatis truncatur. Tunc verè Sacerdotes Dei sumus, quando tali gladio corpus nostrum & animam mactam⁹.

Malac. 1.

Rom. 12.

Iac. 4.

Virtutum quadrangulus.

1. Mac. 9.

Ezech. 21.

Sermo In Dedicatione.

SI *quis templum Dei violaverit disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.* Intonuit fratres, Apostolicæ tubæ clangor terribilis, clamor salutaris. Paueant & caueant quicumque audierint. *Si quis templum Dei violaverit, disperdet illũ Deus* &c. Non tacebo; quoniam vocem buccinæ audiuit anima mea, clamorem prælij. Si quis huius buccinæ sonitum audierit & se de cetero non obseruauerit, sanguis illius super caput ejus erit. Si quis tẽplũ &c. Vnde dicit glossula interlinearis. Cavete vobis

1. Cor. 3.

non est vox Apostolorum vt vox hominum cæterorum, & inimici nostri sunt iudices, sicut de quodam Apostolo testatur inimicus dicens, Vox eius quasi tuba vehemens est. Sanè congruit hoc testimonium Paulo tubicinanti in aures omnium. *Si quis Templum Dei violauerit, disperdet illum Deus.* Si quidem & ipse Paulus Bartholomeus erat interpretatione, non persona vel nomine. Erat enim filius suspendentis aquas, idest Dei, adoptivus Domini nostri Iesu Christi, qui constitutus est à Deo iudex viuorum & mortuorum, iudex iustus fortis & patiens: qui non irascitur per singulos dies, nec citò profert sententiam contra delinquentes: sed altissimus patiens redditor vindictas in extremo reseruat examine, quasi aquas suspensas in nube. Erit autem, & sine dubio erit, cùm aquæ quæ suspenduntur, ruptis cæli nubibus & apertis vndique cataractis cælestibus super impios effundentur. Quãdo pluet super peccatores laqueos: ignis & sulphur, & spiritus procellarum partes videlicet calicis eorum; quando pluet Domin⁹ à Domino ignem & sulphur super totam Pentapolim, idest super omnes quinque sensibus carnis suæ deditos, templi Dominici corruptores. Vnde Psalmista, *Nisi conversi fueritis, gladium suum vibrauit, arcum suum tetendit, & parauit illum.* Idẽ enim per arcam in nubibus tensam, quod per aquas designatur suspensas. Nam rubeus color cælestis arcus illam generalem & igneam pluviã non solum prętendit, sed etiam suspendit de quo dicit Poëta.

Damianis vox de S. Bartholomeo.

1. Cor. 3.

Psalm. 7.

Communis mundo pluet regus.

Ab hujus ergo ignei diluvij inundatione suspensa nos interim præmuniens, & præmonens Paulus tãquam filius suspendentis aquas, tubali voce sonat & fulgurat dicens. *Si quis Templum Dei* &c. O verè tuba vehemens, vox sic vehemẽter exterrens. Sed quid dico tuba, certe tonitruũ est. Nam vt doctissimus ait Hieronymus, Singula Pauli verba non tam verba, quàm tonitrua dicenda sunt, & vere tonitrua. Nam & cælestia sunt, & terribilia. Non est quod filij Zebedæi rectiùs appellentur Boanerges, hoc est filij tonitrui, quam Paulus noster raptus ad cælum tertiũ, hoc est ad cælestem paradisum, vbi audivit verba ineffabilia, quæ non licet homini loqui: tamquã tonitrua, quæ non licet scribi, iuxta illud Apocalypsis, *Signa quæ locuta sunt septem tonitrua, & noli ea scribere.* Tonitruum dicitur, quasi terrens sonus. Et quid ista comminatione terribilius, *disperdet illum Deus?* Timent homines hominum minas, hominum corruptibilium, mortalium, infirmorum, & impotentium, qui postquam corpus occiderint non habent amplius quid faciant: quorũ omnis potentatus brevis vita morte corporis, & momento tẽporis limitatur. Quãtò magis timendæ sunt Dei omnipotentis minæ, qui postquam occiderit, habet potestatẽ mittere in gehennã: cuius potestas interminabilis, cuius maiestas incorruptibilis, cuius virtus insuperabilis, cuius justitia inflexibilis: cujus in iudicio furor implacabilis, terror intolerabilis, vindicta immortalis. *Ita dico vobis*, ait ipse de seipso, *hunc timete.* Tonat ergo nobis Paulus de cælo suo, quando tubicinat de gutture suo, implens illud propheticum. In gutture tuo sit tuba. Tubam nimirum habet in gutture, cui timor Domini sapit in mente. Tubam habet in gutture, qui timet humile & cavet, quod alios

Apocal. 10.

Luc. 12.

timere & cauere docet. Tubam habet in gutture, qui seruat quod aliis imperat; quod iubet, implet; quod præcipit, custodit; quod loquitur, operatur. Tubam habebat Paulus in gutture, quando non solùm alios excitabat ad pugnam, sed & ipse cum alijs & præ aliis pugnabat, dicẽs. *Sic curro, non quasi in incertum: sed castigo corpus meum, ne alijs prædicans, ipse reprobus efficiar.* Non à summis labris verba ipsa veniebant, sed ab imo gutturis. Habebant voces istæ, sicut ait Philosophus, fundamentum. Non erant hæ voces, quales illorũ, de quibus ait veritas. *Alligãt onera grauia & importabilia in humeros hominum; digito autem suo nolunt ea mouere.* Non est tuba eorum in gutture ipsorum, qui dicunt & nõ faciunt, non enim sapit illis quod dicunt. Huiusmodi tuba vocem quidem dat aliquã, sed prorsùs incertam. *Quòd si incertam*, ait Apostolus, *det tuba vocem, quis parabit se ad bellum?* Quid autem incertius, quàm vox vitam remordẽs, quã verbum vitæ non conueniens, quàm vnus ædificans & alius destruens, quàm vnus orãs & alius maledicens? Cuius opera respiciet Dominus, cuius voces exaudiet Deus? Q[illegible]d si etiam huiusmodi voces quamvis incertæ, tamen audiendæ sunt, juxta certissimum testimonium veritatis dicentis, *Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt facere nolite:* Ergo auditoribus verbi Dei & non factoribus væ semel, & væ iterùm, & væ tertiò à somnolentia, à pigritia, ab insania. A somnolentia, quos à somno peccati tonitrui tanti fragor non excitat: à pigritia, quos ad bellum Domini tam certa vox tubæ non præparat: ab insania, quos à facie gladij sagittarius iste non fugat, juxta id quod de diabolo scriptum est, non fugabit eum sagittarius, in stipulam versæ sunt lapides fundæ illi. De talibus scriptum est. *Congregabo super eos mala, & sagittas meas complebo in eis.* Idest non solum sententias comminatorias & terribiles illis proferam, vt terreantur: sed etiam peremptorias & capitales de illis feram, vt conterantur. His autem fratres carissimi, vobis dico literatis, in ablutionem manuum vestrarũ præestusis, libanda est eodem pane quem vobis apposui, sed fracto diminutiùs edentula paruulorum esuries, quibus maximè tenetur omnis doctor Ecclesiasticus, vt frangat eis panem Dominicũ: quippe cuius dentes necessarij non sunt eruditioribus ad frangendũ. *Si quis templum Dei violauerit, quod estis vos* à tempore baptismi, vt ait Glossa interlinearis, & verum dicit. Tunc enim primum templum Dei sanctum esse incipimus, cùm Spiritus sanctus Dei, qui quælibet sancta sanctificat, in nobis incipit habitare, & nos quodammodo dedicare; Sicut enim omne templum materiale priùs ædificatur, quàm sanctificatur, & ante constituitur quam consecretur, sic necesse est omnem priùs hominem nasci corporaliter, quàm spiritualiter renascatur. Naturalia quippe substrata sunt gratuitis, & semper necessariò antecedũt. Nõ enim prius quod spirituale, sed quod animale, deinde quod spirituale. Nemo sanctus concipitur, nemo nascitur Christianus. Vnde Hieronymus. Fiunt, non nascuntur Christiani. Altissimo namque consilio creator omnium Deus nihil à prima creatione sanctificari voluit, sed hanc secundam gratiam alteri tempori reseruauit. Noluit enim dona sua cuncta simul tribuere, sed maluit ea per partes & tẽpora dispensare: vt dona sua gratiora efficeret,

1. Cor. 9.

Matth. 23.

1. Cor. 9.

Matt. 23.

Deuter. 32.

& charitatem suam in nobis amplius commendaret, iuxta illud sapientis. Quod gratum voles effici, rarum effice. Hinc est quod in canone missæ, vbi dicimus, *Per quem hæc omnia Domine semper bona creas, sanctificas*, &c. Ad hoc verbum *creas* non facimus signum crucis, sed ad tria sequentia, signantes vtique quod sola creatio quāvis opus sit Trinitatis ter sanctæ, nihil tamen ex se ipsa sanctificat, sed omnem sanctificandi gratiam virtuti sanctæ Crucis & Passionis Dominicæ sacramento reseruat. Igitur in natiuitate carnali ædificamur in domum, in regeneratione spirituali dedicamur in templum, sed dedicatione tēporali non æterna, conditionali, non absoluta. Quam conditionem idest promissionem fidei, nisi quisque integram inuiolatamque seruauerit, peribit. Vt enim vulgò dicitur, pactum legem vincit: & ideo qui pactum baptismalem nō seruat, à baptismi gratia seipsum alienat. Quæ gratia facit quidem non imputari peccata præterita, sed non facit penitus amputari futura. Aufert ad tempus omnem injustitiam, sed nondum confert omnem iustitiam. Paradisi ianuā confestim aperit baptizato, non continuò intromittit. Remittitur per eam omnis iniquitas, vt sanctificemur gratis per gratiæ donum: sed retinetur cum ea carnis infirmitas vt exerceamur adhuc ad meritum. Vnde Hieronymus super illū locum. Non neophytum, *Quos videmus*, inquit, *hodie pro summa iustitia eligi. Si enim baptismus statim iustum faceret, nequaquam Apostolus neophytum refutaret, sed baptismus vetera peccata concedit, nouas virtutes non tribuit: dimittit è carcere, & dimisso, si laborauerit, præmia pollicetur.* Vnde miror, quomodo nonnulli literati quærere soleant, quare Deus hominem mox vt baptizatus est ad immortalitatem non transfert. Cùm sciant nec ipsum Adam antequam peccaret, talē factū fuisse, vt mori non posset, & vt sine probatione in conuictum Angelorum reciperetur. Itaq; volunt illi, plus dari ei qui in peccato natus est, & nullum bonum postea fecit, quam patri ejus, qui sine peccato natus est, & postea deceptus in peccatum cecidit: sed tamen postquam intellexit peccatum suum, statim pœnituit: quod vtique summæ illi iustitiæ, quæ Deus est, non conuenit. Certum est enim, Deum summam esse iustitiam, & summam bonitatem. Ad summam verò iustitiam pertinet, vt potius accipiat præmium qui illud jam meruit, quam qui necdum meruit. Qui enim baptizatus est, nihil adhuc meruit, & tamen multa supra meritum & etiam contra meritum jam gratis accepit. Iustius est ergo, vt expectetur de cetero ejus aliquod meritum, quam vt ei sine vllo merito statim summum præmium conferatur. Similiter magis congruit summæ bonitati duo magna tribuere, quàm vnum solū. At duo magna bona sunt meritum vitæ æternæ, & æternitas vitæ. Plus ergo illi datur, cui datur meritum cum præmio, quam cui datur præmium sine merito. Homini quidem, qui de duplici natura compactus est, conditor suus duo bona ab initio præparauit, vnum visibile, alterum inuisibile: vnum corporale, alterum spiritale, vnū transitorium, alterum æternum: vnum carni mortali, alterum spiritui immortali. Carni ad solatium, spiritui ad gaudium. Vnum statim dedit, alterum promisit. Primum vt gratis possideretur, secundum vt meritis quæreretur. Visibile gratis dedit, inuisibile quærendum proposuit; vt ex dono gratuito probaretur excellentia promissionis, & fidelitas promittentis. Si enim tale & tantum est, quod gratis dedit, quale & quātum est, pro quo seruitium quæritur? Rursum si tāta bonitas illi inerat, vt nihil meritis tam multa daret, quomodo malitia illi inesse poterit, vt benemeritos sibi seruientes non remuneret? Homo creatus continuò constitut' est Dominus mundi: seruiens fideliter, constituendus erat Dominus cæli. Idcirco autem, vt dixi, non omnia simul dedit, quia plus erat summæ bonitati, & meritum dare & præmium, quàm sine merito præmium solum. Pro temporalibus autem & transitoriis non quæsiuit tunc seruitium, ne dignitas humanæ conditionis ad vilitatem deduceretur, si pro eis quæ illi subiecta fuerant seruire cogeretur. Propter hoc & IESVS factus est homo, vt interim, nunc ad tempus quibusdā indigeret, quatenus per hoc indigentiam suam agnosceret, & vt intelligeret quia bonū quod ipse dat, sic sufficiens non erat, nisi & illud quoque bonum habere mereretur, à quo erat. Hoc autem ipsum, q sufficiens sibi bonum non fuit, bonum illi fuit. Magna quippe dignitas hominis fuit, quod ita factus est, vt nullum ei bonum præter summum sufficeret. Et rursū magna liberalitas fuit, quod is tanto arbitrio suo dimissus est, vt ad ipsum summum bonum cogi non posset, idcirco quæritur à petente baptismum, *Vis baptizari?* Quasi dicatur ei illud beati Iacobi, non est disciplinæ nostræ, vt aliquis inuitus conuertatur. Sicut te non potuit cogere diabolus vt subjiceres ei, sic ego te non cogam vt subjiciaris mihi. Hoc idem signat pulsatio Episcopi ad ostium clausum Ecclesiæ dedicandæ: ac si apertè dicat. *Ecce ego sto ad ostium & pulso. Si quis mihi aperuerit: intrabo ad eum, & cœnabo cum eo, & ipse mecum.* Ego nulli violentiam infero: quia coacta seruitia non admitto. Fur quoque qui prius intrauit, licet effractarius sit, circuire potest, suadere & illicere potest, cogere omnino non potest; nec intrare nisi ei aperiatur; quantumlibet clamet aut pulset. Idcirco exigitur ab eo qui baptizari desiderat abrenunciatio diaboli, & fides in Deum, quę per dilectionem operatur. Quod nemo faciet nisi voluerit, quia, vt ait Augustinus, ire ad Ecclesiam, interesse mysteriis, potest quis non volens; jejunare, vigilare, laborare potest nolens: credere omnino non potest, nisi volens. O suauis & dulcis conditio, in quā nihil graue, nihil difficile à me exigitur. Nihil nisi salutare, & jucundum, & vtile, & quod facere debueram etiam non rogatus. Non tamen hoc non adiutus ab alio potuissem: nā natura humana quæ per seipsam cecidit, sini diuino adiutorio non resurgit. Omnes enim peccauerūt & egent gloria Dei, idest gratia eius qui peccata remisit: propter quā ab omnibus jure semper est glorificandus. Abrenuntiare diabolo est peccatum quodlibet execrari & abjurare, nihil scilicet agere, dicere, vel appetere, quod conscientiam reprehendat. Quidquid enim fit contra conscientiam, ædificat ad gehennam. Et notandum, quod omnibus operibus diaboli jubemur abrenunciare, non duobus aut tribus, aut medietati, aut majori parti, sed generaliter omnibus: quia nulla communicatio Christi ad Belial, neque justitiæ ad iniquitatem: modicum enim fermentum totam massam corrumpit, & qui offendit in vno fit omnium reus, & multa bona perdit. Omnia vero opera diaboli

Verba Canonis Missæ

Baptismus quid conferat.

Hieron. in 1. Timot. 3.

Quæstio vana.

Liberum arb. hominis

Apocal. 3.

August tra. 26. in Ioan.

sub duobus generibus continentur, id est flagitio & facinore. Vnde ipse diabolus immũdus spirit⁹ appellatur propter flagitia: malignus & nequam propter facinora. Non sufficit abrenunciare operibus, nisi abrenuncietur & omnibus pompis eius, id est amori cuiuslibet gloriæ secularis & temporalis, siue sit in divitiis, siue in honore, siue in laude, aut in qualibet placendi dote. Has duas abrenunciationes significat Ecclesia dedicanda, in eo quod est munda & vacua. Similiter anima baptizandi mundatur per abrenunciationem diabolicorum operum: vacuatur autem per abrenunciationem secularium pomparum. Hæc duo abjurat nouitius in die consecrationis & dedicationis suæ, id est professionis: propriam videlicet voluntatem, quæ est radix omnium malorum operum: & proprietatem, sub quo nomine omnis pompa seculi continetur. Per primam abrenuntiationem emundatur ab omnibus immũditiis, & per secundam vacuatur ab omnibus impedimentis. Quòd verò omnis abrenuntiãs diabolo suscitat Leviathan aduersum se, qui priùs in se dormiebat, tamquam in vmbra & secreto calami, & locis humentibus, per amorem vanitatis, & desiderium voluptatis; idcirco baptizandum armat sacerdos aduersus eum, signans [illegible] oleo sanctificato in pectore, & inter scapulas [illegible] ante & retro armis salutaribus muniatur. In pectore signatur, vt non cedat turpiter, sed fortiter resistat, sicut scriptum est. *Resistite diabolo, & fugit à vobis.* Habet enim se diabolus ad modũ crocodili, qui fugientem insequitur, insequentem fugit: contra audacẽ timidus, contra timidum audax. Porrò inter scapulas signatur baptizandus, vt sciat ferre loricam iustitiæ, vt tollat super se jugum Christi suaue, & onus leue, caritatem, quæ patiens est, vt eum qui mala irrogat portet: benigna est, vt etiam quem portat amet. In patientia crucem, in benignitate oleum sanctificatum intellige. Igitur in pectore signatur baptizandus oleo sanctificato, vt sciat hilariter bene facere; inter scapulas, vt sciat gaudenter mala tolerare. In his duabus crucibus omnis justitia continetur. Hæc sunt duo ligna, de quibus noster Pontifex pontem nobis construxit, per quem transiremus à morte in vitam. Neuter sine altero sufficit. Nam in sola patientia anima possidetur, sed patientia propter iniustitiam nullam apud Deum gratiam promeretur. Vnde Petrus, *Quæ est enim gratia, si peccantes & colaphizati suffertis? Sed si patienter benefacientes sufferitis, hæc est gratia apud Deum.* Post hæc quæritur à baptizando, vtrum credat in Deum Patrem omnipotentem, & in Iesum Christum filium eius, & in Spiritũ sanctum: id est in eum qui omnia potest, & in eum qui omnia scit, & in eum qui omne malum odit, & omne bonum diligit. Quibus tribus valde contrarius est diabolus, qui omnino nihil potest, nihil scit, & nullum bonũ diligit, sed omne malũ. Qui nihil est, nihil omnino potest, diabolo autẽ dicitur, *Nihili factus es.* Diabolus nullum bonũ potest facere, quia nec potest velle. Multa tamen bona facit ignorans, aut inuitus; quæ non illi imputanda sunt, sed ei, à quo bona cuncta procedunt: qui per suam sapientiam etiam malis diaboli nouit bene vti. Sicut enim medicus ad extrahendum sanguinem superfluum & noxium ab homine, vtitur plerũque sanguisuga; sic divina pietas ad subtrahendũ nobis noxium carnale desiderium, vtitur inimici nostri nequitia. Et sicut sanguisuga non curat de salute hominis, sed de potu sanguinis; sic diabolus nõ curat de curatione peccatoris, sed gaudet tantum de afflictione. Nullum ergo bonum potest diabolus: nullum quoque malum, nisi permissus. Quidquid autem ex alterius pendet arbitrio, non eius est qui deorsum facit, sed eius, qui desursum permittit. Qui autẽ nec bonũ nec malũ facere potest, nihil omnino potest. Ideo sacerdos insufflat in faciem pueri, vt ostendat eũ nihil amplius posse puluere, vel pluma, vel palea. Nam diabolus est puluis sibi non cohærens, arefactus penitus à gratia Dei, proiectus à facie terræ viuentiũ vento inflationis propriæ, & turbine indignationis divinæ. Pluma est etiã, quia superbia ei actus; palea, quia æterno igne vrendus. O quàm facile est contra tam infirmum pugnare adversarium, maximè illi, cui Deus omnipotens suffragatur. Item diabolus nihil scit. Omnis enim sapientia in timore Domini esse definitur, qui omne malum cauere facit. Diabolus ergo qui factus est, vt nullum timeat, nec ipsum Deum, omni sapientia vacuus est, & fatuus, & insulsus. Ideo in secundo catechismo ponitur sal benedictum in ore pueri, vt per sal timoris Domini sciat expellere suggestiones fœtidas dæmonis insulsi. Hoc est sal fœderis Domini, quod in omni sacrificio ponendum est, juxta illud Iob. *Verebar omnia opera mea, sciens quòd non parceres delinquenti.* Simus ergo semper memores huius salis, quod in inferiori palatio magni Regis comedimus. Væ illis, qui omnes terras sciunt, & salis huius memoriam perdiderunt. Seruus enim sciens voluntatem Domini sui & non faciens eã, vapulabit multis. Propterea nihil infelicius diabolo, qui optimè nouit voluntatem Domini, & tamen semper contrarium agit, non inuitus nec ignorans; sed ex malitia malo adhæret, & abhorret à bono. Sicut enim bufo non potest pati odorem bonum vineæ florentis, & sus non potest non diligere fœtorem sterquilinij; sic Satanas, quamuis habeat aureum circulum discretionis in naribus suis, tamen rostrum electionis semper infigere delectatur in sterquilinio peccatorum. Ideo in tertio catechismo sacerdos aures & nares baptizandi saliua sua cũ signo crucis inungit, vt sciat appetitus odore reprobare malum, & eligere bonum: non sicut ille miserrimus, qui seipsum iudicat, in eo quod probat, iuxta illud Poëticum *Video meliora, proboque, Deteriora sequor.* Hæc ergo interrogatio, *Credis in Deum Patrem omnipotentem &c.* quasi probatio quædam est eius interrogationis, in qua quæsitum fuerat, *Abrenuntias Satanæ, & omnibus operibus eius &c.* Nemo enim potest his duobus dominis tã contrariis seruire. Abrenuntiat ergo diabolo, qui semper timet Dei summam potentiam, quæ nos creauit. Et qui credit diabolum nihil posse, abrenuntiat omnibus operibus eius; qui semper honorat Dei sapientiam, quæ nos redemit; & qui credit diabolum nihil scire, id est nullam vtilẽ scientiam habere, abrenuntiat omnibus pompis eius. Qui semper diligit Dei iustitiam, quæ nos in filios adoptauit; credit etiam diabolum nihil boni posse alicui conferre. Et hoc est credere in Deum Patrem, & in Iesum Christum, & Spiritum sanctum. Quod autem subditur, Credis in S. Ecclesiam, sic est intelligendum. Credis vnã esse Ecclesiam per totum mundum diffusam, per fidem in dilectione operantem, æterno & infe-

Ceremonia Baptismi.

Iac. 4.

Diabolus crocodilo similis.

1. Petri. 2.

Demõ quã infirmus sit.

Iob 9.

Nihil infelicius diabolo.

Osee 2. parabili connubio Deo conjunctam? Ipse enim dixit. *Sponsabo te mihi in fide; & sponsabo te mihi in justitia.* Quasi diceret. Sponsam meam te faciam; sed hoc dabis mihi dotis nomine, fidem & justitiam. Sed quoniam nec hoc dare poterat Ecclesia sponso suo, nisi acciperet prius ab eo, *Ibidem* subjungit. *Sponsabo te mihi in misericordia & miserationibus.* In misericordia, remittendo peccata; in miserationibus, conferendo merita. Est ergo sensus. Credis in S. Ecclesiam, idest credis neminem posse saluari, nisi in vnitate corporis Ecclesiæ fideliter permanentem? B. Augustinus apponit præpositionem *in*, nos autem solemus dicere, *Credis S. Ecclesiam*? Vnitas autem Ecclesiæ quadripertita est; in fide contra hæreses, in caritate adversus schismata, in sacramentorum communione, in Spiritussancti vegetatione. Sanctorum verò communio tria comprehendit, Sacramentorum communicationẽ, Spiritussancti participationem, orationũ communitatẽ. Cùm ergo dicitur baptizando, Credis sanctorum cõmunionem, sensus est, credis orationũ & bonorum communicationẽ mutuam inter fideles. Sicut autem respondens Credo, significat se abrenuntiare operibus Satanæ; sic declarat se pompis eius abrenuntiare, quando interrogatus affirmat se credere remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, vitam æternam. Hæ sunt enim pompæ Christiani, pompis diaboli valde contrariæ. Omnis enim ambitio, omnis gloria Christiani in his consistit. Prorsus nil aliud ambiri debet, quia nil maius aut melius possideri potest. Ecce qualis est conditio, sub qua quilibet fidelium se meminit baptizatum, & in Templum Dei dedicatum. Quam conditionem qui non seruauerit, peribit: qui verò seruauerit, sicut modò vngitur ad conflictum contra hostem pugnaturus; sic in secũda dedicatione sua vngitur ad fomentum & refrigerium, tamquã peregrinus de laboriosa via regrediens, & ex itinere fatigatus; vngendus & in tertia ad regnum, sine fine cum Christo regnaturus. In huius rei typũ primò vnctus est Dauid in Bethleem, in medio fratrum suorum: secundò in Hebron super Iudam solum; tertiò in Ierusalem super Israël vniuersum. In Bethleem vngitur, qui verum cibum animæ justitiam esurit. In Hebron vbi Abrahã sepultus est, qui jam in pace dormit, & sepult' in sinu Abrahæ, singulariter in spe requiescit recipiendæ duplicis stolæ, stola prima & candida iam indutus. Vngitur in Ierusalem, qui iam de proximo pacem æternam conspicit, qui iam tenet quod sperauit. In medio fratrum suorum vngitur, qui adhuc in fraterna versatur acie. Super solum Iudam vngitur, qui iam conuertitur in requiem suam, & super exceptione sua confitetur Domino, illud Dauidicum canens. *Conuertere anima mea in requiem tuam*, &c. Super Israël vniuersũ vngitur, qui iam cœtibus Angelicis aggregatus gloriam humanitatis Christi videt oculis glorificati corporis, & gloriam diuinitatis oculis mundi cordis. Prima dedicatio violari potest, secunda & tertia inuiolabiles sunt: quia ab omnibus adversis & periculis eximuntur. In prima datur impunitas à peccatis præteritis, in secũda immunitas ab omnibus periculis. in tertia securitas in omnibus bonis. Sed aliis omissis, de prima quod incepimus exequamur. Dedicare est nouitatem alicuius domus in vsum sanctum & celeberrimũ deputare. In baptismo noui efficimur, quando veterem hominem cum suis actibus exuentes, induimus novum, qui secundùm Deũ creatus est in iustitia & sanctitate veritatis. Ad hos vsus sanctitatis & iustitiæ, pacis & sanctimoniæ, nostræ dom' nouitas consecratur. In cuius rei significationem baptizatus mox vestibus albis induitur, & oleo sacro in vertice innungitur, ac si ei voce Salomonis dicatur. *Omni tempore vestimenta tua sint candida, & oleum de capite tuo non deficiat*: id est corpus tuum plenum sit sanctimoniæ munditia, & pacis suauitas de mente non pereat. Quod præceptum si bene custodieris, in futuro stola immortalitatis & gloriæ indueris; quod tibi præfigurat noua vestis candida: & oleo lætitiæ innungeris, & honore regni donaberis, quod tibi præsignat sacra capitis innunctio. Sed quid faciemus, quid dicemus de minis illis terribilibus, quas intentat Paulus dicens, *Si quis violauerit templum hoc, disperdet eum Deus*? Et quis est, qui tẽplum Dei post dedicationem primam non violarit, nisi qui possit cum Paulo dicere, Nihil mihi conscius sum, & cum B. Iob, Non me reprehendit conscientia mea in tota vita mea? Tam beatæ vocis pretiosa raritas quotocuique contingit? Quid ergo? Peribũt omnes alij? Absit. Nam tenemus certam promissionem Dei dicentis. *Cùm auerterit se impius ab impietate sua*, &c. *ipse animam suam viuificabit*. Et B. Joannes, *Si quis peccauerit, aduocatũ habemus apud Deum Iesum Christum iustũ. & ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* Et Paulus ipse illi, qui templum dei violaverat, & turpitudinem patris sui reuelauerat, ob pœnitentiam quæ secuta fuerat, peccatum in persona Christi donauit. Vbi est ergo ô beate Apostole, quod generaliter prius intonueras, *Si quis templum Dei violauerit, disperdet illum Deus*? Ecce huic violatori promittis veniam. Non ergo si quis templum Dei violauerit, & postea pœnituerit, disperdet illum Deus. Quare? Quia restaurauit quod violaverat; ideoque nec dicitur violasse. Vnde Dominus de impio ad iustitiam conuerso, *omnium*, inquit, *iniquitatum eius non recordabor*. Sic igitur sunt omnes iniquitates impij pœnitentiam agentis, quasi nũmquam fuerint. Vnde iterum dicit. *Conuertimini & agite pœnitentiam. & non erit vobis in ruinam iniquitas.* Certè si non erit in ruinam, non erit: quia non potest esse, & non esse in ruinam. Iterum. *Ego sum, qui deleo iniquitates vestras.* Quod scriptum erat, postquam deletum est, non est. Vnde Ambrosius super illum locum. *Talis est via mereetricis*, &c. Dicit non sum operata malum. Non dicit soluta sum, dimissa sum, lota sum, sed fidenter loquitur, non sum operata malum. Non sum quæ fueram. *Alia facta per te, qui vertis impiũ, & generis.* Item Hieronymus super Oseæ. *Hoc interest inter coniugium hominis. & coniugium Dei. Homo ex virgine facit matrem. Deus ex corrupta virginem.* Multa dicuntur non quæ sunt, sed quæ fuerunt, vt Simon leprosus dicebatur, postquã curatus fuerat. Et virga Aaron deuorauit virgas magorum, idest draco dracones. Sic in Zacharia. *Quid est bonum eius. & quid pulchrum eius? Nonne frumentum electorum, & vinum germinãs virgines?* In his virginibus non solùm carnis corruptio, sed & omnis memoria, & omne vestigium corruptionis perit. Ideo dicebat Apostol', *Despondi vos vni viro virginem castam exhibere Christo.* O quanti in eis erant, qui templum Dei violauerãt, sed quasi non fecisse dicuntur, postquam per pœnitentiam sunt mutati. Quia

Marginalia: *Vnitas Ecclesiæ in 4. sita est.* — *Tres vnctiones Dauidis quid designent.* — *Psalm. 114.* — *Eccle. 9.* — *1. Cor. 3.* — *Pauci sunt, qui baptismum non violent.* — *1. Cor. 4.* — *Iob 27.* — *Ezech. 18.* — *1. Ioann. 2.* — *Ezech. 18.* — *Isai. 43.* — *Prove. 30.* — *Ambros lib de Salom. in fine.* — *Hiero. in c. 2. Oseæ* — *Zachar. 9.* — *2. Cor. 11.*

ergo nostra dedicatio multis periculis exponitur, & frequenter ab hostium insidiis & violentiis violatur; Deus noster misericors & miserator & iustus suspendit ad tempus vltionis iudicium; vt si fortè restauratum fuerit per pœnitentiam quod violatum est per culpam, non inferatur ad vindictam, quod comminatum est ad cautelam. Hanc autem restaurationem pœnitentiæ significat vsus sanctꝰ & celeberrimus Ecclesiæ dedicatæ. Duo namque sunt opera, quæ maximè in Ecclesia celebrantur, orationes & oblationes. Et audite causam pulcherrimam, quare. Propter iniquitates nostras irascitur nobis Deus, quia summe bonus est, & omne malum odit. Propter iustitiam suam nobis peccantibus aduersatur, quia summè justus est, & nullum malum impunitum relinquit. Quia ergo nobis irascitur, oratione deprecandus est: quia nobis aduersatur, oblatione placandus. Hæc sunt duo potentissima suffragia, quæ in causis secularibus requiruntur, eloquens aduocatus, & procurrator magnificus. Primus captat favorem Iudicis, secundus placat furorē indignātis. Aduocati vicē supplet oratio, procuratoris oblatio. Nomine autem oblationis etiā sacrificia comprehendo. Omne namq; sacrificiū offertur; sed non omnis oblatio sacrificatur. Sacrificiū propriè ad animata pertinet; oblatio propriè ad inanimata: & tamen vnū pro altero in Leuitico ponitur. Duobus autē modis solet placari Iudex, munere, & vltione. De primo habes. *Munus absconditum avertet iram, & donum in sinu indignationem maximam.* Item. *Donum hominis dilatat viam eius, & ante principes spatium ei facit.* De secundo. *Stetit Phinees & placauit, & cessauit quassatio.* Et Apostolus. *Si nos ipsos iudicaremus, non vtique iudicaremur.* Oblatio ergo hic significat jeiunium & eleemosynā. Ieiunium pro sacrificio vel vltione, elemosynam pro dono vel munere. Oratio est omnis sancta cordis affectio in Deum, mente aut etiam voce expressa. Eleemosyna est omnis beneuolentia seu beneficentia in adiutorium proximi propter Deum collata. Iejunium est omnis voluntaria corporis castigatio, in vltionem peccati propter Deum assumpta. Oratio ergo, jeiunium, & eleemosyna efficacissima sunt, & potentia ad placandum Deum. Felix ille debitor & sapiens, qui tam magna redimit tam paruo pretio. Hæc sunt tria illa Magorum munera; aurum eleemosynæ, thus orationis, myrrha jeiunij; semper ad templū Dominici corporis, quod nos sumus, deferenda: quia hæc semper à fidelibus actitanda sunt. Sed videte fratres, ne seducamini, præsentantes hęc munera sine pace & sanctimonia: qui sūt illi duo vsus celeberrimi, de quibus priùs locuti sumus: & ad quos specialiter nostra domus dedicata est à Filio Virginis acceptari. Nullo enim pretio possunt peccata redimi, nec ipso Christi sanguine, nisi relinquantur. Nam vt ait Salomon, *Non acquiescet cuiusquam precibus, nec suscipiet pro redēptione dona plurima.* Et Iob. *Non credat frustra errore deceptus, quòd aliquo pretio redimendus sit.* Vnde Gregorius. *Qui ita eleemosynam tribuit, vt culpam non dimittat, animam non redimit, quam à vitiis non compescit.* Ieiunare quoque à cibo, nisi jeiunetur & à vitio, nihil omnino prodest, iuxta illud Isaiæ. *Quare jeiunauimus, & non aspexisti, humiliauimus animas nostras, & nescisti?* Audite quare. *Quia in die jeiuny vestri inuenitur vestra voluntas: Ecce ad lites & contentiones jeiunatis: & percutitis pugno impiè.* Nonne hoc est jeiunium quod elegi? *Dissolue colligationes iniquitatis solue fasciculos deprimētes.* Ecce hic apertè dicit, quòd nec corporis castigatio, nec eleemosynæ largitio aliquid prodest; nisi priùs peccata relinquantur. Quisquis ergo à peccato non abstinens, in jeiunio, vel eleemosyna, vel oratione confidit, similis est Iudæis, qui in verbis mendacij confidebant, dicentes, Templum Domini, templū Domini, templum Domini est. Hoc dicebant illi vanè confidentes in externo ornatu parietum, in inani strepitu verbosarum orationum, in legali ritu sacrificiorū: quasi dicerent Prophetis. Frustra nobis vaticinamini, templum istud destruendum esse: non enim destructur, quia templū Domini sanctum est, in quo tantæ fiunt quotidie orationes à populo, non destructur, quia templum Domini est etiam Gentilibus reuerendum, & solum est, in quo quotidie offeruntur sacrificia.

In Ecclesia maxime celebrantur orationes & oblationes.

Proverb. 21. Ibidem c. 18

Psalm. 105.

1. Cor. 11.

Magorum munera tria sunt virtutes

Prouerb. 6. Iob. 15.

Isai. 58.

Ibidem

Ierem. 7.

Reliqua huius sermonis desunt, pauca vt apparet.

Sermo De potestate & probitate Ecclesiæ

GRAVE jugum super filios Adam, granem miseriam conditionis humanæ recognoscens Apostolus humiliter in seipso, & deplorans eam, *Scio,* inquit, *quòd non habitat in me, hoc in carne mea bonum. Velle enim adiacet mihi, perficere autē bonum nō inuenio.* Et paulò pòst. *Mente seruio legi Dei, carne autem legi peccati.* Et infra. *Sapientia carnis inimica est Deo; legi enim Dei non est subjecta, nec enim potest.* Hic quæritur, quare non potest? Respondeo, quia originaliter in Adā maledicta est. *Maledicta terra in opere tuo,* ait Deus ad Adam. Hæc maledictio terræ, fuit etiam maledictio carnis humanæ, quæ de terra sumpta est, in omni posteritate Adæ. Quam maledictionem inflixit ei Deus misericors & iustus, misericorditer & iustè; vt dum caro concupisceret adversus spiritum, eundem spiritum erudiret ad bellum. Propter hoc enim bellum ingemiscebat Apostolus dicens. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Ac si apertiùs dicat. Donec exeam de corpore mortis huius, non sum inuenturus à labore requiem: quia nec habiturus cum carne mea pacem. Si ergo terra nostra per primæ transgressionis humiliandæ superbiam, cùm simus inutiles, illam operantibus tantum spinas & tribulos germinare non cessat; quid, putatis, factura est, si per negligentiam nostram inculta remanserit, & eam non fuerimus operati? Planè quod ait Salomon. *Per agrum hominis pigri transiui, & per vineam viri stulti; & ecce totum repleuerant vrticæ, operuerant superficiem eius spinæ.* Vrtica dicitur ab vrendo, iuxta illud.

Hortos talpa fodit, digitos vtica peruritt.

Vrticæ sunt prurientia carnis desideria, quæ dū corporales delicias sensibus contrectant corporis, & ad blandos voluptatis aculeos malè fornicantem carnis pruriginem scalpēdo, quasi mētis humanę digitos vrticarum mole suarum superflua contrectatione perurit. Huic prurituí optimè satisfecit noster ille gratia Benedictus & nomine, qui dū inflammante diabolo noua & insolita carnis prurigine à suis cogitationibꝰ scal-

Rom. 7.

Genes. 7.

Carnis concupiscentia hominem ad bellū erudit.

Prouer. 24.

pente, maluit carnem suam spinis & vepribus, quàm animam carnis delectationibus vlcerari. Spinæ sunt mundanarum curarum pungentes solicitudines huius mundi, quæ pungunt & lacerant discerpunt & cruentant. Sed miseri, quorum sensus ad amorem obdulcantur, punctiones suas non sentiunt: & ideo cruentati non dolent, sed sub sentibus esse delicias computant; & semẽ verbi Dei in suis cordibus suffocant; sterilem pascunt, & viduæ non bene faciunt: & sic in carne sua seminantes spinas modò seminant, ignem in judicio collecturi. Ecce qualis est fructus terræ. quæ non colitur, sed deserta in desertum redigitur, Ad hoc periculum de terra Ecclesiæ submouendum, magnus ille Paterfamilias manè seculi vsque ad nostrum vespere non cessat mittere operarios in vineam suam, qui spinas & vepres in eis succrescentes, mox vt oriri cœperint, radicit⁹ amputare festinent. Hoc est enim, quod Ieremiæ dicitur, in persona omniũ cultorum vineæ Domini. *Ecce constitui te hodie super gentes & regna, vt euellas, & destruas, & disperdas, & ædifices, & plantes* Omnis Prælatus Ecclesiasticus super gẽtes & regna à Domino constituitur: quia multitudini secularium, & potestati Regum ac Principum à Domino præfertur. Sic enim Dominus ab initio ordinauit, vt omnis dignitas secularis, & mundana potestas Ecclesiasticæ dignitati subiecta sit, & ab ea tamquã à superiore inferior, & à potiore indignior regatur. Maior est enim qui benedicit, quàm qui benedicitur. :quia qui benedicit, vicem Creatoris obtinet, qui in principio mundi creaturis animantibus benedixit dicens. *Crescite & multiplicamini.* Nõ benedicitur autem Sacerdos à Principe, sed Princeps à Sacerdote; sicut summus Sacerdos Dei Melchisedech summum Patriarcham Abraham, virum sanctissimum benedixit. Denique non solùm apud Iudæos & Christianos, sed apud Ethnicos id moris & juris semper legitur extitisse, vt cũctis honorum gradibus summũ Sacerdotium præferretur. Augustus Cæsar Imperatorum maximus, tamdiu sacrorum Pontificibus subiectus fuit, donec ipse à Senatu Vestalis Pontifex creatus fuit: ne quis illo honoratior haberetur. Plutarchus Philosophus Trajani Principis institutor & Doctor, dicit Rẽpublicam esse velut quoddã corpus diuini muneris beneficio animatum, quod summæ motu æquitatis agitur, & rationis moderamine gubernatur. Caput huius corporis Princeps est. Qui autem diuino cultui & Religioni præsunt, tãquam ejusdem corporis anima suscipiendi & honorãdi sunt. Hinc manifestè colligitur, quòd quantum præcellit anima corpori, tantum Sacerdos Rẽgi, Audiant igitur Reges terræ, & mũdi Principes, & omnes seculi potestates; & æquis auribus audiant, quòd sic ordinauit Dominus, vt illis præsideant Sacerdotes. *Ecce*, inquit, *constitui te hodie super gentes & regna.* Audiant autem Sacerdotes & Prælati, ad quod constituti sint; *vt euellas & destruas* &c. Vt evellas malum; quod radicatum est, destruas malum quod jam constructum est; disperdas malum quod jã aggregatum est; dissipes malum quod fortiter munitum est. Radicatio pertinet ad voluptatis propositum, constructio ad operis effectum, cõgregatio ad consuetudinis vsum, munitio ad obstinationis duritiã defendentem peccatum suũ, vel de eo gloriantem, vel alios corrumpentem per exemplum. Ait ergo, Constitui te, vt evellas vitium; quod iam radices fixit, & destruas quod mali operis perpetratio iam construxit, & disperdas quod per prauã consuetudinem jam inoleuit. Mala voluntas bona voluntate evellitur, malum opus opere bono destruitur, mala consuetudo bona consuetudine superatur & disperditur, mala vitiorum pertinacia bona virtutis perseuerantia dissipatur. Doce igitur & prædica, quod mala malè radicata evellit contritio, malè constructa destruit confessio, malè congregata disperdit satisfactio, malè munita dissipat perseuerantiæ fortitudo. Hæ sunt quatuor partes pœnitentiæ, sine quibus non fit reuersio de malo ad bonum, de diabolo ad Deum. Et fortassis hæc sunt quatuor *Reuertere*, quibus reuocatur Sunamitis in Cantico Canticorum. Primò enim reuertimur ad cor per considerationem & contritionem, quasi de agresti quodam loco, & de eremi solitudine ad domum, quam Iacob vir simplex dicitur habitasse. Secundò reuertimur de corde ad os per confessionem, quasi de domo ad templum, vt ibi confiteamur Deo, benedicamus Dominum, & gloriam demus ei, nosmetipsos accusando, & eum iustificando: quia scriptum est. *Et in templo ejus omnes dicent gloriam.* Item. *Ore confessio fit ad salutem. Os meum annuntiabit iustitiam tuam.* Tertio reuertimur de ore ad corpus, de sermone ad opus per satisfactionẽ, quasi de templo ad agrum; vt quod ore promisimus, opere compleam⁹, & reddamus vota nostra, quę distinxerunt labia nostra. De hoc agro scriptũ est. *Diligenter exerce agrum tuum, vt postea ædifices domum tuam.* Vel quasi de templo ad bellũ, vt contra carnis vitia fortiter pugnemus. Vnde. *Ascendere feci fœtorem castrorum vestrorum in nares vestras, & non estis reversi ad me.* Fœtor castrorum est fœtor corporum in luxuria putridorum, & infamia criminosorum. Quarto reuertimur de corpore ad mortem, per satisfactionis & cautelæ perseuerantiam, quasi de labore ad requiẽ, de opere ad mercedem, de bello ad pacem, de castris ad ciuitatem. De prima reuersione scriptum est. *Redite prevaricatores ad cor.* De secunda in Evangelio. *Reuersus dixit Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei, Pater peccaui in cælum & coram te.* De tertia. *Si reuertamini & quiescatis, salui eritis.* De quarta. *Virgo Israel reuertere in ciuitates tuas.* Sicut vna Ecclesia, & plures Ecclesiæ, sic vna cælestis ciuitas, & plures ciuitates; propter plures Sanctorũ ordines. De omnibus pariter est illud. *Quatuor animalia ibãt, & reuertebantur in similitudinem fulguris coruscantis.* Nihil velocius fulgore coruscãte. Sic sũt omnes istæ reuersiones. Velox cõsideratio velocem contritionem generat, velox contitio velocem confessionem, velox confessio velocem satisfactionem, velox satisfactio velocem perseuerantiam: quæ etsi fortassis longa sit in multitudine, breuis tamen reputanda est mentis humilitate in comparatione præmij, sine fine percipiendi, iuxta illud. *Videbantur ei pauci dies, præ amoris magnitudine.* Et illud. *Id quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operabitur in nobis.* Sequitur. *Vt ædifices & plantes.* Ædifices quidem aurum & argentum, & lapidem pretiosum multum. Naturale reperies fundamentum, animum paratum & dispositum ad bonum suscipiendum. Hæc materia non timet ignem. Ligna, fœnum, stipula ideo ędifi-

Marginalia: Ierem. 1. — Genes. 1. — Sacerdotum dignitas etiã apud Ethnicos. — Ierem. 1. — Cant. 6. — Quatuor reditus de malo in bonum. — Psalm. 28. — Rom. 10. — Prouerb. 24. — Ioel 2. — Isai. 26. — Luc. 15. — Isai. 30. — Ierem. 31. — Ezech. 1. — Genes. 29. — 2. Cor. 4.

cauda non sunt, quia per ignem transire habent, & in igne perire. Hæc sunt venialia. Mortalia enim peccata non sunt lignum, fœnum, stipula; sed plumbum, æs, & ferrum: & huiusmodi peccata fundamentum fidei non solùm deturpant, sed etiam destruunt. Est enim duplex impietas, idest infidelitas, non credendi, & non obediédi. Vnde Samuel. *Quasi peccatum ariolandi est repugnare: & quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere.* Et Apostolus. *Qui suorum, & maximè domesticorum curam non habet, hic fidem negavit, & est infideli deterior.* Lignum hoc loco significat quamdam cordis rigiditatem, fœnũ carnis mollitiem, quia omnis caro fœnum, stipula animi leuitatem. Lignum ædificat, qui ad dimittendum rancorem animi rigidior est, ad miserendum durior, parcior ad dandum: dimittit tamen, & miseretur, & dat, sed tardiùs & difficiliùs quàm debet. Nam qui omnino non dimittit, non ædificat lignum, sed ferrũ. Non enim venialiter peccat, sed mortaliter. Fœnum ædificat, qui ad corpus castigandum pigrior est, ad fouendum pronior. Stipulam ædificat, qui ad silentij grauitatem inexercitatior est, ad risum & otiosa verba facilior & promptior. Aurum autem ædificat, qui Deum & proximum perfectè diligit, cuius perfecta caritas foras timorem mittit: cuius fides probatur per tentationem sicut per ignẽ aurum, qui tentatus & probatus potest dicere cum beato Laurentio. *Igne me examinasti, & non est inuenta in me iniquitas.* Aurum quilibet ædificat, cui datur sermo sapientiæ de diuinis ad instructionem fidei, & ædificationem morum. Argentum ædificat, cui datur sermo scientiæ de terrenis, ad solertem prouidentiam mundanorum in vtilitatem proximi. Melius autẽ argentum ædificat, qui castitate nitet: qui casta Dei eloquia castè servat, & castè docet: qui in laudibus Dei, in psalmis, hymnis, & canticis spiritualibus, nocturnis ac diurnis officiis, cantando & psallendo se strenuè exercet. Lapides pretiosi nitidi sunt & solidi. Nitor eorũ puritatem conscientiæ significat: soliditas patientiæ firmitatem, Lapides igitur pretiosos ædificat, qui omni custodia seruat cor suum; nec conscientiæ puritatẽ amittit in prosperis, nec patientiæ firmitatem in aduersis. Sed hic oritur non contemnenda quæstio, Nam si ligna, fœnum, stipula peccata venialia significant, sine quibus vita præsens non ducitur: cur non dicuntur similiter Sancti ædificare ligna, fœnum, stipulam, sicut ceteri; cùm sine talibus vitam non ducant? Sed verbum ædificãdi multitudinem venialium significat. Non enim ex vnico ligno vel stipula ædificium construitur, sed ex plurimis simul adunatis. Sancti autem & perfecti, quia etiam venialia quantum possunt cavent: ideo non contrahunt ex illis tantam multitudinem, vt ædificium possit appellari. Item iusti quotidianas offensas quotidianis bonorum operum sacrificiis redimunt, & ideo de ipsis offensis ædificium nullum construunt. Quia autem multa bona opera congregant, ideo aurũ, argentum, & lapides pretiosos ædificant. Ædifices, inquit, & plantes: in terra scilicet cordis & corporis parata, purgata, & impinguata. Ibi plãta fidei, germina & plantaria virtutum, vt sit in domo Domini hortus deliciarum in suavi iucunditate communiter viuentium: hortus nucum in duritia & austeritate pœnitentium: hortus aromatum in feruẽti cogitatione Deum amantium: lilium conuallium in nitenti castitate humilium: paradisus pomorum omnium in dulcedine spiritus æterna prælibantium, & spirantium bonæ opinionis odorem. Sicut enim plantauit Deus paradisum voluptatis ab initio, in quo posuit hominem, qui ibi habitaret & deliciaretur: sic homo in se debet plantare hortum voluptatis, in quo Deꝰ tamquã in deliciis assiduè versetur. Sic enim ait. *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum.* Et in Apocalypsi dicitur pulsare ostium, vt introeat & cœnet cum homine. Quid est autem, quòd pro deliciis ducit habitare nobiscum? Audi Zachariã. *Quid bonum eius, quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?* Frumẽtum Electorum Christus est, qui se frumentum appellat: vinum germinans virgines Spiritus sanctus: qui germinat virgines, cùm infundit cordibus amorem castitatis, sanctimoniæ, & puritatis. Frumentũ dicitur à fruendo. Quomodo autem Electi fruuntur Christo? Per caritatem fraternitatis: si eam sibi inuicem casto impendant amore, Nec enim possunt frui hoc frumento, nisi fruendo & hoc vino, quod de Christo vite procedit. *Cùm venerit*, inquit, *Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit*, &c. De frumento panis conficitur: de caritate fructus pacis generatur. Vnde. *Ego sum panis viuus, qui de cælo descendit.* De cælo nihil descendit mortuum, nihil insulsum, nihil insipidũ. Pax sine sanctimonia panis est, sed panis mortuus, insulsus, insipidus; panis de mundo, non de cælo. Non quomodo mũdus dat, ego do vobis. Mundus dat pacem sine sale, non sic ego; sed dico vobis. Habete sal in vobis; & pacem habete inter vos. Non potest ergo frumentum electorũ esse sine vino, quod germinat virgines. Nam si sine illo sit, erit frumentum reproborum, non electorum. Paulus ad Philemonem. *Ego te fruar in Domino.* Non sic fruuntur se inuicem, de quibus scriptum est. Magna inter molles concordia. O quàm pulchra est casta generatio cum caritate. Hæc est bonum Dei, hæc pulchrum Dei, casta caritas, & cara castitas. Factus est in pace locus eius: sed & in sanctimonia similiter. Deus author pacis & amator dicitur. Sãcti eritis, quoniam ego sanctus sum. Tu autem in sancto habitas, laus Israel Et iterum, Deus in sancto via tua. Deus meus impolluta via eius. Nil placitũ sine pace. Ideo *Pacem habete*, ait Apostolus, *& Deus pacis & dilectionis erit vobiscũ.* Sed de qua pace loqueretur aperuit, quando ait. *Pacem sequimini cum omnibus, & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum.* Non enim vocauit nos Deꝰ in immunditiam, sed in sanctificationem, quę est Deꝰ, non Deus dissẽsionis, sed pacis. Exhibiturus est sibi Deus Ecclesiã gloriosam, non habentem maculam aut rugam flagitij aut facinoris, vel aliquid huiusmodi. Igitur deliciæ Dei nil aliud sunt, quàm munditia corporum, & pax animorum Ille igitur Prælatus sive prædicator plantat Deo hortum voluptatis & deliciarum, qui verbo & exemplo pacem & sanctimoniam plantat in cordibus & corporibus audiorum. Ecce hoc est opus Evangelistæ; ecce quare mittuntur ad nos toties Legati à latere Domini Papæ: vt scilicet euellant & destruant, & ædificent & plantent. Sed quid est, quòd Propheta quatta tristia, & duo tantùm læta subiungit: nisi quòd quotidie iniquitatis abundante diluuio, & refrigescente magis caritate multorum, duplex labor jã necessarius

Marginalia: 1. Reg. 15. — 1. Timot. 5. — Psal m. 16. — *Quinam aurum ædificet, argentum, &c.* — *Cur non ædificent iusti stipulam. &c.* — Prouer. 8. — Zachar. 9. — *Christus frumentum Electorum.* — Ioann. 14. — Ioann. 6. — Marc. 9. — 1. Cor. 13. — Hebr. 12. — *Quæ sint Dei deliciæ.*

necessarius est in rescindēdis vitiis, quàm in virtutibus inserendis? Repleta est terra iniquitate non est veritas, non est misericordia, non est scientia Dei in terra: maledictum & mendaciū homicidium, & furtum, & adulterium innundaverunt, & sanguis sanguinem tetigit. Vnde hoc nisi quia juxta Poëtam, Neglectis vrenda filix innascitur agris? Non possunt autem virtutes plātari vel inseri, nisi vbi prius vitia fuerint extirpata. Vnde Boëtius de Consolatione. Quis serere agrum ingenuum volet? liberet arua Priùs fruticibus, falce rubos ac filicem resecat, &c. Nonne hoc & Scriptura? *Declina à malo, & fac bonum.* Et iterum. *Quiescite agere perversè, discite bene facere. Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris. Qui diligitis Dominū, odite malum*: idest ab hoc gradu dilectionis incipite. Primus enim gradus dilectionis Dei est odium peccati: qui gradus in tres partes diuiditur; in pœnitentiam peccati præteriti, in eradicationē præsentis, idest renascētis, in declinationem futuri. Horum autem omnium nihil potest fieri sine sarculo disciplinæ, de quo dicit Isaias. *Omnes montes, qui in sarculo sarrientur, non veniet illuc terror spinarum & veprium.* Sarculus iste disciplina est: ad quam pulchrè nos inuitat Paulus, *In disciplina*, inquit, *perseuerate, Tamquam filiis vobis offert se Deus. Quis est autem filius, quē non corripit pater? Quòd si extra disciplinam estis, cuius participes facti sunt omnes; ergo adulteri & non filij estis*, &c. Ex his verbis Apostoli potest disciplina sic describi. Disciplina est paternæ correptionis filialis susceptio; quæ consistit in duobus, in discreta & naturali dispositione præsidētium, & voluntaria & humili obedientia subiectorum. De quibus est elegans illa Plauti sentētia *Duo sunt genera potestatum, vnū quod jubet, alterum quod obsecundat, sic reguntur omnia.* Et addit. *Præclarior illa maiorum; sed minorum sæpe maior est gratia. Itaque & inuidia & sumptu euitatis, sperate ab inferioribus.* Ecce vir eloquentissimus obedientiam & subiectionem potestatem appellat; reuera potestas est, & maxima. Multò enim potentius est obedire & subjici, quàm imperare & dominari. Tantò vtique potentius, quantò difficilius est facere, quàm dicere. Nihil enim dicto facilius. Ideo omnis sapiens, omnis verè Christianus magis ambire solet ad humile subiectionis obsequium, quàm ad sublimē prælationis gradum: quia reuera potentiorem facit humilis subiectio, quàm sublimis prælatio. Pulchrè igitur nos sperare iubet ab inferioribus, vbi maior quies, maior gratia; minor sumpt⁹, & minor inuidia. Beatus Cyprianus disciplinam sic describit. Disciplina est ordinata morum correctio, & maior præcedentium regularum obseruatio. *Hæc est*, inquit, *tunica Christi: qui extra istam est, alienus est à corpore Christi.* Non scindamus eam, sed sortiamur cuius sit: idest non solnamus quidquam de mandatis Domini, nec de mandatis præpositorum Ecclesiæ ab eo constitutorum, quibus ipse dicit. *Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit.* Hinc est, quòd idem beatus Martyr vltimum & pessimum abusionis gradum dicit esse plebem sine disciplina. Quid est autem plebs sine disciplina, nisi plebs, quæ maiorum imperio regi se non patitur: sed infrænis & erronea per devia raptatur; cùm dimissa propriæ voluntati, velut quoddam animal agreste & indomitum, libertate noxia per campos licentiæ præceps & vagabunda discurrit? Vnde scriptum est. *Vir vanus in superbiam erigitur; & quasi pullus onagri se liberum natum putat.* Talis erat Durio ille Tribunus plebis, quē Lucius Flaccus & Collega eius Censores Senatu mouerunt; quòd legem de coërcendis sumptib⁹ datam abrogauerat his verbis Arcti frēni nobis iniecti sunt, Quirites, nullomodo perpetiendum: alligati & constricti auaro vinculo seruitútis. Lex enim data est, quæ nos frugi esse juberet. Abrogemus ergo istud horridæ vetustatis rubigine obsitum imperium, & nobis quid opus est libertate, si volētibus perire non licet? O hominem mille mortibus dignum: non modò à Senatus ordine, sed ab omni humano genere submouendum! Nolite fratres, nolite obsecro, esse de talibus. Nolite esse sine disciplina, vt filij Belial, idest absque iugo; qui iuxta Ieremiā fregerunt jugum obedientiæ, & ruperunt vincula disciplinæ; & dixerunt, non seruiemus: quin potiùs, vt ait Psalmista, *Apprehendite disciplinam nequando irascatur Dominus & pereatis de via justa.* Apprehendite disciplinam, tamquam spirituale præsidium, tamquam refugiū singulare. Apprehendite apprehendentem. *Apprehendi te*, inquit, *ab extremis terræ; & à longinquis eius vocaui te.* Extrema terræ, sunt maiora crimina; longinqua minora. Longiùs à Deo sunt qui in extremis terræ, quàm qui in longinquis: & plus est apprehendere, quàm vocare. Apprehendimur manu, vocamur voce, vocamur præcepto, apprehendimur flagello; vbi abundauit peccatum, superabundat gratia. Quid ergo est, apprehensio disciplinæ, nisi jucundissimus complexus sapientiæ? *Quia*, inquit, *vocaui, & renuistis, extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret* Augustinus ad Docelinum. *Sapientia quos primò alligauerit, & exercitatoriis quibusdā laboribus edomuerit, soluet postea, liberatisque pòst donabit adfruendum: & quos primò temporalibus nexibus erudierit, pòst æternis amplexibus alligabit: quo vinculo nec jucundius nec solidius quidquam cogitari potest. Prima hæc aliquantulum dura esse confiteor: illa verò vltima nec dura dixerim, quia iucundissima nec fragilia, quia firmissima. Quid ergo, nisi quod dici non potest, sed tantum credi & sperari, & amari potest? Vincula verò huius mūdi asperitatē habēt numquā, jucunditate nisi falsam, certum dolorem, incertam voluptatem: durum laborem, incertam quietem: rem plenam miseria, spem beatitudinis inanem.* Et addit. *Hisne tu inseris & manus, & collum, & pedes, cum terrenis honoribus subjugari affectas: quò non modò inuitatus, sed nec compulsus ire debuisti?* Ecce Augustinus Plauto consentiens Prælationem jugum appellat, subiectionem & disciplinam libertatem feliciter ligantem. Apprehendite ergo disciplinam, idest suscipite sapientiam pulsantem ad ostium, & dicentem. *Ecce ego sto ad ostiū*, &c. O deliciarum delicias! habere Deum socium & comitem, hospitem & conuiuam Nolite ei auferre delicias suas: ne ipse vobis auferat vestras. Deliciæ eius esse vobiscum. Erit autem vobiscum, si disciplinā apprehenderitis. *Disciplinam Domini fili mi ne abjicias; neque deficies, cùm ab eo corripieris: quem enim diligit Dominus corripit, & quasi pater in filio cōplacet sibi.* O quàm deliciosè habitat pater cum filio! Quid sit autem apprehendere disciplinam, breviter insinuat Apostolus dicēs. *Obedite præpositis vestris, & subjacete illis*, in his, quæ de vobis disponunt,

Psalm. 36. Isai. 1. Luc. 12. Psalm. 96. Isaiæ 7. Hebre. 12. Cyprian. tract. de 12. abusion. Luc. 10. Iob 11. Psalm. 2. Isaia 41. Prouer. 1. Apocal. 3. Prouerb. 3.

Ecce præpositus missus à Domino Papa, Legatus iste nouus, qui novum ad nos attulit disciplinæ sarculum, nouas & multas edidit regulas præceptorum: sed de multitudine regularum nequaquam causabitur, qui spinarum suarum multitudinem resecari æquanimiter patietur. Siquidem in omnibus nobis increuerunt multa non solùm superflua, sed etiam nociva: quæ omnia resecāda sunt, si fructum afferre volumus: nec resecari possunt omnia vnius præcepti falce, sed pluriū. Alioqui quid prodest, vnam spinam resecare, & multas relinquere? Quid te exempta iuuat spinis de pluribus vna? Vna sæpe scintilla contēpta magnum excitauit incendium. Vna spina neglecta magnum aliquoties excreuit in spinetum. Vnde Isaias. *Succensa est quasi ignis, & succendetur in densitate saltus.* Spinam & vepres singulariter dixit, subjungit in plurali sensu de densitate saltus; apertè innuens, quòd neglectus vnius spinæ siluescit aliquoties in condensum saltum nequitiæ. Igitur æquo animo toleremus vitiorum nostrorum non nouam multitudinem noua præceptorum multitudine resecari. Nam ad exhibendam Legato huic debitam reuerentiam, & præceptis eius obedientiam, multùm nos inter cetera inducere debet ipsius modestia præceptoris. Non pompaticè incedit, non sectatur auaritiam, non currit post munera, non nostra quærit, sed nos. In summa non est, vt multi: id est non abit post aurum, nec sperat in thesauris pecuniæ: amator est iustitiæ, zelator animarū, pecuniæ contemptor, illud poëticum memoriter retinens, *Aude hospes contemnere opes, & te quasi dignum finge Deo.* Et illud Senecę. *Nemo alius Deo dignior est, quàm qui opes contemnit.* Nunc igitur hortor, vt audiatis humiliter & deuotè, quæ præcepta vobis transmisit in salutem animarum, & obedientes sitis secundùm meum consilium. Quod vobis præstare dignetur IESVS Christus Dominus noster.

Isai. 9.

EIVSDEM HELINANDI

FLORES A VINCENTIO BELVACENSI COLLECTI.

Præfatio ejusdem Vincentij Belvacensis.

HIs temporibus in territorio Belvacensi fuit Helinandus monachus Frigidimontis, vir religiosus, & facundia disertus; qui & illos versus de morte in vulgari nostro, qui publicè leguntur, tam eleganter & vtiliter, vt luce clariùs patet, composuit; & etiam Chronicam diligenter ab initio mundi vsque ad tempus suum in maximo quodam volumine digessit. Et hoc quidem opus dissipatum est & dispersum, vt nusquam totum reperiatur. Fertur enim, quòd idem Helinandus cuidam familiari suo, scilicet bonæ memoriæ domino Garino Silvanectensi Episcopo, quosdam ejusdem operis quaterniones accommodauerit; sicque siue per obliuionem, siue per negligentiam, siue alia de causa penitus amiserit. De hoc tamen opere, prout inuenire potui, in hoc quoque nostro opere multa per diversa loca inserui. Hic autem etiam quędam eiusdem operis notabilia, quæ nusquam sunt superiùs posita inserere volui, & etiam de quibusdam alijs eius scriptis, vnde flores excerpsi. Scripsit enim, vt legitur, epistolam, cujus titulus est, de reparatione lapsi, missam scilicet ad Galterum clericum, qui fuerat novicius in ordine Cisterciensi, & canonicus in ordine Præmonstratensi, & tandem quasi liberum se à voto existimans, eo quod minimè fuisset professus, rediens ad sæcularem vitam, duxit vxorem, nomine Rixendam. Super quibus rogatus Helinandus, à Guillelmo scilicet fratre eiusdem Galteri, socio & conclaustrali ipsius Helinandi, scripsit Epistolam ad eundem Galterum sub eiusdem Guillelmi persona, ita vt ipsius esse videatur. Scripsit etiam idem Helinandus sermones aliquos peroptimos. Hæc sunt autem quæ de præfatis eius opusculis excerpsi, & in vnum hic apposui.

CAPVT PRIMVM.

Monentur visitatores se ipsos visitare & examinare.

IN Chronicis Libro VIII. errores Philosophorum de ingressu animarum ad corpora, & regressu à corporibus, & de locis inferorum lati' exposui, vt melius intellecti caueantur. Itaque de oraculo Apollonis de quo Macrobius errorem suum nititur confirmare, scilicet de cælo descendit, gnothi seautos, sermonem in conuentu fratrum edidisse me memini in hunc modum. Legitur in libro Iob 5. cap. *Visitans speciem tuam nō peccabis.* Sermo opportunus est optimus. Quid est sermo opportunus? Sermo opportunus est tempori & loco accommodatus, & personæ, iuxta illud Sap. Nihil tam cognitum sapientiæ, quā locis & temporibus sermones aptare. Tempus de quo loquimur, tempus visitationis est. Locus in quo congregamur ad hoc institutus est. Personæ ad quas loquimur visitatores sunt, & visitādi. O tu quisquis es visitator aliorum, si temetipsum priùs visitaueris, postea visitando proximū non peccabis, nam in teipso poteris legere quomodo aliorum debeas errata iudicare. Et reuera quid iustius, quid conuenientius, quam vt spiritales medici, qui spiritualiter infirmantes visitant, priùs seipsos visitare audeāt, & de statu suo interiore digitos discretionis interrogent, venasque pulsatiles affectionum pulsent, ne fortè contingat illis nondum visitatis & iam visitantibus, idest, nondum correctis, & iam alios corripientibus, audire hoc proverbium ab infirmis submurmurantibus: medice cura teipsum.

γνῶθι σεαυτόν. Chilonis dictum in templo Apollinis exsculptum ex Plin. lib. 7

CAPVT II.

De illo Apollinis oraculo gnothi seauton, idest nosce teipsum.

OLim apud Delphos scriptum fuisse legitur in vetustissimo tripode Apollinis famosissimum oraculum, datum consulenti, quomodo ad beatitudinem perueniret *gnothi seauton*, idest, *nosce teipsum*. Huius autem sententiæ non est credendum Apollinem fuisse auctorem, vel inuentorem, sed potius furem. Furatus est enim eam de præsenti loco. Idem est enim, noscere seipsũ, quod speciem suam visitare. Aut certe de illo loco Cantici Canticorum, nisi cognoueris te ô pulchra inter mulieres, egredere, & abi &c. Hãc autem sententiam, vel potius hoc furtum Apollinis Satyricus noster Iuvenalis diuinam & cælestem sententiam appellat, propter summã vtilitatem quæ in illa continetur. Ait enim.

Malè quidam gnoti seliton.

Cant. 1.

Iuvenal. Satyra. 14.

Illum ego iure,
Despiciam, qui scit, quanto sublimior Athlas
Omnibus in Lybia sit montibus, hic tamen idem
Ignoret quantum ferrata distet ab arca.
Sacculus è cælo descendit, γνῶθι σεαυτόν.

Quod est dicere, stulta scientia est, & insipiens sapientia supervacua noscere, necessariis ignoratis. Quid enim prodest homini scire metiri mũdum, & nescire seipsum? & absque hac scientia nihil mortalibus est vtile, nihil hominibus salutare. Hæc in primis necessaria est, & si sola sit sufficit. Docet enim hominem timere Deum, cauere peccatum, diligere proximum, & terrena despicere, & amare cælestia. Dico enim mendacissimum spiritum hoc respondisse, non docendi studio, sed fallendi animo. Sic enim putauit se persuadere posse hominibus, vt crederent se ortos ex deorum genere, quos fuisse homines audiebant, vt ita prouocarent illos ad contentionem mutuam, & ambitionem honoris, dominandique libidinẽ sub velamine libertatis. Denique sapientes Græciæ de hoc oraculo consulti à regibus, nihil aliud respondebant, nisi quod homini cognoscendum erat se esse de genere deorum. Hinc & Macrobius super somnium Scipionis animas dicit de cælo lapsas in corpora, & hanc esse animæ perfectam sapientiam, dum corpore vtitur, si vnde orta sit, recognoscat. Sic enim putat eam virtutes ipsas conscientia nobilitatis induere, quibus post corpus evecta, eò vnde descenderat reportetur. Sed hæc expositio omnem peccandi licentiam vulgo suggerebat secundùm ciuilem Theologiam: quando illos videbantur imitari, quorum infinita flagitia & facinora repræsentari in theatris audiebãt. Ceterùm dæmones plerumque proferunt veritatem, & bene consulunt hominibus, non sponte, sed inuiti, necessitate coacti: videlicet optantibus superioribus, Sanctorum scilicet, vel Angelorũ, vel Dai: sicut legimus de illo dæmone in dæmoniaco habitante, quem B. Brigida interrogauit dicens. Dic mihi verbum Domini. Cui dæmon per obsessum continuò respondit, audiente populo. Brigida, time Deum, & timeberis ab omnibus. Ama Deum, & amaberis ab omnibus. Numquid diabol⁹ timoris & amoris Dei potest fieri volũtarius prędicator? sed coactus hæc dicebat, & invitus. Similiter quoties in Euangeliis & Sanctorum Legendis legitur diabolum aliquod verbum protulisse salutis, coactus hoc fecisse credẽdus est. Nec solùm in scripturis sanctis, sed etiam in historiis Gentium leguntur talia. Sic ergo credendum est, Apollinem respondisse, non sponte, sed inuitè, quod sciebat hominibus futurum vtile: aut certè sponte protulisse dictum ambiguum, quod non putabat in bonam partem, id est in argumentum humilitatis accipiendum.

Macrobij expositio improbatur

CAPVT III.

De cognitione exterioris hominis.

SEd etiam videamus vtilitatem sermonis prophetici, & verè diuini, & non Delphici. *Visitans*, inquit, *speciem tuam non peccabis*. Duplex est enim hominis species: quia duplex est ipse homo, juxta testimonium Apostoli dicentis. *Etsi is qui foris est noster homo corrumpatur, tamen is qui intus est renouatur de die in diem.* Exterior enim homo corpus, interior verò animus est. In exteriori autem specie quatuor visitanda sunt, id est frequentiùs meditanda; vilitas scilicet materiæ, dignitas formæ, pœnalitas vitæ, necessitas ruinæ. De prima est illud. *Formauit Deus hominem de limo terræ.* De secunda est illud.

Iob. 5.

2. Cor. 4.

Genes. 2.

Pronaque cùm spectent animalia cetera terram,
Os homini sublime dedit: cælumque videre
Iussit, & erectos ad sidera tollere vultus.

De tertia, *Homo ad laborem nascitur.* De quarta, *Puluis es, & in puluerem reuerteris.* Hinc est illud distichũ. *Vnde superbit homo, cuius cõceptio culpa.*
Nasci pœna, labor vita, necesse mori?

Quæ latiùs explicat satyricus Persius dicens.

Discite, ô miseri, & causas cognoscite rerum
Quid sumus, & quidnã victuri gignimur, ordo
Quis datus, aut meta quàm mollis flexus, & vnde.

Hęc autem consideratio quadripertitũ parit fructum: vilitatem sui, & desiderium cælestis regni, caritatem proximi, timorem iudicij. Primum de vilitate materiæ procedit, secundum de dignitate formæ, tertium de pœnalitate vitæ, quartum de necessitate ruinæ. Homo siquidem natus de muliere, brevi viuens tempore, repletur multis miseriis, & corporis & animæ. Idcirco oculos ad cælum erectos habemus, vt contempta terra cælum desideremus, & vt Deum præ omnibus diligamus, qui nos in tam elegãti forma composuit: & inter cetera etiam animalia sic humanam speciem nobilitauit, Idcirco Plato egit naturæ gratias, quòd homo natus esset. Erant aliquando fratres simul in auditorio colloquentes: cumque quidam ad socios diceret, se nihil aspicere, vnde non ædificaretur, quidam satis promptus ad loquendum respondit. Quid tibi quæso confert ædificationis visio bufonis? Et ille statim inquit, certè multùm; quia cùm nihil meruissem, quare me Deus magis formaret hominem quàm bufonem: quotiescumq; bufonem video, hoc beneficium Dei gratuitum ad mentem refero, & ei gratias ago, quòd mihi nihil merito tam execrabilẽ formam non tribuit, sed speciem pulcherrimam, & figuram regiam mihi dedit. Deinde hoc mihi confert bufonis visio, quòd quoties video eum forma tam horridum, natura tam sævum gressu tam pigrum, veneno tam noxiũ, homini tam inimicum; valde formido, ne assimilatus illi in moribus, pectore & ventre repens, aliquãdo, quod avertat à me Deus, tradar huiusmodi pessimis vermibus deuorandus; non his terrenis, qui citò conteruntur, sed his terribilibus in gehenna, & de gehenna viuentibus, qui numquam moriuntur. Hoc sapientissimo fratris responso confusus objurgator obticuit. Sola igitur humanæ formæ dignitas, vt cetera in hominem diuina beneficia

Cognitio sui quadripertitum fructũ parit.

Iste erat frater S. Bernardi, de quo Exord. Magn.

taceantur, magna est in nobis diuinæ dilectionis occasio: pœnalitas autem vitæ, quæ omnibus cõmunis est, magnam causam continet fraternę caritatis. Nam, vt disertè ait quidam, cùm calamitas sit querela, & felicitas sit superbia, nisi mutuò miseri essemus, olim alius alij esset fastidio. Stultissimus autẽ est, cui mortis necessitas timorẽ judicij non infert, cùm scriptum sit, *Statutum est hominibus semel mori: post hoc autem iudicium.* Hæc de exteriori specie dicta sunt: nunc de interiori videamus.

Hebr. 9.

Capvt IV.

De cognitione interioris hominis, quantum ad speciem naturalem.

INterioris autẽ hominis species duplex est, naturalis scilicet & arbitraria. Naturalis generalis est omniũ: arbitraria propria singulorum. Naturalis attenditur secundum conditionem, arbitraria secundum voluntatem. In naturali quatuor attendenda sunt, quod anima rationalis est: quod immortalis: quod inuisibilis: quod illocalis. Prima consideratio hominẽ prohibet à luxuria, secũda ab auaritia, tertia à iactãtia, quarta ab inuidia, & à qualibet fratris iniuria. Inter omnia monstra huius mũdi nihil mihi videtur esse mõstruosi⁹, quam ꝙ in quibusdã humanis corporib⁹ brutos videmus animos, & affectus præcellere bestiales. Aristoteles enim & Salustius homines gulæ & libidini deditos, non inter homines, sed inter animalia censent numerandos. Quid hic dicunt homines Christiani nomine, & vita iumentini: qui in suo stercore cõputrescunt? Rationis autem triplex officium est, discernere, reprobare, eligere. Discernere inter contraria, reprobare peiora, eligere meliora. Primum officiũ naturaliter habent dæmones, secundo & tertio priuantur, non naturaliter quidem sed voluntariè. Ideo dæmonibus, non hominibus connumerandi sunt, qui scienter eligentes mala, & respuentes bona, illo se prophetico pallio maledictionis obuoluunt: *Væ, qui dicunt malum bonum, & conuerso* &c. Secunda consideratio, vt supra diximus, nos abstinere docet ab auaritia. Nihil enim longius à ratione, quàm hominem, qui animo immortalis est, eodem animo mortalia immortaliter concupiscere, cùm omnino necesse sit concupita in proximo à concupiscente relinqui. Tertia enim consideratio persuadere nobis debet, fugiendum esse jactantiam, & omnem elationem, & laudis amorem. Nam quod animus noster inuisibilis est, magno argumento nobis est, omnia rectè facta vel dicta nobis inuisibiliter, quantum in nobis est, & in abscondito esse facienda vel dicenda: vt pater noster qui videt in abscondito, reddat nobis. Alioquin grãdis reuera abusio est, & fere magicis adæquanda vestigiis, auctorem absconditum & inuisibilem in suis rectè factis vel dictis per iactantię vitium ad humanos oculos foras expompari. Huic vitio efficacissimum & celerrimum remedium est, si mẽs nostra frequentiùs visitet mala sua, quàm bona. Quarta verò visitatio, idest consideratio interioris hominis scilicet quomodo anima illocaliter totum corpus vegetet, seque singulis illius partibus totam donet, nullam à sentiendi munere relinquens expertem; nonne mirabilis quædam est ad fraternam inuitatio & persuasio charitatẽ? Sic enim Apostolus pulcherrimo demonstrauit exemplo, omne corpus quantalibet congregatione vno & eodẽ spiritu debere vegetari, cùm dixit. *Si patitur membrum, cõpatiuntur omnia* &c. Quid hic dicent detractores, & inuidi: qui omnem fratris honorem, suam inhonorationem reputant, suæ demptum existimantes gloriæ, quidquid cesserit alienæ: cùm potiùs à contrario existimare debuerant suæ gloriæ additum, quidquid alienæ cessisset? *Quid,* inquit Moyses *æmularis pro me? Quis det vt omnes prophetent?* O infælicissimos omniũ mortalium, qui de sola proximorum prosperantur miseria, & quibus sola fratrum prosperitas aduersatur. Hic est ille oculus nequam, & vt Esopo vel Auiano credas, videbis qui sibi alterum oculum velit erui, dum proximus eius priuetur vtroque.

Interior species hominis duplex.

Isai. 5.

1. Cor. 12.

Num. 11.

Capvt V.

De cognitione eiusdem hominis quantum ad speciem arbitrariam.

HÆc de naturali specie interioris hominis diximus, nunc de alia quã vocabimus arbitrariam, videamus. Hæc siquidem species in hominis arbitrio constituitur, idcirco & arbitraria nuncupatur, quia scilicet vt superiùs dictum est, secundùm arbitrij voluntatẽ attenditur. Itaque pulchritudo huius consistit in duobus; videlicet in volendo, quod Deum velle scimus; & in nolendo, quod ipsum nolle non dubitamus. Nam, vt ait quidam sanctus, voluntas Dei regula est, ad quam vtique voluntatem nostram corrigere ac regere debeamus. Denique pulcritudo animæ sanctitas est: sanctitas autem est affectio sancta, & in sancto proposito constans ac firma: hęc autem gemina, videlicet odium, & amor sãctus: odium mali, & desiderium boni. Et malũ quidem nihil est nisi peccatum, & peccati occasio: bonum verò nihil est, nisi Deus, & Dei imitatio. Primaque duo semper fugienda sunt, secũda verò amplectenda: in his enim duabus affectionibus consistit cordis munditia. Vnde dicitur: *Oculi tui,* inquit, *columbarum.* Columba siquidem auis est valde timorosa, & nimis amorosa. Hinc est illud Poëtæ.

Cant. 1.

Timidissima turba columbæ.

Duo igitur oculi columbarum nihil aliud sunt quàm sanctus timor, & sanctus amor. *Hæc de illo sermone nostra excerpta sufficiant, ad probandũ quod Apollinis oraculum male à Macrobio, & aliis quibusdam Philosophis sit intellectum.*

Verba Vincentij.

Capvt VI.

De septem similitudinibus animæ ad Deum: & primò de tribus primis.

DE hoc eodem oraculo epistolam quãdam olim ad Drogonem Nouiomensem Canonicum scripsisse me memini, cuius partem in hoc loco inserere curaui. Cognitio hominis in eisdẽ consistit, in quibus & compositio: compositio autẽ in duobus, vel potius ex duobus, ex anima scilicet & corpore. Cognitio verò animæ habetur ex suo exemplari, ad cuius imaginem & similitudinem facta est. Vt ergo conuincamus Apollinem fallacem, priùs est cognoscendus Deus, quàm homo. Naturaliter enim prius est idea, quã idos, sigillum quàm sigillatum: exemplar quàm opus. Deus spiritus est, & anima similiter, Deus simplex est, & anima; Deus immortalis est, & anima; inuisibilis est Deus, inuisibilis & anima. Deus vnus est in substantia & trinus in personis: anima est vna in essentia & trina in potentiis,

Anima est Deo similis tamen dispar.

Deus substantialiter totus est vbique; anima non quidem vbique, sed in corpore suo per singulas partes tota diffunditur. Postremò Deus rationalis est vel potiùs ratio, anima similiter est rationalis. Ecce habes septem similitudines animæ ad Deum, quarum primę sex etiam brutorum animabus conueniunt: non enim spiritus brutorũ, sicut quidam mentiuntur, corporeus est, quamuis sit mortalis, sed incorporeus. Sola autẽ septima similitudo animæ appropriatur humanæ, omni quidem, sed non soli. Veruntamen primarum proprietatum cognitio multum ei vtilitatis affert: per hoc enim quod anima humana cognoscit se esse spiritum, cognoscere potest, & aliam vitam spirituum à vita carnis separatã. Per hoc etiam cognoscere potest, se magis secundùm spiritum, quàm secundum carnem debere ambulare, iuxta illud, *Spiritu ambulate* &c. In hoc autẽ quod simplex est, demonstratur ei, quod simpliciter ambulare debet, & omnem fugere simulationem. Per hoc quod immortalis est, cognoscere potest mortalia fugienda sibi gaudia, & immortalia semper appetenda: & eadem ratione mortalia nõ debere supplicia metui, sed immortalia.

Glat. 5.

Capvt VII.

De quatuor vltimis.

PEr hoc autem, quod inuisibilis est, cognoscere potest, quod omne bonum quòd agit in hoc sæculo, quantum in se, debet facere in abscondito. Per hoc quod vna est in substãtia, scire debet, quoniam ei semper retinenda est vna, & eadem innocentiæ & iustitiæ forma: quia stultus vt luna mutatur. Per hoc autem quod trina est in potentiis, innuitur ei, vt singularem non appetat potestatem: sed & alius altior intellectus in hoc ternario demonstratur. Ternarius enim primus numerus est habens ligaturam. Nam binarius qui sine medio est, sine vinculo est, & ideo diuisionem significat. Ternarius autem, qui medium habet, concordię & coniunctionis est signum. Est enim primus imparium numerorum, & primus totus impar, vnde quasi totus concordia est. Nam quælibet eius pars inter duas reliquas media est. Quare non immeritò significat indiuiduam Trinitatis substantiam & operationẽ inseparabilem, & indissolubilem charitatem. Et quoniam omnis numerus impar vinculo quodã mediationis ligatus est, per imparem numerũ pacem & concordiam puto significasse vatem Mantuanum, cum dixit. *Numero Deus impare gaudet*, quod idem est ac si diceret. Deus pacem diligit ac dilectionem, quia ipse pax & dilectio est. Igitur anima per tres suas potentias sibi tam firmiter, tam naturaliter cohærentes, admonetur, omnem diuisionem & schisma fugere, & seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis. Per hoc autem quod membris omnibus se totam ex æquo communicat, admonetur homo omni suo proximo, idest omni homini debitũ humanitatis obsequium pro suis viribus communicare debere, iuxta illud: *Omni petenti te tribue*. Postremò verò rationalis est anima sicut & Deus, nisi quod Deus non tam rationalis dicendus est, quã etiam ipsa ratio Vnde Seneca: *Deus*, inquit, *totus est ratio*. Per hanc autem similitudinẽ admonetur homo non appetenda fugere, vel fugienda non appetere: sed inter vtraque rationis oculo discernere, & de discretis meliora eligere. Inutiliter enim præcedit discretio inter bonum & malum, vel bonum & melius, vel malum & peius, nisi melioris electio, & pejoris reprobatio subsequatur. Sic & inaniter volũtas eligit, quod prius eligendum ratio non probauit. Electionẽ autem sine discretione habent iumenta, & discretionem sine electione habent dæmonia. Hoc est enim in infernum descendere viuentem, idest peccare scientem, hoc est apertis oculis cadere, sicut Balaam cadebat, & ille qui dicebat, *Video meliora probóque, deteriora sequor*. Denique sicut in Trinitate quæ Deus est, duæ personæ procedunt ab vna: sic in Trinitate potentiarum animę irascibilitas & concupiscibilitas semper à ratione debent procedere; vt nihil fugiat illa, nihil appetat ista, nisi quod ratio fugiendum & appetẽdum dictauerit. Nam sine ratione nihil aliud est ista vel illa, quàm furor & insania. Igitur quod est chamus asino, frænum equo, auriga curui, domitor leoni, hoc ratio iræ & amori; proinde necesse est ferri vtrumque in præcipitiũ; nisi vtrique præbeat ratio ducatum. Et hæc ad præsens dicta sũt de cognitione interioris hominis: nunc de exteriori videamus.

Ternarij mysterium. *Luc. 6.* *Num. 24.*

Capvt VIII.

De cognitione humani corporis

COrporis humani cognitio in duobus est; in materia scilicet & forma. Complexionem autem medicis relinquo. Materia enim de luto vel de cœno est, de cælo verò forma. Vnde quidã ait; *De cælo ista possideo*. Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terrę. Formato igitur homine iussit illius formam in cælo respicere, vt sciret formatorem suum in cælo habitare. Ex his autẽ duobus trahit homo necessitatẽ duplicem: de forma, vt sanctus sit: de materia, vt humilis. Licet autem forma humana inter omnes formas animalium ab ipsa mundi creatione semper excelluerit, tamẽ ex incarnatione Verbi, & formæ hominis à Deo assumpti, longè maiorem dignitatis excellentiam acquisiuit. Neque enim frustra istam caritatẽ, qua dilexit nos Deus, nimiã appellauit Apostolus, sed pro certo intellexit, quòd tantum beneficium sicut nulla mundanæ iustitiæ magnitudo promereri poterat, sic nulla æstimare põderatio vel æstimatio ponderare. Melius enim æstimat deuotio nostra quàm ratiocinatio; gratiarũ actio, quàm disputatio: faciliusque comparat illud paupertas spiritus, quàm quilibet diuitiarum aceruus. Ante incarnationem Verbi similis erat Deo sola hominis forma interior, sed ab incarnatione Verbi facta est forma Dei, ipsa quoque hominis forma exterior. Igitur ad omnem serpentis suggestionem cogitare debemus huius formæ duplicis vnicam dignitatem: & mox pudebit nos vel turpe aliquid cogitasse. Dignior est enim forma vtraque, vt tam turpi vesti conformetur. Sanè verò de vtraque dici potest, imò etiam dici debet, verbum illud egregium.

2. Mac. 7. *Forma humana per Incarnationẽ excellẽtior euasit.*

Non faciat mores tam bona forma malos.

Alioquin quid passurum putas supplicij, qui dehonestauerit formam Dei? Potest autem humani corporis cognitio alia colligi ratione. Tria quippe in humano corpore consideranda sunt; origo sordida, vita misera, mors necessaria, id est ex necessitate contingens Homo enim noster exterior de immundo semine conceptus est, ad laborẽ natus, velit nolit moriturus. Clamat nobis certissima mors, & hora mortis incertissima, mortem

semper ad omnium pendere oculos. & ideo semper habendā ab omnibus præoculis; semper que meditandā: sicut scriptū est in Ecclesiastico: *Memorare nouissima tua, in æternum non peccabis.* In huius autem meditatione Plato & Pythagoras, & Basilius noster christianorum Philosophus, sapientiam posuerunt.

Eccli. 7.

Capvt IX.

Adhuc de miseria eiusdem.

AD hæc tria potest illa referri definitio hominis à quodam sapiente responsa quærēti, quid est homo? *Vile*, inquit, *sperma, vas stercorum, esca vermium.* Vile sperma fuit in conceptu, vas stercorum est in reliquo vitę cursę, esca vermiū est in occasu. Ego autē dico, quòd non solùm post mortem, sed etiam ante mortē esca vermium est omnis homo. Quamvis enim vestem mutet & remutet, non tamen omnimodis carere potest morsibus tinearum, vel pulicum, aut huiusmodi. Quid autē profuit Neroni, quòd nullam vestem bis induit, aut Hilarioni quid obfuit, quod cilicium non mutauit? Loc⁹ iste fabulam exposcit. Audi ergo fabulam, sed rē gestam de tuo Helinando. Philippus episcopus Belvacensis apud nos aliquando hospitatus est, non vt quidam, devotationis causa, sed deuotionis. Iam enim ordinis nostri communis hospitalitas plures inuenit, qui eam devorent; quàm singularis sanctitas, qui eam honorent. Præcepit autem mihi præfatus Episcopus, vt eum facerem missam matutinalē audire. Ad quem cùm die crastina prima iam cantata venissem, inueni eum adhuc dormientem, & nemo vel de familia, vel de suis familiaribus eum excitare præsumebat. Ego autem accessi propiùs, & excitaui eum quasi iocando dicens. Iamdiu est quod passeres surrexerunt ad benedicendum Domino, & adhuc nostri Pontifices stertunt in cubili suo. Ad quam vocem expergefactus ille & confusus, indignatius aduersum me, quod tā liberè eum arguissem, substomachans ait. Vade hinc miser, & interfice pediculos tuos. Ego autem motum illius conuertens in iocum, continuè respondi. Vide tu pate, ne interficiāt te vermes tui, ego enim iam vermes meos interfeci. Scito ergo hanc esse differentiam inter vermes divitum, & vermes pauperum; quod vermes diuitum diuites occidunt, vermes autem pauperum à pauperibus occiduntur. Lege Machabæorum, & Iosephi, & Actuum Apostolorum historias, & invenies Reges potentissimos Antiochum, & Herodē Agrippam à vermib⁹ consumptos. Qua ratione, simul & authoritate oppressus, ille statim obmutuit.

Capvt X.

Adhuc de cognitione hominis, & animabus post mortem apparentibus.

SEd & de cognitione hominis hęc ad præsens dicta sufficiant. Quæ tibi frater, ideo descripsi, ne putares veram cognitionem hominis haberi posse ex subdola spiritus immundi sententia, sed de sola Spiritussancti doctrina salutari. Si autem de eadem cognitione perfectiorem tractatū cupis agnoscere, lege moralia beati Gregorij de ipso sancti Spiritus ore profusa, teste Petro diacono, qui columbam vidit ad aurem beati Gregorij verba quæ scriberet suggerentem. Lege quoque pulcherrimum librum B Bernardi de consideratione ad Eugenium Papam, ex cuius nobilissimo stylo, & sententiis ferè plusquam humanis poteris agnoscere, non solum quid sit homo, sed etiam quid sit Deus: poterisque intelligere auctorem huius libri sapientiorem fuisse ipso Apolline, eloquentiorē Demosthene, subtiliorem Aristotele, moraliorem Socrate, discretiorem Platone. Hæc dicta sunt, pro eo quod Macrobius ad probandum animas è cælo lapsas inducit authoritatem responsi Delphici gnothi seauton. Et hanc esse hominis agnitionem sui dicit. Sed exordia prima respexit, vt conscientia nobilis suæ originis virtutes induat, quibus eo vnde descenderat reascendat. Eodem loco accipienda est Virgilij autoritas de heroibus, quos apud inferos relegavit, quos dicit nosce solum suum, & sua sydera: qui etiam res leviores, quas viui exercuerant, eos post mortem exercere testatur, dicens.

Laus S. Bernardi, & libri eius de Cōsider.

Quæ gratia currûm,
Armorum quæ fit viuis, quæ cura nitentes
Pascere equos, eadem sequitur tellure repostos.

Hæc autem falsitas opinionis, vel opinio falsitatis, inde nisi fallor, sumpsit initium, quod animæ defunctorum suorum peccatorum pœnas lugentes multis apparere solent in eo habitu, in quo priùs vixerant: idest rustici in rusticano, milites in militari, sicut vulgus asserere solet, de familia Hellequini, de qua Henricus Aurelianensis Episcopus nostri Belvacensis Episcopi frater referre solebat rem vade mirabilem, quam ipse audierat ab illo qui viderat, scilicet Ioanne Aurelianensis Ecclesiæ canonico. Dicebat enim Ioannes iste loquens de hac re ad præfatum Episcopum.

Capvt XI.

Exemplum ad hæc de familia Hellequini.

BVrchardus Archidiaconus, cognomento de Pisaco, iturus erat Romam. Rogavit autem me, vt quemdam clericum Natalem nomine, domus meæ æconomum ei socium darem, tantulus erat in rei familiaris custodia, bonus dispensator & prudens, & fidelis, quod rarissimè in dispensatoribus invenitur. Volebat ergo idem Burcardus hunc habere socium itineris sui, non tam ideo quod eum diligeret, quam quia pecuniæ suæ vt avarissimus valde timeret. Ego autem tam nobili personæ, & Archidiacono meo non potui negare. Præcepi ergo Natali clerico, vt cū eo iret, & ei tamquam mihi in omnibus obediret, quod ille invitus annuit, timens mores Burchardi, cuius auaritiam non ignorabat. Inieramus autē ego & Natalis fœdus quoddā secretissimum quod vter è duobus nobis priùs moreretur, intra 30. dies, si posset ad socium suum rediret, nihil ei apparitione sua terroris incutiens, sed blandè illum commonefaciens, & de statu suo certificans. Cùm autem iam prope Romam essent, accidit quadam die, vt præfatus Burcardus cum Natali clerico rationem poneret de quotidianis expensis, & de magna summa minutatim singulos nummos, & obolos exigeret, quò & in quos vsus abissent. Natalis autem, qui tam minutas rationes reddere mihi non consueuerat, quippe cui ego tamquam mihi credebam, iratus adversus virum nobilem sordidissimę prouidentiæ, cū in reddenda ratione deficeret, se (quod auditu quoque horrendū est,) dæmonibus cōmendauit. Eodem autem die cum quamdā aquam transuadarent idem Burchard⁹ & Natalis; idem Natalis

submersus est. Sequenti vero nocte proxima cùm in lecto meo quiescerem vigilans,& coram me lumen fulgeret in lampade, quia semper nocte consueui tenebras horrescere, ecce Natalis clericus ante me astitit, cappa indutus pluuiali, sicut mihi videbatur, pulcherrima, coloris plumbei. Ego autem nihil omnino territus,& eum optimè recognoscens, cœpi quasi gratulās de tam maturo eius reditu trāsalpino ei dicere, Natalis bene veneritis: nūquid jam rediit Archidiaconus? Nō inquit, domine; sed ego solus redij iuxta constitutum. Mortuus enim sum, Nolite ergo timere, ego nullum timorem vobis inferam: sed precor, vt succurratis mihi; ego enim in magnis tormentis sum. Cur, inquam? Satis enim honestè vixistis apud me. Domine,inquit, verū est. Bene quidē mihi esset, nisi hodie subita præuentus ira, me dæmonibus commendassem. Rogo autem vos, vt quoscumq; poteritis, moneatis, vt hoc numquam faciant. Qui enim se commendat dæmonibus, dat eis potestatem super se, sicut ego misserrimus feci: vnde potestatē habuerunt, vt me statim submergerent,& propter hoc solum torqueor. Nā bene confessus eram de omnibus peccatis meis, & in nullū recideram. Tunc ego. Quomodo tam pulchram cappam habetis,si in tormētis estis? Domine, inquit, hæc cappa, quæ tam pulchra vobis videtur, pōderosior & grauior est mihi,quàm turris Parmensis, si mihi superposita esset. Pulchritudo autem ista spes est veniæ, quā habeo propter confessionem, quam feci: si tamen mihi succurratur. Cui ego, certè, inquam, ego vobis succurram, quantumcumque potero; sed obsecro, vt dicatis mihi, si vos estis deputat' in illa militia, quam dicunt Helliquini. Et ille: nō Domine. Illa militia jam non vadit, sed nuper ire desiit, quia pænitentiam suam peregit. Corruptè autem dictus, est à vulgo Hellequin', pro Karlequinus. Fuit enim Carolus quintus, qui peccatorum suorum longam egit pænitentiam, & nuper tandem per intercessionem beati Dionysij liberatus est: sed rogo vos vt misereamini mei, & hoc dicens cum fletu, euanuit.

Pœno innoratium dæmones inripa.

Capvt XII.

Iterum aliud exemplum ad idem.

Virgilij error de defunctis.

HÆc idcirco dixi, vt per hoc elucescat, vnde sumpsit exordium Virgilianus error de animabus defunctorum, quos heroas appellat, dicens eos habere eandem curam equorum, & curruum, & armorum post mortem, quam habuerant dum viuebant. De qua re certissimum referebat exemplum patruus meus Hellebaudus, Henrici quondam Remensis Archiepiscopi cubicularius. Dicebat enim. Dominus meus Archiepiscopus mittebat me apud Attrebatum. Cùm autem circa meridiem apud quoddam nem' appropinquassemus, ego & famulus meus, qui me præcedebat celeriùs equitans, vt mihi pararet hospitium, audiuit ille tumultum magnum in nemore, quasi multiplices & varios equorum fremitus, armorum sonitus, & velut voces multitudinis impetu proruentis in bellum. Expauefactus ergo ipse & equus eius continuò reuersus est ad me. A quo cùm quærerē, quare reuerteretur, respondit. Equus meus non fuste nec calcaribus etiam cogi potest, vt procedat. Et ego etiā ipse adeo territus sum, vt omnino procedere nō audeam. Mira enim vidi & audiui. Nemus enim istud defunctorum animabus & dæmonibus plenum est. Audiui autem illos clamare & dicere: jam habemus Præpositum de Area: in proximo autem habebimus Archiepiscopum Remensem. Ad quod ego respondi. Signum crucis nostris frontibus imprimamus, & securi procedamus. Cùm ergo processissem,& ad nemus peruenissē, jam vmbræ processerant,& tamen voces quasdā confusas audiui, & fragores armorum,& equorum fremitus: sed nec vmbras videre, nec voces intelligere potui. Cùm autem redissemus, jam Archiepiscopum inuenim' in extremis, nec post has voces 15. diebus superuixit. Vnde conjicitur, eum ab illis spiritibus raptum, à quibus auditum fuerat rapiendū. Hinc apparet, quales equi sint illi, super quos aliquando defunctorum animæ videntur equitare. Sunt enim dæmones se in equos transformantes, quorum sessores sunt animæ miserrimæ peccatis oneratæ, tamquam armis quibusdam & clypeis onustatæ (sed re vera propriis scelerib' informis talib' onustatę.) Iuxta illud Propheticum: *Descenderunt in infernum cum armis suis*, idest cum membris suis, quæ fecerunt arma iniquitatis peccato, nolentes ea facere arma justitiæ Deo. Certum est autem, equum animal esse superbum & contumax, contentionis & belli cupidum, feruentem ad coitum, & in libidine præpotentē. Dæmones igitur in equos transformati, significant sessores suos se huiusmodi sceleribus oblectasse.

Ezech. 32.

Capvt XIII.

Adhuc de eodem.

TAlis equus erat ille, quem monstrauit carbonarius comiti cuidam Niuernensi. Erat enim carbonari' iste vir pauper in seculo, sed diues in Deo, religiosus & timens Deū, Ob quod etiam familiaris erat præfato comiti. Hic nocte quadam cùm vigilaret & custodiret fossam suam carbonificam incensam acriter; ecce quædam fęmina nuda currens apparuit, & post eam eques quidam equo nigro insidens, euaginato gladio velociter equitans, vt fugientem apprehenderet mulierem: quæ dum fugiens fossam circumiret, compressa est ab eo, & perfossa gladio, & facta est quasi mortua. Quam ille proiecit in ignem & exustam rursus extraxit,& posuit ante se super equum,& abiit. Hæc autem visio pluribus noctibus ostensa est illi. Cùm ergo quadam die de huiusmodi visione tam frequenti nimis anxius cogitaret, sic cogitabundus & tristis obuiauit comiti. Miratus comes traxit eum in partem, & secretè requisiuit ab eo, quid haberet, dicens: si quis tibi fecit iniuriam, & malitiam aliquam intulit, ne celaueris à me, ego enim te bene vindicabo: si in egestate es, ego tibi subueniam. Qui respondit: nihil necesse habeo, de nullo cōqueror, sed hæc & hæc toties vidi, & vtinam vos vidissetis. Certè, inquit comes ei, tecum vadam, & videbo visionem hanc magnam. Igitur comes confessus omnia peccata sua, mutat habitum, & assumit secum carbonarium, abijtque cū eo solus in siluam. Et cùm vigilarent circa mediam noctem, audiunt quendam buccinantē fortiter, & signauit se per totū. Et ecce misera mulier illa accurrēs nuda, sicut priùs, cœpit fugiēs fossā circuire: quam eques ille insequens & comprehendens, gladio peremit,& in ignē projecit, & iterū resūpsit: qua super equū ante se posita cū fugerē vellet, comes adjurauit eum in nomine Domini, vt staret, & diceret ei, quis esset, & cur hoc face-

ret. Tunc ille subsistens, ait. Ego sum vester ille miles, & hæc est illa mulier nobilis, vxor illi' militis, quem pro amore meo interfecit, vt licètiùs ac frequentiùs meo concubitu frueretur. Et in hoc peccato ambo mortui sumus: nisi quòd, heu serò! in hac ipsa morte pœnituimus. Tale autem nunc tormentum patitur, quòd singulis noctibus à me interficitur & comburitur. Tantũ enim dolorem patitur in ictu gladij, quo eam ferio, quàm nullus vmquam in morte sua passus est, & multò maiorem in cõbustione. Ad hæc Comes, Quis est ille equus, super quem sedes? Diabolus, inquit, quidam est, qui nos ineffabili vexatione torquet. Possetne vobis, ait, aliquis succurrere? Posset, inquit, si vos feceritis in cunctis congregationibus, quæ vobis subiectæ sunt, orare pro nobis, & à Presbyteris celebrare Missas, & psalmos à Clericis decantari. Talis erat equus, super quem ascendit infelix ille Matisconensis, de quo refert Petrus Abbas Cluniacensis in libro miraculorum, quòd cùm die quadam solemni ille Matiscone in proprio palatio resideret, multis militibus diuersi ordinis stipatus; repente ignotus homo insidens equo per ostium palatij ingressus cunctis videntibus & admirantibus vsque ad ipsum pervenit, dicens se velle ei colloqui, imperans ei vt surgeret, & se sequeretur. Qui inuisibili potentiæ non valens resistere, surrexit & vsq; ad ostium domus processit: vbi equum paratum invenit, quẽ iussus statim ascendit; cuius habenas ille accipiens, qui propter illum venerat, velocissimo cursu per aëra cunctis videntibus ferre cœpit. Ille autem miserabiliter clamans, succurrite ciues, succurrite, totam ciuitatem cõmouit. Omnes autem currentem eum per aëra conspexerũt, quãdiu naturali oculorum acie potuerunt: sicq; tandem subtractus visibus hominum, factus est æternus socius dæmonum.

Capvt XIV.

De constituendo Rege, & primò de moribus eius.

Deuter. 17.

CVm, inquit, *constitues Regem, quem Dominus Deus tuus elegerit de medio fratrum tuorum.* Quæritur, cur Deo displicuerit populus, quãdo sub Samuele Regem sibi desiderauerat fieri, cùm hoc inveniatur permissum. Ad quod dicendum est, quòd ideo displicuit, quia nõ præcepit, vt hoc fieret, sed desiderãtibus permisit hoc facere. Cúque fuerit constitutus, non multiplicabit sibi equos, quorũ numerositate sit subditis onerosus. Equos multiplicare, est plures, quàm necessitas exigat, vanæ gloriæ causa, vel erroris alterius cõgregare. Multominus ergo licet ei multiplicare canes, aut volucres rapaces, aut bestias truces, & quælibet portenta naturæ. De histrionibus autẽ & mimis, scurris, & lenonibus, meretricibus, & huiusmodi prodigiis hominũ, quæ Princeps potiùs exterminare quàm fouere debet, non erat in lege mentio facienda. Sequitur. *Nec reducet populum in Ægyptum:* id est inferiores non corrumpat exemplo: quia

Ibidem.

componitur orbis
Regis ad exemplum, nec sic inflectere sensus
Humanos edicta valent, vt vita regentis.
Mobile mutatur semper cum Principe vulgus.

Sequitur. *Nec habebit vxores plurimas, quæ alliciant animam eius.* Cùm in aliis plures vxores esse vnius licitum fuerit, vt in Abraham, & Iacob, gratiã propagandæ prolis, & fidelem populum dilatandi; in Regibus perpetuò obtinet, vt vna vnius sit. Multò minùs igitur licet ei fornicari, vel adulterari, vel quælibet stupra committere. Quomodo enim hæc crimina puniet in aliis, eisdem subiectus? Sequitur, *Nec habebit auri & argenti immensa pondera.* Quid ergo hic dicunt, qui Domino prohibente aurum & argentũ sibi thesaurizant; quæstũ ex calumnia facientes, & quęrentes abundantiã singularem de multorum inopia, & de rapinis diuitias, beatitudinem de calamitate? Non enim habebit diuitias, quas nomine possidet alieno: & sibi priuata erunt fiscalia, quæ publica confitetur. Non est autem mirum, si Regi non licet habere priuata fiscalia, cùm nec ipse suus sit, sed subditorum.

Capvt XV.

De studio eius, & sapientia.

Deuter. 17.

POstquam autem, inquit, *sederit in solio regni sui, describet sibi Deuteronomium legis huius in volumine.* Igitur Princeps juris non debet esse ignar', licet multis priuilegiis gaudeat; nec prętextu militiæ legem Domini permittitur ignorare. Sed & princeps Christianissimus legibus suis indicit, *Nec dedignetur princeps sacros canones imitari. Inutilis enim est omnis constitutio principis, si non est Ecclesiastica disciplina conformis.* Sequitur. *Et habebit secum, legetque illud omnibus diebus vitæ suæ.* Necessaria est ergo principi peritia literarum, cui quotidie legẽ Domini legere præcipitur. Qua enim die legem non legerit, nõ ei dies vitæ est, sed dies mortis. Hinc est, quod in literis, quas Rex Romanorum misisse legitur ad Regem Francorum, hortatur eum, vt liberos suos liberalibus disciplinis instrui faceret; adiecitque inter cætera. *Rex illiteratus est quasi asinus coronatus.* Quòd si fortè illiteratus est, certè literatorum consiliis eum regi necesse est. Hinc est, quòd exemplar legis sacerdotibus Leuiticę tribus jubetur assumere, idest à catholicis viris & litteratis. Plato enim, vt Boetius testis est, respublicas fore beatas dixit si eas aut sapientes regerẽt, aut earum rectores sapientiæ studerent. Sapientia enim ipsa dicit. *Per me reges regnant, & conditores legum iusta decernunt.* Gentiles enim sapiẽtiam quasi Deum deorum colebant, sine cuius Dei nutu nihil faciendum credebant. Vnde & antiqui Philosophi imaginem sapientiæ pro foribus omnium templorum pingi cum hac circunscriptione consueuerunt. *Vsus me genuit, peperit memoria, Sophiam me vocant graij, vos sapientiam.* Et hæc iterum scribi iusserunt. *Ego odi homines ignauos opera & Philosophica scientia.* Est autem sapientia rerum diuinarum & humanarum princeps, & gerendorum, euitandorumque sciẽtia, huic autem insistere, Philosophari est. De humilitate eius ac pietate sequitur. *Non eleuetur cor eius in superbiam super fratres suos,* quod præcipuè necessarium est, sæpius replicat; nunquam enim humilitas satis videtur commẽdata principibus, quia difficillimum est, vt gradus honoris non pariat tumorẽ in animo ipsius præsidentis. Tarquinium enim à regno superbia deiecit. In iure autem Romano cautum est, vt qui ius reddit, se facilem in adeundo præbeat, contemni tamen non patiatur. Principes sicut medici nũquam debent grauibus vti remedijs, nisi cum leuiũ beneficio desiderata sanitas desperatur. (Vnde Lucius: *Principẽ sæuum moribus esse nõ oportet: & qui moderatiora concilia sequatur.*) & vicem gere remedicorũ, qui morbos curant, nunc exinanitione in repletis, nunc refectione in vacuis. Et dolorem etiam sedant nunc cauterio, nunc fomentis.

Prouerb. 8

Seneca.

mentis. Si enim citharœdi, aliique fidicines multa diligentia procurent, quomodo oberrantis chordę compescant vitiū, & aliis concordē reddant; quanta solicitudine oportet principē moderari, vt subditos reddat quasi vnanimes, & vnius moris habitantes in domo? Certum est autem, tutiùs chordas remitti ampliùs, quam intentius protendi, remissarum namque intensio artificis opera convalescit. Quæ autem semel rupta est, nullo artificio reparatur. *Sis piger ad pœnam princeps ad præmia velox, Et doleat quoties cogitur esse ferox.* Quorum alterum iustitiæ est, alterum pietatis: de quibus Salomon ait. *Misericordia & veritas non te deserant. Circumda eas gutturi tuo, & describe eas in tabulas cordis tui, & invenies gratiam & disciplinam bonam coram Deo & hominibus.* Gratia nempe debetur misericordiæ, disciplina verò iustitiæ. Qui sine prima est, omnibus odibilis est; qui vero sine secunda, omnibus contemptibilis. Plutarchus etiā librum scripsit de magistratuum moderatione. Plato (inquit) cùm subditos opprimunt magistratus: perinde est illud, ac si caput corporis intumescat, vt à membris aut omnino, aut fine ingenti molestia ferri non possit.

Prouerb. 3.

Idem. Cùm in subditos potestas sæuit, idem est ac si pupillum tutor persequatur, vel eum suo mucrone iugules, qui tibi ad defensionem suam gladium dedit. Vnde Claudianus,

Sis pius in primis, nam cum vincamur in omni
Munere, sola Deos æquat clementia nobis
Tu licet extremos latè dominare per Indos.
Te Mœdus, te mollis Arabs, te Seres adorent.
Si metuis, si prana cupis, si duceris ira,
Seruitij patiere iugum, tolerabis iniquas
Interius leges, tunc omnia iura tenebis,
Cùm poteris Rex esse tui, procliuior vsus
In pejora datur, suadetque licentia luxum,
Illecebris effrana favet, tunc vinere casto
Asperius, cum prompta venis, tunc durius ire
Consulitur, cum pœna patet, sed cōprime motum.
Nec tibi quid, liceat sed quid fecisse decebit
Occurret, mentemque domet respectus honesti.

Capvt XVI.

De ipsius æquitate.

Deuter. 28.

SEquitur. *Nec declinet in partem dexteram, siue in sinistram.* Declinare in dexterā, est non Dei gratiæ, sed sibi retribuere velle quod rectum est. Vel declinare in dexteram vel in sinistrā, est peccare propter eorum veritatē quæ fugiuntur. Vel etiam ad dexteram declinare, est virtutibus ipsis vehementer insistere, & in virtutis operibus, quæ in modo consistit, modum excedere. Vnde Iuvenalis.

Insani sapiens nomen feret, æquus iniqui,
Vltra quàm satis est, virtutem si petat ipsam.

Virtus in modo consistit.

Et Philosophus. Caue quod nimium est, quia si hæc ipsa cautela modestiam deserit, eo ipso à virtute recedit. Omnis autem vehementia saluti inimica est, & excessus omnis in culpa, bonarūque rerum consuetudo nimia pessima est. Vnde Salomon: *Noli nimium esse justus.* Quid ergo nimium prodest, si regina virtutum nimietate sui obest? Nimia quoque humilitas maxima pars superbiæ est. Item ad sinistram declinat, qui in subditorum culpis puniendis nimis pronus est ad vindictā. Ad dexterā verò, qui mansuetudini nimis indulget. Iterum non declinet in dexterā vel sinistram partem. Æquitas enim cui iudex obsequium debet, amoris dexteram vel odij sinistram nescit. Iustè eum exequi, est nec durius ęquo, nec remissiùs in assertione, vel executione iustitiæ, nihil aliud quam iustitiam quærere. Munera tamen curiales licenter accipiant, dummodo non extorqueant impudenter. Pudorem abjicit qui rogat, bis etiam emit. Ad rei namque vel spei pretium verecundiam vendit. Munus verò iniustæ petitionis notam non habet, quod deuotio liberalitatis obtulit, non improbitas precantis extorsit. Ita tamen vt iniquorum munera non acceptet, ne aut ingratus sit, si eos non foueat accepto munere: aut si faverit, injustus habeatur. Ratio enim habenda est & causæ & personæ: vt nec à turpi, nec turpiter accipiatur. Nam plerumque à manu, à causa, à tempore, à loco vel modo splendent munera vel sordescunt.

Eccle. 7.

Inoquorum dona cur nō acceptanda.

Capvt XVII.

De præmio regalis justitiæ in ipso, & in hærede.

Deuter. 28.

SEquitur, *Vt longo tempore regnet, ipse & filius eius super Israel.* De virtute namque parentum sæpe protenditur successio filiorum, & succedentium fælicitas ex descendentium iniquitate præscinditur, juxta illud. *Iniusti autem disperibunt simul: reliquiæ impiorum interibunt.* Item regnum à gente in gentem transfertur propter iniustitias, & injurias, & contumelias, & diuersos dolos. Iniustitia, vt Stoicis placet, est mentis habitus, qui à regione morum exterminat æquitatem. Iustitia est non nocere, & ex humanitatis officio nocētes prohibere. Nocere est iniuria nocentes, non impedire. Injustitia contumelia est, quādo tumorē mentis in læsione alteri^9 manifesta operis sequela comitatur. Dol^9, vt Acquilius definit, est cum aliud agitur, & aliud simulatur. Malus autem, quando fit in intentione nocendi, & quasi in insidiis nocet. Dolus igitur quia ex timore est, aduersatur fortitudini, contumelia verò prudētiæ, quę dicit sibiipsi. Vt quid superbis terra & cinis? Iniutiā temperantia non admittit, nolens inferre alij, quod sibi nollet ab ab alio irrogari. Iniustitiam justitia excludit, faciens alij, ꝙ sibi vellet fieri bene & honestè. Quod autem addit *diuersos*, puto ad omnia cōmuniter referendum: non solùm ad vitiorū diuersas species, sed etiam ad diuersas personas, & ad omnes modos, quibus à quocumque hæc vitia committuntur. Princeps enim tenetur pro omnibus, & omnium etiā auctor videtur esse: quia cùm omnia possit corrigere, eorum meritò particeps est, quæ noluit, cùm potuit, emendare. Cùm enim potestas publica sit, omniū vires exhaurit, & ne in se deficiat, incolumitatem omnium debet procurare membrorum. Sicut autem potentes potēter tormenta patientur, si à justitia deflexerint: sic & justitiæ pręmiis fruentur abūdantiùs, si rectè exercuerint potentatum: & tantam in futuro præ subditis habebunt gloriam, quanta virtute eos in magna delinquendi licentia præcesserunt. Vnde dicitur. *Potuit transgredi, & non est trāsgressus.* Ad iustitiam namque reputatur Principibus etiam cùm temperant ab injuriis: & facultas delinquendi est eis materia meritorum. Declinare autem à malo in eis magnum est: etiamsi magna bona faciunt, dum tamen subditos indulgentia sua non perimant. Patri ergo succedit filius, si patris iustitiam imitatur. Caritas autē minimè seruatur, cùm amorem, qui patriæ & parentib^9 pro-

Psalm. 36.

Quid sit dolus.

Eccli. 31.

-cipuè debetur, pater transfundit in filios, & filialis affectus paterni pectoris cellam solus exhaurit. At hodie vitia liberorũ saluti reipublicæ præferuntur; licet saluté populi liberis omnibus oporteat anteferri. In libro enim Regum latenter Saul arguitur, quòd in voto isto de diurno ieiunio pepercit Ionathæ, contra ipsius religionis votum, cuius prævaricatione populi corruerunt: & Heli etiam, licet in se sáctus esset, quia filiis pepercit, periit. Vt autem de ceteris taceam, quantùm rempublicam dilexit Deus Pater: qui propter eã proprio filio suo nõ pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum?

1. Reg. 14.

1. Reg. 4.

Caput XVIII.

De 4. Principi necessariis, & corpore Reipublica.

QVatuor autem Principibus inculcare Plutarchus nititur: scilicet reuerentiam Dei, cultũ sui, disciplinam officialium, & potestaté affectuum, & protectionem subditorum. Nam qualis debeat esse princeps, eleganter descripsit, in libro pulcherrimo, qui inscribitur. *Institutio Trajani*; cuius principium superiùs in loco suo posuimus. *Denique tu*, ait, *quidvis, rectissimè geres, si non recesseris à teipso: si primo te composueris ad virtutem, rectè procedent vniversa. Politicæ enim constitutionis maiores tibi vires exclusi, cui si obtemperas, Plutarchum vivendi habes auctorẽ. Alioquin præsentem epistolam testem invoco, quia in perniciem Imperij non pergis, authore Plutarcho.* Sequuntur postea politicæ constitutionis capitula. Est itaque respublica, vt Plutacho placet, corpus quoddam, quod diuini muneris beneficio animatur, & nutu summæ æquitatis agitur, & regitur quodam moderamine rationis. Quæ enim ad religionem pertinẽt, vicem animæ obtinent. Princeps caput huius corporis viri subiectus Deo, & his qui vices Dei agunt in terris. Cordis autem locum senatus obtinet. Oculorum, aurium, & linguæ officia sibi vindicant iudices, & Præsides prouinciarum: officiales & milites manibus coaptantur: qui semper assistũt Principi, lateribus assimilantur: quæstores & cõmẽtarienses, non illi qui carceribus præsunt, sed comites rerum priuatarum, ventris & intestinorum ferunt imaginem: pedes agricolæ sunt. Ex his ergo quatuor illa sunt, quæ Plutarchus Principibus inculcare conatur, reuerentiam Dei scilicet, & cetera supradicta.

Plutarchi Institutio.

Caput XIX.

De reverentia Dei & cultu sui.

MIro autem modo Deus intelligentiam sui sic infundit, ut subtrahat; sic subtrahit, vt infundat. In multis enim multipliciter lucet. Est autem à maiestate mirabilis, à sapientia venerabilis, amabilis à bonitate. Et hic est funiculus triplex, inter Creatorem scilicet & creaturam, qui facilè non rumpitur; sed vt timeatur, honoretur, & diligatur. Colitur autem dupliciter, affectu mentis, & exhibitione corporis. Reuerentia quæ corporaliter exhibetur, aut in personis, consistit, aut in rebus. In personis, aut à natura aut ab officio, aut à moribus, aut à conditione, aut à fortuna. Natura, vt parentes, cognati, & affines. Officium est debitum exequendi, quę vnicuique ex institutis, aut moribus agenda sunt, quorum agendorum alia ad publicum, alia ad suum cuiusque pertinent statum. Nam officiorum quædam publica, quædam dicuntur priuata. Priuata enim tot sunt, quot sunt personæ. Publica aut à diuino aut ab humano iure descẽdunt. Publico officio tanta debetur reverentia, quanta est eminentia cuiuslibet magistratus. Mos est mentis habitus, ex quo singulorum operum assiduitas manat. Hic virtutes & vitia æquè cõplectitur. Vnde bonos & malos mores dicimus ratos sine morigeros à bono, morosos à malo nominamus. Conditio est status personæ fortuitus, quo aut in aduersis, aut in prosperis degitur. In his autem qui divina iura ministrant, Deus præ ceteris aut honoratur, aut spernitur, cùm illorum honorem & contemptum proprium reputet dicens: *Qui vos spernit me spernit, & qui vos recipit, me recipit.* Reverentia quæ in rebus consistit, aut in corporalibus est, aut ædibus, & locis sacris, aut sacrificijs. Aut in spiritualibus, vt sunt jura, quæ sacris rebus competunt, quæ temerare sacrilegium est morte expiandum. Rerum autem sacrarum immunitates convellere, insurgere in Deum est. Cultus sui maximè in tẽperantia consistit. Marcum Catonem eodem vino quo remiges contentum fuisse tradunt. Cajus Curius Sabinorum victor nolens agros suos ex Senatus consulto ampliari, gregalium portione contenus fuit; malum ciuem dicens esse, cui non satis esset id quod ceteris civibus.

Funiculus inter Creatorem & creaturam.

Luc. 10.

Quorumdam temperantia Ethnicorum.

Caput XX.

De Officialium disciplina.

SEquitur de potestate & officialiũ disciplina. Nihil iniquo diuitis consiliario perniciosius. Vnde in Proverbiis: *Omni custodia conserua cor tuum, quoniam ex ipso vita procedit.* Est igitur prouidendum potestati, ne consiliarij indigeant, neue aliena immoderatiùs concupiscant. Nihil est sceleratius, quàm amare pecuniam. &c. Non solum in corde, id est in consiliario, sed etiam in ventre & intestinis rei publicæ, idest quæstoribus, & commentariensibus hæc ratio seruanda est. In lateribus quoque, idest illis, qui semper Principi assistunt. Nam à conuictu mores mutantur. & qui tangit picé, inquinabitur ab ea, vuaque cõspecta vel contacta liuorem ducit ab vua. Ita quidã legati Apostolicæ sedis in prouinciis debacchantur, ac si ad Ecclesiam flagellandũ egressus sit Sathanas à facie Domini, acceptores personarum, & quasi quidam bonorum mallei. Inde Iuvenalis.

Preverb. 4.

Omne animi vitium tantò conspectius in se,
Crimen habet, quãtò maior qui peccat habetur.

Episcoporum nomen & officium venerabile esset, si tanta impleretur solicitudine, quanta interdum appetitur ambitione: & diligerentur vt patres, timerentur vt domini, colerentur vt sãcti, si exactionibus parcerent, & projicerẽt ex animo, quidquid prouenit ex calumnia, nec omnem quęstum pietaté putarent. In domibus prælatorum & principũ omnia hodie venalia sunt: frustra apud curiales de testimonio conscientiæ, de venustate morũ, de torrente eloquentiæ, nisi pretio interueniente confidis.

Ipse licet venias musis comitatus Homere,
Si nihil attuleris, ibis Homere foras.

Ego etiã credo me vidisse ostiarios cerbero duriores. Apud inferos, tamen cerberus, vt aiunt, vnus est. Sed quot sunt diverticula curiarum, tot cerberi. Tota enim familia aut mordet, aut latrat. Vetus Proverbium est. *Vacua manus temeraria petitio est.* Apud aduocatos quoque & ipsũ

silentium venale est. Hoc fortassis à Demosthene acceperunt, qui cùm Aristodium autorem fabularum interrogasset, quantum mercedis, vt ageret accepisset, & respondisset, talentum. At ego, ait Demosthenes, plus accepi, vt tacerem. Causidicorum lingua damnifica est, nisi eam vt dici solet, funibus argenteis vincias. Nihil autem, vt ait Seneca, venali misericordia inopius. Iniustũ prorsus est misericordiam vendere, siue justitiã. In lege verò scriptum est: *Iuste quod justum est, exequeris.* Lege quoque Iulia repetendarum tenetur, qui cum haberet aliquam potestatem, ad judicandũ vel determinandum, pecuniam acceperit, quo magis aut minus quid ex officio faceret, Hæc verba legis sunt. Iterumque omnes cognitores aut judices à pecuniis & patrociniis manus abstineant. Neque enim alienum iurgium suam putent prædam. Plebiscito etiam continetur, ne quis præsidum munus, donum ve caperet, nisi esculentum, poculumve; & id quidem inter dies proximos porrigatur, sed nec exenia producenda sunt ad munerũ qualitatem. De talium muneribus, ait epistola Seueri Imperatoris. *Vetus prouerbium est, nec omnia, nec semper, nec ab omnibus. Nam valde inhumanum est à nemine accipere, passim vilissimum, per omnia auarissimũ.*

Deuter. 16.

Caput XXI.

De publicis exactoribus, & eorum violentia.

EGregiè autem de talibus ait Laurentius Mediolanensis Episcopus, vbi publicos exactores describit: publicanus, inquit, est caput rapinæ, lex violentiæ, prædo sine pudore, medicus exterminij, immanior furibus, nam fur timens delinquit, hic autem confidenter. Fur laqueos legis timet, hic quidquid fecerit, legem vocat. Quis eo iniquior, qui verbo justitiæ justitiam dãnat, & armis innocentiæ spoliat, vulnerat, occidit innocentes? Lege vtique legem perimit, & dum alios vrget ad legem, ex lege dejicit. Publicanorum autem à maximo vsque ad minimum cætus concussioni potius quã justitiæ vacat: & ita in populũ debacchantur, vt quod reliquit vnus, alij non auferre; tamquam ad hoc constituti sũt, vt residuum locustæ comedat bruchus. Officiali Cæsaris, nisi in omnibus acquieueris, Cæsari contradicis. Et quidquid dictet, nisi sit sic, & nisi sic stet, est in personam regis, contraque coronam: quidquid dixerit ita obtinet, ac si inueniatur in actis; & cum aliàs habita moderatione inculpatæ tutelæ vim vi repellere liceat, concutientibus officialibus, spoliantibus, torquentibus mutire non licet. Hæc autẽ omnia in Principem redundant. Singuli quippe tenentur ad singula, principi verò onera incumbunt vniuersa. Princeps autem legis nexibus dicitur absolutus, non quia ei iniqua liceat; sed quia is esse debet, qui non timore pœnæ, sed amore justitiæ æquitatem colat. Nam in negotiis publicis nil ei velle licet nisi quod lex aut æquitas persuadet, aut ratio communis vtilitatis inducit.

Descriptio exactorum.

Caput XXII.

De æquitate judicij.

AEquitas autem juris, vt periti asserunt, est rerũ conuenientia, quæ cuncta coæquiparat ratione, & in paribus causis paria jura desiderat. Lex verò eius interpres est. Quidquid autem æquum est, ita demum justum est, si est voluntarium. In nulla re hodie tantum offendunt huius sæculi potestates, sicut in judiciis, non attendentes quod scriptum est. *In quo judicio judicaueritis, de vobis judicabitur.* Et illud quod supra posuimus, *Iustè quod iustum est, exequeris*, id est sine acceptione personarum vel munerum, mox vt tibi liquebit de causa, justam de vtraque parte feres sententiam. Nam dum causa anceps est, protelanda est sententia, quia festinata judicia pariunt pænitentiam. Si ergo in judicando periculum vitari non potest, nihil est vtilius, quàm differre. Si autem alterutrius litigantium periclitatur vtilitas, & rei difficultas moram non exigit, iniquissimum est judicium protelari. Ipso autem jure cautum est, vt sacrorum Euangeliorum scripturæ terribiles ante sedem judicis deponantur, ibique ab initio vsque ad finem permaneant, nec amoueantur, nisi sententia recitata; quò totius consistorij latitudo Dei ipsius repleta præsentia, omnibus ad sacrosanctas scripturas metum incutiat, & reuerentiam; & ab inquisitione veritatis omnis iniquitas propulsetur. Vt autem dicitur in libro Codicis secundo, procliuiora sunt jura ad defendendum, quàm ad impugnandum; faciliusque ad exceptionem, quàm ad actionem trahunt. Vnde cùm non omnes ad accusationem admittantur, omnes ad defensionem admittuntur, nisi aliquis absens dãpandus est.

Deuter. 16.

Codex Euãgiliorum ante judicis sedem deponẽdus.

Caput XXIII.

De militum electione, & eorum officio.

VIdimus de mẽbris ceteris reipublicæ; nunc de militibus videamus, qui manus appellãtur. Nullus, vt ait Vegetius Renatus, quem oporteat vel plura vel meliora scire, quàm principem. Christianus princeps milites magis à fide & moribus, quàm à viribus debet eligere. Nostri autẽ milites hodie sic ad bella, quasi ad nuptias, dealbati procedunt. In castris sermo illis est de conuiuiis, in conuiuio de armis. Duo sunt, quæ faciunt militem, tam corporalem quam spiritualem; electio & sacramentum. Longa pax militẽ incuriosiùs legit, Lucio Flacco & Caio Varrone consulibus, milites primò jureiurando facti sunt. Antea enim sacramento tantummodo à tribunis rogabantur. Conceptio sacramenti teste Vegetio hæc est. Iurant milites per Deum, & Christum eius, & Spiritum Sanctum, & per maiestatẽ principis, quæ secundũ Deũ humano generi diligẽda est & colẽda, se strenuè facturos omnia, quę præceperit princeps, numquam deserturos militiã, vel mortem recusaturos pro republica, cuius sũt conscripti militiæ. Cato militem non dicit, nisi eum qui sacramento ad militiam jam consecratus est. Miles igitur sicut laboris, ita & honoris est. Nemo enim sibi honorem sumat, nisi qui vocatur à Domino. Qui non electus seipsum militiæ ingerit, in se gladium prouocat, quem propria temeritate vsurpat. Vsus autem ordinatæ militiæ est tueri Ecclesiam, impugnare perfidiam, & sacerdotium venerari, pauperum propulsare injurias, pacare prouinciam, pro fratribus (vt sacramenti docet conceptio) fundere sanguinẽ. Miror autem quomodo Princeps illis habet fidem, quos videt Deo suo, cui, vt cetera taceam, & sacramento militiæ alligati sunt, fidem debitam non seruare. Nequaquam fidem seruabit secundam, qui primam irritam facit. Denique cõsecratio militis hæc est. Consuetudo solemnis est, vt ea die qua quis militari cingulo decoratur,

Militis officium.

Professio militum.

Ecclesiam solemniter adeat, gladioque super altari posito, & oblato quasi celebri professione facta, seipsum altaris obsequio deuoueat, & gladij, scilicet officij sui jugem Deo spondeat famulatum. Eis ergo pro Ecclesia plurimum, contra Ecclesiam licet nihil. Aut enim plus, aut non minus in sua professione faciunt, quam Episcopi & Abbates, qui schedulam offerunt. In quibusdam etiam locis moris est, militem in crastinum consecrandum, totam noctem præcedentem peruigilem in orationibus ducere, & nec jacendi, nec sedendi habere licentiam; nisi forte repentinæ infirmitatis necessitas coëgerit, sed tota nocte stantem orare.

Caput XXIV.

Quod obedire debent principi, sed magis Deo.

Primum hominiũ Deo debetur, cuius est homo creatione & redemptione. Secundum autem homini, saluo tamen dominio Dei, qui ab omnibus hominibus suis exigit innocentiam. Cũ periculo ergo innocentiæ nemo cuiquam debet fidem, nec Abbati Monachus, nec patri filius, Domino serv⁹, nec marito vxor. Est igitur principis providere in primis, ne miles suus perdat innocentiã pro defensione reipublicæ; sine qua respublica salua esse non potest. Solus enim ille princeps est bonus, est & judex incorruptus, cuius sententia ex contemplatione assidua imago est æquitatis. Est enim publicè æquitatis vindex, & æquitatis servus; & in eo personam publicam gerit, quòd omnium iniurias & damna corrigit, & omnia crimina media æquitate punit; cuius officium est illis, qui nimirum possunt plurimũ prodesse, & qui nocere desiderant, plurimùm adversari. Vnde & in sacra scriptura columbæ gladius appellatur, quia sine felle rixatur, sine iracundia ferit; & cùm dimicat, amaritudinem nullam recipit. Nam (vt ait Cicero orator egregius) sicut lex persequitur culpas sine odio personarum, ita princeps facere debet. David vir sanguinum dictus est, non propter bella, vt ait Augustinus, sed propter Vriam. Nã nec Samuël, nec Elias, nec Phinees vir sanguinum appellat⁹ est, cùm quilibet eorum sanguinẽ fuderit. Pulchre autem secundũ stoicos lictor dicitur, quasi legis ictor; quia ad eius spectat officium ferire, quem lex judicat feriendum. Vnde & antiquitus illi, cuius manu judex innocens nocentem punit, cùm gladius immineret, dicebatur, obtempera legis arbitrio, vel legem imple, vt vel sic mansuetudo verborum puniendi rei tristitiam mitigaret. Cùm ergo milites sint manus corporis publicæ potestatis, illius principis manus sanguine plenæ sunt, cuius officiales & milites vel innocentium sanguinem fundunt, vel innocentes opprimunt. Huius ergo principis oratio numquã exaudienda est, eleemosyna Deo numquam acceptanda.

Ierem. 46.

Caput XXV.

De mutuo affectu principis & subditorum.

Boni Principis exemplum.

Vltimum eorum, quæ Plutarch⁹ habere jubet principem, est amor subditorum. Codrus enim Atheniensium rex pro victoria populi sui seipsum morti tradidit. Nã mutato regis habitu sarmenta colligens, castra hostium ingressus, à milite quem facilè in jurgio percusserat, interfectus est. Vnde & illud Poëticum.

Et jurgia Codri.

Decios ducẽ Romanorum se pro suis exercitibus morti devovisse, percelebre est. Iulius etiam Cęsar dicere solitus erat. Dux qui nõ laborat, vt militibus charus sit, militẽ nescit amare, nescit humilitatẽ ducis in exercitu, & adversus hostẽ debere esse. Idem etiam pistorẽ in vincula coniecit, quia sibi meliorem panem, quàm ceteris militibus in mensa superposuerat. Alexander militem suum Macedonem senio confectum nimio frigore obstupefactum, ipse in sublimi & propinqua igni sede sedens cum animadvertisset, statim descendit, & in suis manibus corpus frigore duplicatum in suam imposuit sedem. Plato cum vidisset Dionysium tyrannum Siciliæ corporis sui circumceptum custodibus: quod tantũ malum, inquit, fecisti, vt à tam multis custodibus necesse habeas custodiri? Principem enim sic oportet vincere obsequis omniũ affectus, vt quisque subditus pro eo periculis imminentibus caput opponat. Sic etiam vrgente natura pro capite cetera se solent membra opponere. Vnde Claudianus.

Non sic excubiæ, non circumstantia tela,
Quàm tutatur amor: non extorquebis amari.
Hac alterna fides, hæc simplex gratia donat.

Hucusque dictum sit de institutione Regum & principum; qualiter se habere debeant, vel domi, vel militiæ, non solùm secundùm leges diuinas, sed etiã humanas; quæ eatenus valent, quatenus à diuinis non discrepant. Alioquin falsum est, quod in lege scriptum est: *Quod principi placet, legis habet vigorem.* Nullas enim leges credunt quidam ciuilibus præferendas: sed has Anacharsis Scytha telis araneis comparauit, quę muscas, & culices detinent, & volatilia grandiora transmittunt.

EIVSDEM HELINANDI

EPISTOLA AD GALTERVM CLERICVM,

Scripta nomine Guillelmi fratris ejusdem Galteri.

Inscribitur autem, Liber de Reparatione Lapsi.

Alludit ad librum in quo erant lamẽtationes, carmen, & væ apud Ezech. 2.

OB lamentationes, & væ, de carmine nihil ad te, Carmen enim illis debetur, quibus bonum est confiteri Domino, & psallere nomini Domini altissimi. Carmen illis debetur, quorum in cordibus cantatur Domino, psallitur spiritu, mente iubilatur: & quorum operatio Christo citharizat, & organizat cogitatio, psalterizat oratio, deuotio lyrizat. Nihil enim tibi & carmini. Non est enim tibi cantare canticum Domini in terra

aliena. Nihil tibi & *ave*, qui non mutas nomen Evæ: nihil tibi & *salve*, qui non salvas commẽdata, dum mandata non servas, dum te non pasas ad judicium, non comparas auxilium aduocati tui Christi, sed Saluatori tuo crucem reparas secundam, mortisque tibi præparas secundæ cruciatum. Nihil tibi, & *vale*, qui non viuis nisi malè, qui valere non affectas, dum detrectas pœnitere. Tu ergo anima mea, frater meo expectanti & reexpectanti modicum in sæculo, nimium in peccato, manda & remanda lamentationes & væ. Perlustrata namque cum omni solicitudine materiæ præsentis tota multitudine, nil invenire potui, quod mitterem pro carmine; sed plenus amaritudine, plenus anxietudine, quod scripsi, scripsi. Salus non sane missa nugatoria est, missa verò inuito superflua. Denique quid prodest alicui salus vlla destinata, cui nulla salus grata? Planè frustra salutatur, à quo salus non optatur. Quis dabit aquam capiti meo & oculis meis fontem lacrymarum, vt copiosè lugeam dignum mei fratris interitum? Iustus es Domine etiamsi disputem tecum. Verumtamen etiam iustè loquar ad te, non tamquam tecum disputans, sed tamquam tecum computans, quæ mecum supputo, & fratri meo imputo. Adhuc enim frater meus mendicat siliquas porcorum in regione illa, in qua fames oritur, nec moritur: vbi egestas incipit, nec desinit: nec recordatur infelix, quanti non solum filij, sed & mercenarij in domo patris sui abundent panibus. Ipse verò nec dolore concutitur, nec rubore confunditur, quod & fame pereat, & siti torreat, & labore fatigetur, & seruitute prematur. O quàm facili transitu hæc omnia transiret, duobus tãtùm passibus à tam graui exilio resiliret: quorũ primo reuerteretur ad se, ad te verò pater, altero conuerteretur. Iussisti autem mihi, vt non solum eum, sed & quemlibet proximum meum diligam, quantum meipsum. Sed quis mihi proximior fratre meo? Nusquam ego totus adsum, vbi abest frater meus, dimidium scilicet animæ meæ. Nonne Domine te iubes diligi in tota anima? Quomodo ergo tota anima te diliget, nisi vtraque eius medietas te diligat? Non enim bene diligeris ad medietatem. Vt ergo te totus diligam, fac oro vt te diligã, & frater meus. Si vis vt sequar te, sequatur obsecro & frater meus: neque enim dimidius sequi te potero. Vt me totum salvum facias, salvum fac & fratrem meum, qui totum hominem salvum fecisti in sabbato. Quippe nil facis ad medietatem, sed quidquid facis perficis. Alioquin non diceretur in operibus tuis quod vniversa essent valde bona. Et in Deuteronomio, *Dei perfecta sunt opera*, &c.

Deflet fratris è monasterio discessum.

Deuter. 32.

Ob lamentationẽ & væ. Lamentatio de præsenti est; carmen & væ de futuro. Væ tibi proposui, vt ab eo fugeres: lamentationes proposui, vt ad eas confugeres. Carmen verò nec posui, vt remota omnis lætæ rei memoria, nulli transitorio decori cor tuum apponeres, sed quamdiu te super flumina Babylonis sedere cognosceres, fleres, plorares, gemeres, & in ejus salicibus organa suspenderes, & te totum penitus medullitus exponeres dolori. Nulla tibi, nulla de carmine mẽtio fiet, donec illud impleas præceptum: exite de Babylone, fugite à Chaldæis. Sed iam loquar ad te. Ipsa lamentatio, scilicet quæ hactenus locuta est pro te, quomodo cecidisti Lucifer, qui mane oriebaris, qui jubilabas Domino cum matutinis astris, quando in cœtu nouitiorum, in fletu monachorum, in metu conversorũ, in conspectu Angelorũ psallebas Altissimo. Quomodo attractiua illa cauda draconis cum sua tertia parte stellarum te etiam secum traxit, cui Deus dederat lucem sapientiæ, splendorem scientię, jubar intellectus; vt cum stellis stantibus luceres, si velles, in perpetuas æternitates? Non parco tibi, frater amantissime, vt mihi & tibi parcat Deus. Cecidisti: numquid qui cecidit, non adjiciet vt resurgat? Septies in die cadit justus, & resurgit; id est, quotiescumque cadit, toties resurgit. Tu qui cadis tota die, recidis quotidie, cur non resurgis vel vno die? Quòd autem Ordinem nostrũ accusas intolerabilis duritię, profectò nõ Ordinis, sed accusantis est vitium. Neque enim ita durus est, vt sit inaccessibilis, aut importabilis contra naturam; alioqui nec Ordo esset: sed tu fluidus es & enervis. Præterea, quid magis secundùm naturam, quàm ordinatè viuere? At nulla vita ordinatior, quàm nostra. Ibi enim omnia in numero, & pondere, & mensura disponuntur. Ibi cibus, & quies, & somnus ad sufficientiã naturalem indulgetur. Ieiunia verò, labores, & vigiliæ, à nemine supra vires extorquentur; sed omnia mensuratè fiunt. Simplici enim victu & vestitu vita sustentatur, natura fovetur, conservatur sanitas. Denique quid naturalius, quid sanius, illo cibi & potus genere, ad cuius appetitũ sola natura & coquus est & medicus? Quis pane triticeo & leguminibus bene coctis famem non expellat?

Prouerb. 24 non est in die.

Ordo Cisterciensis iniustè accusatur duritia.

Ieiunus rarò stomachus vulgaria temnit.

Anima saturata calcabit favum, anima verò esuriens & amarum pro dulci habebit. Probabile est, ait Seneca, quòd natura desiderat, ad supervacua sudatur. Taceo, quod ad conseruandã sanitatem nihil efficacius, quàm cibi & potus idẽtitas conseruata. Varia enim fercula variarũ sunt naturarum. Omnis autem talis varietas parit humorum repugnantiam, & omnis humorum repugnantia repugnat sanitati. Vnde elegantissimè & prudentissimè respondit quidam de nostris adolescentibus Beluacensi Episcopo eum interroganti, vnde contingeret, quòd sanior & pulchrior esset in claustro, quàm solebat esse in sæculo. Quia, inquit, vniformiter viuo, & decenter. De quorum primo habeo vt sanus sim, de secundo vt pulcher sim. In sæculo autem viuebam tam deformiter, quàm multiformiter; de quorum primo turpitudo nascitur, etiam corporalis, de secundo ægritudo. Perrexitque Episcopus quærere dicens: quid ergo comedisti hodie? Satis, inquit, quid heri? Similiter satis. Non quæro, inquit, de quantitate; sed de qualitate, quid comedisti heri, quid hodie? Heri, inquit, comedi pisa & olera, hodie olera & pisa; cras autem comedam pisa cum oleribus, postcras olera cum pisis. Vide ergo quàm pulchro circuitu eamdem sententiam circumduxit, vt variijs modis ostenderet eadem se semper vti dieta, quæ præstet corpori sanitatem & pulchritudinem. Explosa igitur est omnis difficultatis accusatio, quam contra ordinem induxisti, & impossibilitatis excusatio, quam pro parte adduxisti. Neque enim ordo tam difficilis est, vt infirmos non recipiat, cùm & illis satisfaciat & accuratè & delicatè: neque tu tam infirmus aut debilis es, vt ad illum portandum nequaquam sufficias: cùm ego non deficiam, te & infirmior,

Ciborum varietas sanitati nocet.

& debilior. Et vt de me taceam, quantos tibi possum ostendere, qui de vita delicatissima ad hunc ordinem, quē appellas durissimum & difficillimū se transtulerunt, nec tamen adhuc ab eo resilierunt, quamvis & ætate iuniores te sint, & natura teneriores, & debiliores viribus? Et vt de tot millibus vnum excipiam, vnum tibi excipio, qui certè solus sufficit ad omnium exemplū: ipse quidem spectaculum factus est, & Angelis, & hominibus leuitate miraculi, qui priùs eis spectaculum fuerat miraculo leuitatis; dū non scena, non circus, non theatrum, non amphitheatrum, non amphicircus, non forum, non platea, non gymnasium, non arena sine eo resonabat. Nosti Helinandum, siquis nouit hominem, si tamen hominem. Neque enim tam natus erat homo ad laborem, quàm auis ad volandum, circumiens terram, & perambulans eam, quærens, quem deuoraret, aut adulando, aut objurgando. Ecce in claustro clausus est, cui totus mundus solebat esse non solùm quasi claustrum, sed etiam quasi carcer. Quomodo ergo non potes, quod ipse potest, cuius mutatio dextræ excelsi, quantum stuporem intulit seculo, pudoremque diabolo, tantum ipsi Domino cōtulit honorem? Neque etenim ipse tam leuis fuerat, quàm ipsa leuitas. Vnde & tanta leuitas, tam leuiter mutata, apud plerosque nihil aliud putatur quàm leuitas. Hinc est, quod iam quinquennis eius cōuersatio vix facit alicui fidem de futuro. Nimirū quantum in se ipso experimentum dedit inconstantiæ, tantum perseueraturæ constantiæ nunc debilitat argumentum. Erubesce igitur misertime, te saltem non sequi istum præcedentem, iuniorem, infirmiorem, debiliorem, delicatiorem. Quis enim attendens vnde iste surrexerit, surgere non possit?

Qualis Helinandus fuerit ante conversionem.

Itaque surge, & noli declinare in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis, attribuēs naturæ, quod est mentis impuræ: necessitati, quod est voluntatis: difficiliorem faciens Ordinem, quàm sit; te molliorem, quàm esse debeas; infirmiorem, quàm esse possis. Nemo enim tantam infirmitatem potest incurrere, vt rigor Ordinis ei de misericordia condescendens, & de caritate compatiens, congruam solatij non suppetat medicinam. Si ieiunare præ infirmitate non potest, manducare non solùm permittetur, sed etiam cogetur. Si laborare non sufficit, quies ei non deficit. Si vigiliis grauatur, somno recreatur. Infirmus es? Noli refugere: non portabis Ordinem, sed ordo te. Fallunt autem plerique, & non tam fallunt, quàm falluntur, pusillanimitate animi dicentes se non posse, quod possent, si tentarent: sed ante iudicant, quàm discutiant; & ideo in limine primo deficiunt, & ante tubam tremor occupat artus. Solent autem huiusmodi pusillanimes dicere, hodie ieiunaui, & iam caput doleo; si ergo cras ieiunauero, phræneticus fiam, aut lethargicus, aut melancholicus, aut epilepticus, aut maniacus, aut dæmoniacus. Planè non sequitur. Debile principiū melior fortuna sequetur. Multæ res intentatæ difficiles habent aditus, vsus autem faciles. Dicit ergo infirmus noster, hodie ieiunaui & ideo caput jam doleo. Mentiris planè, imò quia non jeiunasti nisi vno tantum die. Non enim ideo caput doles, quia vel semel jeiunasti, sed quia jejunare non consueuisti. Denique quid scis, an ex jeiunio hoc tibi accidit? Heri fortè tale quid immoderatè comedisti vel bibisti, quod naturaliter caput aggrauat. Nō ergo omnia aut ad præceptorum difficultatem, aut virium impossibilitatem referenda sunt. Surge igitur frater; non enim est impossibile surgere, quāuis sit difficile: tam difficile, quam facile est cadere. Facilius est, ait Aristoteles, destruere, quā astruere.

Discretio Ordinis erga debiles.

Facilis, ait Poëta, *descensus Auerni,*
Sed revocare gradū, superasque euadere ad auras
Hoc opus hic labor est, &c. Non dixit, hoc impossibile est. sed *Hoc*, inquit, *opus, hic labor est*, Idest possibile est, etsi difficile sit: possibile est, si adhibeatur opus, præbeantur opera, labor adhibeatur. Festina igitur vt resurgas, nam si resurgere est hodie difficile, cras erit difficilius.

Virgil. 6. Æneid.

Qui non est hodie, cras minus aptus erit.

Omne autem tempus, quod morte adjicitur, additur & casui. Quantò jacebis diutius, tantò cades profundius. Ipsum namque jacere est cadere. Cadere fateor, humanum est: sed resurgere nihilominus humanum est, juxta illud: *Numquid qui cecidit non resurget?* Idest, nonne qui potuit cadere, potest resurgere? Nō resurgere ergo nullomodo humanum est dicendum, sed diabolicum; cuius tota vita ruina est. Notanda igitur in hoc loco quadripartita varietas. Quatuor enim sunt; scilicet stare, cadere, surgere, & non resurgere. Horum duo media hominis sunt. Homo enim cadit & surgit; & iterum recidit, & iterum resurgit, stare verò absque casu solius Angeli est; non resurgere verò solius diaboli est. Qui ergo stat, & non cadit, Angelus est: qui verò cadit & surgit, homo est: qui autem cadit, & post casum non surgit, non quia non potest, sed quia non vult, profectò diabolus est; etiam si homo sit. Vnde & de tali homine dictum est, *Et vnus ex vobis diabolus est.* Vnde & dicitur ad homines. *Tentatio vos non apprehendat, nisi humana.* Vbi planè diabolica remouetur, quæ scilicet triplex est, supra se, infra se, & contra se. Supra se tentatur quis, quando effertur vltra se. Infra se tentatur quis, quando viuere appetit inferiùs, & sordidiùs, & viliùs, quàm naturæ suæ dignitas exposcit. Tentatio contra se est, quando aliquis scienter peccat, etiam ad mortem, & tamen postea non pœnitet, aut desperans, aut minus sperans, aut nec sperans, nec desperans; sed incredulus ad sperandum & ad timendum; idest, nec misericordiam credens profuturam, nec damnationem obfuturam; qui neutram credit futurā: sed omne judicium putat defuturum, dicens cū Epicuro. Nihil post mortem, & mors ipsa nihil. Quatuor enim tuæ calamitatis gradus superiùs enumeraueram: te scilicet nō stetisse, cecidisse, jacere, non resurgere. Quod non stetisti, levitatis fuit, quod cecidisti infirmitatis, quod iaces voluptatis est, quod non resurgis consuetudinis. Levitas impellit, infirmitas prosternit, perimit voluptas, sepelit consuetudo. Primò fuisti arundo vento agitata, secundo folium cadens ab arbore, tertiò factus es paralyticus grabato assuts. Nam quæ est differentia inter mortuum, & semper jacentem? Quartò, Lazarus in sepulchro quatriduanus fætens obuolutus linteis tumulatus. Arundo fuisti, quando ad levissimum serpētis sibilum te inclinasti. Folium fuisti, quando spiritu habente potestatem ascendente super te, locum tuum dimisisti. Paralysis autem est dissolutio, nihilque magis hominem dissoluit, quàm voluptas. His tribus gradibus, scilicet levitati,

Psalm. 40.

Humanum est cadere, diabolicum nō resurgere

Ioann. 6.

1. Cor. 10.

Peccator arundo folium, &c.

infirmitati, voluptati consuetudinem adiungẽs, te fecisti quatriduanũ, tumulatus es, & oppressus, obstinatione. Hæc est enim tumba, quæ supponitur cadaveribus animorum mortuorum.

Valde ergo timeo, ne nimium speres, cùm tamẽ non habeas plures rationes nimium sperandi, quàm desperandi. Nam sicut maledictus Cain qui desperauit, ita maledictus omnis qui peccat in spe. Sed Christiani Dei misericordiã frequentiùs experti, quàm eius iram, idest vindictam, cuius modò non est tempus, faciliùs inclinatur animus in hanc dexteram, quàm in illam sinistrã: quasi Deus plus habeat misericordiæ quàm iustitiæ, cùm ipse sit vtraque; id est misericordia & iustitia, nec possit esse maior seipso. Si ergo cogitas Deum esse multùm misericordem, cogita illũ tantùm esse iustum, iuxta illud, *Misericordiam & judicium cantabo tibi Domine.* Hæc cogitatio pariet tibi timorem, qui est initium sapientiæ, clauis justitiæ, quæ sola clauis reserat animarum sepulchra. Ipse est enim Angelus, qui revoluit lapidẽ ab ostio monumenti; cujus aspectus sicut fulgur, & vestimentum eius sicut nix. Aspectus timoris est cogitare & intelligere terribilia. Hæc sunt maximè quatuor, quæ semper ponenda sunt ante oculos mentis nostræ: Iudicij veritas, Iudicis seueritas, tormentorum æternitas, & enormitas peccatorum. Hæc quatuor solicitè considerata faciunt animum considerantis sicut fulgur, idest, ardentem & rubentem, hoc est, dolentẽ & prudentem. Iterum ista quatuor solicitè considerata faciunt, vt vestimenta considerantis sint sicut nix: quia cùm peccator attentè considerat, quid meretur, si non pœniteat, statim induit saccum pœnitentiæ, rigentem algore continentiæ, & & renitentem candore castitatis; quæ scilicet candor & rigor sunt duæ viui proprietates Nõ enim dixit & vestimenta eius sicut lana alba, aut sicut lac, sed sicut nix, inquit, profecto significare volens, quia si pœnitentia amara est, & constringens, & rigida; candida tamen est, & cito resoluitur, quia brevis est, quanticumque sit temporis. Clamat tibi IESVS voce magna, *Lazare veni foras*, exeundum enim tibi est adhuc ligato. Quilibet enim sic sepultus ad confessionem, consuetudinem etiam secum affert, sed non obstinationem. Alioquin nec ad confessionem veniret. Quomodo ergo te solvemus ab his vinculis? Recurrendum est enim ad consuetudinis originem, quæ primò radicanda est, vt extirpata penitus ejus radice, rami eius non repullulent. Ait enim Augustinus in libro Confess. ex volũtate fit libido, & dum servitur libidini, consuetudo fit peruersa & dum consuetudini non resistitur, fit tunc necessitas: quæ sunt quasi quædam ansulæ sibimet innexæ, catenam facientes, vnde peccator constringitur. De hac catena, vel de hoc funiculo dicitur apud Isaiam: *Væ qui trahitis iniquitatẽ in funiculis vanitatis*, id est peccatum peccato additis, quasi filum filo ad faciendum funem. Hic est funiculus triplex, qui difficilè rumpitur. Prima tortio hui⁹ funiculi fit ex illis duobus filis, scilicet peruersa voluntate, & libidine. Et est in hoc funiculo triplex libido bis tortum filum. Tertia verò fit ex consuetudine & necessitate. Quid est perversa voluntas? Peruersus animi motus ad appetendum aliquid præter Deum, propter seipsum; & ex hoc peruerso motu iam ex pœna peccati meretur, vt illud sibi libeat, idest placeat, ad quod appetendũ se peruersè mouit, & ita sequitur libido secundum peccatum & pœna primi. Libido namque dicitur à libendo, idest, placendo. At quæcumque nobis placent blanda quadam sui violentia vsum sui facilè nobis extorquent. Nam quæ libenter facimus, si possumus facimus, & frequẽter: immo si possemus, numquam non faceremus. Sic ergo ex libidine est consuetudo, quia qui hunc cibum comedunt, adhuc esurient. Numquam enim porcorum siliquis venter humanus poterit expleri. Quare vero ex consuetudine nascatur necessitas, manifestũ est: quia videlicet cõsuetudo est altera natura. O violẽtia cõsuetudinis, quanta est tua potentia, quæ de libertate facis seruitutem, de morbo complexionẽ, de voluntate necessitatem, de casualibus naturalia, de contingentibus impossibilia! Vis ergo euadere hunc funiculum tam subtiliter quam velociter? recurre ergo ad primum nodum, qui fit ex perversa volũtate, & libidine, & securus esto, quòd isto dissoluto dissoluentur alij qui sequuntur: quia cessante causa necesse est cessare effectum: nempe hic consistit tota vis huius funiculi. In alijs quidem nouissimus nodus primò soluend⁹ est, & nouissimè primus, hic autem è contrario. Avertantur igitur à sensibus corporeis res ipsos sensus allicientes, & facile auertetur ab animo peruersa affectio: quæ si auersa fuerit, statim libido auersa erit. Vnde Seneca. Id agendum est, inquit, vt irritamenta vitiorum quàm longissimè profugiamus. Quis enim juxta prostibulum viuat continenter? Quis tabernæ proximus viuat abstinenter? Quis inter forensia iurgia silenter? Immo quis in seculo viuit sapienter? Qui enim soci⁹ est stulto, efficitur ei similis. Qui picẽ tetigerit, nonne inquinabitur ab ea? Qui flammæ se iniecerit, numquid non inflammabitur? Vis ergo extinguere libidinem? Pone inimicitias inter te & mulierem: sufficiat tibi deceptam à serpente, te hactenus decepisse. Noli dare sanguisugæ sanguinem ad sugendum, sed auelle eam à cute, velit nolit etiam semiplenam. Vis extinguere libidinem? Amove ligna ab igne, etsi stridet incendium. Quæ sunt, inquis, ligna, quæ nõ sunt struenda in ignem huius hominis rixosi? Innumerabilia enim sunt, pauca tamen ex eis, in quibus & cetera possis recognoscere, dinumerabo. Ista sunt ergo.

Otia, segnicior somnus, caro, fœmina, vinum,
Prosperitas, ludus, carmina, forma, puer,

De primo habes.

Otia corpus alunt, animus quoque pascitur illis.

Et Lucanus. *Variam dant otia mentem* Et quidã de nostris. *In desideriis est omnis otiosus.* Et Regula illa Benedicti ait. *Otiositas inimica est animæ.* Et quidam de Patribus. *Numquam inueniat te diabolus otiosum.* De secunda habes.

Quæritur, Ægistus quare sit factus adulter
In promptu causa est, desidiosus erat.

De tertio est illud apud Catonis Ethicam.

Plus vigila semper, nec somno deditus esto.
Nam diuturna quies vitiis alimenta ministrat.

Denique illa duo prima semper istud tertium comitantur. Nemo enim potest esse somnolentus, quin sit & otiosus, & desidiosus. De quarto ait Apostolus, *Bonum est non manducare carnem: & non bibere vinum*, &c. De quinto quia infinita sunt exempla, sufficiat ponere solam mulieris etimologiam. *Mulier*, inquit Varro *dicitur à mollitie, quasi mollier.* Istud mollier intelligen-

Psalm. 100. *Timor Dei clauis justitiæ.* *Ioann. 11.* *Isaiæ 5.* *Ex quibus fiat funiculus peccati.* *Quãta vis consuetudinis.* *Fugiẽda peccati occasiones.* *Rom. 14.* *Ioann. 6.*

dum est dupliciter, idest actiue & passiuè, tamquam si diceretur mollibilis, idest facilis ad molliendum; vt & citò molliat, & citò molliatur. Nolo autem te ignorare, quòd malleus similiter dicitur à molliendo, eo quod ferrum molliat. *Ferreas mentes*, ait Hieronimus *ipsa libido domat.* Et Claudianus.

Ferrea lasciuis mollescunt corda sagittis.

Vides ergo, quomodo conveniant rationes etimologiarum cum rationibus naturarum. Quid non mollit malleus? Quem non mollit mulier? Igitur mulier est malleus. Verè ipsa est malleus vniuersæ terræ, per quem diabolus & mollit & malleat vniuersum mundum. Quomodo non cauisti tibi ab hoc malleo? Nonne ille est malle⁹, qui tibi massam corporis vsq, ad plumbeas exterminauit laminas, imò etiam qui assiduè cudendo super te suam de te fecit incudē? Si ergo vis fugere ab hoc malleo, exi de fornace ferrea Babylonis, nisi fortè, quod absit, huius tam magni, & tam grauis mallei tunsiones assiduas non formidas, qui contra proprietates aliorum malleorū nihil glutinare potest, solidare nihil nouit: sed cuncta confringit, & omnia comminuit, dissoluit vniuersa. Redi ergo, redi ad crucem Domini bajulandum: & noli patrem tuam ponere cum Pilato, qui malleator interpretatur. Transeamus autem ad cetera vitiorum irritamenta. De vino, quod posui post feminam, est illud vinum, in quo est luxuria. Et Poëta.

Mulier est malleus.

Et Venus in vinis, ignis in igne furit.

Vnde eleganter ait Hieronymus. *Vinum in adolescentia bibere est oleum addere camino, & gladium veneno.* De prosperitate legis apud Ovidium.

Hieron. lib. de virginit. & in c. 5 ad Ephes.

Luxuriāt animi rebus plerumque secundis

Nec facile est æquā commoda mente capi.

Vnde Agustinus de Salomone. *Secunda res quæ sapientium animos fatigant, plus obfuerunt Salomoni, quàm profuit ipsa sapientia, etiam tunc laudabilis, etiam nunc longè lateque memorabilis.* Et ipse Salomon in Proverbiis ait: *Prosperitas stultorum perdet illos.* Vnde Iuvenalis.

Lib. 17. de Ciuit. c. 20.

Prouer. 1.

Prima peregrinos obscœna pecunia mores

Intulit, & turpi fregerunt sæcula luxu

Divitiæ molles.

Sicut autem prosperitas adtrahit ad peccatum, sic plerumque adversitas retrahit à peccato. Vnde Gregorius: *Aliquando nos mundus retrahit à Deo, nunc tantis adversitatibus plenus est, vt nos mittat ad Deum. Ecce enim Dominus, sicut promiserat per Prophetam, sepiuit vias tuas spinis, vt semitas tuas non invenires, & post amatores tuos non curreres. Quomodo ergo non dicis; vadam & revertar ad virum meum priorem. quia mihi bene erat tunc meliùs quàm nunc? Quare non convenis diabolum de conventione, quam tecum iniit, & de fœdere quod tecum percussit; & proponis ei hanc disiunctam: aut mihi da divitias & voluptates, quas mihi pepigisti te daturum, si tibi servirem: aut ibo ad talem Dominum, qui mihi eas dabit, & hoc non solum ad satietatem, sed etiam ad cumulum?* O quā convenientissimè hæc ei proponeres! Ista enim promittit non solum tibi, sed cuilibet eius dominio submittere se volenti, juxta illud: *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.* Ecce qui cadens adorasti, & adorans eum cecidisti. Aliter enim non adoratur, nisi cadendo, cui non seruitur, nisi peccando. At quod tibi promiserat non dedit, mentitus est enim. Quid, putabas eū posse verum dicere? Nonne ipse mendax est, ab initio in veritate non stetit? Quomodo huius Domini fœdifragi exactoris sæuissimi intolerabilem toleras seruitutem? Miror tamen vehementer, vnde suppetant seruituti s expensæ.

Quomodo mundus nos mittat ad Deum.

Matth. 4.

Non habet vnde suum paupertas pascat amorem:

Non habet vnde tuum pascas furibunde furorem.

Considera enim, quòd ex quo huic domino servire cœpisti, numquā tibi prospere cessit, omnis paupertas successit, & aduersitas, accessit calamitas, infelicitas quoque modum excessit. Nunc collige breuiter, quàm infelix ei seruias:

Pauper, egenus, inops, pallens, exanguis, inanis:

Ære, cibo, requie, frigore, peste, fame.

O onerosa seruitus! ô amara subiectio! seruire & egere, famulari & tribulari, humiliari & conculcari. Deus bone, quid amarius, quid onerosi⁹ paupertate plena peccatis! Audi ergo consiliū meum. Falle illum qui te fefellit: mentire ei qui mētitus est tibi. Desine ei seruire, qui nō solùm sicut promiserat tibi non seruit, sed etiam contra te seruit. Sic ars deludatur arte. Sequitur de ludo: in quo nomine intelligo omnem jocum. Est autem omnis jocus fomes libidinis: vnde & Venus dicicitur jocosa: de qua sic ludit ille suus familiaris:

Fallendus demon qui nos fallit.

Non solet in mœstos illa venire choros.

Ovid.

Post ludum etiam posui carmina; in quo nomine omne melos musicum comprehēdo; siue fiat instrumento, siue humana voce. Vnde Isaias. *Cithara & lyra, & tympanum, & tibia, & vinum in conuiuiis vestris, & opus Domini non respicitis.* Quomodo enim opus Domini, id est veritatis respiciatur, à quibus tot opera vanitatis non solùm aspiciuntur, sed etiam exercentur! Et Ouidius.

Isai. 5.

Multis pro forma vox sua blanda fuit. Aiunt Physici, nihil potentius ad enervandum animū, quàm lenocinium melodiæ. Vnde & quidā dæmones illa capiūtur; sicut dicitur de Saule arreptitio, & Dauid citharista: quòd videlicet ille meliùs habebat, quāndo iste psallebat: & Apollini Delphico inuenti sunt ludi musici, & ille optim⁹ medicus & theologus, & poëta, & citharista Orpheus suam libidinem citharizando prosecutus est vsque ad infernum. In eius iterū rei argumentum accipe, quòd difficilè inuenitur aliquis leuis vocis, & grauis vitæ: quippe cùm vocis leuitas tantum desideret, at vitæ grauitas plāctum. Vidi infinitos tam viros quàm fœminas tantò peioris vitæ, quantò melioris vocis. Sed vt nostris parcam temporibus, Nero producatur in medium: de quo refert Suetonius in libro de vita Cæsarū, quod adeo delectabatur in cantando, vt nec repentino motu terræ antè cantare desisteret, quā inchoata finiret. Refert etiam eum multoties supinum jacere solere, & pectori suo laminā plūbeam superponere: causa videlicet vocis conseruandæ, & abstinere à pomis, & à cibis officientibus, & numquam aliquem advocare, nisi aut per alium, aut voce submissa. Vnde dictum est illud apud Iuvenalem.

Vocis lenocinium.

Vox blanda, & nequam digitos habet.

Ecce invenimus hominem vocis blandissimæ, & vitæ pessimæ: & quoniam exemplorum superabundat copia, pergam⁹ ad alia. Sequitur de forma, quam semper duo pericula comitantur: & illa eadem, quæ vocem blandam, idest superbia & lascivia. Vnde Ovidius in libro Fastorum.

Neronis vox suavis, vita pessima.

Fastus inest pulchris, sequitur superbia formam.

Et Iuvenalis.

Rara est concordia formæ.

Atque pudicitia.

Et iterum

Iterum Ouid. *Lis est cum forma magna pudicitiæ.* Nec damno dona nrturæ, sed curiositatem,& vanitatem: quas indiuiduas, & quasi naturales secum ducunt comites. Sequitur de puero, quem etiam peccati fomitem appellaui:scilicet ea consideraaione, quà & mulierem. Quantũ enim periculi sexus affert in muliere, tantum ætas in puero. De illa ait Varro. *Mulier,quasi mollier,* De isto Naso. *Puero est ætas mollis.* De illa Virgilius. *varium & mutabile semper Femina.* De isto Horatius. *Cereus in vitium flecti.* Periculosa enim est ætas pueri, periculosiorq; societas, periculosissima verò familiaritas. Vnde legitur in vitis Patrum, Non habendam esse cum femina & puero familiaritatem: vbi additur, vel hæretico. Hæc ergo omnia sunt irritamenta vitiorũ, incitamenta voluptatis, tormenta castitatis. Hoc oleo. hac pice, hac stupa, hac naphta,his malleolis, his sarmentis incẽditur fornax Babylonis. Vis ergo fugere voluptatis incendium? Fuge hoc omne genus fomitis. Sed quò fugies à facie istorum? Totum circumspice mundum; vbique diabolus hamum peccati aliquo fomite delectationis inescat. Fugiendus est ergo mũdus, vt eius concupiscentiæ fugiantur. Alioqui si in mundo remanere volueris, nec abscissis manibus, nec truncatis pedibus, nec effossis oculis, eo quod scandalizauerint te, scandalo non carebis. Relinquitur etiam aliquid & auribus & naribus,quod eas scandalizet, & per eas animum. Igitur quandoquidẽ nec sine membris officialibus possumus viuere, nec illis scandalizantibꝰ bene viuere; necessariò quærendus est locus, non tam corporibus, quàm moribus salubris: vbi corporeorum sensuum non carentes officiis, illorũ scandalis careamus. Et quis locus ad hoc idoneus, nisi claustrum, vbi pax includitur, honestas clauditur, excluditur voluptas, secluditur libido? De quo loco scriptum est. *Melius est sedere in angulo domus, quàm cum muliere litigiosa.* Angulus est concors cohabitatio claustralium, in quam ipsi claustrales de diuersis hominum generibus tamquam de diuersis parietibus concurrentes,& habitantes in domo vnius moris & vnitatis, sectantes vniiatem spiritus in vinculo pacis, felici discunt experientia, quàm bonum & iucundum sit habitare fratres in vnũ. Mulier enim litigiosa, vel omnis ad literam mulier est, vel ipsa caro, vel vita muliebris, vel societas cum amatoribus mollis, & muliebris vitæ. Quodlibet enim istorum semper rixam mouet viris spiritualibus. O quàm conuenienter Rixãdis, vt dicitur, appellata est illa captiua muliercula, quæ te captiuum trahit! Ipsa enim est diabolus, qui dicitur Rixoaldus, qui semper rixã alit. Nam & hoc nomen legitur esse proprium cuiusdam dæmonis. Fuge ergo frater dilectissime, fuge rixam, quam tibi mouet Rixoaldus iste per illam Rixandam,& redi ad claustrum tuum, locum pacis & quietis, amatorem silentij, rixæque persecutorem. Redi frater, redi à mundano circuitu, in quo impij ambulant, quem semper leo rugiens circuit, quærens quem deuoret: ad claustralem tetragonum, vbi mirabiliter fabricante prudentia, columnæ iustitiæ super bases fortitudinis,cæmẽto temperantiæ firmissimè solidatæ, spei epistilia infatigabiliter sustinentes,& per interualla discretionis feriatis disposita caritatis latera, seu latitudinem [illegible] humilitatis angulos, scilicet angustias lineariter consummantes, & ab eisdem incipiẽtes, vitæ ordinatissimæ pulcherrimam stabiliunt quadraturam, arridente in medio tetragoni ad cumulum decoris prato diuinarum scripturarum, medicinalibus,& immarcessibilibus iucundarũ sententiarũ flosculis plenissimè referto. Redi ergo frater, redi de fornace ferrea ad Claustri refrigerium; vt in loco amœnissimo, sub domino humanissimo, Iesu Christo piissimo, voluptuosè transfigas præsentis huius miseriæ calamitatem.

Voluptas carnis fornax Babylonis.

Prouerb.21.

Vxor Galteri Rixandis duobus.

Sed dicis. Numquid non est alia vita quæ ducit ad Deum, quàm claustralis? Est plane, sed non tibi. Antequam enim hanc elegisses, plures tibi aliæ patebant. Quando autem de pluribus hanc vitam tibi elegisti, de omnibus vnam fecisti. Quid ergo, inquis, numquid soli claustrales saluantur, aut omnes pereunt seculares? Sane neutrum. Sed isti soli facilè saluantur, illi omnes difficilè. Cur hoc, nisi quia tutior est ab incendio remotus ab igne, quam proximus igni? Frater, nõ tibi persuadeat male suada cogitatio, te quod vouisti non debere reddere; quia videlicet non sub sancto Benedicto probationis annum perfecisti; nec sub sancto Augustino saltem dimidiasti dies tuos, sed dixisti in dimidio dierum tuorum, vadam ad portas inferi. Interroga conscientiam tuam. Nescis, cum quo mercatore contractum inijsti: cum eo scilicet, qui nescit fallere, quia iustissimus est; cuius non est posse falli, quia sapientissimus est: cui nemo potest resistere, quia fortissimus est: quem nemo potest corrumpere, quia optimus est. Priùs enim contraxeras cum diabolo, quando ei à teipso venundatus eras sub peccato. Tunc verò contraxisti cum Domino, miro modo distrahẽs ei, quod ante distractionem suum erat, & tuum pòst futurum. Nemo autem suus erit, id est sui iuris, donec ei se vendiderit, à quo iam redemptus est. Vis scire, qualis fuerit ille contractus inter te & Dominum? Distraxisti teipsum domino, subtrahens te sæculo, retrahens te peccato, abstrahens te ab inferno, extrahens te à luto, contrahens te in claustro: trahens post te diabolum, attrahens ad te dominum, & ab ipso postea ad cælum pertrahendus. Porrò in huius distractionis, idest venditionis pretium æternam beatitudinem tibi dominus confirmauit, hac conditione, scilicet vt ei perseuerares. An modicum tibi videbatur pretium, quod eras accepturus? Sed non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Quare ergo frater contractũ istum tibi saluberrimum, vtilissimum, & iucundissimum fide non persequeris? Quod si negare volueris, testes contra te, velis nolis, erunt, quicumque capitulo illi tunc affuerunt. Non nego me, inquis, vouisse: sed numquid vouisse taliter est vouisse solemniter, & non magis simpliciter? Nullo modo. Si enim distinguitur inter vota simplicia & solemnia, votum illud simpliciter fit, quod vel fit in silentio, quando scilicet deliberatio suis finibus contenta est, id est nõ prorumpit foras in vocem; aut si prorũpit, nullo præsente, vel paucis pręsẽtibus,& hoc extra Ecclesiam,& habitu pristino nondum mutato. Tale votum dicitur simpliciter factum, vel simpliciter prolatum, vel simplex solùm. Illud autem dicitur solemne, quod fit coram multis; aut si coram paucis, sed grauibus personis,& in Ecclesia, aut in manus Presbyteri etiam extra Ecclesiã, vel super Reliquias. Vel, vt breuiùs dicam, duo sunt quæ faciunt maximè votũ solemne, loci sancti-

Vita claustralis tutior seculari.

Cotractus fit cum Deo in Religione.

tas, & personæ authoritas. Authoritatem hic appello Ordinis dignitatem. Solemniter autem vouetur in omni Ecclesia, etiam sine presbytero, si tantummodo adsunt aliqui, quorum testimonio vacillare nō permittatur sex⁹, aut infirmitas, aut ætas, aut infamia. Solemniter autem vouetur coram omni Presbytero, etiam extra omnem Ecclesiam. Tu autem vouisti coram multis & grauib⁹ personis, id est conuentu copiosissimo & religiosissimo, & coram etiam Abbate & Ecclesia, quia in Capitulo. Neq; enim Capitulum non est pars Ecclesiæ; aut quod in Capitulo fit, in Ecclesia nō fit: cùm in toto corpore Ecclesiæ, præter illū locum, vbi altare constituitur, nullus locus sit sāctior Capitulo, nullus reuerentia dignior, nullus diabolo remotior, nullus Deo proximior: ibi enim perdit diabolus, quidquid alibi lucratur; ibi Deo restaurat obedientia, quidquid alibi subtraxit illi negligentia, vel contemptus. Vides igitur, quòd quæcumque cooperantur ad votū solemne, in illo voto concurrunt, quod fecisti nouitius in Ordine Cisterciensi: nondum enim venio ad illud votū, quod fecisti in Ordine præmōstratensi. Tempore autem B. Benedicti alia consuetudo erat recipiendi, & probandi Nouitios, quàm modò. Tunc enim Nouitij neque mutabant habitum proprium, neque tonsuram monachi accipiebant, donec monachi fiebant: id quod adhuc præcipitur in canonibus. Vnde miror, qua fronte nostri temporis Abbates hanc consuetudinem ausi fuerint immutare. Sed arbitror, quòd ad terrorem incutiendum, & pudorem. Magis enim verecundatur aliquis reuerti ad seculum seculari habitu cum crine deposito, quàm si nullum istorum reliquisset. Quod autem nouitij non mutabant habitum suum tēpore beati Benedicti, antequam deberent fieri monachi, probo ex textu illius regulæ. In illo enim capitulo, quod sic intitulatur. *De disciplina suscipiendorum fratrum*, sic in fine legitur: *Mox exuatur in oratorio rebus proprijs, quibus vestitus est, & induatur rebus monasterij.* Et subsequenter. *Illa verò vestimenta quibus exutus est, reponantur in vestiario, vt si quando suadente diabolo consenserit vt egrediatur de monasterio, quod absit, tunc exutus rebus monasterij proijciatur.* Liberè ergo tunc poterat dici Novicio: liber discede, quando nec mutato habitu pristino, nec tonsura suscepta, nullo voto tenebatur apud Ecclesiam, sed tantùm apud Deum. Quod enim ibi dictum est, *Liber discede*, subaudiendum est, quantum ad nos; quantum autem ad Deum, liber nō discedebat. Plures autē scandalizat claustralis refuga cū dimissione habitus, quam ex fractione professionis. Frangendo enim professionem illos solos scandalizat, quibus se professione coniunxerat. Dimittēdo verò habitum, illos omnes scandalizat, à quibus se disjunxerat eius susceptione: totum ergo seculum. Quid tibi nūc animi frater, plus nomine quā re: quid tibi nunc animi? Si enim consolatio abscondita est ab oculis Christi, quia inter fratres infernus diuisurus est, quantò magis abscondenda est ab oculis ipsorum fratrum, ne fortè inter eos non diuidat? Obsecro ergo te, frater dilectissime, per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto, vt collabores mecum, ne infernus dividat inter nos. Cur enim nati ex vno carnali vtero, & ex vno spirituali renati, vno inferno dimidiamur? Vel etiam, vt melius dicam, ne diuidat inter nos & Christum, quia eius pretioso sanguine à redempti sumus.

Quod hic solemne votum putat Helinandus non est tale.

Alia olim erat probationis ratio quàm nunc.

Expliciunt Flores Helinandi, viri boni, religiosi, honesti, & sancti, ac vita præcipui. *Verba sunt Vincentij Belvac. in Spec. Histo. lib. 29. c. 148.*

Visio consultò omissa in serm. 2. de Nativ. B. Virg.

Erat in Anglia quidā solitarius magnæ religionis. Ad hūc accessit quidā crebra & importuna tentatione tentatus, rogans eū, vt apud Dei genitricem matrem misericordiæ pro se intercederet; quaten⁹ ipsū ab illius tentationis periculo liberaret. Solitarius audita eius confessione intercessionem suam ei promisit, cœpit Dei genitricis auxilium vehementius implorare: quæ tādem ei astitit in veste candida & pretiosa: sed in anteriori parte guttis sanguineis cruentata, & ait. Audiui vocem tuam & orationem, & vidi lacrymam tuam. Illum pro quo rogasti scias à tentatione liberatum esse. Et his dictis cæpit flere, & de oculis eius fluebant lacrymæ sanguineę, quæ vestem eius tanquam guttæ sanguinis cruētabant. Miratus solitarius, causam tanti luctus inquirit. Ad quod illa. Cur, inquit, non lugeā, quando jam in toto mundo vix invenitur, qui sui ipsius misereatur; qui mihi vel filio meo gratiam habeat, qui non magis seductori animarū, quàm Saluatori credat? Maximam verò mihi luctus præstat materiā paucula gens illa, quæ mihi specialiter adhærere solebat, & in qua solebā requiescere à fastidio ceterorum: & nunc se à meis amplexibus crudeliter avulsit. Quæsiuit solitarius, quæ esset illa gens. Ordo, inquit illa, Ordo Cisterciensium, qui nihil carius æstimare solebant, quam meis & divinis deseruire obsequiis: nunc autem adeo carnalis effectus est, vt de feruore spiritus nil prorsus habeat, carnis curam faciens in desideriis: pro lucro sibi ponēs diem, in qua non laborat, sed equitat: noctē, in qua deest vigiliis. Monachi & conuersi sine causa intrant infirmitorium, murmurant pro carnibus, litigant pro vino. Nesciunt vel illi psallere, vel isti laborare, nisi pleni & ructuantes: paupertatem Ordinis in victu & vestitu subsannāt. Nihil quærunt in Ordine, nisi voluptatem corporis, & vanitatem cordis. Dicunt & faciūt, quod nec dici nec fieri fas est, & quod nefas est cogitari. Non est in ore eorum veritas, cor eorum vanum est, sepulchrum patens est guttur eorum. Sicut autem Redemptor mundi filius me⁹ ante passionem suam sudauit sudorem sanguineum, vt dilectionē suam exprimeret, quam habebat erga mundum: sic & ego lacrymas ab oculis effundo, vt amorem meum exprimam, quē erga huiusmodi ordinem dum puritati & humilitati studeret, habere solebam: & dolorem quem modo habeo de lapsu & ruina illius à tāto honore ad tantam contumeliam, de tanta felicitate ad tantam miseriam. His dictis evanuit. *Hæc visio, si vera est, non congruit æuo Helinandi, qui obiit anno 1204. vt in fine Chronici eius, quod ad illud vsq; tempus perduxit, constat. Tunc enim maximè floruit Ordo Cisterc. & B. Virgini carissimus fuit: vt patet ex reuelatione: qua Innocentium 3. Cisterciensibus infensum placauit, apud Cæsarium dist. 7. cap. 6. & ex visione, qua visi sunt iidem pallio ipsius Deiparæ tecti ibidem c. 58. & ex alia, qua visa est procidere ad pedes Christi, & dicere.* Parce, fili, propter amicos meos personas Cister. Ordinis. &c. *dist. 12. c. 58. Quæ acciderunt tempore ipsius Cæsarij, circa vel post mortem Helinandi. Nō ergo ipse hanc visionem refert, quæ eo viuo non accidit*

Lapsus Ordinis Cister. defletur à B. Virgine.

CORRECTIO QVORVMDAM ERRRATORVM,

quæ olim in editione prima libri de heresi Albigensium contigerunt

Horum erratorum partem magnam correxi, vt potui, pollicitus in præfatione, me reliquam correcturum, si reperire aliquando manuscriptum exemplar correctum. En sto promissis, nactus codicem optimum in Cœnobio Longipontano, ex quo correctiones quas feceram approbaui: quas non potueram facere, nunc exhibeo.

CApite 1, in medio, *Sed nec secundũ Poet,* &c. Vbi notauit Camuzat. sensum esse imperfectum. Sed tolle particulã *nec*, & sensus est clarus.
Cap. 2. codex etiam Longip. citat Apocalypsin, cùm Genesis sit citandã, & hanc vocem posui.
Cap. 4. *Ducis Cypri sororem*, repone *filiam*.
Cap. 8. *tamquam collegam suum*, lege, *tam eum, quam collegã*. Ibide. c. ante finẽ, *Mementote quia Creator* &c. sic legendus est ille locus. [Mementote, quia creator vester vestri non indiguit, cùm vos fecit: qui quamquã vestro seruitio non indigeat, vt quasi per illud minùs in agendo quod voluerit, fatigetur, & sua omnipotẽtia minor sit obsequio vestro carens: occasionem tamen vobis in hoc articulo tribuit acceptabiliter seruiendi.] Ibidem in fine, *scilicet*, reposuimus *secundùm*.
Cap. 9. in fin. suppleui verbum quod deerat per *habeo*: & in codice Longip. legitur *habebo*.
Cap. 10. & alibi *Thodisio*, Lõgip. habet *Thedisio*
Cap. 20 in fine *baronum*, Long. *Barolumvillam*.
C. 21. *peccatores*, sic & Long. Videtur esse error.
Ca. 24. init. *paucissimos* &c. addidi *præter*, Long. *Paucissimos quidem habebat milites, circiter* 30.
Cap. 37. *his*, addidi *peractis*, Long. *His dictis*.
Ca. 40 post med. *Tumetum*, Long. *Terminetum*.
Et mox, *situm castrum*, nos & Longip. *Ita situm*
Cap. 42. post medium. *Fecit Comes parari artificiosè quamdam viam, & discooperiri*. Sic Long.
Cap. 44. post initium. *qua erat amita*.
C. 46. *ministri Herodis*. Sic & Longip. erroneè: itaque legendum, *Pilati*, vt posuimus.
C. 49. post med. *Episc. Linocensis*, lege *Baiocensis*
Ca. 52. *in ipso aditu via*, Long. *in ipso egressu*.
Cap 53. lege, *fisternitum emiserint ipsi, vel aliquis habens aliquid agere* &c.
C. 53. *Appropinquaret*, Long. *esset Carcassona*.
Ibid. *non bona dicebantur*. Sic & Longip.
Et post medium. *Galterum de Longatone Anglicum, fratrem Archiepiscopi Cantuar.* Sic Longip.
Cap. 57. post init. *qui cum eo erant*.
Ca. 63. pag, 42 *Post hoc impugnatione facta*.
C 64. ante finẽ *accipere escam*. Long. *panem*.
C. 66. pag. 47. in fine, *Ecclesia non solùm uerbera* Et paulò pòst, *si fortè pro persona Comitis*.
pag. 48 *subsidium possit habere*. Et post vnã colũnam, *extitit & existit excommunicatus*.
Cap. 70 post med. *cognita pleniùs veritate*.
C. 73 post initiũ, *Quo audito patrum venerabiliũ* &c. *vnanimes & deuoti, comitatu venerabili comitatus Simon Montisfortis* &c.
C. 75 fin, *Christianitatem iuui, & dominum meũ*.
Cap. 80 in titulo *Bernardus de Casnacio* Et mox. *tanto timore concussi sunt*.
Cap. 82 initio *Comes Sagiensis, & de Alencione*.
Et ante medium, *de Aquiro*

ANNOTATIONES ALIQVOT IN OPERA HELINANDI

1. IN hac vltima parte Chronicorum Helinandi, quam edidimus, solet ipse Sigebertum ducẽ sequi, eiusque verba refert, & quasi sua facit. Quando autem jis sua addit, hanc vocem in autographo preponit, *Auctor*. Quia tamen dubiũ sæpe est, quousque verba sua extendat Helinãdus, & an continuet sermonem; vel novũ textũ Sigeberti inchoët, ideo frequentissimè voculã illam *Auctor* alioqui etiam importunam, omisi. Quando tamen illam necessariam judicaui, apposui.

2. Si qua videntur in hoc Auctore Pontificibus quibusdam iniuriosa, maximè Hildebrando, seu Gregorio 7. illa sunt Sigeberto adscribenda, imò sunt ipsa Sigeberti verba, qui huic Pontifici infensus fuit, fovens partes Imperatoris, quocũ Pontifici Gregorio summę inimicitiæ fuerunt. De hoc Sigeberto Cardin. Bellar. lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis. Sigebertus, inquit, in sua Chronologia iniquior fuit Gregorio 7. ob studium erga Imperatorem; qua de causa non pauca mentitus est, & præsertim cùm narrat obitum ipsius Gregorij.

3. Ipse Sigebertus ad annum 1074. ait à Gregorio 7. prohibitos fuisse vxoratos Sacerdotes divina officia celebrare, nouo exemplo, & inconsiderato. Quæ etiam verba refert Helinãdus, nec ea damnat. At quale crimẽ est hoc? Quis hodie ferret huiusmodi Sacerdotes astare altari, & diuina officia celebrare? Ideo etiam in defensionem Gregorij Papæ, vt ait Bellar. cit. contra calumnias Sigeberti scripsit sanctus Anselmus in epistola ad Guillelmum Abbatem, quæ est numero octaua, vbi sic ait. De Presbyteris, qui se apertè reproba libidinis conversatione Deo reprobabiles exhibẽt, omnino tenendum est, quod Apostolica prouidentia Ecclesiastico iustoque rigore constituit. Nempe nullatenus conuenit, vt ibi irreuerẽter adstent, vbi pertinaciter aperta & impudenti libidine fœtentes, Dei & Sanctorum prohibitionem contemnendo, sacris altaribus deserviunt; imò non deseruiunt, sed quantum ad ipsos, commaculant: non quo quis ea quæ tractant contemnenda, sed tractantes execrandos existimet: vt qui Dei & Angelorum præsentiã non reuerentur, vel hominũ detestatione repulsi, sacra contaminare desistant.

4. Ad annum 991. fabulam de Gerberto seu Silvestro secundo à nostro Helinando exscriptam verbis D. Spondani refutauimus; & ex quo

auctore sumpta esset, ex eodem declarauimus. Hic solum addendum, Sigebertum eam referre, & eam, timidè licet, approbare. Quidam, inquit, transito Siluestro Agapitum Papam hoc in loco ponunt, quod non otiosè factum creditur, Quia enim is Siluester non per ostium intrasse dicitur, quippe qui à quibusdam nicromantię etiam arguitur. De morte quoque eius non rectè tractatur. A diabolo enim percussus dicitur obiisse; quam rem in medio relinquimus. A numero Paparum exclusus videtur. Hoc autem somnium satis confutatū est ex ijs quæ ad annum ipsum 991. adduximus. Sed nondum videtur tunc fuisse vulgata illa fabula de thesauro in campo Martio arte magica ab ipso Gerberto reperto, & de mensa immensis opibus referta, quam fusè refert Helinandus in Autographo; illam autem nolui typis nostris excudere. Sanè Gerbertum omnes Chronologi & historici probi legitimum Papam agnoscunt, etiam qui eius tempore vixerunt. Ideo autem magus à multis creditus est, vt ait Bellar. lib. 4. de Pontif. c. 12. quia erat Geometriæ peritissimus: illo autem indocto seculo qui philosophiæ vel mathematicæ operam dabant, magi credebantur,

Decimum seculum ignorantia.

5. Quod item de peregrinatione Caroli magni ad loca sancta Ierosolymitana, & eorum à dominatione Saracenorum ereptione ad annum 802. refert, & de avicula eius per siluas & itinera ignota ductrice, fabulosum est, vt historici rectè demonstrāt ex Eginardo gestorū Carolimagni oculato teste & scriptore. Inde autem nata est fabula illa, vt ait Du Pleix, quòd Aaron Persarum Rex, & Dñs totius Orientis, vt gratiam Caroli emereretur, munera plurima ei miserit, & locorum sacrorum dominium & possessionē ei tradiderit: vnde postea creditum est, eadem loca à Carolo armis fuisse recuperata.

6. Quod de clade exercitus Caroli in Roncia valle author refert, videtur etiam magna ex parte viris doctis fabulosum. Ignoscendum tamen Helinando & aliis, qui nihil aliud scripserunt, quàm quod extat in libello nomine Tilpini seu Turpini Archiepiscopi Remensis, qui in bibliothecis nostris passim manuscriptus reperitur; & in præfatione dicitur à Pontifice Calixto & Cardinalibus approbatus. Non mirum ergo, si multi hac in re decepti sint, maximè cùm verè contigerit illa clades: sed non eo modo, quo ab ipsis describitur.

7. Nota item Bellarminum lib. de Scriptoribus, vbi de Petro Damiani agit, eiusque mortē anno 1072. consignat, hæc consequenter notare. Ex quo, inquit, refellitur fabula Helinandi & Vincentij Bellovacensis, de pœnitentia centum annorū illi imposita à Gregorio 7. Papa. Obiit enim Petrus (Damiani) antequam Gregorius 7. Pontifex eligeretur. Verùm non fabula est, sed certa historia, quæ à nostro Helinando refertur. Verba enim ipsa Petri Damiani, quæ & in eius operibus editis leguntur, exscripsit Helinand⁹. Quia, inquit, refutaui Ecclesiasticum regimen, (idest quia meum Episcoparum dimisi) centum annorum pœnitentia mihi injuncta est, secundū remedia regulæ monasteriorum. Verba sunt nō Helinandi, sed Petri Damiani ad Hildebrandū. At non dicit Petrus, nec item Helinandus, pœnitentiam illam fuisse ab ipso Hildebrando injunctam, imò oppositum innuit, cùm ei hoc scribat, quasi illi minùs notum. Deinde potuit imponi pœnitentia illa ab Hildebrando, tamquā Pontificis legato, quo munere ante Pontificatum fungebatur. Dices, narrat Petrus illā pœnitentiam Hildebrando Pontifici; & tamen obierat antequam Hildebrandus fieret Pōtifex. Respondeo, narrat eam Hildebrando qui fuit postea Pontifex, non qui tunc esset. Quòd si Helinandus putauit illum tunc Pontificem fuisse, errauit solùm in circumstantia actionis illius, quā refert, nec propterea fabula est pœnitētia illa 100 annorum Petro imposita Quæ pœnitentia quomodo impleretur etiam à delicatis & nobilibus feminis, vide apud eundem Petrum in ipsa epistola ad Hildebrandum.

Immeritò Helinandū arguit Bellarmicus.

8. Sed adverte, nullam mentionem apud hūc nostrum authorem fieri Pontificis feminæ, seu Papissæ Ioannæ, quia fabula illa nondum erat fabricata: sed nec Doctoris Parisiensis qui è feretro caput erexerit, cùm orationes pro eo nondum tumulato fierent in Ecclesia. Quæ actio tam memorabilis fiei & Sigeberto nota fuit, mirū valde est ab eis fuisse prætermissam; ignotam autem eis fuisse, magis mirandum.

9. Flores Helinandi ad tria capita pertinēt. Primum est De cognitione sui: secundum De bono Regimine Principis: tertium egressum è Cœnobio Novitium revocare tentat per epistolam, seu librum, qui inscribi solet, *De reparatione lapsi*: à Vincentio Belvac. in capita diuisum, sed à nobis hic priori formæ restitutum. Videtur autem hic deesse finis: cùm Auctor significet se acturum de voto apud Præmonstratenses emisso à Galtero, cui scribit; de quo tamen nihil omnino dicit.

